Sc.11.pl.3.

37-41 E 13

HARMONIA CONFESSIONIS AVGVSTANAE DOCTRINAE EVANGELICAE CONSENSVM DECLARANS.

Adiunctum eſt Caroli Quinti Cæſaris ſemper Auguſti, potentiſſimorumque Imperij Chriſtiani Principum, ac doctiſſimorum noſtri ſæculi hominum de eadem Confeſſione iudicium.

Omnia in vnum veluti faſcem comportata ſtudio & opera

ANDREAE FABRICII LEODII, Illuſtriſsimorum Principum Alberti & Erneſti eius filij, nunc Archiepiſcopi & Principis Electoris Colon.&c. comitum Palatinorum Rheni, ac vtriuſque Bauariæ Ducum, quondam Conſiliarij.

EDITIO SECVNDA, PRIORI MVLTO LOCVPLETIOR.



B A

COLONIAE.
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXXXVII.

Cum gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſt. in Decennium.

37 47 E 13

ILLVSTRISSIMIS VEREQVE ORTHODOXIS PRINCIPIBVS, ALBERTO ET ERNESTO EIVS FILIO, COMITIBVS PALATINIS RHENI, AC VTRIVSQVE BAVARIÆ Ducibus, &c. Dominis ſuis Clementiſſimis, in Catholicæ Religionis conſtantia fœlicitatem.

EX quo tempore, Illuſtriſſimi Principes, Germania Chriſtianā fidem ſuſcepit, nihil ſublimius illi accidere potuit, quàm vbi ad religionis laudem ſummi Imperij faſtigium acceſſit, & populus, qui pleriſque nationibus anteà iacere videbatur, ad eam dignitatis potentiam eſt ſubuectus, qua in ciuili gubernatione nulla eſt, quæ aut pluribus ornamentis ſit decorata, aut propius ad diuinam maieſtatem accedat. Qui enim Imperatorij huius muneris claritatem, & eximiam Procerum, qui Cæſarē circumſtant, ſortem, intuetur, confeſtim cœleſtis illius dominationis, & omnium ſummæ nobilitatis typum animaduertet. Huic enim omnes genu flectunt, throniq; & principatus, dominationesque ac poteſtates ſeruam ſubmittūt ceruicem, & decentibus illum ſemper colentes honoribus, plenum eſſe dicunt cœlū ac terram gloria eius. Imperatoriam autem maieſtatem, quis Chriſti nomen profeſſus, non reuereatur? quis aduerſus Chriſtum rebellis meritò non reformidet? quis ad dignitates, humanamque fœlicitatem aſpirans, huic fulgori propinquus eſſe non deſideret? Ita enim hoc ſolium diuinitùs eſt inſtitutum, vt quicquid in terris deuicta morte Chriſto ſubſtratum eſt, clementiſſimis nutibus ad ciuilem tranquillitatem, æternamque fœlicitatem dirigatur, aut virga ferrea, ſi quis tantæ poteſtati reſiſtere audeat, conteratur. Nec aliunde tam ſublime & præclarum Imperium Germanis eſt excitatum, quàm vera religione, & pietate in Deum Optimum Maximum. Per illum ſiquidem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per illum Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Tantiſper atque Germani in illo omnium virtutum, rerumque præclariſſimarum fundamento perſtiterunt: tantiſper atque fidem à maioribus ſuis acceptam, & animis & armis propugnarunt, ſucceſſere illis & domi & foris omnia fœlicia. Nulla gens toto orbe tam potens, tam barbara & ferox fuit, quæ non Germanorum robur & imperium admiraretur & ſuſciperet. Qui ad Orientem & Occidentem habitabant, Germanorum fortitudinem celebrabāt. Qui ad Aquilonem, & vlteriorem Auſtri regionem agebant, vel laudibus euehebant, vel reformidabant Germanorum potentiam. Ita enim Sapientia illa cœleſtis diligentes ſe diligebat, promptiſſimeq; omnia, quæ vere laudabilia, quæ admiranda, quæ eximia ſunt, illis diſtribuebat, & cumulatè largiebatur. Poſtquàm verò Germani tantum præſidium negligentius habere cœperunt, poſtquàm ab illo Catholicæ fidei fundamento, hominum ſceleratiſſimorū perfidia, paſſi ſunt ſe excuti, poſtquàm & linguæ & manus pro hæreſi & infidelitate armari cœperunt, immerſa ſunt omnia. Poſtquam in locum Sapientiæ cœleſtis, Confeſſio Auguſtana ſubſtitui cœpit, tantis virtutibus ſuſcitata amplitudo, mox concidit. Ferunt priſcis temporibus Zeuxim elegāter admodùm pinxiſſe Helenam, ſed tamen arroganter, temerè inſcripſiſſe, non turpè fuiſſe Græcos & Troianos diuturnum bellum & duriſſimos labores pertuliſſe pro tali coniuge, cuius facies cœleſtes Deas æquaret. Hinc Troiæ incendium, & Priameiæ domus excidium, quo nihil miſerabilius à Poetis decātatur. Qua verò ratione Helena Saxonica depicta ſit, quàm arroganter titulum Confeſſionis fidei præferat, quàm imperitè pro verbo Dei adoretur, locus hic non patitur, vt multis proſequamur. Deum immortalem, quot cædes, quot bella, quod turbas, quot ſeditiones, quanti Imperij euerſionem etiamnum meretrix iſta quotidiè excitat, & fouet? Pro illa tanquàm pro cœleſti Sapientia, tanquàm pro aris &

Catholicæ religionis acceſſio [illegible] Germaniæ Imperij dignitate maxima, quæ bonus eſt adaucta.

Catholicæ religionis neglectione labefactata eſt Imperij maieſtas, & [illegible] omnis ſocietas [illegible].

Confeſſio Auguſtana quantū malis in Rēpublicam inuexerit.

 focis

Praxis miniſtrorum Confeſsionis Auguſtanæ.

focis hodie vulgò depugnatur. Quiſquis illius patrocinium prętendit, iuſtas videtur habere rationes, vt ſuperna imis, & diuina humanis cōmiſceat, omnemq; poteſtatē tantum non pedibus cōculcet. Sit, exempli gratia, Princeps aliquis, qui iuſtiſſima ſubditis imperet, & æquitatis leges ſuis populis figere velit. Si in eam Rēpublicā irrepſerint Cōfeſſionis Auguſtanæ miniſtri, mox ipſis authoribus poſtulabit populus liberam Confeſſionis Auguſtanæ profeſſionē. Quod ſi facere Princeps recuſet, tumultuariè aduerſus legitimū magiſtratum conſpirabitur, cōtra ius

Rom. 13.

& æquum omnibus promiſcuè certare licebit. Quod Apoſtolus præcipit: Reddite omnibus debita, cui tributū, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorē, timorē, cui honorem, honorē: friuolum ipſis, & vanum efficitur. Tunc non qui poteſtati reſiſtūt, Dei ordinationi reſiſtunt, ſed qui nefariam hæreſim ſub Cōfeſſionis Auguſtanæ titulo latentem nō admittit, dānationem, ipſorum iudicio, acquirit. Mirum liceat hic animaduertere hominum furorem. Vrgent pleriq; omnes, qui illi

Quàm propoſtera Confeſsionis ſtatuātur conſcientia religione.

factioni ſe adiunxerunt, vel in eandē propendent, conſcientię ſtimulos: ſed quod eam fidem deſerunt, quam Apoſtoli prædicauerunt, quam viri Apoſtolici poſteris tradiderūt, quam martyrum ſanguis conſecrauit, quam Chriſtianus orbis mille quingentis annis approbauit, quam deniq; Concilium Oecumenicū ſtabiliuit, nulli eſt religio. Quod magis mirandum eſt, vix centeſimus eorum, qui illā Con-

Vix centeſimus cōfeſsionem Auguſt. profeſſus, quid illa ſit intelligit.

feſſionem profitetur, proq; eadem ſolicitat, quid ſit Auguſtana Cōfeſſio, quamve cùm vanitatem, tum impietatem, includat, intelligit: Nec tamen hic vllus cōſcientiæ ſtimulus remordet, non cura ſalutis, non honor, qui maioribus debetur, retrahit. Quidam, neſciens inſanos Lutheri errores, aduerſus Chriſti Eccleſiam profuſos, Auguſtana Confeſſione comprehendi, poſtquàm apud Senatū ſuę Reipublicæ diu ſolicitaſſet, magnoque clamore egiſſet, vt illa promiſcuæ multitudini liberè permitteretur, tandem interrogatus, an etiam quid eſſet Confeſſio Auguſtana intelligeret, confidenter reſpondit: Simné ego tam ſtupidus, qui neſciam Confeſsionem Auguſtanam eſſe Sancti Auguſtini doctrinam? O inſignem popularis ſalutis patronum. Alius titulo nobilitatis turgidus, dum ſuperiore anno Spiræ comitia celebrarentur, cuiuſdam Principis menſæ aſſidens, magna cōfidentia Confeſſionis Auguſtanæ doctrinā poſtquàm propugnare ſtuduiſſet, produxi tandem verba quædam Confeſſionis, his, quæ ille defendebat, contraria. Ad quæ, n.i Domine inquit, ne vrgeas nos verbis Confeſſionis. Illam enim nūquam legi. Eſtné ſtupenda hæc dementia? Conatus fuerat bonus vir paulò antè omnes, qui aderant, in ſuam pertrahere ſentētiam, & dum vrgetur, vt ſuæ Cōfeſſionis rationem reddat, ſe eam vnquam legiſſe negat. Si hæc contingant in ijs, qui ſe reputant idoneos, vt alios inſtruant (nec erat ille profectò indoctus) quid in cæteris credamus quotidiè euenire? Atq; vtinam hi eſſent deterrimi, qui ignorātia quadam ſe profanæ illi Cōfeſſioni adiunxerunt, & non multò plures inuenirentur, qui ex deſtinata animi malitia errores nuper in Germania exuſcitatos ſequerētur, aut ſpe vitæ licentioris, aut cupiditate alicuius maioris commodi illecti.

Multi agnitā etiā hæreſim obſtinatè profitentur.

Quātò animarum exitio pſeudoprophetæ finxerint ſuam Confeſſionē à principib. anno 1530. approbatam.

Plurimis ſanè tanto facilius pernicioſiſſimus iſte laqueus inijcitur, quòd ipſis perſuaſum ſit, Principes Imperij in eam Confeſſionem anno trigeſimo ſupra ſeſquimilleſimum conſpiraſſe, ſuiſque ſuffragijs approbaſſe. Quis enim Carolum Quintum, quis Ferdinandum tunc Romanorum regem, qui tantos Catholicorū ordines, non lubenter ſequatur? Sed vaniſſimum eſt illud commentum, à magiſtris mendacibus crudeli fraude, magnaque tātorum principū ignominia in vulgus ſparſum. Neque enim modò impietas hæc in illis comitijs non eſt approbata, ſed etiam paucis quibuſdam exceptis, communibus ſuffragijs damnata. Quin totius factionis primarium defenſorem Ioannem Electorem Saxoniæ, qui Confeſſionem illam Cæſari obtulit, conſtat ſua illa ſtudia, Lutheranamq; factionem ad extremum damnaſſe, atq; cùm morti proximus eſſet, filio ſuo Ioanni Frederico imperaſſe, vt damnata hæreſi Lutheri, Catholicam religionem in ſuis ditionibus priſtinæ dignitati reſtitueret. Sed non pari facilitate pernicioſus morbus repellitur, atque illi aditus ad Reipublicæ viſcera paratur.

Multa remedia aduerſus

Hactenùs tantis malis, totque animarū ſtragibus, quas Cōfeſſio Auguſtana po-

uſ-

tiſſimè nutrit & confirmat, varia quæſita ſunt remedia, ſed ſi hæreſiarchas, & ſectarum magiſtros ſpectemus, paruo ſanè aut nullo fructu.

hæreſium noſtrarũ cauerũ quæſita.

Primum quidem lenitate omni & manſuetudine actum eſt, vt illi redirent in viam, &, ſtudio nouitatis depoſito, in Eccleſiæ Catholicæ ſententia conquieſcerent. Sed vt canes bilioſi quò magis demulcentur, eò vehementius irritantur: ita illi quò clementius accepti ſunt, eò crudelius aduerſus Chriſti Eccleſiam latrare cœperunt.

1. clementer ad reſipiſcentiam ſunt hæretici inuitati

Alias viri docti, & in rebus ad religionem pertinentibus exercitatiſſimi, ſolidis ſcriptis & rationibus, cùm ex ſacris literis, tùm ex veneranda Patrum antiquitate repetitis, profanam nouitatem ſtuduerũt retundere, ſed nihilò plus conſecutum eſt, quàm antea. Sicut enim non poteſt fieri, vt ligna mittendo ignem extinguamus: ſic non poteſt fieri, vt rationem dicendo places hominem malum.

2. Doctorum hominũ ſcriptis repreſſi. Chryſ. hõ. 42. in Matthæũ.

Vetum deinde eſt eo, vt peſtifera, ac deplorata membra iuxta verbi diuini præſcriptum, à reliquo corpore præſcinderentur, &, ſummi paſtoris vigilantia, morbidæ oues extra Chriſti ouile eijcerẽtur. Sed quo peſtilentes animi maioribus Eccleſiæ Catholicæ præſidijs ſunt deſtituti, eò crudeliora inueteratus humani generis hoſtis ſathan, ipſis ſuggeſſit, ad Eccleſiæ ſubuerſionem, cõſilia. Vt eluderetur iuſtiſſimè aduerſus rebelles lata ſententia, tantoque atrocius in Chriſti membra ſæuiretur, nihil inuentum eſt aptius, quàm vt ſummæ cathedrę per fas nefaſq́; ſua detraheretur authoritas. Chriſti aduerſarius, & Eccleſię eius inimicus, ait Cyprianus, ob hoc Eccleſiæ præpoſitũ ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſaretur.

3. Pontificia authoritate excõmunicati. Cypri lib. 1. Epiſt. 3.

Huc acceſſit & culminis Imperialis, aduerſus eoſdẽ hæreticos, iudicium & proſcriptio. Sed quãtò plus preſidij ſemper fuit Eccleſiæ Chriſti in Imperatoris Chriſtiani dignitate, iuſtaque in hæreticos ſeueritate, tãtò vehemẽtius ſtuduerunt homines nefarij, eandem calumnijs ſuis vilem reddere. Digna tũc fuit ipſorum cauſa, cur Chriſtianiſſimus Imperator, nõ modò lupis, & carnificibus æquaretur, verùm etiam gladij iuſtitiæ poteſtas, Chriſtiano magiſtratui ſubduceretur.

4. Per Imperatoriam maieſtatem proſcripti.

Quæſitum præterea eſt aduerſus tantã improbitatem aliud pharmacum, ex comitiorum & legum Imperialium auctoritate, ſed quamlibet æquis cõditionibus perpoſitis, nihil effici permiſit, eorum, qui ſemel corrupti eſſent, peruicacia. Oẽs (inquit Elias Germanicus) qui humanas leges diuinis ſuperaddũt, certiſſimè ſunt inimici Dei, & Leuiathan Apoſtoli, & qui eas acceptauerint aut ſeruauerint, eius ſunt diſcipuli. Nulla igitur eſt remedij ſpes, niſi reuocato libertatis Euangelio, ſecundum ipſum extinctis ſemel omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus. Ex hac, credo, tanti Prophetæ lege Quinti Euangelij magiſtri nullius iudicium ſubire, ſed ipſimet omnia iudicare volunt. Quàm magnificè idem Elias de Iuriſperitis ſenſerit. ex libello de decem præceptis recognoſcere liceat. Habent, inquit, iuriſtæ magnum priuilegiũ, vt nulli contra eos loqui, aut eos iudicare liceat. Profectò niſi Princeps ſit ipſe tam prudens, vt per ſeſe & ius, & iuriſtas regat, ibi ſuccedit, iuxta Salomonis ſentẽtiam: Væ terræ, cuius princeps puer eſt. Ita quidem ille, ſed nos potius dixerimus: Væ terræ, quæ tam monſtroſo homini aures ſemel patefecit. Væ terrę, quæ tam virulenti draconis flatus excepit. Vę terræ, quæ ad tantam immanitatem non obſtupeſcit. Væ terræ. Sed motos præſtat cõponere fluctus. Patiamini Principes, vt reliqua remedia aduerſus tantam luem quæſita, breuibus expediamus.

5. Comitiorũ Imperialium legibus perculſi. Lib. de Cõfeſſione ad Frãcoſ.

Poſtquàm nec benigna monitione, nec Catholicorum ſcriptis, nec ſummi Paſtoris authoritate, nec Imperialis Maieſtatis grauitate, nec comitiorum aut legum ſeueritate aliquid impetrari potuit, tandem cogitatum eſt, an fortè mutuis inter diſſidentes partes colloquijs plus proficeretur. Cæterùm ex eiuſmodi congreſſibus ſæpè etiam repetitis, hæretici nõ modò aduerſus Catholicos magis ſunt inflammati, ſed etiam aduerſus ſe mutuo maiores diſſidiorum flammas conceperunt.

6. Mutuis colloquijs explorati.

Quid igitur poſt tot conſilia, tantoſque conatus ſupereſſe potuit? Certè vnica pijs omnibus ſpes reſtabat, in Oecumenici Concilij authoritate, quandoquidem

7. Cõcilio Oecumenico ad eũdẽ finẽ celebrato.

ipſimet rebelles eius definitionem expectare videbantur, ſæpiuſque apud Carolū Cæſarem egerant, vt interueniente Pontificis Romani voluntate, eiuſmodi generale Concilium conuocaretur. Nec defuit Caroli & Ferdinandi, magnæ memoriæ Imperatorum conatus, & flagrātiſſimum ſtudium. Eorum opera tandem aliquando res quæ poſtulabatur, ad effectum producta. Concilio generali & plenario poſt multos ſudores, magnaque impendia, finis eſt impoſitus. Ibi quæſtiones, & controuerſiæ anteà exortæ, ſumma diligentia diſcuſſæ ſunt. Quod eſſet de contentionibus, quibus pax & tranquillitas diſcindebatur, Eccleſię Catholicæ iudicium patefactum eſt, ſententiaque apertè & manifeſtè pronunciata eſt.

Quibus artibus Concilij Generalis autoritatē eludāt heretici.
August. epiſt. 162. & 166.

Quid tandem inde conſequutum? Idem ſanè, quod ſuperioribus rationibus. Nullum enim improbi gladium cenſent ſuæ punitioni aptum. Nullum lignū cōmodum eſt ſceleratis ad incendium. Nullam arborem ſuſpendio idoneam fures iudicant. Nullum tribunal his, qui proprio iudicio ſunt condemnati, ſatis tutum habetur. Communis vox eſt, inquit Auguſtinus, omnium malorum litigatorū, cùm fuerint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati, malos iudices ſe eſſe perpeſſos. Non enim poteſt malus litigator laudare iudices, quibus iudicantibus victus eſt. Sed tamen, ne mox rapiantur ad pœnam, expedit illis ſubinde nūc ad hoc, nūc ad illud iudicium prouocare. Interea enim, dum cauſa protrahitur, liceat cogitare, quibus tandem rationibus, vinculis diſſolutis, impunitas inueniatur, & iudicum labor omnis eludatur. Ad hūc ſanè modum, qui contra ſe pronūciatam ſententiam vident, popularibus auxilijs fulti, ipſum Spiritus ſancti, & Concilij generalis iudicium, non modò cauillari & ſuggillare, ſed ſuperbiſſima arrogātia & ſceleratiſſima malitia irridere, & conculcare nihil verentur, luculentiſſimè declarātes, ſe nunquam ſyncero ſynceræ veritatis ſtudio Concilij Oecumenici cenſurā expetiuiſſe: ſed quemadmodū olim Pelagiani, teſte Auguſtino, hanc gloriam captaſſe, vt propter ipſos totius orbis ſynodus congregaretur. Ita certè ſemper in peius proficiunt, pro fide efficiuntur perfidi, pro religione ſacrilegi, quicunque ſe ſemel ab vnione Catholica ſeparant, quicunque aduerſus Chriſti ſacerdotes inſurgunt, quicunque à Cleri ſocietate ſecedunt. Quia iam in reprobum ſenſum traditi, charitatem veritatis recipere nolunt, mittit illis Deus operationem erroris, illudiq́ue eos patitur vt credant mendacio, & pereant.

August. lib. 4 contra Donat. ca. vlt. Cypri. de ſimpl. prælatorū tract. 3
2. Theſſ. 2.

Quàm fraudulenter & inſidioſè no ſtri ſæculi pſeudoprophetæ ſcripturis vtātur
Lib. de Præſcript. heret.

Prætexunt nihilòminus vbique ſcripturas, vtque imperitis fucum faciant, ad illas prouocare audent, atque adeò illis ipſis, meretricia quadā impudentia, Chriſtianam doctrinam impugnare non verentur. Sed aduerſus hanc fraudem Tertullianus, probè hæreticorum ingenium expertus, inſigni antidoto Catholicorum animos præmuniuit. Non periclitor, inquit, dicere ipſas quoque ſcripturas, ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materiam ſubminiſtrarent, cùm legā, oportere hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent. Scripturas obtendunt hæretici, & hac ſua audacia quoſdam mouent. Hunc igitur potiſſimùm gradum obſtruimus, non admittendi eos ad illam de ſcripturis diſputationē. Nec ſanè ita eſt cum hæretico diſputandum, quoniam nihil proficiat cōgreſſio ſcripturarum, niſi planè vt aut ſtomachi quis ineat verſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas: & ſi quas recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenùs integras præſtat, nihilòminus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Quid itaque promouebis exercitatiſſime ſcripturarum, cùm ſi quid defenderis, negetur ex diuerſo? ſi quid negaueris, defendatur? Et tu quidē nihil perdes, niſi vocem in contentionem: nihil conſequeris, niſi vilem de blaſphematione laudem. Eiuſmodi hæreticorum ingenium ante mille trecentos annos ſenſit quidem Tertullianus, ſed tantas blaſphemias, quantas hodie ex ſcripturis trahunt hæretici, nulla vidit ætas.

Legitimorū magiſtratuū ſeueritate, qui Concilij Oecumenici nō obtēperāt, cohibēdi ſunt.

Illis niſi Chriſtiani Imperij Principum ſtudio occurratur, metuendum ſanè eſt, ne breui in vltimum diſcrimen Germania ipſa cum Imperij dignitate veniat: ſpeſq́ue omnis, non modò recuperandæ Hungariæ eripiatur, verùm etiam de miſerrimis noſtræ Reipublicæ reliquijs ab acerbiſſimorum hoſtium

cru-

crudeliſſima ſeruitute vindicandis actum ſit.

Inter Eccleſiaſticos ſcriptores, qui Euangelij titulo hodie plurimùm gloriantur, præcipuè Auguſtinum celebrant: quare minus vt exiſtimamus ægrè ferrent, *Lib. 4. cõtrà* ſi Chriſtiani Principes eius iudicium in ſimili cauſa ſequantur. In Pelagianis igi- *2. epiſt. Pela-* tur, qui Concilij Oecumenici ſententiam, totiuſque Chriſtiani orbis iudicium *gianorũ ca. 12.* aſpernabantur, quidnám ſint meriti, intelligant. Orbem, inquit, Catholicum quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur, cùm potius vigilantia & diligentia Paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicunque iſti lupi apparuerint, conterendi ſunt: ſiue vt ſanentur atque mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate vitentur, adiuuante paſtore paſtorum Chriſto. Quæ eadem ſententia, ſi non ſatis disertè ſit expoſita, audiant eandem dilucidius expreſſam. Cùm animaduerterer Pelagianos poſt Epiſcoporum iudicium (vt hodie noſtri faciunt hæretici) ad nouas col- *Auguſt. li. 5.* lationes prouocare, Veſtra, inquit, apud competens iudicium communium E- *cõtra Iulian.* piſcoporum, cauſa modò finita eſt, nec ampliùs vobiſcum agendum eſt, quan- *cap. 1.* tum ad ius examinis veſtræ doctrinæ pertinet, niſi vt prolatam ſententiam ſequa- *Ab Oecume-* mini. Quod ſi nolueritis, à turbulenta vel inſidioſa multitudine cohibeamini, *nici Concilij* vobiſque ſufficiat, quòd vos Eccleſia Catholica & materna lenitate ſuſtinuit, *ſententia, nõ* & iudiciaria ſeueritate, vel potiùs medicinali neceſſitate damnauit. Quicquid i- *eſt appella-* gitur aduerſus ſectarum duces hodie priuato ſtudio inſtituitur, niſi Catholici ma- *tio.* giſtratus vires & authoritas accedant, fruſtra omne illud ſuſcipitur.

Maieſtate igitur Cæſarea & Principum, qui eam illuſtrarunt, gradu digniſſimũ *Imperatoris* fuerit, hanc luem à CHRISTI Eccleſia auertere, malumque domeſticum *officium in re-* congrua ſeueritate, ne vniuerſum Chriſtianæ Reipublicæ corpus ad extremum *primẽdis hæ-* inficiatur, reſcindere. Longè excellentius eſt illud imperium, quàm aut Iulij aut *reticis.* Neronis alicuius. Non Chriſtiano Cæſari faſces ſecuribus implicati, quibus ſubindè in optimos quoſque, vt illi ſolent, deſæuiat, præferantur, ſed gladius ille iuſtitię diuinitùs eſt traditus ad Eccleſię defenſionem, ad vindictam malefactorum, *Rom 13.* ad tutelam laudemque bonorum. Accingatur igitur gladio ſuo ſuper femur ſu- *Pſalm 44.* um potentiſſimus, ſpecie ſua & pulchritudine ſua intendat proſperè, procedat & regnet. Hoc gladio accinctus Imperator (quãdoquidem ea in parte Chriſti vicem gerit) par eſt, vt æquitatis vim exerceat, iniquitatis molem potenter deſtruat, Dei miniſtros, ſacrorúmue Antiſtites in omnibus neceſſitatibus protegat, cunctos fideles propugnet, hæreticos, & chriſtiani nominis hoſtes pernicioſiſſimos ſub iugum mittat, deſolata reſtauret, reſtaurata beneque diſpoſita conſeruet, viduas, pupillos, fraude vel calũnijs oppreſſos, clementer adiuuet: vt his rationibus poſtquam triumphator glorioſus, iuſtitiæq; cultor egregius euaſerit, tãdem cuius typum gerit in terris, eius beatitudine fruatur in cælis.

Babylonicæ illius ſeductricis filijs hæc conſilia non dubito mox ſanguinaria *Seueritas* iudicabuntur: ſed vtilis eſt illa ſanguinis profuſio, per quam integra membra cõ- *quæ aduerſus* ſeruantur, & totius corporis ſanitas quæritur. Quid enim aridus ramus in arbore? *hæreticos v-* quid peſtiferum membrum in corpore? quid homo deſperatus in republica? quid *ſurpatur, pie-* vrſus in vinea? quid aper in ſegete? quid lup⁹ inter oues? quid proditor in caſtris? *tas cenſeri de-* quid ſeditioſus in ciuitate? Si hoc ſit eſſe crudelem & ſanguinarium, iuſtitiæ gla- *bet.* dium in homines profligatiſſimos exercere, ergo Politicus quiſque magiſtratus, *Rom 13.* ergo Apoſtolus, ergo Deus Optimus, Maximus, fuerint ſanguinarij, qui iuſtiſſimũ *Exod. 22.* hunc eſſe gladij vſum palàm fecerunt. *Deuter. 17.*

Non ad eum modũ, non ad cũ modũ, hactenus cenſuit vniuerſus orbis. Aliter enim in Africa præclariſſimũ illud Eccleſiæ lumen iudicauit Auguſtinus. De hæreticis enim diſſerens concilio Oecumenico non acquieſcentibus, vbicunque, inquit, iſti lupi apparuerint, conterendi ſunt: quandoquidẽ ipſorum cauſa per cõpetens iudicium finita eſt, de doctrina religionis non eſt amplius cũ illis agẽdum. Si prolatam ſententiam ſequi nolint, illud vnum reſtat, vt cohibeantur. Satis illis ſit, quòd Eccleſia Catholica hactenus illos materna lenitate ſuſtinuit, & tandẽ

 medi-

Germanorū de reprimendis hæreticis ante ſeptingētos annos iudicium.

medicinali neceſſitate damnauit. Quid verò Germani dignitatem Imperij vnà cū religione Catholica conſecuti? An non antè ſeptingentos annos idem quod Auguſtinus cenſuerunt? An non Imperatorij, & Regalis muneris eſſe, ſuis ſuffragijs definiuerunt, hos dignis ſupplicijs afficere, qui fidem & diſciplinam Eccleſiæ oppugnarent? Per regnum terrenum, inquiunt, cœleſte regnum proficit, vt qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore principū conterantur, ipſamq; diſciplinam, quam Eccleſiæ vtilitas exercere non præualet, ceruicibus ſuperborum poteſtas Principalis imponat.

In Cōcilio Aquiſgranenſi ſub Ludouico Pio.

Græciæ & Romanorum Imperatorū, de coercendis hæreticis iudicium.

Si epiſtolæ fines paterentur, poſſemus, cùm ex hiſtorijs Eccleſiaſticis, tum ex ſacratis cōſtitutionibus Honorij, Arcadij, Theodoſij, Valentiniani, religioſiſſimorum Imperatorum, oſtendere, quodnam fuerit totius Græciæ, Chriſtianorumq; Principum in hac cauſa iudicium. Sed vnica lex Martiani Imperatoris, quæ in acta Concilij Chalcedonenſis eſt relata, ſufficere poterit. Ceſſet iam (inquit imperator) profana contentio. Nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe demētiæ eſt, in medio & perſpicuo die cōmentitium lumē inquirere. Quiſquis.n. poſt veritatē repertam, aliquid vlterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaq; vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet cōditionis, de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis & aduenientibus, tractare conetur in poſterū, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit religioſiſſimæ ſynodo, ſi quis ſemel iudicata aut rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare cōtendit: cùm ea, quæ nūc de fide Chriſtiana ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones, & ſtatuta ſanctorum patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta definita eſſe noſcantur. Nec in contemptores diuinæ legis pœna deerit, quia non ſolùm contra fidem benè conſtitutam veniunt: ſed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine profanantur veneranda myſteria.

Quàm iuſtè coerceri poſſint noſtri temporis hæretici.

Audiant, audiant tandem quanta authoritate feriantur, qui etiam hodie & ſtylum & linguam aduerſus ſacram & vniuerſalem Synodum Tridentinam armate non reformidant. Si iuſta fuit illa lex, vt certè fuit, aduerſus eos, qui Synodo Nicenæ, vel Chalcedonenſi non acquieſcebant, iuſta igitur etiā fuerit aduerſus Concilij Tridentini oppugnatores. In Synodo Chalcedonenſi dixerunt patres aduerſus illos, qui in Concilium Nicenum inquirere volebāt. Si quis retractat, anathema ſit: ſi quis inquirit, anathema ſit. Maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innouat. Hæc ſanæ vox, ſi iuſta fuerit, maledicti igitur & illi, qui noſtra tēpeſtate ſub Euangelici nominis vmbra latitantes, Decretis Concilij Tridentini aliquid addunt, aliquid inquirunt, aliquid innouant, vel detrahūt. Impij & ſacrilegi ex Martiani inſtitutione ſunt, qui contempta ſacerdotum ſententia, ſuas opiniones ſequuntur. In extremam prolapſi ſunt demētiam, qui in clara luce cōmētitium lumen inquirunt, mendacium quærunt, qui poſt repertam in concilio veritatem, aliquid vlterius diſcutere volunt. Contra fidem pugnat, qui quæ in Synodo Oecumenica ſunt iudicata, in dubium reuocare cōtendit. Iudæis & Paganis ſunt ſimiles, qui quæ religionis Antiſtites publico conſenſu diſpoſuetunt, curioſitate quadam reuoluunt, & nouis certaminibus veneranda myſteria profanant. Quid igitur reſtat, niſi quemadmodum eadem lex monet, vt hoc prouideat magiſtratus, ne in tam contumaces legis diuinę contemptores pœna deſit, edictoq; publico, eiuſdem Martiani Imperatoris exēplo caueatur, ne quis audeat in doctrinam Chriſtianæ religionis Oecumenica Synodo declaratam, nouam inquiſitionem inſtituere.

Actione 1.

Non tàm priuatis hominum operis, quàm principum authoritate pertinacia hæreticorum frænari his temporibus poteſt.

Res iſtas Illuſtriſſimi Principes explicatas hoc loco volui, ne quis fortè de iſto labore, quem veſtræ clementiæ dedicandum cenſui, ſiniſtrè iudicet, néue exiſtimet quiſpiam, me adeò vel temerarium, vel arrogantem eſſe, vt poſt grauiſſimas diſputationes, toties cum hæreticis repetitas, poſt multiplices doctiſſimorum hominum lucubrationes, poſt varia vtriuſque poteſtatis edicta, poſt colloquia pluribus locis celebrata. Denique poſt Oecumenici Concilij labores, credere ingenij mei viribus aliquid inueniri poſſe, quod plus ponderis, quàm illa omnia habeat,

&ad

& ad hæreſeon magiſtros tandem in viam reuocandos maiorem vim habeat. Lõgè aliam nobis eſſe mentem ex iam dictis conſtare poteſt. Quis enim obſtinatos, qui in ſua malitia geſtientes, qui Spiritum ſanctum deſtinato ſtudio oppugnantes, ſeruari poſſit? Certe quantum ad humana cõſilia attinet, ſi ſuperiores illæ rationes hæreſiarchas minimè emendarunt, nec priuati cuiuſcunque hominis ſcripta permouebunt. Vnica penes Principes & magiſtratus quam hoc efficiat supereſt autoritas. Non quidem vt noui aliquid in religione conſtituant, ſed quæ nuper in Tridentina Synodo ſummis laboribus,& ampliſſimis Patrum ſtudijs Spiritus ſanctus definiuit, ea executione mandent & ſequantur. Quæ res dum aut malignitate temporum, aut procerum lenitate diutius differtur, ſit vt iuratiſſimi Eccleſiæ hoſtes tanto maiorem audaciam quotidiè aſſumant,& impunitate ſemel animo concepta, vniuerſam religionem euertere machinentur, regniſque omnibus ſui erroris calicem proponere maturent.

Poſteaquam igitur nobis conſtat, ſacrilego illo conatu, & peſtilẽtiſſimis ſeductorum ſcriptis plurimos quotidiè à vera Chriſti religione,& fida Eccleſię Catholicæ ſtatione abduci, viſum eſt ad alias elucubrationes, quas in hoc argumento ſcripſimus, hanc operam adijcere. Itaque poſtpoſita eorum cura, qui oẽm curationẽ reſpuunt, & pertinaciſſima animoſitate in praua ſua ſententia perſeuerare elegerunt, infirmis & imperitis ingenijs medicinã attẽperare hic ſtudebimus. Illis, ſi fortè nõ tã animi peruerſitate, quàm magiſtrorũ ſuorũ fraudibus in impia dogmata inclinarũt, certã rationẽ, Deo adiuuãte demõſtrabimus, qua vanitatẽ Cõfeſſionis Auguſtanæ deprehendãt. Nec aliundè huius demõſtrationis fundamentũ, quam ex ſacris literis (ne habeant aduerſarij quod cauillentur) depromere meditamur. *Vt conſeruentur ſenſus & integri, euulgatur iſtud opus*

Paulus igitur fideles hortatur, vt ſoliciti ſint ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, quia vt vnum eſt Chriſti corpus, ita vnus eſt Dominus, vna fides, vnũ baptiſma. Quare per ſingulos eius Confeſſionis articulos, illam vnitatem fidei inquirendam duximus, vt inde liquidò conſtet, an qui in illa dogmata coniurarunt, vnitatem ſpiritus conſeruent, & in vno Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, perſeuerẽt. Nec ſanè obſcurum eſſe voluit idem Apoſtolus, vnde potiſſimùm illa fidei vnitas ſit metienda, cùm Hebræis ſcribens: Doctrinis, inquit, varijs & peregrinis nolite abduci. Fugite, vult dicere, fugite & euitate illos, qui in docendo ſibi non conſtant, peregrinaque, nec in Eccleſia Catholica recepta docent. Certum eſt, illos aberrare, viamque vitæ deſerere, qui quos deprehẽdunt de rebus fidei variè & inconſtanter docere, nec aut ſecũ, aut cũ viris Apoſtolicis cõſentire, ſequũtur, dignoſque iudicant, quibus animarum ſuarum ſalutem committant. *Epheſ 4. Ex hæreticorũ diſcordia, fidei catholicæ veritas cõfirmatur. Hebr 13.*

Laicus igitur, vel quiuis alius, cui docendi cura nõ incũbit, ſi velit errores pſeudoprophetarum reprehendere,& in vnitate fidei perſiſtere, ex ſententia Apoſtoli ad duo potiſſimùm oculos intendet. Primum eſt, vt conſideret, an ſui magiſtri iſdem de rebus iiſdem ſemper loquantur,& ſcribant. Nam ſi variè, hoc eſt, aliter & aliter de religionis dogmatibus doceant, certum eſt, fraudẽ & laqueos ſubeſſe, nec veritatẽ, ſed mẽdacium proponi. Huc reſpiciens dum ad Corinthios ſcribit Paulus: Obſecro vos, inquit, fratres per nomẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis aũt perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Item ad Epheſios: Non ſimus, ait, paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuẽtionem erroris. Nam omne regnum, velut affirmat Chriſtus, diuiſum contra ſe, deſolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Alterũ præceptum per Apoſtolum ad diſcernendam veritatem, in epiſtola ad Hebræos traditũ eſt, vt examinemus, an doctrina, quę proponitur, ſit peregrina,& ab Eccleſia Chriſti reprobata, an verò domeſtica & familiaris. *Populus ex duobus potiſſimum capitibus veritatẽ dogmatũ noſcere poteſt. 1.Cor 1. Epheſ.4.*

Si qui ſuum ſequentes ſpiritum nouam afferant, ſi magiſtrorum ſententię cum traditione Apoſtolica non conſentiant, ſi qui fratres vnanimes inauditis opinionibus diſtrahant, ſi qui Chriſti membra doctrinæ nouitate diſſoluant, certum eſt, non Chriſti Apoſtolos, ſed Antichriſti eſſe diſcipulos. Omnis ſpiritus, inquit Ioannes, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Qui nouit

Deum

1. Ioan. 4. Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos, in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Qui permanet in doctrinâ, hic Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. His pulchrè reſpondêt, quæ Paulus varijs locis inculcat, de ijs duntaxat recipiendis, quæ doctrinæ Apoſtolicæ, & per ſucceſſionem Epiſcoporum in Eccleſia hactenùs conſeruatæ, reſpondeant. Si quis, ait, aliter docet, & nō acquieſcit ſanis monitionibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum: & qui à veritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. Depoſitum igitur cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Quin idem Paulus dicit, adeò à doctrina noua & peregrina abhorrendum, vt ſi vel ipſemet aliquid diuerſum ab illis, quæ prius docuerat, inuehere velit, vel Angelus etiam cœlitùs deſcēdat, contraria primæ illi doctrinæ inducens, minimè ſit acquieſcēdum, ſed talem doctrinam, taleſque doctores prorſus exectari oportere. Licet nos, ait, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Vt igitur eos, quibus magiſtri mendaces miris modis hodie inſidiantur, adiutaremus, & à grauibus illis anathemathiſmis, quæ diuinus intentat Apoſtolus, retraheremus, varia hic depromimus pharmaca, quæ in animo recepta, peſtiferam vim non modò arceant, verùmetiam ne illa inuadat, ſanis & integris antidotum præbeant. Quicquid igitur illud eſt, hoc totum Illuſtriſſimi Principes veſtræ ſerenitati dedicandum iure optimo cenſui. Tanta eſt.n. claritas generis veſtri, quod ab Imperatorio illo faſtigio vobis ducitur, tantus veræ ſapientiæ ſplendor, vt qui illi coram ſpectant, nec tamen quibuſcunq; poſſunt rationibus honorant, à ſuo officio longiſſimè receſſiſſe videantur. Conſtātia autem fidei tanta, manſuetudo tanta, pietas in Chriſtum & Chriſtianos omnes tanta, ſtudium erga Catholicam religionem tantum, vt hinc cœlum ipſum exultet, ac quicquid ſupereſt ſyncerae fidei in Germania, hoc quaſi iubare vndique colluſtretur. Dum igitur eximias iſtas virtutes, quas hæreditario quodam iure à patribus & auis poſſidetis, alij, alijs rationibus vobis gratulantur, noſtri, qui veſtra beneuolentia propius fruimur, muneris eſſe exiſtimauimus, ea offerre, quibus ardēs illud erga Catholicam religionem ſtudium adiuuetur, & animi, vanitate hæreticorum magis perſpecta, in eo, quod præclarè eſt inſtitutum, ſolidius confirmetur. Adhortantibus itaque multis grauiſſimis viris, ea congeſſi, quibus hominum nouorum ſupercilium aduerſus Ieſum Chriſtum ſe extollens, deprimatur. Reducantur autem, quantum licet, decepti, demonſtrando deceptos eſſe, & ignoraſſe Apoſtolicas & propheticas ſcripturas eos, qui Eccleſiam Catholicam noſtris temporibus oppugnare aggreſſi ſunt. Cæterùm Deum Optimum Maximum precor, vt in tot Chriſtianæ Reipublicæ procellis, & tam pertinaci hoſtium fidei immanitate, veſtram Celſitudinem ſemper conſtantem, iucundam, & illæſam ad omnem poſteritatem tranſmittat.

Epiſt. Ioan. 2 — 1. Timoth. 6. — Galat. 1.

Illuſtriſſimis Veſtris Celſitudinibus

addictiſſimus

Andreas Fabricius Leodius.

AD CHRISTIANVM LECTOREM PRÆMONITIO.

VT tibi Chriſtiane Lector ratio conſilij noſtri melius conſtet, obſeruabis, nos vniuerſa, quæ hoc opere coniunximus, ad duo illa capita ſecernendæ veritatis à mendacio, de quibus in dedicatoria epiſtola egimus, retuliſſe. Siquidem ex illis clariſſimè demõſtrari poſſe exiſtimauimus, Confeſsionem Auguſtanam non tam Dei, qui pacis & vnitatis author eſt, voluntate, quàm diaboli, qui diſſenſionis & mendacij parens eſt, malignitate in lucem prodiiſſe. Nam vt oſtenderemus, eos, qui Confeſsionem illam profitentur, doctrinis varijs abduci, primo loco Confeſsionem ipſam, non mutilatam, non arroſam, non interpolatam, ſed integrã, ſed de verbo ad verbum, ex prototypo, quod Carolo Quinto Cæſari fuit oblatum, deſcriptam collocamus. Deinde varietates in ipſo illo Euangelicorum fundamento ab anno 1530, ad annum 1540. per ipſos Confeſsionis authores excogitatas oſtendimus. Nec tamen hic editiones omnes, quæ decennio illo in vulgus ſunt ſparſæ examinamus, ſed duntaxat illas, quæ certò ex ipſa Papatus Saxonici cathedra, procurantibus ipſis factionis magiſtris prodierunt. Primum enim typis mandata eſt Confeſsio citra nomẽ typographi, aut loci in quo fuit procuſa, ſed quia Melanchthon & alij illud exemplar tanquàm vitiatum (viderint qua fraude hoc faciant) reprehendunt, hoc vrgere, mutationes ibi factas annotare non decreuimus. Aliam etiam editionem anni 1535. quæ Haganoæ prodijt, vidimus, ſed nec illam producimus, ne fortè pſeudopropheta ad ſe non pertinere dicant, quæ alijs locis ſunt commiſſa. Quare duntaxat illos reuocamus ad ea exemplaria, quæ ex officina Georgij Rhau VVittenbergæ in lucem prodierunt, à tempore comitiorum Auguſtenſium anni trigeſimi, vſq; ad comitia Ratiſponenſia, anno quadrageſimo inchoata. Tria autem eiuſmodi ad manus noſtras peruenerunt, nec tamen vllum eſt, quod cum altero conueniat, ſed progreſſu ipſo ſemper accreuerunt nouæ fraudes, adeò quidem vt illud quod tempore comitiorum Ratiſponenſium eſt excuſum, vix in vno articulo cum prototypo Cæſari oblato cõcordet: eoq; illam editionem eidem prototypo ſubiecimus integram. Ex alijs autem duobus exemplaribus, quæ anno proximo poſt comitia Auguſtana ſunt euulgata, duntaxat ad illa in margine annotauimus, quæ à Confeſsione Cæſari oblata, diſsident. Cæteras autem varietates in exemplaribus Latinis & Germanicis ab anno 1540. ad hoc vſq; tempus enatas, ſi perſequi voluiſſemus, quis tandem fuiſſet ſcribendi modus? Nec videmus cur hoc eſſet neceſſum, cum demonſtrata varietate fidei, vel in vno articulo, idq; illo ipſo tempore, quo cœpit euulgari Quintum Euangelium, ſufficienter etiam demonſtratum ſit, eiuſdem Euangelij miniſtros non Chriſti, ſed ſathanæ eſſe miniſtros, & Eccleſiam per illos congregatam, non eſſe illam veritatis columnam, aduerſus quam portæ inferi nõ præualebũt, ſed mẽdacij & erroris officinã. Vt tamen Harmoniam illam δὶς διὰ πασῶν ſonantem rudiores citius obſeruare poſſent, addidimus in ſingulos articulos noſtras animaduerſiones, & has quidẽ ad doctrinæ varietatẽ demonſtrandam. Porrò vt alterum dijudicandæ veritatis notã declararemus, clariúsq; efficeretur, illos, qui ſe Confeſsioni Auguſtanæ aggregarunt, doctrinis peregrinis ab æterna ſalute abduci: contulimus etiam in hoc volumen, Caroli Quinti Imperatoris, & Catholicorum Principum reſcriptum, factioni Lutheri ad refutationem Confeſsionis propoſitum, breue quidem, ſed doctũ, & admodum modeſtum: eòq; vbi ad manus meas primùm peruenit, miratus ſum hactenus, quòd ſciam, non fuiſſe typis mandatum, præſertim cùm ad illud refutandũ Philippus Melãchthon omnem ſuam battologiam in Apologia direxerit: Conqueritur quidem ille ſuæ factioni negatam fuiſſe eius reſponſionis copiam, quare ſe coactum duntaxat ea refutare, quæ ſui, dum publicè legeretur, raptim annotarant. Sed inſigni fuco ſuſcepta eſt hæc querela, vt nimirum in minorem veniret reprehenſionem, quòd tam confusè & ineptè, diſsimulatis præcipuis ſæpè argumentis, ſuam Apologiam ſcripſerit. Negat etiam Ioannes Eckius, vir de Republica Chriſtiana tunc profectò optimè meritus, Proteſtantes refutationem Cæſaris non legiſſe, ſimúlq; affirmat furtim & fraudulenter ad manus Melanchthonis eandem perueniſſe. Subiecimus præterea eidem Catholicorum principum ſcripto, vt plenius hydræ illius caput retũderetur, Ioannis Dauentriani refutationem. Ioannis Cochlæi diſcuſsionem, Ioannis Hoffmeiſteri iudicium, & Alphonſi Viruesij Philippicas. Ex quibus ſanè omnibus diligens lector mox intellexerit, Cõfeſsionem Auguſtanam, nec ſcriptis Propheticis, nec Apoſtolicis literis reſpondere, ſed expreſſo Dei verbo aduerſari, virorum Apoſtolicorum fidem proculcare, Sanctorum Patrum monumẽta peruertere, hæreſibus antiquis nouas adiungere, hactenus Catholicæ Eccleſiæ, quæ columna & firmamentum eſt veritatis, incognitam doctrinam inuehere. Deniq; vniuerſam religionem incredibili impietate obruere. Rogo igitur vos fratres per viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti, doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, ſitiſq; perfecti in eodem ſenſu & eadem ſcientia, ac eos obſeruetis, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocẽtium. Valete Chriſtiani fratres, atque ex omnibus his conſiderate, quanto in periculo verſentur, qui contempta fide Catholica, Confeſsionis Auguſtanæ doctrinam profitentur, eiuſq; myſtas, velut legitimos æternæ ſalutis duces agnoſcunt & ſequuntur.

Hebr. 13.

1. Cor. 1.
Rom. 16.

TITVLORVM HVIVSCE OPERIS ELENCHVS.

	Proteſtantium Præfatio.	1
I.	De vnitate eſſentiæ.	9
II.	De peccato, ſeu vitio originis.	14
III.	De incarnatione verbi.	31
IIII.	De iuſtificatione hominum.	34
V.	De miniſterio Euangelij.	50
VI.	De bonis operibus.	56
VII.	De Eccleſia.	162
VIII.	De adminiſtratione Sacramentorum.	180
IX.	De Baptiſmo.	184
X.	De Cœna Domini.	188
XI.	De Confeſſione.	190
XII.	De Pœnitentia.	193
XIII.	De vſu Sacramentorum.	242
XIIII.	De ordine Eccleſiaſtico.	252
XV.	De ritibus Eccleſiæ.	258
XVI.	De rebus Ciuilibus.	278
XVII.	De iudicio Dei.	288
XVIII.	De libero Arbitrio.	289
XIX.	De cauſa Peccati.	295
XX.	De Fide & bonis operibus.	296
XXI.	De cultu Sanctorum.	316

ARTICVLI, IN QVIBVS RE-
censentur abuſus mutati, videlicet,

De vtraque Specie.	338
De coniugio Sacerdotum.	354
De Miſſa.	396
De diſcrimine Ciborum.	421
De votis Monachorum.	436
De Poteſtate Eccleſiaſtica.	483

PROTESTANTIVM PRAEFATIO AD CAESAREM CAROLVM QVINTVM EX PROTOTYPO EXTRACTA.

INuictiſsime Imperator Cæſar Auguſte, Domine Clementiſsime, Cùm V. C. M. indixerit conuentum Imperij Auguſtæ, vt deliberetur de auxilijs contra Turcam atrociſsimum hæreditarium, atq; veterem Chriſtiani nominis, ac religionis hoſtem, quomodo illius ſcilicet furori, & conatibus durabili, & perpetuo belli apparatu reſiſti poſsit. Deinde & de diſſenſionibus in cauſa noſtræ ſanctæ religionis ac Chriſtianæ fidei, & vt in hac cauſa religionis partium opiniones ac ſententiæ inter ſeſe in charitate, lenitate, ac manſuetudine mutua audiantur coràm, intelligantur, & ponderentur, vt illis, quæ vtrinq; ſecus in ſcripturis tractata ſunt, correctis, res illæ ad vnam ſimplicem veritatem, & Chriſtianam concordiam componantur, & reducātur, vt de cætero à nobis vna ſyncera & vera religio colatur & ſeruetur, vtq; quemadmodum ſub vno Chriſto ſumus & militamus, ita etiam in vna Eccleſia, Chriſtiana in vnitate, & cōcordia viuere poſsimus. Cumq; nos infrà ſcripti, perinde vt alij Electores, Principes, et Status ad præfata Comitia euocati ſimus, vt Cæſareo mandato obedienter obſequeremur, maturè venimus Auguſtam: Et quod citra iactantiam dictum volumus, inter primos affuimus. Cùm autem V. C. M. Electoribus, Principibus, & alijs Statibus Imperij hic Auguſtæ ſub ipſa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod ſinguli Status Imperij vigore Cæſarei edicti ſuam opinionem & ſententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant, atq; offerre, & habita deliberatione proxima feria quarta, rurſum reſponſum eſt veſtræ Cæſareæ Maieſtati, nos proxima ſexta feria Articulos noſtræ Confeſsionis pro noſtra parte oblaturos eſſe. Ideo vt veſtræ Maieſtatis voluntati obtemperemus, offerimus in hac religionis cauſa noſtrorum Concionatorum & noſtram Confeſsionem, cuiuſmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis & puro verbo Dei, hactenus illi apud nos tradiderint. Si nunc cæteri Electores, Principes, & Status Imperij ſimiliter ſcriptis Latinis & Germanicis, iuxta prædictam Cæſareæ Maieſtatis propoſitionem ſuas opiniones in cauſa religionis produxerint, offerimus nos paratos cum debita obedientia erga Cæſaream veſtram Maieſtatem, tanquam Dominum noſtrum Clementiſsimum, cum præfatis Principibus, amicis, & Statibus amicè conferre de idoneis, & tolerabilibus vijs, vt quantum fieri poteſt, conueniamus, et re inter nos partes, hoc modo vtrinq; propoſitis ſcriptis, agitata, pacifice citra odioſam contentionem, Deo dante, diſſenſio dirimatur, & ad vnam veram concordem Religionem reducatur: ſicut omnes ſub vno Chriſto eſſe, militare, & vnum Chriſtum confiteri debemus, iuxta tenorem edicti V. C. M. & omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentiſsimis votis à Deo petimus. Si autē quod ad cæteros Electores, Principes & Status, vt partem alteram, attinet, non proceſſerit hæc tractatio cauſæ, iuxta tenorem edicti veſtræ Cæſareæ Maieſtatis, & ſine fructu facta fuerit, nos quidem teſtatum clarè relinquimus, nihil nos detrectare, quod vllo modo ad Chriſtianam concordiam (quæ cum Deo, & bona conſcientia fieri poteſt) conciliandam, conducere poteſt, quemadmodum & V. C. M. deinde & cæteri Electores, & Status Imperij, & omnes, quicunq; ſynceræ religionis amore, ac ſtudio tenentur, quicunq; hanc cauſam æquo animo audituri ſunt, ex hac noſtra & noſtrorum Confeſsione, hoc clementer agnoſcere, & intelligere dignabuntur. Cùm etiam V. C. M. Electoribus, Principibus, & Statibus Imperij non vna vice, ſed ſæpè clementer ſignificauerit, & in Comitijs Spirenſibus, quæ anno Domini 1526 habita ſunt, ex data & præſcripta forma veſtræ Cæſareæ inſtructionis recitari, & publicè prælegi fecerit, quod V. C. M. in negotio hoc Religionis ex certis cauſis, quæ tunc allegatæ ſunt, nō vellet determinari, ſed vellet apud Pontificem Romanum elaborare pro congregando Concilio, quemadmodum idem latiùs expoſitum eſt ante annum in proximo Spirenſi conuentu, vbi V. C. M. per D. Ferdinandum, Bohemiæ & Vngariæ Regem, amicum & Dominum clementem noſtrum: Deinde per Oratorem, & Commiſſarios Cæſareos hæc inter cætera iuxta inſtructionem proponi fecit: quod V. C. M. intellexiſſet & expendiſſet locumtenentis V. C. M. in Im-

perio, & præſidentis & conſiliariorum Imperialis regiminis, & Legatorum ab alijs Statibus, qui Ratiſponæ conuenerant, deliberationem de Concilio generali congregando, quodq́ iudicaret etiam V. C. M. vtile eſſe vt congregaretur Concilium, & quia cauſæ, quæ tum tractabantur inter V. C. M. & Romanum Pontificem vicinæ eſſent concordiæ, & Chriſtianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Romanus Pontifex adduci poſſet ad habendum generale Concilium. Ideò clementer ſignificabat V. C. M. ſe operam eſſe daturam, vt præfatus Pont. Roman. vnà cum V. C. M. tale generale Concilium primo quoque tempore publicandum emiſſis literis congregare conſentiret. In euentu ergò tali, ſi hæ diſſenſiones non fuerint amicè compoſitæ inter nos & alteram partem, offerimus nos hic ex ſuper abundanti in omni obedientia coram Veſtra Cæſarea Maieſtate, in tali Chriſtiano & libero Concilio generali comparituros, & cauſam dicturos eſſe, de quo congregando in omnibus conuentibus Imperialibus, qui annis Imperij Maieſtatis Veſtræ habiti ſunt, per Electores, Principes, & Status Imperij eſt grauiſſimis deliberationibus ſemper magno conſenſu concluſum. Ad quod Concilium, & ad V. C. M. in hac longè maxima & grauiſſima cauſa, iam antè etiam debito modo & in forma Iuris appellauimus, cui appellationi adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum (niſi cauſa amicè iuxta tenorem Cæſareæ Citationis audita, & ad Chriſtianam concordiam reducta fuerit) deſerere intendimus, aut poſſumus, de quo etiam hic publicè proteſtamur.

PRAE-

PRAEFATIO EADEM
AD CAESAREM CAROLVM QVINTVM,
IN OMNIBVS VVITTENBERGENSIBVS Exemplaribus variata.

INuictiſſime Imperator, Cęſar Auguſte, Domine Clemētiſſime, cùm V. C. M. indixerit conuentum Imperij Auguſtæ, vt deliberetur de auxilijs contra Turcam, atrociſſimum hæreditarium, atq; veterem Chriſtiani nominis ac religionis hoſtem, quomodo illius ſcilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu reſiſti poſſit. Deinde & de diſſenſionibus in cauſa noſtræ ſanctæ religionis & Chriſtianæ fidei, & vt in hac cauſa religionis partium opiniones ac ſententiæ inter ſeſe in charitate, lenitate, ac manſuetudine mutua audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, vt illa quæ parum forſan probè vtrinq; in ſcripturis tractata, aut intellecta ſint, ſepoſitis & correctis, res illæ ad vnam ſimplicem veritatem, & Chriſtianam concordiā componantur & reducantur, vt de cætero à nobis vna, ſyncera & vera religio colatur & ſeruetur, vt quemadmodum ſub vno Chriſto ſumus & militamus, ita etiā in vna Eccleſia Chriſtiana in vnitate & concordia viuere poſſimus. Cumq; nos infraſcripti Elector & Princeps cum alijs, qui nobis coniuncti ſunt, perinde atq; alij Electores, Principes, & ſtatus ad præfata comitia euocati ſimus, vt Cæſareo mandato obedienter obſequeremur, maturè venimus Auguſtam: & quod citra iactantiā dictum volumus, inter primos affuimus. Cum igitur V. C. M. Electoribus, Principibus, & alijs Statibus Imperij etiam hic Auguſtæ ſub ipſa initia horum comitiorū, inter cætera proponi fecerit, Quod ſinguli Status Imperij vigore Cæſarei edicti ſuā opinionem & ſententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atq; offerre, & habita deliberatione, proxima feria quarta reſponſum eſt V. C. Maieſtati, nos proxima ſexta feria Articulos noſtræ Confeſſionis pro noſtra parte oblaturos eſſe. Ideò vt veſtræ Maieſtatis voluntati obſequamur, offerimus in hac religionis cauſa noſtrorum Concionatorum, & noſtram Confeſſionem, cuiuſmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis & puro verbo Dei hactenus illi in noſtris terris, ducatibus, ditionibus, vrbibus tradiderint, ac in Eccleſijs tractauerint. Si nūc cæteri Electores, Principes, & Status Imperij, ſimilibus ſcriptis Latinis ſcilicet & Germanicis iuxta prædictam Cæſaream propoſitionem, ſuas opiniones in hac cauſa religionis produxerint: hic nos corā V. C. M. tanquā Domino noſtro Clemētiſſimo paratos offerimus, Nos cum Præfatis Principibus & amicis noſtris de tolerabilibus modis ac vijs amicè conferre, vt quantum honeſtè fieri poteſt, cōueniamus, & re inter nos partes citra odioſam contentionem pacificè agitata, Deo dante, diſſenſio dirimatur, & ad vnam veram concordem Religionem reducatur: Sicut omnes ſub vno Chriſto ſumus & militamus, & vnum Chriſtum confiteri debemus, iuxta tenorē edicti V. C. M. & omnia ad veritatem Dei perducantur. Id quod ardentiſſimis votis à Deo petimus. Si autem quod ad cæteros Electores, Principes & Status, vt partē alteram attinet, hæc tractatio cauſæ religionis eo modo quo V. C. M. agendam & tractandam ſapienter duxit, ſcilicet cum tali mutua præſentatione ſcriptorum, ac ſedata collatione inter nos nō proceſſerit, nec aliquo fructu facta fuerit, Nos quidem teſtatum clarè relinquimus, hic nihil nos quod ad Chriſtianam concordiam (quæ cum Deo & bona conſcientia fieri poſſit) conciliandam, conducere queat, vllo modo detrectare, quemadmodū & V. C. M. deinde & cæteri Electores, & Status Imperij, & omnes quicunq; ſyncero Religionis amore ac ſtudio tenentur, Quique hanc cauſam æquo animo audituri ſunt, ex hac noſtra, & noſtrorum Confeſſione hoc clementer agnoſcere & intelligere dignabuntur. Cùm etiam V. C. M. Electoribus, Principibus, & reliquis Statibus Imperij non vna vice, ſed ſæpè clemēter ſignificauerit, & in Comitijs Spirēſibus, quæ Anno Domini &c. 26. habita ſunt,

ex data & præſcripta forma veſtræ Cæſareæ inſtructionis & commiſſionis recitari, & publicè prælegi fecerit, Veſtram Maieſtatem in hoc negotio religionis ex cauſis certis, quæ V.C.M. nomine allegatæ ſunt, non velle quicquam determinare nec cōcludere poſſe, ſed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregādo Concilio generali, quemadmodum idem latiùs expoſitum eſt ante annum in publico proximo cōuentu; qui Spiræ congregatus fuit, vbi V.C.M. per Dominum Ferdinandum Boëmiæ & Vngariæ Regem, amicum & Dominū noſtrū clemētem; deinde per Oratorem & Commiſſarios Cæſareos hæc inter cætera proponi fecit, quod V. C.M. intellexiſſet & expēdiſſet locum tenentis V.C.M. in imperio & præſidentis & Conſiliariorum in Regimine & legatorū ab alijs Statibus, qui Ratisbonæ conuenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod iudicaret etiam V.C.M. vtile eſſe, vt congregaretur Concilium. Et quia cauſæ, quæ tùm tractabantur inter V.C.M. & Romanum Pontificem, vicinæ eſſent concordiæ & Chriſtianæ reconciliationi, non dubitaret V.C.M. quin Rom. Pontifex adduci poſſet ad habendum generale Concilium. Ideò ſignificabat ſe V. C.M. operam daturam, vt præfatus Pont. Maximus vnà cum V.C.M. tale generale Concilium primo quoque tempore emiſſis literis publicandum congregare conſentiret. In euentum ergò talem, quod in cauſa religionis diſſenſiones inter nos & partes amicè & in charitate non fuerint compoſitæ, tunc coram V.C.M. hîc in omni obedientia nos offerimus, ex ſuperbundanti comparituros, in tali generali libero & Chriſtiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitijs Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V.C.M. habita ſunt per Electores, Principes, & reliquos Status Imperij, ſemper concorditer actum, & congruentibus ſuffragijs concluſum eſt. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, ſimul & ad V. C. M. in hac longè maxima & grauiſſima cauſa, iam antè etiam debito modo & in forma Iuris prouocauimus & appellauimus: Cui appellationi ad V.C.M. ſimul & Concilium adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum (niſi cauſa inter nos & partes, iuxta tenorem Cæſareæ proximæ Citationis amicè in charitate compoſita, ſedata, & ad Chriſtianam concordiam reducta fuerit) deſerere intendimus aut poſſumus. De quo hic etiam ſolenniter & publicè proteſtamur.

(∴)

CAROLI

CAROLI CAESARIS ET CATHOLICORVM PRINCIPVM AD OBLATAM A PROTESTANTIBVS *Confeſſionem reſponſio.*

SACRA Cæſarea Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus, cum ſuperioribus diebus quandam fidei Confeſſionem per Electorem Ducem Saxoniæ, & nõnullos Principes, & duas ciuitates cum nominibus eorum ſubſcriptis exhibitam accepiſſet, pro eo affectu, quo Dei Opt. Max. gloriam, animarum ſalutem, Chriſtianam concordiam, & publicam totius Germaniæ quietem, honorem, vnionem, atque ſalutem magnoperè exoptat, non modò eam Confeſſionem legit ipſe, & quantum opus fuit, perſpexit diligenter, ſed quo firmius, maturiuſque (vt in re tanti momẽti decet) procederet, ac negocium tam arduum accuratè tractaret, nonnullis eruditis, maturis, probatis, & honeſtis viris diuerſarum nationum eandem Confeſſionem videndam, & examinandam dedit: eiſque ſeriò mandauit, & iniunxit, vt quæ rectè ac Catholicè dicta in ea Confeſſione inuenirent, laudarent, ac comprobarent: Contrà verò, à Catholica Eccleſia diſſidentia annotarent, ac deinde Sacræ illi Maieſtati vnà cum eorum reſponſione offerrent, ſuaſque ipſi de quaque re ſententias exponerent. Quod quidem ordine, & ritè factum eſt. Nam & prædictã illam Confeſſionem eruditi illi viri omni cura, & diligentia perſpexerunt, & quid de vnaquaque re ſentiant, ſcriptis mandarunt. Atque ita reſponſionem eam Cæſareæ Maieſtati exhibuerunt. Quam ſanè reſponſionem S. C. Maieſtas, vt decet Chriſtianum Imperatorem, accuratiſſimè perlegit, ac cæteris Romani Imperij Electoribus, Principibus, & Statibus legendam dedit, & examinandam. Quam & ipſi tañquàm orthodoxam, & cum Euangelio & ſacris literis per omnia conſentientem approbauerunt. Qua de cauſa C. M. habito deſuper conſilio prædictis Electori, Principibus, & Ciuitatibus, vt ex orthodoxa noſtrà ſancta fide ac religione omne diſſidium tollatur, in præſentiarum recitari iuſſit hoc modo: Ad ea, quæ per Electorem & aliquot Principes ac Ciuitates ſacri Romani Imperij in negotijs ac cauſis Chriſtianæ & orthodoxæ fidei ſacræ Cæſareæ Maieſtati exhibita fuerũt, hoc Chriſtianum reſponſum reddi poſſit.

Ioannis Cochlæi Auguſtanæ Confeſſionis diſcuſſio.

NIhil habet incommodi hæc præfatio, niſi quòd falsò iactitant Concionatores, doctrinam ſuam ex puro eſſe verbo Dei, à quo ſanè in pleriſque articulis alieniſſima eſt, & longiſsimè diſtat, vti patebit in proceſſu. Et quod Principes in cauſa fidei, non ad Romanum Pontificem, ſed ad futurum Concilium generale appellant. Hoc enim in iure prohibitum eſt. Et ex antiquiſsimis ſanctorum Patrum Canonibus, & Athanaſij multorumque aliorum epiſtolis ac libris conſtat, Cauſas fidei & Epiſcoporum referri debere ad Rom. Pontificem, tanquàm ad ſupremum in terris iudicem.

Alphonſi Virueſij Canarienſis Epiſcopi Philippica prima, De Dogmatum multitudine & varietate.

QVemadmodum inter omnes omnium gentium nationes nulla fuit vnquam Germanis aut fide conſtantior, aut moribus grauior, aut ingenij candore ſimplicior: ita inter omnes Chriſtiani orbis prouincias nulla ſe hactenus (quod aliarum pace dixerim) pietate inſignem, religione ſupplicem, obſeruatione frequentem, vtriſque demùm tùm legibus, tùm magiſtratibus obtemperantem æquè præbuit, atque Germania. Quæ quidem ingenij veſtri, & pietatis antiquæ laudes, haud idcircò nobis in huius præfationis exordio attinguntur, viri Germani, vt vos primulum blandis (quod ait Sapiens) fictiſque ſermonibus captans, poſtmodùm facilius traham in ſententiam (haud enim ij eſtis, quibus aſſentatione, in re præſertim gra-

uiſsima,

uiſſima, poſſit imponi) ſed vt indolis veſtræ & ingenuitatis admoniti memineritis, quæ nunc placita, leges, inſtituta maiorum contemnitis, eadem vos non ita pridem & ſuſpexiſſe modeſtius, & retinuiſſe contentius, & fidelius præſtitiſſe. Quod cum ita ſit, indignum mihi videtur veſtra grauitate (animaduertite quod vobis non aſſentari decreuerim) ad vnius aut alterius homuncionis, qui nunquã quod illorũ cùm verba, tùm opera ſatis produnt, ſibi conſtiterint, voces, non dicam quales, ſed nouas, ita repente voſipſos & veſtra omnia (vitijs duntaxat exceptis) mutaſſe, & aduerſus rectiora monentes, ita obduraſſe aures, vt riſu ac deriſione, ne dicam maledictis & conuicijs excipiatis eos, qui iſtam animi impotentiam ſiſtere, & temperare conantur. Hoc malum non rerum ipſarum, quas deſeruiſtis, aut veritatum mutatione accidit, ſed communi hominum (ne interim diuina iudicia perſcrutemur) conditione qua ita eſt hominum naturę comparatum, vt quò ſe ſublimius extulerit, etiam virtute ac fruge bona, eò ſit illi velut in ſummo periculo cauendum ſtudioſius, ne præcipitatione collidatur. Omnium rerum viciſſitudo eſt (ait ille) non tantùm hnmanarum, verumetiam diuinarum, quamdiu verſantur inter homines: nihil eſt enim tam præcellens, tam ſublime, tam diuinum, quod ſi per homines geri, diſpenſari, aut quoquo modo diſponi contingat, humanis defectibus non ſit obnoxium, quando ea eſt animi noſtri imbecillitas, mentis inconſtantia, perplexitas rationis, vt quam veritatem maximè illi expedit retinere, in caſe veritate ſiſtere & confirmare intellectus humanus minimè queat, niſi virtute diuina roboretur. Huic virtuti, quæ præſtò eſt, quemadmodum pollicetur CHRISTVS, expetentibus, pulſantibus, implorantibus, nihil hoſtilius aduerſatur, quàm perulcax, ac præfracta quædam præſumptio ſapientiæ, qua ſibijpſi homo ſufficere credens, cæteros omnes cæcutire & hallucinari, pro vt ipſe ſapit, arbitratur. Hic illæ philautiæ morbus eſt, vt altius tantorum malorum cauſas & exordia repetamus, qui maximam angelorum partem corrupit, & ab illis in homines quaſi contagione tranſlatus, vniuerſos in primo parente corripuit. Quem morbum vt cæterorum omnium caput & originem, diuini verbi Eccleſiaſtes ille Salomon, ſignificaſſe vnà atque cohibere voluiſſe videtur: dum hominum fermè omnium curas ac deſideria vana pertæſus: aut (quod verius dixerim ſpiritus ſanctus per illum: ſtudia quoque nouos ſcribendi libros, quinimò libidinem commiſcendi noua dogmata, quibus vetera faſtidiri ſimul et antiquari

Cicero.

documenta incipiant, diſertiſſimè iuxta ac ſaluberrimè damnat. Verba, inquit, ſapientium, ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno, his amplius fili mi ne requiras: faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſque meditatio, carnis afflictio eſt. Videtur ſiquidem hæc diuini ſpiritus ſententia in illos maximè ferri, qui ſ[illegible]m ſapientiam præ dulcedine proprij erroris faſtidire ſolent, & materias à veteribus Catholicis non modò piè, verùm diligenter & eruditè iam olim explicatas, rurſus excutiunt, atque de alienis laboribus ſibi gloriam aucupantes, ampliſſima vſurpant argumenta loquendi: Loquendi, inquam, quia nihil aliud lucri præter inane loquacitatis nomen ſibi referunt, nihil vtilitatis lectoribus afferũt, præter humanæ alicuius adinuentionis fumos, quibus ad veterum enarrationes, al[illegible] qui ſufficientes adiecti, argumentum doctrinæ ſuſceptum confundunt potius quàm illuſtrius reddant. Atque vtinam hoc tantum damno, contenta eſſet inanis gloriæ in ſcribendo cupiditas, & non aliud deterrimum adiecíſſet: quo totius pudoris, & reuerentiæ metas trãſgreſſi, cum nihil prætermiſſum à maioribus, quod à nobis adijci poſſit, videamus, quæ ab illis ſapiẽter ſimul & catholicè dicta ſunt, ambitioſa doctrinæ oſtentatione conuellimus, illorum dogmata vellicantes obliquè, interdum etiam apertè damnantes. Eo denique temeritatis proceſſit immanis hæc philautiæ noſtrę rabies, vt in diuinas demùm ſcripturas irrumpentes, nihil firmum, nihil ſtabile, nihil ſolidum illis, quãtum in nobis eſt, permanere ſinamus; quin quibuſdam locis manifeſtam vim inferentes, quoſdam prorſus infringentes, alios omninò negantes, omnia propemodum euertamus: ita vt fuerint qui integros vtriuſque teſtamenti libros, alij qui alterum teſtamentum in vniuerſum ſuſtulerint, & in diuinæ ſapientiæ oracula virgam ſibi cenſoriam auſi ſint arrogare. Hinc exortæ hæreſes, ſchiſmata, ſectæ, factiones, & id genus alia portenta, quæ Paulus inter opera carnis connumerat. Nam illorum meditatio carnalis eſt omnino. Quod ipſum & Salomon apertè ſignificat, cùm dicit eorum frequentem meditationem, carnis tantummodò afflictionem eſſe. Phantaſmatum enim agitatio, organicas cerebri potentias exercens extenuat & fatigat. Porrò ex huiuſmodi potentiarum, quæ corporeæ ſunt, & ad carnis pertinent portionem, varietate, opinionum ſolet varietas exoriri. Alioqui tanta eſt animorum ſimilitudo, vt intelligentiæ conſenſus philoſophis aliquot impoſuerit, vt crederent alij, eundem eſſe in cunctis hominibus intellectum, quem communem ſuis verbis

Gal 5.

Magna eſt animorum ſimilitudo.

[illegible] quidem, ſed eiſ[illegible] ro[illegible]m imbutos, at[illegible] nſ[illegible] æquè eiſdem [illegible] phant ſmatum obſtaret va[illegible], [illegible] quæ vix hominem inuenias, q[illegible]cum [illegible] conueniat. Sicut enim ex[illegible] corpor[illegible] habitudo, ita & in[illegible] o[illegible] d[illegible]poſ[illegible] in ſingulis homi[illegible] propria eſt, & a cæterorum vnoquo[illegible]: quo ſit, vt cum in ijs quæ per or[illegible] cogitation[illegible] ſpe[illegible], quæ vnicui[illegible] [illegible]imus pro[illegible] ſunt, contempla[illegible] oriatur inter nos opinionum [illegible] vera [illegible]æ ſola ſpiritus acie, in[illegible], [illegible]mur, ſummus ſit o[illegible]m [illegible] in iudicando conſenſus. Id quod maxime nobis vſu venit, cum intel[illegible] noſter, ſicut ſimilitudinis ſimplicita[illegible], ita vnico tantum fidei & gratiæ l[illegible] illuſtratur. Cuius quidem luminis [illegible] non e[illegible] vlla, quantumlibet perſpicax, & in fingendis nouis dogmatibus ſolers, cor[illegible]rea potentia, quoniam ſpiritus ſanctus di[illegible]plinæ ff[illegible] iet fictum, & auferet ſe à cogi[illegible]tionibus [illegible] ſunt ſine intellectu. Siqui[illegible] intellectualis & vera ſapientia hoc diſtat [illegible] opinionibus, quod ſine fictio[illegible] d[illegible]citur, & ſine inuidia communicatur, [illegible] quam non ſibi quiſque priuatis excogita[illegible]uit pr[illegible] cebri ſimulachris, ſed in com[illegible] omnium hominum vtilitatem De[illegible] [illegible] æquamento largitur cunctis, qui ſe[illegible] [illegible] dignos exhibent & capaces. Alioqui in maleuolam animam non introibit ſapien[illegible], neque habitat in corpore ſubdito pecca[illegible] [illegible]ritali ſapientia, quam aduerſus car[illegible]nalem Iacobus diſtinguit, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadi[illegible]bilis, bonis conſentiens, & cæt. Multa in hanc ſententiam paſſim in ſacris literis repe[illegible]riuntur, quæ omnia huc ſpectant, vt ſcia[illegible]mus, intellectualem ſapientiam hoc à phanta[illegible]ſtica opinione differre, quod illius veritati[illegible]bus omnes homines (quorum animos phi[illegible]lautiæ furor non corripuerit) facillime aſ[illegible]ſentiuntur: in huius verò placitis vix homi[illegible]nem inuenias, cui cum altero in vniuerſum conueniat, niſi fortè factione potius quàm doctrina, in cuiuſquam verba iurauerit. Tunc enim coguntur homines, interdum quæ minime probant, aſſeuerare: quinimò, quod non raro deprehenſum eſt euenire, af[illegible]fectus ipſe peregrinis dogmatibus ſemel ad[illegible]dictus, vſque adeo in cæteras animi potentias tyrannidem exercet, vt eas pro ſe cogat et[illegible]iam iud[illegible]e, & intellectum (qui nudus a[illegible]lioqui & liber veritatem erat inuenturus) quaſi refragrantium cogitationum impro[illegible]bitate obruere. Veriſſimè namque dictum eſt à Quintiliano: Id quod iudices fuiſſe volunt, eſſe, facile credere. Et ſicut amantes de forma iudicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem à nobis amitti, cum affectibus occupamur. Quamobrem haud immeritò apud Ciceronem de natura Deorum diſſerentem C. Cotta Velleium ideò falſum exiſtimat, quod antè iudicauerit Epicurum ſe eſſe oportere, quàm dogma Epicuri cognouerit. Omninò animus commentitiæ opinionis fuco præuentus, ſui compos non eſt, vt propriæ adinuentionis aut factitij dogmatis, cui ſemel ſe addixit, deceptioni veritatis pulchritudinem præferre valeat.

Iaco. 3 — Affectus in peregrina dogmata addicti tyrannus.

Vt amor viſum: ſic affectus ratione corrumpunt.

Trahitur vnuſquiſque noſtrum à morbo illo quem diximus philautiæ, vt ſemper propria communibus præferamus. Porrò veritas & intellectualis ſapientia, quæ vna illam attingit, communiſſima eſt, opinio cuiuſque propria. Hinc fit, vt nõ modo hæretici (quod quotidie experimur) ſinguli ſingulas condant hæreſes, & viciſsim ſeipſos, qui modo aduerſus omnes alios pugnabant, inſectentur, illis damnantibus, quòd his egregie luculentum apparet, & rurſum his explodentibus & irridentibus, quod illis maxime probatur: verùm & Catholici, quatenus abſque pietatis diſpendio licet, Scotus differat ab Aquinate, Durandus ab vtroque, Ariminenſis ab omnibus: & quemadmodum olim philoſophia, ita & nunc Theologia in ſectas pene innumerabilas ſit diſſecta, idque non ſine magnis (quod apertè dixiſſe per ſophos quoſdam gymnaſiarchas non ſit mihi fraudi) cruciatibus ingeniorum & conſcientiarum interdum periculo non mediocri. Ego verò de his omnibus ita iudico, vt quæ ab Eccleſia vniuerſali perpetuò ſunt credita, & obſeruata, ea tanquàm oracula diuina religiosè ſuſcipiam, & vniuerſis hæreticorum dogmatibus præferam. Nihil enim aliud quàm hæretici mihi ſunt, quicunque aduerſus hæc ſcribunt aut docent. Quæ verò nouis ſunt inter Chriſtianos traditionibus exorta, ita vt nullo modo in ſacris literis anteà fuerint, illa, ſi Conciliorum aut Pontificum ſint decreta, vt leges & placita Chriſtianæ Reſpublicæ perquàm vtilia venerabũdus ſuſcipiam. Quoties autem de diuinis aut humanis hiſce legibus alicubi fortaſſis ambigitur, optima mihi legum interpres eſt, Chriſtiani populi generatim recepta conſuetudo: nam cæteræ omnes interpretationes, quas hæretici hactenus attulerunt, velut humana figmenta, & carnis tantum prudentiæ innitentes, marceſcunt & emoriuntur. Omnis nanque caro fœnum. Et quod natum eſt ex carne, caro eſt. Cecidit

Quæ optima legum interpres.

Eſai 40. fœnũ & quotidie cadit, quod etſi diu aliquoties durare videatur, tandem areſcet, verbũ autem Domini manet in æternum. Cui verbo, quantumuis illud ſibi omnes hæretici arrogent, ſola Eccleſia Catholica innititur. Huius rei ſignum haud obſcurum eſt, quod hæreſibus cunctis proceſſu temporum euaneſcentibus, ſola Eccleſia Catholica inter hæreticorum turbines, & malorum Chriſtianorum, quibus vterque ordo ſatis abundat, alluuiones permanet, & in æternum permanebit, vtpote aduerſus quam neutra inferorum porta, nec erroris, neque iniquitatis præualere poteſt. Sed interim penè præterieram tertium partitionis, quæ propoſita nobis eſt, membrum, hoc eſt, opinionum, quę inter orthodoxos ſine fidei offenſione quotidie oriuntur. Horum omnia, in quibus doctores ſibi mutuò aduerſantur, priuata mihi videntur, & phantaſtica vtrorumque frequenter commenta, ſemper tamen alterorum. Quorum? fortaſſe requiras. Illorum ſcilicet, qui magis à veterum doctrinis & traditionibus diſtant, nam (mea quidem ſententia) ea tantum ad intellectualem ſapientiam pertinet, aut propiùs accedunt, in quibus neoterici inuicem & cum veteribus conueniunt. Nec mihi obijci patiar quorundam antiquorum ſapientium ſententias, quæ inter ſeſe pugnare videntur. Illi enim fermè omnes operas ſuas diuinæ philoſophiæ ſtudijs impendebant, quam tamen haud omnes æqualiter adipiſcebantur, contingebatque illis, quod eandem rem ſimul, non tamen eadem loci intercapedine intuentibus, vſu venire ſolet, vt quo quiſque propinquior eſt videndæ rei, veriùs atque diſtinctiùs de illa iudicare valeat, quare ex locorum vndè proſpectus fieri contingit, varietate, varia neceſſe eſt oriri iudicia: quòd ſi omnium proximus rem ipſam cæterorum oculis æquè admoueat, facilè omnes tunc in vnius ſententiam diſcedunt, quando non contentionis libidine, ſed proſpiciendi varietate, & ab illo & à ſeſe inuicem diſſentiebant. Veterum ergò ſapientium diſſenſio tam ciuilis erat & modeſta, vt facilè in conſenſum mutua coaleſceret admonitione. Nunc verò, cũ non de Chriſti gloria, ſed de noſtra viciſſim contendamus, neutri volumus alteris cedere. Hæc omnia haud idcirco nobis dicuntur, vt conatus illorum & labores damnemus, qui ad diuinam ſapientiam per ſe quidem illuſtriſſimam, hominibus tamen velut oſtentandam, & a ſuæ lucis fulgore ad imbecillitatis noſtræ captum accommodandam, verbis

Qui ſcriptores laude & honore digni ſint. & literis in Eccleſia laborant, nouos edunt libros, interpretantur editos, optima quæque colligunt, obſeruant, in ordines redigunt, & quaſi per claſſes diſtribuunt, proferunt in lucem, & ſapientiæ ſuæ ad poſteros monumenta relinquunt. Omnia enim hæc, ſi non ad nouorum dogmatum, quibus ſophorum ſibi titulos parent, [illegible] am oſtentationem, ſed ad ſanctarum ſcripturarum eruenda myſteria, aut optimarum artium illuſtranda documenta, cum modeſtia ſimul & pietate fiant, & ij maximis digni ſunt laude, & grandes in futurum pijs doctoribus præmiorum cumulos pariunt: quoniam qui docti fuerint, vt propheta inquit, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: & ab Apoſtolo Paulo duplici honore cenſentur *1. Tim. 5.* digni, qui paſcendo gregi Chriſtiano laborant verbo & doctrina. Cæterùm oportet eos, qui in diuinis literis condiendis, excolendis, & Chriſtiano populo propinandis incũbunt, paſtoris eius vnici meminiſſe, à quo ſumus huius diſputationis exordium auſpicati. Ab illo enim [illegible] Salomonem veterũ ſapientium verba prodierunt, quæ per magiſtrorum [illegible] data ſunt [illegible], & quaſi [illegible] in altum [illegible] His amplius, inquit, fili mi ne requiras. Rogat fortaſsè quiſpiam, quiſnam ſit ille paſtor, qui ſapientes, qui magiſtri, quorum conſilio ſapientium verba ab vno paſtore profecta, ac nobis tradita perhibentur. Ego paſtorem vnum Chriſtum intelligo, qui de ſeipſo prædicat: Ego ſum paſtor bonus. Sapientes, Prophetas, Apoſtolos, ac cæteros vtriuſque teſtamenti auctores. Magiſtros, veteres Eccleſiæ columnas, doctores ſcilicet antiquos, qui ſacras literas interpretantes, non temerè, non arroganter, non præcipiti humanæ exiſtimationis affectu, ſed conſulto ac pia ſollicitudine Chriſtianis nobis dogmata tradiderunt, quibus amplius ne requiramus ab Eccleſiaſte præcipitur. Nam in his verſanti, etiam ſi multa compoſuerit volumina, non multi conduntur libri, ſed vnius duntaxat myſteria producuntur, enarrantur, lucubrantur, & mortalium oculis admouentur. Vnius, inquam, nempe illius, cuius ſeptem ſignacula ſoluere ſoli datum eſt agno. Quod ſi ab illorum, quos modò commemoraui, veſtigijs diſcedatur, mox immenſa librorum ſimul & errorum conſurget farrago, quibus accuſandis & excuſandis cùm alij rurſus dictentur, edantur, inuulgentur, fit vt quod Eccleſiaſtes dixerat, faciendi plures libros nullus ſit finis. Quod id- *Quibus vitio dandum ſit, quod faciendi libros plures nullus ſit finis.* ipſum pijs & Catholicis viris non debet vitio dari, ſed ijs à quibus nouorum dogmatum [illegible] us periculoſa, quàm vana, quotidie prouocantur, qui [illegible] nouas paſſim argutias in Chriſtianæ ſimplicitatis perniciem comminiſcuntur, quibus ſemel aſſertis [illegible] iſti [illegible] tatibus patrocinentur. Nam [illegible] vulgo quoque dici ſolet) neceſſe eſt vani ſuſtinendo mendacio accumulari multa,

quippe

[illegible] at, quo per [illegible] fuerit [illegible] viri Ger[illegible] perſpexiſſe, [illegible] æſtationis ora[illegible], quicquid eſt noſtri la[illegible] noſtris lucubra[illegible] bu[illegible] vt quo [illegible] Germanis ſer[illegible] ad [illegible] diuertere, migrare, aut [illegible] commodè ac perbenignis [illegible] peregrination[illegible] mus, [illegible] gratitud[illegible] me[illegible]tum [illegible] Ha[illegible] de [illegible] admonitos in [illegible] volui, vn[illegible] vos quibus [illegible] at, vel [illegible] (quod aiunt) [illegible] orum præſ[illegible] ionibus diſce[illegible], tam [illegible] dogmatum, tā mul[illegible] b[illegible] lorum, tam diuerſorum denique [illegible] fontes, ex quibus ſon[illegible] orum labes, quæ totam penè G[illegible] it, quotidie permanat. Eſt n[illegible] ma ſpes, & propemodū [illegible] duerſæ valetudinis cauſas & p[illegible] ere comprehenſa. Quin obiter d[illegible] argumenti primordia repero, [illegible] am n[illegible] ſtri rationem mihi viſus ſum [illegible]. Nam decreui apud me poſt tot [illegible] viros, quibuscùm hactenus do[illegible] veſtri h[illegible] ce de rebus ſunt conflicta[illegible] nam [illegible] obiſcum deſcendere, nō quod [illegible] qui me poſſe præſtare, quod [illegible] ermi[illegible] nt, ſed quod Confeſſio, quā [illegible] um abhinc Auguſtæ Vindelicorum in [illegible] conuentu Germaniæ Carolo Cæſar[illegible] n pr[illegible] is Chriſtianiſſimo obtuliſtis, ma[illegible] mam [illegible] pem mihi facere videatur, fore, vt qui [illegible] multis nobiſcum conuenire animu[illegible] indux[illegible] in reliquis ſi modò vobis illorum ratio ciuiliter & modeſtè fuerit oſtenſa, minimè ſitis diſſenſuri. Nam hucuſque ta[illegible] veſtri quàm noſtri ſapientes, vtrique alteris longa contentionis ſimultate peroſi, nō minus conuicijs & ſcommatibus, quàm ſolidis rationibus, & ſcripturarum teſtimo[illegible]ijs confl[illegible]xerunt. Ego verò ab illis [illegible]mnino [illegible]bſt[illegible]ns, his tantum cum verbis tum rationibus vtar, quæ plurimum lucis, [illegible]mum contentionis cauſæ vt ſpero attuliſſe videbūtu[illegible]. [illegible]runt permu[illegible] (ſcio) qui me frigidum, dilutum, & inertem propugnatorem Eccleſiæ iudicabunt, ita ſibi perſuaſerunt, quos ſemel i[illegible]a hæreſis nota anathemate deuouerint, nullis eſſe verbis mollioribus corrigendos, ſed igne & ferro cominùs, eminùs verò conuicijs & maledictis inceſſendos: quorum tamen ego vt ſtudia non damno, ita iudicia nihil moror. Sim illis quantumuis d[illegible]u[illegible]us & frigidus, dum tamen Chriſtianæ charitatis mihi ardor (Chriſto fauente) non deſit. Sim logomachiæ parum acer Antagoniſtes, dum tamen Euangelicæ manſuetudinis ſpolia nobis contingat Chriſto ſuſpendere. Quod ſi minus aſſequutus fuero, certè modeſtiæ meæ me nun[illegible]iàm pœnitebit: vtpote quam mihi nullus incutit metus, ſed prudentia ſuggerit Chriſtiana. Illius igitur Confeſſionis veſtræ, quam mihi nunc demum videre contigit, occaſionem arripiens ad ea, quæ tam in illa, quā in Apologia Philippi Melanchtonis eidem adiuncta pro vobis, & aduerſus nos prolixiùs dicta ſunt, reſpondebo: non quidem omnia veſtra improbans, nec noſtra quidem omnia pro[illegible]ans (ſi modò noſtra dicenda ſunt omnia, quæ quorundam abuſus, non bonorum doctrina aut approbatio inuexit) ſed pro illis duntaxat, quæ ſanctarum ſcripturarum & Eccleſiæ authoritate ſubnixa, impium eſt ab hominibus cōuelli, pro mea virili parte propugnans. Vnde & hoc opus non confutationē, ſed diſputationem malui appellare. Quicquid enim diſputando facturi ſumus, melius re ipſa, quàm magnificis verbis, vel ſpecioſis nominibus declarabitur.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOtypo deſumptæ Articulus primus, de vnitate eſſentiæ.

Eccleſiæ magno conſenſu apud nos docent, decretum Nicenæ Synodi, de vnitate eſſentiæ diuinæ, & de tribus perſonis, verum & ſine vlla dubitatione credendum eſſe, videlicet quòd ſit vna eſſentia diuina, quæ appellatur & eſt Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immenſa potentia, ſapientia, bonitate, Creator & conſeruator omnium rerum, viſibilium & inuiſibilium & tamen tres ſint perſonæ eiuſdem eſſentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, filius, & ſpiritus ſanctus. Et nomine perſonæ vtuntur ea ſignificatione, qua vſi ſunt in hac cauſa [illegible]tores Eccleſiaſtici, vt ſignificet non partem aut qualitatem in alio, ſed quod propriè ſub[illegible]ſit.

Damnant omnes hæreſes contra hunc Articulum exortas: vt Manichæos, qui duo principia ponebant bonum, & malum. Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometi[illegible], & omnes horum ſimiles. Damnant & Samoſatenos veteres, & neotericos qui cùm tantum vnam perſonam eſſe contendant, de verbo, & ſpiritu ſancto aſtutè & impiè rhetoricantur,

cantur, quod non ſint perſonæ diſtinctæ, ſed quod verbum ſignificet verbum vocale, & ſpiritus motum in rebus creatum.

CAROLI Cæſaris, & Catholicorum Principum ad Articulum primum reſponſio.

IN primis cùm Articulo primo confiteantur vnitatem eſſentiæ diuinæ in tribus perſonis, iuxta Niceni Concilij decretum, eorum Confeſſio acceptanda eſt, eò quòd per omnia ad normam fidei, & cum Romana concordat Eccleſia. Nam Nicenum Concilium ſub Imperatore Conſtantino Magno celebratum, ſemper ſacroſanctum eſt habitum, in quo Trecenti & decem octo Epiſcopi ſanctimonia vitæ, martyrio, & eruditione perſpicui & venerabiles, diſcuſſis ac diligenter examinatis ſacris literis, hunc articulum, quem hic confitentur de vnitate eſſentiæ & perſonarum trinitate definierunt.

Sic quoque acceptandum eſt, quòd damnant omnes hæreſes contra hunc articulum exortas, Manichæos, Arrianos, Eunomianos, Valentinianos, Samoſatenos: nam & hos olim damnauit ſancta & Catholica Eccleſia.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum primum animaduerſio.

Notatur fucus Confeſſionis Auguſtanæ.

COnfeſsio Auguſtana in publicum ad decipiendas animas proditura, eo fuco faciem componit & adornat, vt vix ſit poſsibile, paruulos, quibus ſenſus cæleſtis ſapientiæ radijs minus ſunt exercitati, ad illius proſpectum non cómoueri. Sed animaduerte colores.

Primò, in noua hac Eccleſia ſummus dicitur eſſe doctrinæ conſenſus, ne aliquod ſchiſma hic quiſquam ſubeſſe ſuſpicetur, à quo plurimum ſcilicet Prophetæ iſti abhorreant.

Secundò, vt non in leui argumento corũ concordia verſari exiſtimetur, materiam omnium excèllentiſsimam ſubijciunt, nimirum ipſam diuinitatem, quam in perſonarum trinitate vnius eſſe eſſentiæ ſe profiteri affirmãt. In qua profeſsione ſi concordes inueniãtur, quis ſuſpicetur, in minoribus articulis eos aberrare, aut diſſidere?

Tertiò, ne ſuum in hac Confeſsione ſpiritum potiùs, quàm Eccleſiæ Catholicæ, ſequi videantur, ſcribunt ſe certè ita de diuinitate credere ex authoritate Synodi Nicenæ, cuius definitionem hic ſacroſanctam habent, vt ſcilicet deinceps nullus dubitandi relinquatur locus, quid ipſi de Conciliorum authoritate, præſertim verò Niceni, ſentiant.

Quartò, vt exiſtimentur in omnibus ſuis placitis plurimi facere Patrum authoritatẽ, & dùm illos etiam non nominant, nihilominus tamen eos ſequi, ſuamque doctrinam ex eorum indicijs hauſiſſe exiſtimentur, dicunt ſe in hac cauſa nomine Perſonæ nihil aliud intelligere velle, quàm quod ſcriptores Eccleſiaſtici intellexerunt.

Atque illis quatuor præcipuè l[illegible]entis & coloribus depingitur huius Conſeſsionis facies.

Quia tamen non ſatis eſt, ſpeciem virtutis amplecti, niſi etiam omnis vitij deformitas remoueatur, altero huius Articuli artificio illud agitur, vt puriſſima ſcilicet hæc virgo omni hulcere non modo carere, verum etiam quicquid huiuſmodi eſt, deteſtari videatur. Damnant igitur omnes hæreſes vnitatem eſſentiæ diuinæ, & trinitatem perſonarum negantes, quas tamen aliàs velut cæleſtis ſapientiæ theſauros perquirunt & amplectuntur. Damnant & Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometiſtas, Samoſatenos. Ad extremum hoc in illis hæreticis maximè damnant, quod in rebus fidei ſimplici veritate minimè contenti, aſtutè, & impiè rhetoricentur, vt ſcilicet hinc mox quiſque intelligat, quàm iſti nudam & minimè fucatam coloribus veritatem ament, quamque ab eorum ſtudijs abhorreant, qui callidis machinationibus, ſuiſque oratorijs impias hæreſes pro veritate incautis plebibus venditant. Quid ſplendidiore fuco in medium prodire poſſit? Quis hic malum vllum ſuſpicetur? Cuiuſmodi ſint iſta, prudens Lector expendat. Nos opportuniori loco eadem excutienda reſeruamus.

Ioannis à Dauentria Articuli Primi refutatio.

PRimum Articulum Aduerſarij ab orthodoxa Eccleſia mutuati ſunt prudenter, ne omninò ab Eccleſia exorbitare viderentur.

Ioannis Cochlei Articuli primi diſcuſsio.

DE hoc Articulo nulla eſt inter nos & Proteſtantes controuerſia, neq; in Confeſſio ne, neque in Apologia, proinde in eo per omnia conſentimus.

Ioan-

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo primo iudicium.

NON deerunt fortaſſe, qui clamabunt, nos ſtatim ab initio huius collationis, vel prudentiæ, vel etiam parum modeſtiæ memores eſſe, quòd aggredimur hunc primum Confeſſionis Articulum excutere: quum tamen, quod ad hunc pertinet, non inter nos & Aduerſarios ſit controuerſia. Verũ eos, quorum calculi ſolent iudicium anteuerere, rogatos volumus, vt prius omnia patienter legant, & examinent: deinde vt viros bonos, & æquos iudices decet, iudicare pergant. Is enim mihi ordo ſeruabitur in tranſcurſu huius operis, vt quæ ex illorũ dogmatis probanda ſunt, probem: & quæ vel planè impia, vel etiam nonnullam impietatis ſpeciẽ habere videntur, primùm diligenter examinem, deinde iudicium ſuper his meum adijciam. Neque hoc ſilentio præterire conabor: ſi quãdo hypocriſi quadam bona oſtentant, vt hac callida ſimulatione incautum fallere poſſint lectorem. Sicut enim quis aquæ mixtum gypſum dans pro lacte, ſeducit per ſimilitudinem coloris; ita & hæretici (ſicut Irenæus præmonuit) imponunt fidelibus ſimilitudine verborum, cùm exiſtimantur ſimilia Catholicis dicere. Sed tantò magis cauendi ſunt, & pertimeſcendi, quantò occultius ſub diuinæ legis vmbraculo latitant. *Hæreticorum fallacias, & dolos cauere [illegible]* Quod ſi de S. Triniiate, de incarnatione verbi, de Magiſtratu, & eius generis reliquis nulla eſt controuerſia, non erat neceſſarium hæc in medium proferre. At ideò hoc inquiunt factum, vt res omnis ſuo quodam ordine poneretur. Sic quidem illi. Verùm enimuero nobis alia ſubolet cauſa, nimirum, vt his in aciem poſitis, Catholicorum ſibi nomen apud omnes, maximè autem ſimpliciores vendicare poſſint. Et hoc certè talibus nec paucis perſuaſum eſt. Hinc illæ voces: Cur reijcimus eos, qui nobiſcum in pręcipuis fidei articulis ſentiunt? qui Chriſti & diuinitatem & humanitatem nobiſcum fatentur, prædicant, confirmant? qui omnibus ſymboli Apoſtolici articulis ſubſcribunt? qui veteribus Synodis non contradicunt? Hæc inquam, & ſimilia iam à ſimplicioribus audimus, & quàm addicti ſint Lutheranis illis Concionatoribus non iniuria deploramus. Videmus item hoc, quod etiam aduerſarij nõ eunt inficias, quod vulgus ad iſtos turbatores abit, non vt Chriſti iugum ſuſcipiat, ſed ſolùm vt iugum noſtrum (hoc enim nomine dignantur diſciplinam Eccleſiaſticam) excutiat. Cæterũ nõ ſtatim Catholicus eſt, qui in vno atque altero Chriſtianæ fidei Articulo Catholicis conſentit. Solemne eſt apud Hæreticos, vt dogmatis ſuis Catholicorum aliquot articulos præfigant, quo ſcilicet cetera facilius perſuadeant. Nec vnquam quiſquam fuit Hæreticus, qui hoc nominis ſibi tribui patienter ſuſtinuerit. *Nemo vnquã quantumuis hæreticus, hæretici nomen audire voluit.* Qui huius rei exemplum petit, vel vnum inſpiciat Auguſtinum, & innumera reperiet. Hinc eſt, quod iſte vigilantiſſimus Eccleſiæ ſuæ paſtor, ad Iulianum Pelagianum ſcribit: Enumeras, quæ fides verò non dubitat Chriſtiana, in quibus ea commemoras, quæ penè omnia, prædicamus & nos, de quibus nullo modo dubitandum cenſemus, &c. *Contra Iulian. Pelagi. li. 6. ca. 4.* Et Pelagiani eò quòd Manichæis non adſtipulabantur, in Catholicorum numero poni, inque Eccleſiæ CHRISTI corpore cenſeri cupiebant. Sed quid ad hæc idem Auguſtinus? Neque quia Manichæorum morbo non laborant Pelagiani, propterea fidei ſanæ ſunt. Non vnum peſtilentiæ genus eſt, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus, & cæt. Hæc quidem ille: Quæ tamen Pelagiani contemnentes, calumniabantur non minus Catholicos Orthodoxæ fidei pfeſſores, quàm Manichæos nocentiſſimæ hæreſis auctores, vtroſque hæreſeos inſimulando. *Contra duas Epiſt. Pelagian. l. 2. c. 1. Ibidem lib. 2 ca. 2.* Auguſtinus verò Manichæos & Pelagianos diris deuouens, ait: Abſit, vt Catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare, cùm monente, atque adiuuante Deo, debeat vtroſque vitare, & cupiat vtroſque ſanare. Hæc mihi eò dicta ſint, vt intelligat pius lector, non ſtatim eos eſſe Catholicos, qui in certis Catholicis dogmatis fidem Eccleſiæ ſequuntur. Neque enim negat furens hæreſis, quemadmodum Hilarius ſcribit, Sacramentum veræ fidei, ad impietatis ſuæ doctrinam & religionis vſa principijs. *Lib 6.* Et rurſum dicit: Ingerunt nobis primùm nomina veritatis, vt virus falſitatis introeat. Bonum in ore eſt, vt de corde malum ſubeat. Hæreſes cæteræ prætenduntur, vt de ſe hæreſis mentiatur. Fingunt religionem, vt omnium ſimplicium aurium ſecuritatem verbis fallant. Hactenus Hilarium illum audiuimus, cui Hæreticorum technæ, doli, & impoſturæ, ſatis cognitæ fuerunt. Sed quid multis? Auguſtæ quum hæc Lutheranorum Confeſſio primùm proferebatur, quid factum eſt? Lutherani condemnabant Sacramentarios (nam ij peculiares offerebãt fidei ſuæ libellos) Sacramentarij verò condẽnabant Anabaptiſtas, Lutheranit, ſi dogmata reſpicias, parùm æquiores. Necdum enim tum Lutheranis & Zuinglianis conueniebat admodum, ſicut neque in hanc vſque diem. Catholici verò neutros acceptabant per omnia, cùm tamen omnes & ſinguli primarios illos Articulos confiterentur. Quæ cùm ita ſint, non puto aduerſarios hanc meam libertatem iniquiùs laturos.

Nam

Nam & nos Articulos illos præcipuos negauimus nunquam, & tamen quibus coloribus illi nos depingant per totum hunc librum, tã apertum eſt, quàm impium. Igitur quòd hos Articulos nobiſcum credunt, & fatentur, rectè faciunt, noſque non habent aduerſarios, neque neceſſe fuerat, vt pręcipuas partes ſymboli Apoſtolici recitarent, cùm id nemo ab illis quærat. Vnde non eſt, quod ſibi plurimum placeant aduerſarij, propter hanc priorum articulorũ confeſſionem, ſed potiùs in reliquis dogmatibus Catholicæ Eccleſiæ ſubſcribere pergant: aliàs enim Catholici vocari non poſſunt, quocunque tandem titulo ſe apud ſuos venditent. Quòd ſi contendendi libidine, veritati cedere noluerint (meliora tamẽ ſperamus:) cogemur de illis dicere, quod olim D. ille meus Auguſtinus contra ſectarios ſuæ ætatis, qui & ipſi nõ per omnia inſaniebant, ſed in multis Eccleſiæ fidem defendebant: In multis, inquiebat Auguſtinus, erant mecum. Baptiſmum habebamus, vtrique erant mecum. Euangelium vtrique habebamus, erant in eo mecum. Feſta martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. non omninò mecum. In ſchiſmate non mecum: in hæreſi non mecum: In multis mecum, in paucis non mecum, &cæt. Sed hæc hactenus mihi videor non temerè admonuiſſe, iam ad reliqua pergemus, & ſepoſitis maleſuadis affectibus omnia candidè ventilabimus.

Alphonſi Virueſij Philippica ſecunda, De primo Articulo.

PRimum omnium gratulor modeſtiæ veſtræ Germani, quòd multa in Confeſſione prætermiſeritis, quæ hactenus non paruæ contentionis argumenta fuerunt, vt ſunt purgatorij cruciatus, diuorum imagines, peccatorum hyperboles, liberum arbitrium, & id genus alia. Cùm enim iſtam animi magnitudinem, grauitatem, & eam, qua natura præditi eſtis, ingenuitatem ac libertatem conſidero, haud poſſum animum inducere, vt credã fictè à vobis aut malignè Confeſſionem exhibitam: quin potiùs ita exiſtimo, vos illa omnia conſultò prætérijſſe, vtpote de quibus inter nos vel conueniat, vel nullo ſit negotio conuenturum, ſi cæterorum conſenſus poſſit obtineri. Omnium tamen mihi gratiſſimũ fuit, quòd de fidei ſummis & apicibus, publicè per ſymbola in Eccleſia propoſitis, catholicam exhibueritis Confeſſionem. Non ſolùm enim eiſdem verbis ſingulos articulos, verùm eodem ſenſu, quo ſunt olim per concilia expoſiti, deſcripſiſtis: oppoſitas damnaſtis hæreſes, hæreticorum commenta, quibus Euangelicam veritatem peruersè moliebantur interpretari, reijcientes. Conciliorum antiquam expoſitionem eſtis amplexi, quib⁹ quidem concilijs eundem honorem deferre memineritis obſecro, ſi quando inter conferendum, inferiùs à nobis fuerit allegata, quẽ modo non minore pietate quàm reuerentia vltrò detuliſtis. Eſt tamen, quod in veſtra Confeſſione vehementer admiror, nempe quòd vos ab alienis hæreſibus Immunes eſſe omninò confiditis, prædicatis: quibus tamen hæreſibus, nunc recens exortis, magnam per noua dogmata præbuiſtis occaſionem. Nam ante Lutheri doctrinam, nemo vnquam in Germania aduerſus Euchariſtiæ ſacramentum auſus eſt diſputare, quando nec dubitare quidem, vt credo, contigerat: nemo rebaptizandos cenſuerat Chriſtianos: nemo in Trinitatis arcanum eſt auſus irrumpere, Eccleſia nimirum, iuxta Pauli doctrinam, redigente in captiuitatem omnem intellectũm in obſequium Chriſti. A qua tam felici ſeruitute, cùm in miſerrimam libertatem vos Lutherus aſſeruerit, liberum fecit vnicuiq; credere, quod ſibi proprij capitis ſententia ſuggeſſerit, liberum fecit ſanctarum ſcripturarum vulgari myſteria, ſanctum dari canibus, & ſpargi margaritas inter porcos, illos videlicet, qui cupiditatibus obruti, affectibus indulgentes, quo ſecuriùs poſſint ſuis voluptatibus, vti cœno prouolui, ſcripturarum ſibi patrocinio blandiuntur, quas cùm non intelligant (animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei) fit vt antidotus vertatur eis in venenum, & qui humiliter noluerant eſſe veritatis diſcipuli, ſuperbè fiant errorum magiſtri. Videor mihi videre, quod de animali homine ex Paulo citaui, ſannis à vobis & riſu, ſed Sardonico, legi. Quaſi apud vos ſint omnes ſpirituales, dixerit aliquis, aut quaſi Pontifices, Cardinales & Epiſcopi, quorum vos magiſterio vtimini atque doctrina, eiſdem criminibus, quibus & noſtri, non inueniantur frequenter immerſi. Non placet modò collationem expendere, quod vulgò odioſum habeatur, & maioris ſit operis quã vtilitatis. Simus vtrique peccatores, vt ſumus: non eſt tamen cur noſtrorum mores mihi obſint, quò minus veſtrorum vulgum à ſcripturarum interpretandarum pręſumptione deterream: quando multis virtute muneris & loci, quem habent in Eccleſia, conceſſum eſſe ad eius duntaxat ædificationem credendum ſit, quod meritis nunquam attingerent. Prophetauit Caiphas homo ſacrilegus & ſceleſtus: non ob aliud, niſi quòd Pontifex eſſet anni illius. Et notum eſt illud Chriſti de huiuſmodi doctoribus, Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæ ergò dicunt, facite: quod autẽ faciunt, facere nolite. Quanquam nec nos Pontificibus aut Cardinalibus crederemus, ſi aliter nobis ſcripturas interpretarentur, atque ab Apoſtolis & Apoſtolicis

2. Cor. 10.

Multi ratione muneris habent, quod meritis nunquam haberent.

[illegible] nt ol'm expoſitæ. Vtcunque igi[illegible] obeſſe debet recentio[illegible], an[illegible] quorum cum ſapiét um, [illegible] mo[illegible] doctrinæ, ad quo[illegible] [illegible] n, [illegible] turæ ſanctæ ſunt in [illegible] n[illegible] & explicandæ, non ad [illegible] unionis libid nem vel opinio[illegible]. [illegible] nihil eſſet in mortalium rebus [illegible] incertiu [illegible], de quibus [illegible] nos [illegible] abere exiſtima[illegible] er Deum. [illegible] ſecta leuior [illegible] r C[illegible] ianorum lege, ſi cu [illegible] pprio illam accómodare [illegible] fuerit, non de [illegible] qui nemini vnquam poſt A[illegible] prom[illegible] us eſt) arca[illegible] de propr[illegible] cordis abyſſo ve[illegible] roferre? Licet quidem in ſa[illegible] turarum abdita introeuntibus, [illegible] Chriſtum, qui ſolus eſt ianua, in[illegible] ex illis ſenſus eruere, diuer[illegible], modò non ſint aduerſæ, [illegible] proferre: & eſt, vt Auguſtinus do[illegible] modò grata, verùm & vtilis iſta va[illegible], tamen vt in huiuſmodi expoſitio[illegible] nouum dogma neceſſariò creden[illegible] dum inducant, nec receptis ab Eccleſia ad[illegible] uerſentur. Alioqui tot ſuborirentur nobis ſect[illegible]r, quot haberemus magiſtros: imò vnuſquiſq; ſibi doctoris munus arrogaret: quò ſe ſuamq; ſententiã poſſet ſcripturis deprauatis, detortis, coactis, quoquo modo tueri. Quod malum quondam Africa diu multumq; pertulit; idipſum nunc Germania vberiùs producit. Horum caput & cauſa malorum fuit libertatis fucus, quem Lutherus primus omnium inuexit, haud proſpiciens tum téporis (vt credo) quanta malorum ſeges, quanta errorum lic[illegible]ia eſſet olim per vniuerſam Germaniam ad libertatis illius ſpecioſum quidé nomen, ſed rem, ſupra quam dici poteſt, pernicioſam exoritura. Liberum itaque fuit primum per Lutherum, & omnes qui Luthero crediderunt: veterum ſanctorum authoritatem eleuare: doctrinam proſcindere: conuellere placita, & tanquam hominum commenta reijcere: quaſi Lutherus non homo, ſed numen eſſet, aut aliquid homine maius: vt eius verbis pro oraculis acceptis, cæterum omnium pij labores, ac ſi eſſent meræ nugæ, deberent explodi. Atque hic primus imminentium laborum gradus fuit, quem ſecutus eſt alius deterior, & in futuram ruinam, vt fieri ſolet, procliuior. Liberum enim poſt hæc fuit, omnia penè fidei Catholicæ quantumuis ſolida fundamenta, in dubium reuocare, ita vt non modò de ſacramentorum numero, functione, virtute, verùm & de Chriſti Ieſu, & ſpiritus ſancti diuinitate dubitare cuidã, aut certè dubitandi occaſionem cæteris præbere impunè licuerit, vbi nec de his quidem differere opus erat. Hanc fluctuantium iamiam animorum execrandam ambiguitatem ſequutæ ſunt multiplices, non modo diuerſæ, verùm & aduerſæ aſſertiones, temerariæ, inſolentes, hæreticæ. Quid ni? cùm magiſtros habueritis, quos Petrus Apoſtolus proprijs, quod aiunt, coloribus graphicè depingit; Fontes ſine aqua, & nebulas turbinib⁹ exagitatas, quibus caligo tenebrarum reſeruatur, ſuperbia enim vanitatis loquentes pelliciunt in deſideria carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, in errore verſatos libertatem illis promittétes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. 2. Pet. 2. Exorta ſunt ergò varia dogmata, dum hic Euchariſtiæ ſacramentum velut cõmune ac dilutum aliquod ſymbolum contemnit, & in cæterorũ ordinem redigit; ille baptiſmi gratiam paruulis adimit, baptiſma alius adultis multiplicat, nec deeſt, qui circa ſacroſanctum Trinitatis myſterium ambiguitatis olim ſemina iacta, ad peſtiferi germinis culmũ produxerit, niſi quòd ille propenſior videbatur In Arium, hic Sabellio fauet apertiùs, negans realem perſonarum diſtinctionem, & (quod veſtra Confeſſio continet) de verbo & de ſpiritu ſancto aſtutè rhetoricans: Ab his & id genus alijs errorum capitibus tam varia quotidie membra exoriuntur, vt, quod ſuperiùs diximus, vix iam inueniatur, cui cum altero in vniuerſum conueniat, ita ſinguli ſingulas ſibi confinxerunt, non fides, ſed perfidias, dum libertate abutuntur illa, quam primò Lutheri doctrina dudum inuexit. Hæc & id genus ália pórtenta Germana libertas tantoperè à vobis adamata cum produxerit, educauerit, prouexerit, interim mirè (ſi Diuis placet) in Confeſſione veſtra hæreſes execramini, & ab illis vos exiſtimatis immunes, quas ab Eccleſiaſtica diſciplina diſcedendo genuiſtis, aut certè aluiſtis & roboraſtis. Veriſſimum nanque eſt illud tritum ore vulgi prouerbium, cõfirmatum apoſtoli Pauli doctrina, quod qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, quamobrem dignos morte pronunciat Apoſtolus, non ſolùm qui talia agunt, verùm & qui facientibus conſentiunt. *Qui cauſam damni dat, dãnum dediſſe videtur.* Annon plus quàm conſentire facientibus eſt præter hoc, quod illorum erroribus viam aperuiſtis, nunc demum illis fauere, &, ne per principes aut magiſtratus compeſcantur ſacro fœdere coniungi? Ingreditur Zuinglius Norimbergam, VVittenbergam, Reuthlingam, ac cæteras doctrinæ veſtræ ciuitates, ingreditur anabaptiſta, ingreditur rebaptizatus, ingreditur nouus aliquis Sabellian⁹, & omnib⁹ his patet ad vos facilis aditus, & benigna receptio, excipiuntur hoſpitio, audiũtur, & ſiue de dogmatib⁹, ſiue de Niobes filijs verba fecerint, applauditur illis, & liberè quic-

quid libuerit in fidem, permittitur. Ingreditur Monachus ſiue ſacerdos aliquis orthodoxus, & mox ad eius ingreſſum, tanquam ad monſtri cuiuſdam aſpectum, omnes accurrunt, explodunt pueri, ſenes exibilant, iuuenes execrantur, maledictis inceſſunt, interdũ nec manibus quidem temperant. Num iudicio hæc vobis fieri videntur, & non inueterato odio, quod in omnes Catholicos iampridem ſuſcepiſtis? Certè quales quales ſumus, hæreſes omnes, quas in Confeſſione recenſetis, vobiſcum damnamus. Quid igitur eſt in cauſa, cur illarum authores, cultores, fautores amplectamini, nos execremini? Nunquid verbum Dei vobis peculiariter vẽdicatis, magis exhorret peregrinum aut peculiarem cultum in veſte, quàm abominandas ac pertinaces hæreſes in mente? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Laudo quòd hæreſes damnatis, non tamen poſſum laudare, quod hæreticis nullo ipſorum commodo (nam hoc inſolentiùs errant & confidentiùs) maximo veſtro periculo communicatis, indulgetis, fauetis. Hæreticum hominem ait Paulus, poſt primam & ſecundam admonitionem deuita. Tit. 3. An non pudet hæreſes illorum damnare, quos non vitatis? Imò non veremini probare conſuetudine, patrocinio, fœdere, quos damnatis in confeſſione? Sed iam alienis dogmatibus prætermiſſis, quorum tamen maleficiam præſtare quantumlibet innocens fautor vniuerſis tenetur legibus: ad veſtra deſcendamus, vt Confeſſionis ſimul & Apologiæ grauiora capita excutiantur.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus II. De peccato, ſeu vitio originis.

ITem docent, quòd poſt lapſum Adæ omnes homines ſecundum naturam propagati naſcãtur in peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia: quodq́; hic morbus ſeu vitium originis, verè ſit peccatum damnans, & afferens nunc quoq; æternam mortem his, qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Damnant Pelagianos & alios, qui vitium originis negant eſſe peccatum, & vt extenuent gloriam meriti & beneficiorum Chriſti, diſputant hominem proprijs viribus rationis coram Deo iuſtificari poſſe.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus II. De peccato ſeu vitio originis.

ITem docent, quòd poſt lapſum Adæ omnes homines naturali modo propagati, naſcentes habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum originis, quod ſic vocant ſancti Patres, & omnes orthodoxi & pij eruditi in Eccleſia, videlicet reatum, quo naſcentes propter Adæ lapſum rei ſunt ira Dei & mortis æternæ, & ipſam corruptionẽ humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus iuſtitiæ ſeu integritatis, ſeu obedientiæ originalis & concupiſcentiam complectitur. Eſtq́; defectus horribilis, cæcitas & inobedientia, ſcilicet carere illa luce ac notitia Dei, quæ fuerat futura in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc eſt, perpetua obedientia, vera, pura, ac ſumma dilectione Dei, & ſimilibus donis integræ naturæ. Quare defectus illi & concupiſcentia, ſunt res damnatæ, & ſua natura digna morte. Eſtq́; vitium originis verè peccatum, damnans, & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renaſcuntur per baptiſmum & Spiritum ſanctũ. Damnãt Pelagianos, qui negant peccatum originis, & ſentiunt defectus illos, ſeu concupiſcentiam eſſe res indifferentes, ſeu pœnas tantum, nec eſſe res ſua natura damnatas, & ſomniant hominem legi Dei ſatisfacere poſſe, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iuſtum pronunciari.

Caroli Cæſaris, & Catholicorum Principum reſponſio ad ſecundum Articulum.

IN ſecundo verò articulo Confeſſionis comprobatur quidem, quòd cum Eccleſia Catholica fatentur vitium originis verè eſſe peccatum damnans & adferens æternam mortem ijs, qui non renaſcuntur per baptiſmum, & Spiritum ſanctum. Nam rectè in hoc damnant Pelagianos & nouos & veteres, iampridem ab Eccleſia damnatos. At declaratio articuli, quòd peccatum originis ſit, quòd naſcantur homines ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, eſt omninò reijcienda, cùm ſit cuilibet Chriſtiano manifeſtum, eſſe ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deũ, potiùs eſſe culpã actualẽ adulti, quàm noxam infantis recens nati, qui vſu rationis adhuc non pollet. Velut Dominus ad Moyſen ait: Tui paruuli, qui hodie boni & mali ignorãt diſtantiã. Deut. 1. Sed ea reijcitur declaratio, qua vitiũ originis concupiſcentiam dicunt,

cũt, ſi ita concupiſcentiam volunt eſſe peccatum, quod etiam poſt baptiſmum remaneat peccatum in puero. Iampridem enim dãnati ſunt à ſede Apoſtolica, duo Arti[illegible] Martini, ſecundus & tertius de peccato remanente in puero poſt baptiſmum, & de fomite remorante animam ab ingreſſu cæli. Quòd ſi, iuxta D. Auguſtini ſen[illegible]ētiã, vitium originis dicerent concupiſcentiam, quæ in baptiſmo peccatum eſſe deſinat, acceptandum eſſet, quandoquidem & iuxta Pauli ſententiam omnes fi[illegible] iræ naſcuntur. Ephe. 2. Et in Adam omnes peccauimus. Rom. 5.

Andreæ Fabritij ad Articulum ſecundum animaduerſio.

IPſemet huius Confeſſionis architectus & auctor Philippus Melanchthon, in hoc articulo ſibi non conſtat, vt ex collatione editionis anni quadrageſimi cum ipſo Prototypo manifeſtum eſt. Ergò nihil minus hic eſſe poteſt, quàm doctrina Apoſtolica & Prophetica, quæ ſemper vniformis eſt, & ſibi conſentiens. Quas etiam impietates, quas ſacrarũ ſcripturarum & Patrum corruptelas Confeſſioniſtæ hic inuoluant, Apologia Confeſſionis non patitur eſſe obſcurum.

Ioannis à Dauentria Articuli ſecundi refutatio.

HVnc Articulũ, vt ipſi in Apologia teſtãtur Aduerſarij, probant Catholici, ita tamen, vt reprehẽdant peccati originalis definitionẽ, quã illi ſe obiter recitaſſe cauſantur. Neq; ab re eã carpunt, nam actuali culpæ magis quàm originali conuenit; & maximè culpam actualẽ habet, qui ſine metu Dei, & ſine fide viuit. Verùm quando ſe excuſant, & genuinæ vſitatæq; accedũt diffinitioni, quę peccatum originis dicit eſſe carentiam originalis iuſtitiæ, cũ debito habendi eam, non eſt quod diu tergiuerſemur: ſed tamen in re tanta debebãt naſutiores eſſe. Percupimus enim, vt tandem ceu poſtliminio inter vtroſq; pacis fœdera coaleſcant. Sed quomodo id fiet, cũ ipſi mendacijs non deſinant Catholicos laceſſere? Nã in ipſo ſtatim Apologiæ ſuæ veſtibulo, hæreſeos notam eis falsò inurere conãtur, quum tamen ipſi nolint audire hæretici, qui ab Eccleſia Catholica ad vnius monachi exiticij ſomnia deſciuerũt. Sic autẽ habet Apologia: Hos morbos (inquiunt) qui maximè aduerſantur legi, nõ animaduertũt Scholaſtici, imò tribuũt humanæ naturæ integras vires ad diligendũ Deũ ſuper omnia, ad faciẽda præcepta Dei, quoad ſubſtantiã actuũ. Nec vidẽt ſe pugnãtia dicere. Nam proprijs viribus poſſe diligere Deũ ſuper omnia, facere præcepta Dei, quid aliud eſt, q̃ habere iuſtitiam originis? Quòd ſi has vires habet humana natura, vt per ſe poſſit diligere Deũ ſuper omnia, vt cõfidenter affirmant Scholaſtici, quod erit peccatũ originis? Si hoc docerent aduerſarij vllo teſtimonio cuiuſcunq; ſcholaſtici, iure arguerẽtur, imò dãnarẽtur Catholici. Si. n. natura humana ab originali iuſtitia deſtituta, integras vires haberet ad diligendũ Deum ſuper omnia, & ad eius implenda præcepta, quo fructu mortuus eſſet nobis Chriſtus? ad quid opus eſſet Spiritu ſancto? Nunc aũt cum Scholaſtici doceant contrariũ, & dicãt hoc Pelagianũ eſſe, & dogma peſſimũ, impudẽter iſti ſeſe notãt mendacio, quo etiã toti mũdo ſeſe traducũt. Quis iã credet iſtis mẽdacibus? quis ab eis ſalubria petet documẽta, qui tã confidẽter aduerſus veritatẽ moliũtur? Sed fortè putauerũt, cùm hæc cõmentarentur, neminem fore, qui hoc loco mẽdacij eos argueret, aut tenebricoſum eorũ animũ propalaret. Quod verò mẽtiti ſint ipſi aduersũ ſeſe, paulò poſt teſtantur, quò clareſcit magis, q̃ ſit elumbis, quamq; impotẽs falſitas aduerſus veritatem, nullis hactenus hæreticorũ arietibus ſubuerſam. Sic. n. habet Apologia eorũ: Itaq; (inquiunt) vetus diffinitio, cùm inquit, peccatũ eſſe carentiã iuſtitiæ, detrahit non ſolũ obedientiã inferiorũ viriũ hominis, ſed etiã detrahit notitiã Dei, fiduciã erga Deũ, timorẽ & amorem Dei, aut certè vim iſta efficiẽdi detrahit. Nam & ipſi Theologi in ſcholis tradunt, iſta nõ effici ſine certis donis & auxilio Dei. Hæc ſunt Aduerſariorũ verba, quibus idem rectè docere tradunt Theologos, quod paulò antè negabãt. Illic nugantur, ſcholaſticos tribuere humanæ naturæ integras vires ad diligendũ Deum ſuper omnia, & faciẽda præcepta Dei: hic contrà ſui obliti, dicunt quòd Theologi tradant in ſcholis, iſta neminem poſſe facere, ſine certis donis & auxilio Dei. Quæ autẽ poteſt eſſe maior diuerſitas, quàm efficere ſine Deo, & efficere cũ Deo? Vbi eſt iam Euangelicus ille animi in Aduerſarijs candor, quem Catholicis defuiſſe falsò dicunt, quũ definitionem eorum peccati originalis carperẽt? Vbi ſpectatur maior animi candor, in his, qui malè definitũ notant, an in his, qui falsò & impudẽter innocentes mẽdacij & hæreſeos inſimulant? Vtinã eſſent iſta Aduerſariorũ mẽdacia rudi nota vulgo, quem facilè pulchrõ verborũ lenocinio fallere potuerunt: ſperarẽ breui fore, vt ad Eccleſiã Catholicam reuerterentur. Si aũt tales ſunt in ipſis ſtatim foribus, quantũ erit nugarum & mendaciorum in ipſis penetralibus? Hic flagellant aduerſarij (inquiunt, in Apologia nimirum) etiã Lutherũ, quòd ſcripſerit, peccatũ originis manere poſt baptiſmũ. Addunt hunc articulũ iure dãnatum eſſe à Leone decimo. Sed Cæſ. Mai. in hoc loco manifeſtã calumniã deprehẽdet.

Probãt quod antè condẽnabant.

Candor in hæreticis deſideratur, notata eorum impudentia.

Sciunt .n. aduerſarij, in quā ſententiā Luther⁹
hoc dictū velit, quod peccatū originis reliquū
ſit poſt baptiſmū. Sēper ita ſcripſit, quòd ba-
ptiſmus tollat peccatū reati originalis, etiam-
ſi materiale, vt ipſi vocāt, peccati maneat, vi-
delicet cōcupiſcētia. Addidit etiā de materia-
li, quòd ſpiritus ſanctus datus per baptiſmū,
incipit mortificare concupiſcentiam, & no-
uos motus creat in homine.

Luthe. in aſſertion.

Flagellant quidē, & non ab re, Lutherū Ca
tholici. iure dānauit eū tūc Pon. Max. quòd
docuerit poſt baptiſmū remanere peccatum,
quod baptizati recēs habere nō poſsūt aliud,
q̄ originis. Sic enim habet ille in aſſertionib⁹:
In puero poſt baptiſmum negare remanens
eſſe peccatū, eſt Paulū & Chriſtū ſimul con-
culcare. Si hoc voluit intelligi, quod conten-
dūt Aduerſarij de cōcupiſcentia poſt baptiſ-
mū remanēte, quorſū opus erat iā graui ver-
borū tonitruo, quū hactenus nemo negaue-
rit, concupiſcentiam in baptizatis reliquā eſ-
ſe? Non eſt hic operæpreciū hāc Lutheri ſen-
tentiā ſcripturis eneruare, cùm à ſummo Pōt.
cōdemnatus ſit author. Porrò vt magis agno-
ſcant Aduerſarij, qui putant Lutherum iniu-
ſtè à Catholicis flagellatū, quòd culpā origi-
nis dixerit in baptizatis remanere, non gra-
uabor etiā alia annectere, quæ ibidē dixit in
aſſertionibus. Scio (inquit) quid hic multi op-
poſituri ſint, ſcilicet; omnia quæ dicta ſunt, p̄-
bare, nō peccatum, ſed defectum ſeu infirmi-
tatem relinqui poſt baptiſmū: (ſic enim ſomi.
tem & paſſiones carnis vocant) Reſpondeo ſi
ſola nos verbi cōtrouerſia haberet, facilè ad-
mitterem vt defectum vocarent, quicquid il-
lud eſt mali, quod in prædictis ſcripturæ ver-
bis relinqui in nobis probatū eſt. Fruſtrà .n.
certatur de nomine, cùm de re cōſtiterit. Ve-
rùm quòd defectum ſic appellant, vt peccatū
eſſe negent, & non culpā, ſed pœnā tantū pec-
cati eſſe velint, admittere non poſſum. Neque
enim ſatis eſt, quod ſine ſcripturæ teſtimo-
nijs, authoritate propria, dicūt omnia iſta de-
fectus dici, quia deficiant à perfecta legis ple-
nitudine. Nam & ipſimet cogentur hoc pec-
catum dicere, quod contra legem fit quocūq;
modo: & defectus ille, quē extenuando pec-
catū ſic vocant, certè contra legem eſt. Non .n.
pœna eſt ſed culpa, quando dicit: Concupiſcē
tiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex dice-
ret: Nō concupiſces. Ergò qui concupiſcit (ſi-
cut omnis facit baptizatus) ſcit ſe, lege magi-
ſtra, contra quam facit, verè peccare.

Ex his tā multis intelligit candidus lector,
Lutherum putauiſſe in baptizatis remanere
peccatum, & non eſſe, quod eum Aduerſarij
excuſent erroris. Quare vt ſacræ ſcripturæ &
orthodoxis obſtrepens, iure condemnatur.
Nunc verò videamus, quibus rationibus hūc
defendāt in Apologia. Ad eundē (inquiunt)

Aliud mendacium Confeſſioniſtarum.

modū loquitur & Auguſt. qui ait: Peccatū in
baptiſmo remittitur, nō vt nō inſit, ſed vt nō
imputetur. Hic palàm fatetur eſſe, hoc eſt, ma
nere peccatū tametſi non imputetur. Et hæc
ſententia adeò placuit poſterioribus, vt reci-
tata ſit & in Decretis. Et cōtra Iulianū inquit
Auguſt. Lex iſta, quæ eſt in membris, remiſſa
eſt regeneratiōe ſpirituali, & manet in carne
mortali, qa reatus ſolut⁹ eſt ſacramēto, quo re
naſcūtur fideles. Manet aūt, quia operatur de-
ſideria, contra q̄ dimicāt fideles. Sic ſentire ac
docere Lutherū ſciūt aduerſarij. Et cū rē im-
probare nō poſsunt, verba tamē calūniantur,
vt hoc artificio innocentē opprimāt. Lōgè a-
liter Lutherus atq; Auguſt. ſentit, tametſi ad-
uerſarij Lutherū percupiātvt innocentē pro-
tegere. Luther⁹ defectū in baptizato manen-
tē, ſeu ſomitē culpā eſſe dicit. Cōtrà Auguſt. &
oēs Catholici negāt hoc cōfidenter. Sic .n. ait
Auguſt. cōtra Iulianū: Tu aūt qui putas, ꝙ ſi
malū eſſet cōcupiſcentia, careret ea qui bapti-
zatur, multū erras. Omni .n. peccato caret ba-
ptizatus, nō omni malo. Quod planiùs ita di-
citur: Omni reatu omniū malorū caret bapti
zatus, nō omnibus malis. Nūquid enim caret
corruptione corporis? An nō eſt malū, quod
aggrauat animā? Nūquid caret ignorātiæ ma-
lo, per quod à neſcientibus innumera perpe-
trantur mala? Audiunt hic aduerſarij, Augu-
ſtino baptizatum omni reatu, omniq; pecca-
to vacare, quæ Lutherus dicit manere. Si non
pugnant inter ſe iſta, nulla inter ſe ſunt pu-
gnantia. Et perperàm vocant Auguſtinum in
teſtem, attribuuntq; ei, quod ipſe nunquàm
ſcripſit, aut docuit. Et quemadmodum olim
Pelagiani multa mendacia, q̄ Catholicis im-
ponerēt, falsò excogitarūt: ita & Aduerſarios
non pudet mendaciorum, quibus Catholi-
cos nituntur contaminare, vt ſuam opinionē
aduerſus eos ſtabiliant. Obijcit Auguſtino
Pelagianus quiſpiam: Chriſtiani dicunt ba-
ptiſmum nō dare omninm indulgentiā pec-
catorū, nec auferre crimina, ſed radere vt om
nium peccatorū radices in mala carne teneā-
tur. Quibus, quod reſpondit Auguſtinus, Ca
tholicorum ſententiā approbat aduerſus Lu
therum. Quis hoc, inquit, aduerſus Pelagia-
nos, niſi infidelis affirmet? Dicimus enim ba-
ptiſma dare omnium indulgentiam peccato-
rum, & auferre crimina, non radere, nec vt o-
mnium peccatorum radices in mala carne te-
neantur, quaſi raſorum in capite capillorum,
vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Hic
Auguſtinus tam clarè teſtatur in baptizato
peccatum non remanere, vt nullus ambigui-
tatis reliquus ſit locus, & præcluſa eſt Aduer-
ſarijs excuſationis via. Paulò poſt verò haud
ſui immemor, ait ſic de concupiſcentia: Hæc
ſi vocatur peccatum, non vtique quia pecca-
tum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur:
ſicut

Detegitur aliud mendacium.

Aug. contra Iulia. lib. 6.

Auguſt. ad Bonifacium.

ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundum carnis concupiſcentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur.

Peccata de-ſcripta.

Vident etiam hic aduerſarij, quomodo Auguſtinus peccatum Concupiſcentiam non dixerit, ſed peccati effectricem. Audiant nunc eundem iterum, nam eius auctoritate frangunt aduerſarios Catholici, quem illi putabant pro ſe facere. Sic habet ad Valerium: Sicut eorum peccatorum, quæ manere nō poſſunt, quoniam cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit: Sic illius quando remittitur, reatus auſertur: hoc eſt autem non habere peccatū, reum non eſſe peccati. Hactenus Auguſtinus. Atcùm dicunt, Auguſtinus ait: Peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. ideò palàm fatetur eſſe, hoc eſt manere peccatum, tametſi non imputetur. Eodem modo iſti tribuunt Auguſtino, quòd doceat poſt baptiſmum remanere peccatum, quo Theologis noſtris aſcribūt, quod confidenter dicant, hominem proprijs viribus ſine gratia Dei diligere Deum poſſe: hoc eſt vtriſq; vtrumque mendaciter, vt ſimplicibus verba dent, imponunt. Nuſquam enim ſcribit ille in his, qui legitimè baptizati ſunt, peccatum, ſed concupiſcentiam manere, quam tamen vt peccatum, imputari negat. Nunc audi iterum Auguſtinum ad Valeriū, vnde etiā ſua verba Aduerſarij captioſè ſuffurati ſunt.

Auguſt. de nup. & conc. ad Valer.

[illegible]

Si quæritur, inquit Auguſtinus, quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuerſorum facta eſt remiſſio peccatorum, quandoquidem per ipſam ſeminatur, & cum ipſa gignitur proles parentis etiam baptizati: aut certè ſi in parente baptizato poteſt eſſe, & peccatum non eſſe, cur eadem ipſa in prole peccatum ſit; ad hæc reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem. Nō enim ſubſtantialiter manet ſicut aliquod corpus aut ſpiritus, ſed affectio eſt quædam malę qualitatis, ſicut languor. Sequitur. Cuius vitioſis deſiderijs ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore: quę tamen concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem ſenectute multò maximè. Hactenus verba Auguſtini pro Catholicis nō me piget recitaſſe, vt legāt qui non ſunt pertinaci animo, ſed veritati accommodo, intelligantque quàm turpiter illi ſanctorum virorū dicta pro ſuo capite torqueant. Non enim dicit Auguſtinus: Peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt nō imputetur: ſed ſic dicit: Concupiſcētia carnis dimittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Quod Auguſtinus de concupiſcentia dixit, iſti, vt Lutherum ab erroris ſuſpicione liberent, trahunt ad peccatum.

Auguſt. ad Valer. de nup. & concupiſcen.

Rom. 6.

Concupiſcentia [illegible]

Iam quando Auguſtinus vbique & cæteri, reatum ſiue culpam propriè dicunt eſſe peccatum, concupiſcentiam verò negent peccatum eſſe, cum Catholicis conueniunt, qui conſtantur omnes aſſerunt, in baptizato concupiſcentiam, non peccatum remanere. Lutherus ergò qui contendit in baptizatis ſimul remanere peccatum aut culpam, & concupiſcentiam carnis, qua reſiſtitur legi DEI, Auguſtino imò omni ſacræ ſcripturæ, omnium Catholicorum, & totius orthodoxæ Eccleſiæ ſententiæ, quæ omnium vna eſt, aduerſatur. Videant autem aduerſarij quàm inſynceriter eum defendant. Sed nunc pergunt protegere. At diſputant (inquiunt) concupiſcentiam pœnam eſſe non peccatum, Lutherus defendit peccatum eſſe. Suprà dictum eſt, Auguſtinum definire peccatum originis, quòd ſit concupiſcentia. Expoſtulent cum Auguſtino, ſi quid incommodi habet hæc ſententia. Prætereà Paulus ait: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Item: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me lege peccati, quæ eſt in membris meis. Hæc teſtimonia nulla cauillatione euerti poſſunt. Clarè enim appellant Concupiſcentiam peccatum, quod tamen his, qui ſunt in Chriſto, non imputatur, etſi res ſit natura digna morte, vbi non condonatur. Sic Patres citra controuerſiam ſentiunt. Nam Auguſtinus longa diſputatione refellit opinionem iſtorum, qui ſentiebant, concupiſcentiam in homine eſſe vitium, ſed ἀδιάφορον, vt corporis color, aut aduerſa valetudo ἀδιάφορον dicitur. Sæpenumerò contendunt aduerſarij, Auguſtino originale peccatum eſſe concupiſcentiam, nec tamen dicunt vbi ille hoc dicat: Catholici verò exploratum habent eū aliter dicere, hoc eſt, concupiſcentiā non eſſe peccatū, quemadmodū loci iam nunc citati, eos, quibus nō eſt lectus Auguſtinus, docere affatim poſſunt. Neque veriſimile eſt, tantum virum adeò ſibi non conſtitiſſe, vt nunc iſtud, nunc illud doceret. Quamobrem non credent Catholici eis aduerſus Auguſtinū, quos iam bis terque mendacij arguerunt. Si verò vir ſanctus originis peccatum nihil aliud eſſe, quàm concupiſcentiam aſſereret, planè originis peccatum, peccatum nō eſſe affirmaret,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rans ſapienter, vt poſt concupiſcentias tuas non abeas, neque à voluntate tua abducaris. Paulus quoque haudquaquam ab hoc ſenſu deuiauit, quando dicebat: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius, ſomitem peccatum nominans: non quòd ſua natura peccatum ſit, ſed quod in tenebroſis animæ receſſibus latitans caſtitatem inopinatis perſequatur aſſultibus. Ab re ſortè tot congeſſimus ſcripturas, quibus docuimus, ſomitem peccati cauſam, non peccatum eſſe: cùm ipſe idem docuerit Lutherus: Tantò, inquit, quis caſtior eſt, non quò quietior, ſed quò dolentior ſe caſtum eſſe non poſſe vt vult. Ideò qui ſentiunt ſe vexari talibus ſtimulis, non ſtulta opinione ſtatim datis manibus ſeſe tradant deſperationi, quaſi nõ ſit caſtus, qui æſtuat medullis & cogitationibus. Non eſt perdita caſtitas cogitationibus talibus: imò nunquam caſtior fuiſti, ſi tamen ſentis te illas inuitum habere. Spiritualis ille homo, id eſt affectus caſtitatis, manet & ſeruat caſtitatem: licèt exterior in membris & in corde miras excitet procellas. Et infrà: Interna concupiſcentia nemo caret, & tamen hoc ipſo ſaluamur, quod ei non conſentimus. Hactenus Lutherus benè docet, quod ex Eccleſiaſticis cellarijs mutuatus eſt. Vide autem tu, vel qui Eccleſiæ libenter manum das, vel qui à Luthero, aut èius pediſſequi ſeductus es, quàm diuerſa ipſe doceat Luther⁹. Paulò antè dicebat: Quicquid illud eſt mali, quod in nobis poſt baptiſmum relinquitur, non poteſt defectus eſſe aut dici, quoniam cõtra legem facit. Si autem contra legem facit, peccatum eſt, culpa eſt, non pœna. Hic docet tantò quemque caſtiorem eſſe, quantò huic vitio magis reluctatur, imò hoc ipſo ſaluatur, quod concupiſcentiæ non cõſentit. Quæ duo poſſunt magis eſſe diuerſa? Quocirca nos docuimus, hominem ſi concupiſcentiæ obediat, non carnem malè affectam peccare: tametſi hanc affectionem omninò peccatum eſſe nó negemus. Quomodo autem peccatum ſit & dicatur, paulò infrà docebitur. Hoc igitur Apoſtoli paradoxo parum etiam fœliciter excuſant aduerſarij Lutherum. Porrò quod adduntex Paulo: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis, & captiuantem me in lege peccati, non videntur ſatis benè perſpexiſſe, aut certè obiter ſine iudicio adnotaſſe. Primũ enim cùm dicit: Video aliam legem in membris meis, voluntatem ſeu promptitudinem ad peccatum procliuẽ intelligit. Deinde quod ſequitur, Repugnantem legi mentis meæ, legem naturalem, aut mentis, quæ per Moyſen reformata, per Chriſtum abſoluta eſt, putat: quæ ſuadet quid potiſſimum homo vt ſaluetur, facere debeat. Quam tertio loco ponit legem, peccati lex

Hic docet ipſe Lutherus fomitem non eſſe peccatũ.

Lutherus e[illegible] [illegible] repugnantes doctrinae

Rom. 7.

Aduerſarij verba Pauli [illegible] legem.

eſt, quæ indeſinenter diaboli opera ſuggerit. Hoc pacto expoſuerũt omnes Catholici ſcripturarum interpretes, neque aliter iſti interpretari poterunt, niſi velint manifeſtè in ſcripturas offendere. Vnde immediatè dicebat: Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: & immediatè ſubdit: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Perinde ac ſi diceret: Moleſtat me, imò vrget me fomes aut lex peccati aut concupiſcentia, vt peccato, vt malitiæ conſentiã per carnem, vt voluptatib⁹ me oblectem: ſed ipſe mẽte tenus per legem Dei melius inſtructus, legem peccati ſomitem & concupiſcentiam ſupero, tametſi caro deuicta ei pareat. Non eſt autem ob hoc caro culpanda, quæ talem in ſe ſuſtinet habitatorem, qui vbi cœperit oblectari, ei quæ debilis eſt & infirma, vim facit, ſed mentis arcem haudquaquam ſuperare poteſt. Eſt autem non paruæ infælicitatis, huiuſmodi intra ſe quotidie palæſtrã ſentire. Hinc exclamat vir Dei Paulus: Infelix ego homo, quis &c.

Rom. 7.

Rom. 7.

Auguſtinus hunc locum tractans, refellit obiectionem, quæ ſibi fortè obtrudi poterat, quòd dixiſſet peccatum non niſi in voluntate eſſe, dicens: Poteſt etiam putari falſa eſſe iſta ſententia, quia diximus nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum, quia dixit Apoſtolus: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vſque adeò non eſt in voluntate, vt dicat, quod nolo, hoc facio. Quomodo ergò nuſquam eſt, niſi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt: quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur; quod aperit in conſequentibus, dicens: Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: velle enim adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Perfectio quippe boni eſt, vt nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine, cui quidem quando bene viuitur, non conſentit voluntas: veruntamen non perficit bonum, quia ineſt adhuc cõcupiſcentia, cui repugnat voluntas, cuius concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſoluitur: ſed infirmitas manet, cui, donec ſanetur, omnis fidelis, qui benè proficit, ſtudioſiſſimè reluctatur. Peccatum autem quod nuſquam eſt, niſi in volũtate, illud præcipuè intelligendum eſt, quod iuſta damnatio conſecuta eſt. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundum: quanquam & hoc peccatum, quo conſentitur peccato concupiſcentiæ, non niſi voluntate committatur. Propter quod & alio loco dixit: Non igitur niſi voluntate peccatur. Hactenus Auguſtinus. Cùm audis, neminem niſi ex voluntate

Aug. lib. Retract. cap. 15.

Rom. 7.

Auguſtini verborũ exegeſis.

Nemo peccat niſi voluntate.

peccare, cogita tecum, peccatum, quod citra voluntatem fit, peccatum non eſſe, niſi ſola denominatione, quod vt nugatur Lutherus, & iſti defendunt, haudquaquam contra legẽ Dei facit, vtpote cui nulla lex poſita eſt. Nam huic peccato, quod fomitem dicunt, legem ponere, perinde eſt, ac ſi, vt diximus, Soli pręcipias, ne luceat. Deinde animaduerte concupiſcentiæ reatum in baptiſmate ſolutum, quẽ Lutherus cum iſtis poſt baptiſmum manere contendit. Tertiò nota peccatum illud, quale quale tandem fuerit poſt baptiſmum remanens, propriè non peccatum, ſed peccati pœnam Auguſtino dici. Vnde ergò ſtatuent iſti errorem ſuum, cùm ille, quem putabant pro ſe pugnare, aduerſus eos dimicet? Audi ampliùs, concupiſcentiam carnis, ſi rectè reguletur, peccatum non eſſe: Bonitatem, inquit, defendimus nuptiarum, ne putaretur earum eſſe vitium, concupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans, (auſculta quid dicat) legi mentis, quo malo libidinis benè vtitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. Sic Auguſt. Si huiuſmodi concupiſcentiæ pruritus non nocet coniugatis, cum tamen eam intra matrimonij limites expleant, quantò minus oberit cælibibus, qui eam, vbi primum nata fuerit, lege mentis coercent. Iterum dicit idem Auguſt. (quem iſti fortè nobis lectum non eſſe, aut non inueſtigaturos ſperabant:) Iubes certè vt contineam à concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitione ſeculi. Iuſſiſti à concubitu, & de ipſo coniugio melius aliquid, quàm conceſſiſti, monuiſti. Et quoniam dediſti factum eſt & antequam diſpenſator ſacramenti tui fierem. Sed adhuc viuunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi cõſuetudo mea fixit, & occurſant mihi, vigilanti quidem carentes viribus, in ſomnis autem non ſolùm vſque ad delectationem, ſed etiam vſque ad conſenſum factumque ſimillimum. Et tantum facit imaginis illuſio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falſa viſa perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt. Nũquid tunc ego non ſum Domini Deus meus? Et tantum tamen intereſt inter meipſum & meipſum, vt intra momentum quo hinc ad ſoporem tranſeo, vel huc inde retranſeo (Nunc ſequitur quod ad rem noſtram pertinet) Vbi eſt illa ratio, quæ talibus ſuggeſtionibus reſiſtit vigilans? Et ſi res ipſæ ingerantur, inconcuſſus maneo. Nunquid clauditur cum oculis? Nunquid ſopitur cum ſenſibus corporis? Et vnde ſæpè etiam in ſomnis reſiſtimus, noſtrique propoſiti memores, atque in eo caſtiſſimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus aſſenſum. Et tamen tantum intereſt, vt cùm aliter accidit, euigilantes ad conſcientiæ requiem redeamus, ipſaque diſtantia reperiamus nos non feciſſe, quod tamen in nobis quoquo modo factum doleamus. Hęc Auguſtinus, quæ longiori oportuit filo deduci, vt Lectori melius pateret intelligendi oſtium. Summa verò eorum eſt, rationem eſſe, quæ vigilantis pręcliues ad peccandum motus coercet, ne in peccatũ defluant. Si accidant dormienti neque volenti, peccant & non peccant. Peccant eo modo, quo fomitem dicemus eſſe peccatum, non peccant autem coram Deo, qui eos iuſtam ob cauſam humanis membris prudenter inſeruit, niſi fortè vigilãs vlla imagine ſeſe oblectaſſet, quæ dormienti occurſans, corruptelæ cauſa foret. Clarè enim appellant concupiſcentiam peccatũ. Quàm clarè iſti duo loci concupiſcentiã peccatum appellauerint, iam eluxit. Reliquum eſt, vt doceamus, prout etiamnum polliciti ſumus, peccatum quot modis in ſcripturis inueniatur, & quomodo concupiſcentia peccatũ dicatur. Paulus itaq; cui libenter ſubſcribunt Aduerſarij, triſariam accipit peccatum. Primùm pro ſolo fomite peccati, aut pro defectu naturæ. Et ſic accipitur ibi: Non iam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Item ibi: Non igitur regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Neque poſſunt aduerſarij iſtos locos, niſi prorſus eos diſtorqueant, aliter accipere. Non reclamamus fomitem vitium eſſe naturæ originali iuſtitia deſtitutæ, ſed negamus culpabile eſſe peccatum. Nã quomodo culpabile erit, cùm præter voluntatem fiat? Sic tradit Auguſtinus: Peccatum adeò eſt voluntarium, vt ſi non eſſet voluntarium, non eſſet. Quod defectus naturæ ſit, affatim in ſuperioribus docuit Auguſtinus: Quod verò pœna peccati ſit, docet præter alios Cyprianus, dicens: Secutum eſt trãſgreſſorem ſupplicium, & adhæſit indiuidua pœna peccato: de quo erubeſcent, quicunq; mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Et paulò poſt hoc peccatum vocat fomitem: Fomes quippe huius mali, inquit, intus in tenebroſis receſſibus latitans. Non putent ergò Aduerſarij, hoc peccatum primum à neophytis nomenclaturam accepiſſe, vt fomes, vt defectus carnis, vt pœna peccati, nunc vt plurimum appelletur. Deinde dicitur peccatum, cui accedit mentis aſſenſio, cùm permouent concupiſcentiæ: & hoc frequentioris eſt vſus. Sic illud accipit Apoſtolus: Quid ergò? peccabimus: quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. hîc præcipit vt illi peccato, id eſt, malis motibus & concupiſcentijs dominemur, ſicut pręmonuerat: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Sic accipitur & ibi: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Et ibi: Peccantem coram omnibus argue. Et ibi: Volun-

Margin notes:

Augu. lib. 2. Retract. c. 53

Augu. lib. 2. Retract. cap. 30.

Triſariã accipitur peccatum.

Rom 7.

Rom 6.

Peccatũ primo accipitur pro fomite peccati.

Auguſtin.

Cypr. ſerm. de ran. corck.

Secundò peccatũ eſt cum mentis aſſenſione.

Rom. 6.

1. Cor 15.

1. Tim. 5.

luntariè peccantibus nobis, iam nō relinquitur pro peccatis hoſtia. Et in innumeris alijs locis accipitur pro culpa, quæ fit de conſenſu libero ad illud domeſticū fomitis malū. Tertiò, haud ita infrequenter Paulus Chriſtū appellat peccatū, vtpote pro peccatis hominum à Deo patre oblatum, vt ibi: Deus filium ſuū mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Quando dicit, Peccato, Chriſtum intellige, pro te omnibusq; adeò in cruce hoſtiam redolētiſſimam oblatum, cuius ſacro & adhuc calenti cruore abluimur & viuificamur. Et ibi: Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Hic cum audis, pro nobis peccatum fecit, accipe Chriſtum ſeſe pro nobis obtuliſſe. Et in Oſea dicuntur Sacerdotes peccata populi comedere, vbi nimirū peccata pro hoſtijs, quæ pro peccatis immolabantur, accipi debent. Priore modo & poſteriore impropriè peccatum accipitur pro eo, quod aut eſt pœna peccati, aut pro peccatis oblatio. Iam neminem non videre arbitror ex omnibus, quæ tùm ex ſcripturis, tùm ex authoritatibus Patrū collegimus, quàm ineptè, quàm ſtultè Lutherus dicat fomitem peccatum eſſe ſuapte natura, ſiue conſentiat, ſiue non conſentiat homo: & tā graue peccatum, vt diuinum præceptū tranſgrediatur. Quod præter id quod ſuprà annotauimus, docet, ſed indoctè, præcepto ſexto operis, cui Præceptorij nomen eſt. Præceptū non impletur ſpiritualiter, dum adhuc concupiſcentia in nobis eſt, qua fit vt de caſtitate nemo præſumere, ac præcepti impletione nullus omnino poſſit, ſed tantùm accuſare ſeſe, & confiteri peccatum ſuum. Et nono præcepto nugatur fomitem prohiberi, & inuiſibilem concupiſcentiam, & ipſos primos motus vnà cum fomite. Quare illa duo præcepta à nullo ſanctorum putat poſſe impleri. Sed iam ſatis iſta eneruauimus. Patet nihilominus, quàm ſiniſtrè, quàm infeliciter hactenus Aduerſarij, Lutheri cauſam tutati ſint: nempe hanc, quod poſt baptiſmum remaneat peccatum, ſuapte malitia mandatum Dei prætergrediens. Id quod docuimus ex Auguſtino, quem ipſi ſuæ ſententiæ delegerant patronum. Ante Auguſtinum Origenes quoque docuit, in baptiſmo peccata omnia dimitti. Chriſtus dedit nobis, inquit, ſecundam circunciſionem per baptiſmum regenerationis, & purgauit animas noſtras, abiecimus omnia opprobria AEgypti, & pro ijs aſſumpſimus conſcientiæ bonæ aſtipulationem in Deum. Tunc per ſecundam Circunciſionem ablata ſunt nobis opprobria Aegypti, & purgata ſunt vitia peccatorū. Idem ante Auguſtinum docuit, & reliquit Cyprianus, dicens: Huius gratiæ liquor de abdito & ſecretiſſimo ſpiritus ſancti munere emanans, ſic lauat, quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia derelinquat. Hieronymus Auguſtino ſynchronus adijcit etiam iſtis ſuum calculum. Omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt peccata, nec poſt indulgentiam, iudicis metuenda eſt ſeueritas, dicente Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et multò plura ibidem. Poſſem innumera hic ſanctorum Patrum teſtimonia congerere, ſed ne probo Lectori oneri ſim, abſtineo, cui etiam nullum erat ad faciendam fidē neceſſarium: ſed propter contentioſos ex omnibus pauca adnumeraui, ne Aduerſarij arbitrarentur nullam huius rei, quam tractamus, ante nos fuiſſe mentionem: & vt diſcas, iſtos fallaciter ſimul ac mendaciter dicere, quòd patres ſic ſenſerint, ſicut ipſi ſentiunt, citra controuerſiam. Iam dicant hic Aduerſarij, ſi Lutherus, vt ipſi de eo teſtantur, ſemper ſcripſit reatum peccati originalis per baptiſmum tolli, quomodo audet dicere fomitem, fomitisque motum aduerſus hominis voluntatem recrudeſcentem, ebullientemque tam graue peccatum eſſe, vt etiam lege Dei prohibeatur? præſertim cùm reatus propriè peccatum ſit, nomineturque peccatum. Si per baptiſmum ablatus eſt reatus, quod iſti eum ſemper ſcripſiſſe dicunt, quomodo manet? Lutherus enim omninò remanere dicit reatum. Quis hæc non videat ex diametro ſecum pugnare? At hic dicent: Licet fomes & concupiſcentia peccatum ſit, tamen his, qui in Chriſto ſunt non imputatur, etſi ſit res digna morte, vbi non condonatur. Puto iſtos monophthalmis eſſe cæciores, qui cùm vnum ea parte qua vident perrimantur, alia parte prorſus non vident. Non vident enim quæ dicant. Huiuſmodi autem eſt, quod hic dicunt: Peccatum non eſt peccatum, aut dimiſſum eſt peccatum, & non eſt dimiſſum. Quid enim aliud ſonat, & quid eſt aliud non imputari peccata, quàm remiſſa eſſe peccata? Qui enim peccat, peccato obligatur, niſi peccatum ei condonetur. Quid eſt manere peccatum, niſi peccatum non eſſe remiſſum? ideoque obnoxio grauiter imputatur. Remiſſa ergò ſemel peccata, neque manent, neque imputantur, iuxta illud Prophetæ: Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Deus haudquaquam ita remittit homini peccata, vt maneant, ſed omninò tollit, iuxta illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quòd Auguſtinum dicunt diſputare aduerſus eos qui ſentiebant concupiſcentiam in homi-

nenou

Rom. 8. *2. Cor. 5.* *Oseæ 4.* *Lutherus.* *Hieron. ad Oceanum.* *1. Cor. 6.* *Aduerſarij hic capiūtur.* *Aduerſarios ſua verba illaqueant.* *Peccata ſemel remiſſa nec manent, nec imputantur.* *Mich. 7.* *Ioan. 1.*

ne non eſſe vitiú, ſed ἀδιάφορον, vt ſunt in corpore color, aut valetudo aduerſa, ἀδιάφορα accipimus; interim tamen ſciant iſti, qui hæc nobis obijciunt, aliud eſſe vitium carnis, aliud animæ. Carnis quidem vitia ἀδιάφορα ſunt, quibus certè aut benè aut malè vtimur: ſed hoc animæ ſenſitiuæ vitium aliter ἀδιάφορον eſt, quàm illa. Nam iſtud, vt inquit Auguſtinus, eſt voluntas ea faciendi, quæ vetat ſumma & intima veritas, illa verò agunt aut patiuntur pro carnali affectione, vt quiſque affectus eſt. Iſtud vitium animæ ſenſitiuæ nó eſt tale quod poſſit per ſe, id eſt, tametſi velit, mãdatum Dei tranſgredi, niſi animæ rationali, id eſt, liberæ voluntati quoque perſuadeat, vt ſeſe in carnalem ſecum oblectationem dedat. Igitur cum Auguſtino cócludimus, hoc vitium non animæ rationalis naturam, ſed cótra naturam eius eſſe, & peccatú, & pœnam peccati. Peccatum quidem dicitur, quia de peccati merito venit. Eſt tamen vnde ἀδιάφορον dicatur hoc vitium concupiſcentia. Quia vt diſputat Auguſtinus, hoc vitium cauſa eſt aut ſalutis, aut perditionis. Salutis quidem, quando ex oblectamento aliquo externo vel carnali cogitatu irritatur, incipit ſe aduerſus mentem, aduerſus hominem interiorem erigere cum carnis illecebra, quæ non poteſt non ſequi. At ille interior homo, cùm ſenſerit hanc aduerſum ſe aciem inſtructam in ſeipſum conuerſus, ſi permouetur, ſi ſequitur, peccat, & rem facit morte dignam: ſi verò reluctatur, ſi allidit paruulos ſuos ad petram, coronam meretur & βραβεῖον. Et hac longa vincendi conſuetudine ſeneſcit indies concupiſcentia.

Aug. de vera relig. c. 20

Concupiſcentia aut ſalutis, aut perditionis cauſa.

Ioannis Cochlæi Articuli ſecundi diſcuſſio.

DE hoc quoque Articulo non foret difficile concordiam inuenire (Quemadmodum Anguſtæ mox in primo Septenorum conſeſſu facile inueniebatur) ſi ex animo pax & vnitas quæratur. Etenim cócordamus in hoc, quod omnes homines ſecundum naturam propagati, naſcuntur in peccato. Quia ſic & diuinæ docent literæ, Pſal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Item. Rom. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Et 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptionem. Item: In Adam omnes moriuntur. Et Eph. 2. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Concordamus & in iſto, quod per baptiſmum tollitur reatus culpæ peccati originalis, iuxta illud Exech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et Gal. 3. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et hæc duo ad populum ſufficerent. Cætera, quæ de hoc articulo diſputabilia ſunt, vtilius reſeruarentur pro ſcholis Theologorum, quàm vt contentioſè diſputentur ad populum. Non enim leue peccatum eſt, ſcandalizare infirmos odioſis contentionibus & ſubtilitatibus, quæ populo ſcitu neceſſariæ non ſunt: ſcriptum eſt enim Prouerb. 10. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Contrà eos verò qui ſcandalis offendunt puſillos, graues ſunt minæ ipſius Chriſti, Matth. 18. & Pauli Roman. 14. & 1. Corinth. 8. Conſultius igitur facerent Proteſtantes, ſi omiſſa hac docendi nouitate, loquerentur de hac re, ſicut ante eos locuti ſunt Maiores noſtri. Iuxta illud Prouerb. 22. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Non probamus igitur nouam eorum expoſitionem, qua dicunt, in confeſſione vitium originis, eſſe ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia. Scimus enim infantes quoslibet naſci in peccato originali. Nemo tamen iuſtè imputat eis in vitium aut peccatum, quòd ſunt ſine metu Dei, & ſine fiducia erga Deum. Quia per ętatem neſciunt, quæ ſit diſtantia boni & mali. Deuter. 1. Aut quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam. Ionæ 4. vnde ait ſanctus Auguſtinus: Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omninò præcepti capacitas, nullus vel naturalis, vel conſcriptæ legis ſenſus, aut motus nullus in alterutram partem rationis vſus, hoc multo teſtatiore ſilentio, quàm ſermo noſter proclamat atque iudicat? Et rurſus: Illas inquam conſideremus tenebras mentis vtique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant, cuius ſacramentis etiam cùm baptizantur, obſiſtunt. Et iterum: In paruulis certè gratia DEI per baptiſmum eius, qui venit in ſimilitudinem carnis peccati, id agitur, vt euacuetur caro peccati.

Concors de peccato originali ſententia.

Superflua ac ſcãdaloſa diſputationes.

Vitia infantibus nõ rectè imputantur.

Auguſtin. de peccatorum meritis lib. 1. cap. 35.

Paruuli deſtituuntur vſu rationis.

In Apologia verò ſunt multò plura, quæ non probamus, quia ad concordiam parandam minus deſeruiunt. Primùm igitur non placet nobis aſperitas verborum in eos, quos pro aduerſarijs habent. Qualia ſunt. Illis non ſolùm iudicium, ſed etiam candorem defuiſſe, eosque acerba interpretatione conficta, ſententiam per ſe nihil habentem incommodi, arte deprauaſſe. Item, quòd verba Lutheri calumnientur, vt eo artificio innocentem opprimant, & cæt. Scriptum eſt enim Leuit. 19. Non facias calumniam proximo tuo. Secundò, diſplicet nobis & illud, quod toties perſtringunt & reprehendunt, atque etiam accuſant Scholaſticos Doctores, Theologos. Cùm conſtet eorum ſcripta pie-

tatem

Scholaſtici Doctores piè ab hæreticis accuſantur.

tatem cum recta & ſolida eruditione coniungere. Quos ſi tam ſtudioſe legiſſent, quàm triuolè iudicant, & ſuperbe contemnunt, nequaquam eſſent tot erroribus obnoxij. Certè ſi quis ad antiqua reſpiciat tempora, in quibus Scholaſtici Theologi nondum fuerunt, videbit longe plures fuiſſe hæreſes, quam fuerunt i[illegible]ra trecentos annos proximos, vt patet e[illegible] Irenæo, Tertulliano, Philaſtrio, Auguſtino, atque etiam ex vtroque Iure. Quot enim vel in vna lege enumerantur hæreſes in Codice Iuſtiniani ſub titulo De hæreticis? Quot [illegible] Decretorum à Gratiano collectum l[illegible] præſertim in c. Quidam autem 24. q. 3. [illegible] quę c[illegible] hoc tempore alia potior cauſa [illegible] tamque diuerſarum hæreſum, quàm improbus iſte ſcholaſticorum Theologorũ c[illegible]ptus, & rebellis inſolentia aduerſus Rom. P[illegible]icem. Profectò negare non poſ[illegible]as nunc eſſe hæreſes. Quoniam Lu[illegible] publice conqueſtus eſt, circa hæc [illegible] verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum, [illegible] decē exortas eſſe hæreſes hoc t[illegible]. Tertio, Reijcimus etiam excuſationem [illegible], quam affert Philippus, tanquā [illegible] impudentem. Scimus enim Lutherum longè aliter ſentire, quàm ſentit S. Au[illegible]tam de peccao originali, quàm de fomite peccati. In ſecundo ſcilicet & tertio Articulis, quos iure ac merito damnauit Rom. Pontifex Leo X. Nuſquàm enim dicit Auguſtin⁹, ſicut dicit Lutherus. In puero poſt baptiſmũ remanere peccatum, & fomitem remorari animam ab ingreſſu cœli, etiamſi nullum adſit peccatum actuale, Nec affirmat Auguſtinus, ſicut affirmat Lutherus iu aſſertione ſui articuli ſecundi, quod libido ſeu concupiſcentia carnis in ſanctis parentibus, dum generant ſit verè peccatum, & non ſolùm defectus aut pœna peccati, ſed etiam culpa. Auguſtinus verò vbique aſſerit contrarium. Quippe lib. 1. c. 13. ad Bonifacium Papam ſic ait: Dicimus enim baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorũ, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Et in libris contra Iulianum, concupiſcentiam carnis vocat quidem malum quoddam, ſed non peccatum. Ait enim: Omnes homines iudicant, laſciuiæ inſolentiam non eſſe peccatũ, niſi quia concupiſcentiæ conſentitur. Nullúmne igitur malum cui conſentiendo peccatur? Et infrà: Eo malo dico coniuges caſtos benè vti, adulteros malè. Continentiam melius eo non vti, ambo dicimus, ſed ego eo malo, tu eo bono. Quartò, Reprobamus itē ſubdolam in Auguſtinum calumniam, qua malè allegatur tanquam ſecundum Lutheri ſentētiam ſic dicat: Peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Nos autem iam ſuperius oſtendimus, eum planè ſentire, quod baptiſmus auferat, non radat crimina, ſicut raduntur capilli: quodque in carne baptizati non remaneant radices peccatorum, ſicut in capite remanent radices raſorum capillorum. Scimus prætereà ipſummet Philippum nuper in VVormacienſi colloquio ingenue ac publicè cōfeſſum eſſe, quòd male citatus ex Auguſtino locus iſte fuerit, poſteaquam D. Eckius obiecerat ei, Auguſtinum nullibi dicere, peccatum remanere in puero baptizato poſt baptiſmum. Quòd ſi tamen vſpiam (Apologia hæc nullum indicat certum locum) vocat carnis concupiſcentiā, quę poſt baptiſmum remanet, eſſe peccatum, certè in alio dicit ſenſu, quàm facit Lutherus. Nos ſcimus variè accipi peccatum in diuerſis ſacræ ſcripturæ locis, adeò vt ſi op⁹ foret, poſſemus (abſit iactantia verbo) non ſolùm quatuor (ſicut Roffenſis Epiſcopus felicis & ſanctæ recordationis, & Ambroſius Catharinus fecerunt) ſed etiam octo, hoc eſt, bis quatuor acceptiones peccati ex ſcripturis referre. Poteſt quidem carnis concupiſcentia poſt baptiſmum peccatum dici, tanquàm ex peccato originali contracta. In quo ſenſu & à Paulo Apoſtolo peccatum dicitur, Roma. 7. aut ideò, quia ad peccatum inclinat. Non eſt ſecundum ſe verè peccatum, niſi voluntas ei conſentiat, vt ſuprà ex Auguſtino contra Iulianum relatum eſt. Qui & in alio loco idipſum declarat hiſce verbis ad Bonifacium Papam: Cum concupiſcentia carnis neceſſe eſt etiam vt baptizatus, & hoc, ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu Dei agitur, pia mente confligat, ſed hæc, etiamſi vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur: Sicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quod manus eam fecerit. Non eſt igitur concupiſcentia carnis ſecundum ſe verè peccatum in baptizatō, ſicut aſſerit Lutherus: Peccatum enim per baptiſma funditùs & radicitùs ablatum eſt: concupiſcentia autem relinquitur ad exercitium virtutis, imò etiam ad meritum, ſi ei propter honorem & amorē Dei fortiter ac piè reſiſtitur. ſic enim ait Auguſtinus contra Iulianum: Quæ ſunt autem ſanctarum virginum, ſicut appellas glorioſa certamina, niſi quòd non vincuntur à malo, ſed vincunt in bono malum? Quintò. Non admittimus, Proteſtantium eandem eſſe ſententiam de peccato originali, quæ eſt Catholicorum tam veterum quàm recentium. Vna eſt Catholicorum omnium ſententia, quòd peccatum originale ſit carentia Iuſtitiæ originalis, quæ ineſſe deberet vnicuique homini. Quod ſanè peccatum per baptiſma prorſus tollitur, inquantum habet rationem peccati. Remanet quidem fomes, qui à Paulo lex

pec-

[margin:] ...nis teſtimonio.

[margin:] Peccatū in ſacris literis variè accipitur.

[margin:] Vide Cochlæum de baptiſmo paruulorum.

[margin:] Concupiſcentia quando dicitur peccatū.

[margin:] Non remanere in puero baptizato peccatum.

tatem cum recta & ſolida eruditione coniungere. Quos ſi tam ſtudioſè legiſſent, quàm triuolè iudicant, & ſuperbè contemnunt, nequaquam eſſent tot erroribus obnoxij. Certè ſi quis ad antiqua reſpiciat tempora, in quibus Scholaſtici Theologi nondum fuerunt, videbit longè plures fuiſſe hæreſes, quàm fuerunt intra trecentos annos proximos, vt pa[illegible]et ex Irenæo, Tertul[illegible]no, Philaſtrio, Auguſtino, atque [illegible]m ex vtroque Iure. Quot enim vel in vna lege enumerantur hæreſes in Codice Iuſtiniani ſub titulo De hæreticis? Quot item in Decretorum a Gratiano collectorum [illegible] præſertim in c. Quidam autem 24. q. [illegible] quę eſt hoc tempore alia potior cauſa [illegible] quę diuerſarum hæreſum, quàm improbus iſte Scholaſticorum Theologorū contemptus, & rebellis inſolentia aduerſus Rom. Pontificem? Profectò negare non poſſu[illegible]tas nunc eſſe hæreſes. Quoniam Lu[illegible] publi[illegible] conqueſtus eſt, circa hæc [illegible] verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum, [illegible] exortas eſſe hæreſes hoc tempore. Tertiò, Reijcimus etiam excuſatio[illegible], quam affert Philippus, tanquā [illegible]pudentem. Scimus enim Luthe[illegible] aliter ſentire, quàm ſentit S. Au[illegible] de peccao originali, quàm de fomite peccati. In ſecundo ſcilicet & tertio Articulis, quos iure ac merito damnauit Rom. Pontifex Leo X. Nuſquàm enim dicit Auguſtinus, ſicut dicit Lutherus. In puero poſt baptiſmū remanere peccatum, & fomitem remorari animam ab ingreſſu cœli, etiamſi nullum adſit peccatum actuale, Nec affirmat Auguſtinus, ſicut affirmat Lutherus iu aſſertione ſui articuli ſecundi, quod libido ſeu concupiſcentia carnis in ſanctis parentibus, dum generant ſit verè peccatum, & non ſolùm defectus aut pœna peccati, ſed etiam culpa. Auguſtinus verò vbique aſſerit contrarium. Quippe lib. 1. c. 13. ad Bonifacium Papam ſic ait: Dicimus enim baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorū, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Et in libris contra Iulianum, concupiſcentiam carnis vocat quidem malum quoddam, ſed non peccatum. Ait enim: Omnes homines iudicant, laſciuiæ inſolentiam non eſſe peccatū, niſi quia concupiſcentiæ conſentitur. Nullúmne igitur malum cui conſentiendo peccatur? Et infrà: Eo malo dico coniuges caſtos benè vti, adulteros malè. Continentiam melius eo non vti, ambo dicimus, ſed ego eo malo, tu eo bono. Quartò, Reprobamus itē ſubdolam in Auguſtinum calumniam, qua malè allegatur tanquam ſecundum Lutheri ſentētiam ſic dicat: Peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Nos autem iam ſuperiùs oſtendimus, cum planè ſentire, quod baptiſmus auferat, non radat crimina, ſicut raduntur capilli: quodque in carne baptizati non remaneant radices peccatorum, ſicut in capite remanent radices raſorum capillorum. Scimus prætereà ipſummet Philippum nuper in VVormacienſi colloquio ingenuè ac publicè cōfeſſum eſſe, quòd male citatus ex Auguſtino locus iſte fuerit, poſteaquam D. Eckius obiecerat ei, Auguſtinum nullibi dicere, peccatum remanere in puero baptizato poſt baptiſmum. Quòd ſi tamen vſpiam (Apologia hæc nullum indicat certum locum) vocat carnis concupiſcentiā, quę poſt baptiſmum remanet, eſſe peccatum, certe in alio dicit ſenſu, quàm facit Lutherus. Nos ſcimus variè accipi peccatum in diuerſis ſacræ ſcripturæ locis, adeò vt ſi opus foret, poſſemus (abſit iactantia verbo) non ſolùm quatuor (ſicut Roffenſis Epiſcopus felicis & ſanctæ recordationis, & Ambroſius Catharinus fecerunt) ſed etiam octo, hoc eſt, bis quatuor acceptiones peccati ex ſcripturis referre. Poteſt quidem carnis concupiſcentia poſt baptiſmum peccatum dici, tanquàm ex peccato originali contracta. In quo ſenſu & à Paulo Apoſtolo peccatum dicitur, Roma. 7. aut ideò, quia ad peccatum inclinat. Non eſt ſecundum ſe verè peccatum, niſi voluntas ei conſentiat, vt ſuprà ex Auguſtino contra Iulianum relatum eſt. Qui & in alio loco idipſum declarat hiſce verbis ad Bonifacium Papam: Cum concupiſcentia carnis neceſſe eſt etiam vt baptizatus, & hoc, ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu Dei agitur, pia mente confligat, ſed hæc, etiamſi vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur: Sicut ſcriptura manus cuiuſque dicitut, quod manus eam fecerit. Non eſt igitur concupiſcentia carnis ſecundum ſe verè peccatum in baptizato, ſicut aſſerit Lutherus: Peccatum enim per baptiſma funditùs & radicitùs ablatum eſt: concupiſcentia autem relinquitur ad exercitium virtutis, imò etiam ad meritum, ſi ei propter honorem & amorē Dei fortiter ac piè reſiſtitur. ſic enim ait Auguſtinus contra Iulianum: Quæ ſunt autem ſanctarum virginum, ſicut appellas glorioſa certamina, niſi quòd non vincuntur à malo, ſed vincunt in bono malum? Quintò. Non admittimus, Proteſtantium eandem eſſe ſententiam de peccato originali, quæ eſt Catholicorum tam veterum quàm recentium. Vna eſt Catholicorum omnium ſententia, quòd peccatum originale ſit carentia iuſtitiæ originalis, quæ ineſſe deberet vnicuique homini. Quod ſanè peccatum per baptiſma prorſus tollitur, inquantum habet rationem peccati. Remanet quidem fomes, qui à Paulo lex

pec-

Peccatū in ſacris literis variè accipitur

Vide Cochlæum de baptiſmo paruulorum.

Concupiſcentia quando dicatur peccatū.

Non remanere in puero baptizato peccatum.

peccati, ab Auguſtino concupiſcentia carnis dicitur, ſed non eſt ampliùs peccatum poſt baptiſma, ſicut iam ſuprà ex Auguſtino declaratum eſt. Cui omnes alij Catholici conſentiunt. At Lutherus, cui conſentiunt Proteſtantes, longè aliter ſentit, atque etiam ipſemet Philippus, qui ſe Apologiæ huius auctorem profitetur. Lutherus quippe ait, eos, qui negant remanens in puero peccatum poſt baptiſmum, & Chriſtum & Paulum conculcare, vultque peccatum, quod remanet, non eſſe defectum duntaxat aut pœnam, ſed verè peccatum & culpam. Ita quod remoretur animam, licèt corpore exutam, ab ingreſſu cœli, quia ſit vera & actualis culpa, etiam ſi nullum aliud adſit in tali anima peccatum. Et Philippus alibi dixit, peccatum originale natiuam eſſe propenſionem naturæ humanæ ad peccandum. Cumque obijceretur, baptiſmo deleri peccatum originale, reſpondit, duo in eo peccato eſſe cõſideranda: imputationem peccati, quam reatum vocāt, & peccatum ipſum, ſeu ipſam propenſionem. Imputationem tolli, peccatum manere. Et inde clarè intelligi, omnia ſanctorũ etiam opera peccata eſſe. Et rurſus in alio loco ait ſic: Scriptura non vocat hoc originale, illud actuale peccatũ. Eſt enim & originale peccatum planè actualis quædā praua cupiditas. Item noſtrorum temporum noui Pelagiani etſi non negant eſſe peccatum originale, negant tamen eam eſſe vim peccati originalis, vt omnia hominum opera, omnes hominum conatus ſint peccata. Hæc, & id genus multa Philippus alibi, qui hic falsò aſſirmat Thomam, Bonauenturam, Hugonem, & alios, eandem habere de peccato originali opinionem, quam habēt ipſe & Lutherus. Sexto & vltimo non probamus, (licèt ſæpiſſimè in Apologia repetatur) quòd peccatum originale includat in ſe hos impios affectus, nimiumque horrendos morbos, & grauiora (vt ipſi aiunt) naturæ humanę vitia, ſcilicet, ignorationem Dei, contemptum Dei, vacare metu & fiducia Dei, odiſſe iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, iraſci Deo, deſperare gratiam, habere fiduciam rerum præſentium, &c. Quis enim hos affectus, & hæc vicia paruulis recens natis, originale peccatum in ſe habentibus aſſcribat, tribuat, aut imputet? Contra hanc enim ſententiam ſic ſcribit S. Auguſtinus ad Marcellinum: An verò & hoc quæſituri, & de hoc diſputaturi, & tempus ad hoc impenſuri ſumus, vt probemus atque doceamus, quomodo per propriam voluntatem (ſine qua nullum vitæ propriè poteſt eſſe peccatum) nihil mali commiſerint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes? Et Chriſtus in Euangelio paruulũ propter innocentiam & humilitatem, quæ huic ætati ineſt, ſtatuit in medio Apoſtolis ſuis intuendum, qui de maioritate inter ſeſe contendebant, & dixit: Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 18. Et rurſus Marc. 10. indignè tulit, quòd Apoſtoli increpabant, & comminabantur eis, qui offerebant paruulos, & ait: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium eſt enim regnum Dei. &c. Sic & Paulus 1. Cor. 14. ait: Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Sic Petrus ad innocentiā paruulorum recens natorum exhortatur fideles, dicens: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabiles, & ſine dolo, lac concupiſcite. Abſurdum eſt igitur paruulis, qui peccato originis ſunt obnoxij, tribuere tā impios affectus, contemptum Dei, odiſſe iudicium Dei, iraſci Deo, & cæt. Sed & in adultis pleriſque Ethnicis Turciſque & Iudæis, qui vtique peccato originali (quia fidem & baptiſmum Chriſti non habent) ſunt obnoxij, non reperiuntur tam impij in Deum affectꝰ. Certè Iudæi ex lege ſciunt, Deum eſſe ſummum bonum, & ſuper omnia diligendum. Quod & Turcæ & Saraceni vnum Deum colentes ſciunt. Imò & plerique Ethnicorum Philoſophi Deum vt ſummum bonum dilexerunt, ac venerati ſunt. Vt eſt videre in Mercurio Triſmegiſto, in Platone, in Ariſtotele, & in Dionyſio Areopagita, dum adhuc gentilis eſſet, qui eclypſim Solis innaturalem videns, pendente in cruce Chriſto, dixiſſe fertur, Aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina diſſoluetur. Nam & Paulus de Gẽtilibus loquens, Roman. 1. ait: Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim manifeſtauit eis. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Quum igitur ſupradicti fuerint in peccato originali & nati, & mortui, nõ poteſt eſſe verum, quòd peccatum originale contineat in ſe tam abſurdos & impios affectus. Sed adhuc multò abſurdius ait in locis communibus Philippus iſte, quòd carnis fructus ſit, tam ſpecioſa illa Socratis aut Catonis virtus, quàm Cæſaris parricidia. Tam carnis fructus ſint ſpecioſiſſimæ Pauli virtutes, quibus præditus erat priuſquàm Chriſtum agnoſceret, quàm Clodiana adulteria. Sed contra hác abſurditatem ait S. Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Ecce, non ait, à carne, ſed à patre luminum. Et Paulus iam ſuprà planè dixit, quòd Deus, non caro, illis manifeſtauit. Cùm igitur tam abſurda ne Ethnicis aut Turcis quidẽ ex peccato

originali

Lutherus in aſſer. ca. 2.

Philip in annot. Ro. 5.

Philippus in locis communibus.

In paruulis non ſunt impij cõtra Deũ affectus.

Auguſtin de peccatorum meritis lib. 1. cap 35. Paruuli rectè vocantur innocentes.

1. Pet. 2.

Originale peccatum in adultis non baptizatis.

Vide Dionyſium 2. epiſt. ad Polycar. pũ & ad Apollophanem.

Abſurda Philippi ſententia.

Iacob. 1.

originali rectè aſcribantur, multò ſanè ineptius tribuantur ea Chriſtianis, qui à peccato originali per baptiſma ſunt penitùs mundati. Abſurdiſſimum eſt igitur, quòd propter fomitem, qui in baptizatis remanet, aſſerit Lutherus iuſtum in omni opere bono peccare. Et Philippus, quòd omnia etiam ſanctorum opera ſint peccata.

Contra huiuſmodi errores, certam & Catholicam veritatem nos docet ſanctus Thomas in pleriſque ſcriptis ſuis, è quibus paucula velut antidoti cuiuſdam loco referre, operæprecium fuerit. Ait ſanè: Secundum fidem Catholicam tenendum eſt, quòd primum peccatum primi hominis originaliter tranſit in poſteros, propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad baptiſmum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Item, Ex auerſione voluntatis à Deo conſequuta eſt inordinatio in omnibus alijs animæ viribus. Si ergò priuatio originalis iuſtitiæ, per quã voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali, ſicut quoddam materiale. Item peccatum originale eſt, vnum ſpecie, & in vno homine non poteſt eſſe niſi vnum numero: In diuerſis autem hominibus eſt vnum ſpecie, & non poteſt eſſe maius in vno, quàm in alio. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in vno quàm in alio propter diuerſas corporis complexiones. quod ergò vnus homo ſit pronior ad concupiſcendum quàm alter, non eſt ratione peccati originalis, ſed ex diuerſa diſpoſitione potentiarum. Item: Iuſtitia originalis reſtituitur in baptiſmo, quantum ad hoc quod ſuperior pars animæ coniungitur Deo, per cuius priuationem inerat reatus culpæ. Sed non quantum ad hoc quòd rationi ſubijciãtur inferiores vires. Ex huiuſmodi enim defectu eſt concupiſcentia, quæ manet poſt baptiſmum. Et tantum de articulo ſecundo.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo ſecundo iudicium.

ARticulus hic ſecundus non habet vnde à candidis Theologis (quales haud dubiò habet non paucos adhuc Eccleſia noſtra Catholica) vel reijci vel vituperari poſſit, maximè ſi huius declaratio, quæ in Apologia eſt, huiuſque Germanica interpretatio ad probam, & æquam trutinam examinetur. Omnes ſiquidem huius articuli partes, vel ex vno D. Auguſtino videntur deſumptæ, quem in hoc quidem negocio, ſi ipſi etiã Philippo credimus, nemo citra ingentem temeritatem vituperare poteſt. Certè ſi originale peccatum eſt carentia ſiue defectus iuſtitiæ originalis, vt loquuntur, debitæ ineſſe, vel cum debito habendi, & ſi homo ſecundũ naturam natus (hunc Paulus animalem vocat) omnibus virtutibus caret, quibus priuatus eſt Adam, vnde peccatum intrauit in mũdum (non imitationis exemplo, ſicut Pelagiani oljm ſomniabant, ſed propagationis & originis vitio) non ineptè loquuntur aduerſarij hominem naſci cum peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia: id quod tamen Germanicè explicatius dixerunt. Teſtantur etiam in Apologia, ſe non actus ſolùm, ſed potentiam ſeu dona efficiendi timorem, & fiduciam erga Deum, adimere propagatis ſecundum carnalem naturam. Dicunt item, ita ſecundum naturam natos, non ſecundum ſpiritum renatos habere concupiſcentiam, nec poſſe efficere verum timorem & fiduciam erga Deũ. Scholaſtici originalis iuſtitiæ hunc ponunt effectum, facere perfectam tranquillitatem in anima, quantum ad omnes potentias, ita quod natura inferior non inclinetur contra iudicium ſuperioris. Iam ſi Adam primus homo hanc potentiarum tranquillitatẽ perdidit, non eſt dubium, quin hac ipſa careant & deſtituantur, quotquot ab illo propagantur. Huc non ineptè quadrat, quod D. Anſelmus alibi ſcribit: Adam & Eua, inquit, ſi iuſtitiam ſeruaſſent originalem, qui de illis naſcerentur, originaliter ſicut illi iuſti eſſent, &c. Ad hæc inferre licet: Sed Adam & Eua non ſeruauerunt iuſtitiam originis: ergò quotquot ex illis propagantur, non iuſtitiæ, ſed miſeriæ & peccati cõſtituuntur hæredes: hoc quod Paulus ſic effert: Omnes in Adam moriuntur, &c. Nec mouebit nos, quod quidam hic in definitione originalis peccati, quam aduerſarij adſerunt, videntur offendi nomine motus & fiduciæ, quaſi hæc ad actuale, (quod vocant) peccatum potiùs pertineant, quàm ad vitium originis. Opinor autem noſtros (quos illi confutatores vocant) hoc loci ſubueritos fuiſſe impia H. Zuinglij ſomnia, qui, ſicut iam olim conqueritur Melanthon, nomen quidem peccati originis retinuit, rem autem ſuſtulit. Vtcunque verò ſit, certum eſt ex diuinis literis, hominem non renatum, ſiue ille paruulus ſiue adultus fuerit, non habere verum metum, nec veram fiduciam, nec poſſe verè concupiſcentiæ reſiſtere. Hæc enim, verè metuere, veram fiduciam habere, concupiſcentiam non malè ſequi, renatorum ac filiorum Dei dona ſunt, non eorum, qui adhuc natura ſunt filij Euæ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ. Quomodo natura? inquit alibi D. Auguſtin. niſi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit,

Homo ſecundum naturã natus qualis ſit.

1. Cor. 15.

Infirmitas omnium hominũ per baptiſmũ non renatorum.

Auguſtinus. Tractat. 44. in Euangeliũ Ioan.

leuit? Et addit: Si vitium pro natura inoleuit, ſecundum mentem omnis homo cæcus natus eſt. Si enim videt, non opus habet ductore, &c æt. Huc facit illud Euangelium: Quod natum eſt ex carne, caro eſt. &, Sine me nihil

Lib. 1. ca. 3.

poteſtis facere. Adijciemus etiam quaſi ex abundanti, teſtimonium D. Ambroſij, aut quiſquis tandem ille fuerit, qui doctiſſimè illos de vocatione gentium libros compoſuit: Omnes homines, inquit, in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem eiuſdem hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animíque corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniuſta gaudia, pœnitenda conſilia, & non minor miſeriarum multitudo, quàm criminum, &c æt. Hactenus ille. Igitur quod hic aduerſarij dicunt de metu & fiducia, non de actuali, ſed potiùs de aptitudinali effectu intelligi-

Caluinus.

mus. Sic enim ſe Caluinus alibi exponit: Peccatum originale eſt, inquiens, naturæ noſtræ prauitas, ac corruptio, quæ primùm reos facit iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ ſcriptura vocat opera carnis, & cæt. Et paulò poſt: Infantes quoque ſuam ſecum damnationem è matris vtero afferunt, qui tametſi ſuæ iniquitatis fructum nondum protulerint, habent tamen in ſe incluſum ſemen: imò tota ipſorum natura, eſt quoddam peccati ſemen. Ideò non odioſa & abominabilis Deo eſſe non poteſt, & cæt. Aduerſarij poſt ſui defenſionem, flagellant Pelagianos veteres, ac nouos, quorum appellatione Zuinglianos, opinor, notant, vtcunque Butzerus litem hanc dirimere nitatur, tum in Præfatione in Euangelia ad ſuos Marpurgenſes, tum etiam in caput Roman. 5. Ibi enim fatetur Butzerus Peccatum originis eſſe naturæ morbum, labemq́ue à primis parentibus cõtractam: & eiuſmodi labem, vt niſi ea per Chriſti ſanguinem purgetur, ſalutem conſequi poſſit nemo. Qui enim ſaluus ſit, inquit,

Zuinglij libri Bucero videntur erronei.

quem tenet morbus exitialis? Et tamen non prorſus negat Butzerus Zuinglij libris ante Confeſſionem Marpurgenſ. editis, ineſſe quod aliquam erroris ſuſpitionem admittat. Et hinc opinor Zuinglianos hoc loco perſtringi. Traductis ergò Pelagianis, Apologia impetum facit in Scholaſticos, quibuſcum non omninò feliciter velitatur, adſerens hos, neſcio quæ, pugnantia dicere: cùm tamen interim ex diametro ſecum pugnet Apologia. Hæc enim ipſa ſic loquitur: Scholaſtici tribuunt humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum ſuper omnia, ad faciendum præcepta Dei, quòad ſubſtantiam actuum, & cæt. Et poſt vnum atque alterum verſum eadem Apologia inquit: Vetus definitio cùm inquit, peccatum eſſe carentiam iuſtitiæ, detrahit non ſolùm notitiam Dei, aut fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei: aut certè vim iſta efficiendi detrahit: Nam & ipſi Theologi in ſcholis tradunt, iſta non effici ſine certis donis, & auxilio gratiæ. Hactenus Apologia: quæ an ſibi conſtet, aliorum eſto iudicium. Imò quid pugnantiùs dici poterit? Si enim vtrunque rectè allegauit Apologia, neceſſe eſt diuerſorum Scholaſticorum opiniones retulerit. Neque enim obſcurum eſt, Scholaſticos olim diſputaſſe, quid, quantumq́ue poſſit homo ex puris naturalibus: & quæ communis Scholæ ſententia obtinuerit, neque incertum, neque obſcurum eſt. Gregorius ille Ariminenſis, nec indoctus nec contemnendus Scholaſticus, non multum tribuit homini in puris naturalibus conſtituto: eius enim ſententia eſt, Quod nullus homo in ſtatu præſenti, ſtante etiam generali influentia Dei, poſſit abſque ſpeciali Dei auxilio, agere aliquem actum moraliter bonum: ſed nec ſufficienter cognoſcere, quæ ad moralem vitam pertinent, quid ſcilicet volendum, quid nolendum, quid agendum, quid vitandum, & cæt. Huic parum repugnare videtur D. Thomas Aquinas, qui docet hominem poſſe per liberum arbitrium ex ſuis naturalibus cum generali diuina motione ſiue gratia infuſa, adimplere præcepta Dei (non quidem omnia) quod ad ſubſtantiam actuum, non quantum ad intentionem præcipientis: concurrente tamen ſemper auxilio Dei, vt primi mouentis. Loquitur autem de actu non meritorio. Quid? Philippus ipſe in Apologia fatetur ciuilia opera, hoc eſt, externa opera legis, ſine

Pag. 31.

Chriſto & ſpiritu ſancto aliqua ex parte fieri poſſe. Adde quod M. Butzerus in Romanis ſuis ingenuè teſtatur ſe non videre, in quo Scholaſtici, quod quidem hoc negocium attinet, ab orthodoxa ſententia Eccleſiæ varient. Hæc igitur cum ita ſint, eat Philippus & accuſet Scholaſticos, quantum velit, & quouſque velit: nos nihil remorabitur, quò minus illos acceptemus. Certè nõ poſſumus non candorem in illo deſiderare. Et, vt alibi Hilarius ſcribit, difficillimum eſt, ne mentiri exiſtimentur, qui ſe in alieno negotio non poſſunt, niſi mendacio purgare. Iam quod de concupiſcentia diſputant, facilè opinor patientur D. Auguſtinum arbitrum

Vide Aug. Tractat. 41. in Ioan.

eſſe, qui hanc litem vnica ſententia dirimere poſſit: Concupiſcentia, inquit, non eo modo appellatur peccatum, quo facit reum, ſed quod reatu primi hominis ſit factũ, & quod rebellando nos trahere nititur ad peccatum,

niſi

niſi adiuuet nos gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, ne ſic etiam mortuum peccatum rebellet, vt vincendo reuiuiſcat & regnet. Hactenus ille contra Iulianū Pelagia. lib. 2. capite 9. & contra eundem libr. 6. cap. 11. Eadem legis contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 1. cap. 13. ad Bonifacium. Poſtremò mihi non videtur operæprecium, multis rixari, & anxium eſſe pro defenſione Lutheri: quoniam nō arbitror Melanchtonem in hoc eſſe, vt velit omnes Lutheri ſui articulos defendere: tranſeat ergò ille, quem de concupiſcentia ſomniauit, cum cæteris ipſius erroribus, quos nemo ſanus excuſabit vnquam. Enimuero in tanto Eccleſiæ tumultu, non poſſunt vigilantes paſtores, rara illa aduerſariorum Paradoxa, non habere ſuſpecta: & pacata Eccleſia multa tolerantur impunè, quæ hac ipſa turbata, non poſſunt non eſſe ſuſpecta. Et hactenus ſuper hoc articulo differuiſſe ſuffecerit.

Alfonſi Virueſij Philippica tertia.

DE peccato originis, quod ſecundus Articulus Confeſſionis veſtræ continet, idem mihi viſus eſt vnà nobiſcum ſentire Philippus, quod Theologi docent, & à cunctis fidelibus creditur, idcircò præter verborum nouitatem, quam Philippus & Lutherus maximè amant, Apoſtolus verò Paulus summoperè cauendam admonet, nihil veſtra Confeſſio differt à fide Catholica. Nam quod Philippus cauſatur, ſe nouis illis vocib⁹ vti, proptereà quòd Scholaſtici originis peccatum extenuant, docentes humanam naturam vniuerſis ſuis viribus eſſe integram, & poſſe citra peculiare illud Dei donum, quod gratiam appellamus, Deū ſuper omnia diligere, Deo credere, & omnia eius præcepta ſeruare, hoc inquam, eius pace dixerim, falſum eſt & vanum, in eoque vobis luculenter imponit: nihil horum docent Theologi noſtri, quin potius veriſſimum eſt illud Pauli, quod ſcilicet non ſimus ſufficientes cogitare quicquam ex nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit. Tametſi de virtutibus (quas vocant morales) differens Scotus dicit ad illas efficiendas vnicuique noſtrum ineſſe vim à natura, verène, an ſecus, viderint ſui: mihi nō placet, eius tamen doctrina, nec communis Theologorum ſententia eſt: nec ſi eſſet, quicquam ad Philippi debacchationem. Virtutes enim morales, ſi modò virtutes merentur dici, non perficiunt hominem, nec dignum vita æterna reddunt. Quin & amor Dei, ſi quando, vtpote ſummi boni, ſummeque diligibilis affectio, eliciſine gratia contingat aut poſſit: non magis charitas eſt, quam æſtus eſt calor vitalis. Scio inter gymnaſticos Theologos ſophiſmata quędam, quibus propoſitiones, quarum vis eſt in verbo, poſſe, variantur ſecundum ſtructuræ varietatem, vt aliud ſignificet hæc enunciatio: Vnuſquiſque ſine gratia poteſt Deum ſine gratia diligere, & aliud hæc: Vnuſquiſque poteſt Deum ſine gratia diligere ſuper omnia: quibus variationibus (nam multis alijs modis variare contingit) diuerſiſſimè pronūciatis, quod idem prorſus ſpecie prima videtur, veritatē iudicare conſueuerunt. Sed hæc non video cur vobis ſtomachum moueant, quæ tantùm exercitationis gratia in ſcholis excutiuntur. Vniuſcuiuſque veſtrum conſcientiam conuenio, vt bona fide proferat mihi vnum aliquem Theologum, quem hęc de ſuggeſto ad populum differentem audierit. Quòd ſi vobis diſplicēt immodica ſophiſmatum ſtudia, noſtrorum quoque plurimis atque grauiſſimis non probari, vel ipſa iam propemodùm emortua, indicio eſſe poſſunt. Hæc tamen vtcunque ſe habeant, non ad fidei quæſtiones attinēt, ſed ad morum correctionem, in quibus (vt quæ res minimè nobis probatur, eam pro veteri conſuetudine obiter excuſemus) quotumquemque repereris, qui medium tenere ſciat, præſertim inter iuuenes gloriæ cupiditate flagrantes, cuiuſmodi ſolent eſſe Scholaſtici ferè omnes. Habet vnaquæque ars, maximè autem quæ honeſtiſſimæ ſunt, ſuam farraginem, quæ quò eſt vberior & copioſior, eo magis oculis arridet, maioremq; de ſe ſpem facere videtur: aduenientibus verò culmis, fructibusque ad maturitatem productis, cætera omnia deficiunt & emarceſcūt, quod idipſum in gymnaſticis exercitationibus factum videmus. Quamobrem, vt ad cauſam reuertar, non eſt quod nobis Philippus identidem obijciat: Scholaſtici dicunt, Scholaſtici dicunt. Catholici in nullius Scholaſtici verba iurarunt, ſed liberum eſt vnicuique ab illis diſſentire cum velit, vtimur tamē eorum doctrina eò libentius, quò modeſtius illorum grauiſſimi à verborum ambagibus tēperantes, non rhetorum pigmentis, non periphraſibus fumos nobis offundunt, ſed certis verborum legibus materias explicāt, quibus intellectis, liberum eſt ijs, qui doctorum munere funguntur, inter differendum ad populum, quo cum diſputandum non eſt, ſed pro rei dignitate, vt credant, moueantur & afficiantur, adnitendum eccleſiaſtæ, oratoriam adhibere artem, & rhetoricis vti coloribus. Haud enim idem eſt, à gymnaſticis exigendum in ſcholis, quod concionatores præſtare debent in templis. Illos decet ſtylus argutus ac proprius, hos oratio copioſa, ornata, diſerta. Nec me tamen latet, vtroſque munere ſuo interdum abuti. Nam hi inanis copiæ ridicula affectatione, in meras nugas, & ſomnia mulierculis & cerdonibus

Difficile eſt medium tenere.

nibus plauſibilia effunduntur: illi verò dum argutè loqui, cauilloſas captiunculas ſtruere nituntur, in ſophiſmatum ſe ſenticoſis anfractibus implicant, quorum tamen abuſus viri graues (cuiuſmodi fuerunt Lombardus, Thomas, Bonauentura, Gerſonus, Altiſiodorenſis, & reliqui eiuſdem claſſis) præſtare non debet. Nec ſtatim vt Scholaſticus doctor delirat, omnes ſumus in ius vocandi, quibus id in quo lapſus eſt, plus fortaſsè diſplicet quàm vobis. Hæc nunc ſemel ad Scholaſticorum inuidiam, quam illis Philippus nõ ſemel excitat, eleuandam, dixiſſe ſufficiant. Quorum tamen ſi circumſpectionem in loquendo & ſcribendo didiciſſet, nunquam impingeret illis cõtradictionis notam, ipſe procul dubio ſibi contradicens. Id quod non obſcurè monſtrabo, ſi prius noſtros eiuſdem vitij calumnia liberauero. Principio cùm Theologi omnes ad vnum hoc habeant, nemini poſſe iuſtitiam, quæ vera ſit, & æternæ felicitatis commercio digna, contingere citra gratiam Chriſti, etiam ſi dicerent, quod eis Philippus, (quo poſſit faciliùs contradictionis crimen conſtare) falsò tribuit: vnumquenque ſcilicet hominum natura poſſe Deum ſuper omnia diligere, & eius facere præcepta: non ſtatim ſequeretur hominem poſſe naturæ ſolius viribus iuſtificari, cùm per vos nihil horùm iuſtificet, ſed fides in Chriſtum. Non igitur hæc: Poteſt aliquis ſolis naturæ viribus præcepta facere, & cæt. Nemo poteſt ſolis naturæ viribus iuſtificari, ſibi viciſſim (quod Philippus conatur efficere) contradicunt: nec aduerſantur quidem vllo modo, quandoquidem facere præcepta & iuſtificari, non ſunt idem, vobis præſertim, quibus mandata Dei etiam cùm perfecta fuerint, minimè iuſtificant. Nota eſt autem oppoſitionis communiſſima lex, nempe debere pronunciata idem prorſus & eodem modo alterum negando, alterum affirmando ſignificare.

Nemo licèt reclamet, nemo queratur me ſophiſmata confingere, veſtram vobis doctrinã, veſtra ipſorũ verba vobis obijcio, quæ nos quadãtenus & agnoſcim9, & probamus. Fatemur ſanè vobiſcum, quod etſi infidelium quiſquam, quod tamen eſt impoſſibile, Deum ſuper omnia diligeret, & cætera eius præcepta ſeruaret, non iuſtificaretur per illa. Cum enim fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, ſerui ſumus inutiles, quia quæ facere debuimus, fecimus. Facere autem quod fieri debet, non iuſtificat, id quod ſibi aliunde non debetur, expetentem. Porrò æternam felicitatem omnes expetimus, quę nullo poteſt hominibus prouenire commercio (quando non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis) niſi de CHRISTI Ieſu theſauro (cuius meritis & fidimus patientes, & innitimur operantes,) iuſtitiæ munere gratis donemur, quo pignore relicto, nobis futuræ beatitudinis arraboni eſt: quod momentaneum, & le[illegible] tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hic videtis hominem non ſine fide, nec tamen per ſolam fidem iuſtificari, hoc eſt, æternitatis mercedem iuſtè capeſſere. Etenim cùm iuſtitia hæc ſit quædam commercij (licitantibus nobis regnum cœlorum) æquatio, hanc non tantum fides efficit: ſed & charitas, cuius eſt, vt Paulus commemorat, omnia ferre: ab ea namque proficiſcitur momentaneum illud & leue tribulationis noſtræ, quod æternum gloriæ pondus operatur. Qua de re copioſius infrà diſſeremus. Nunc ſatis ſit oſtendiſſe, illa duo pronunciata, quæ nobis Philippus tribuit, vt cõtradictionem attribuat, nec verbis, nec ſignificatione pugnare, quorum tamen poſterius fatemur eſſe noſtrum, prius verò non agnoſcimus. Idipſum verò etiam ſi à quibuſdam ex nobis eſſet profectum, minimè tamen aduerſaretur veritati, ab vtriſque noſtrum de iuſtitia fidei receptæ: nempe quòd nemo ſine Chriſti Ieſu gratia & miſericordia iuſtificetur. Reliquum eſt, vt oſtendamus, Philippum ad lapidem contradictionis, quem nobis obiecit, offendere. Id verò faciam ſimpliciſſimè, eius tantum modò verbis productis. Scholaſtici (inquit) tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum ſuper omnia, ad facienda præcepta Dei, & cæt. Hæc ſunt eius verba, quorum mox oblitus, reſtituit nobis inferiùs, quod in illis detraxerat, dicens: Nam & ipſi Theologi in ſcholis tradunt, iſta non effici ſine certis donis, & auxilio gratiæ, &c. Loquebatur de dilectione Dei, & cæteris præceptis: de quibus, quod doceamus ſolius naturæ viribus poſſe fieri ſine gratia, modò ait, modò negat. Vbi quæſo te, naturæ tantas vires tribuimus, quantas nec ipſa poteſt citra impietatem agnoſcere, ſi tam piè docemus, vt aſſeramus, non fieri præcepta ſine certis Chriſti donis & gratia? Vbi ſunt igitur, aut quid poſſunt integræ vires illæ, quas dudum tribuebamus naturæ? Hic alius vrgeret acerbius, & in inuidiam conaretur aduerſarium adducere, liuoris illi, maleuolentiæ, impudentiæ crimen impingens. Sed ego malo omnia commodius interpretari, & credere, Philippo incuriam obrepiſſe, quæ multa ſcribentibus interdũ obrepit, idcircò ſalua ſit illi per me ſua auctoritas, modò ei, non vt numini fides habeatur, ſed vt homini, qui errare, labi, decipi quandoque poſſit, atque

Omnes expetimus æternã felicitatem, quam ſine Chriſti munere nemo adipiſci poteſt.

Tit.2.

[illegible]

que adeo illi opus ſit audire alios, à quibus iuuetur, & quos viciſſim ad inueniendam veritatem adiuuet. Iam quod inferiùs dicit, quodque magis ad præſentem diſputationẽ pertinere videtur, Lutherum ſcilicet rectè ſcripſiſſe de originali iuſtitia & peccato, in hoc præcipuè, quòd dixit originale peccatũ manere in nobis, etiam poſt baptiſma, quæ ſententia damnata eſt à Leone Pontifice, cogit nos vt peccati nomen, quod variè in ſacris literis accipitur, vel perſunctoriè explicemus. Peccatum defectus eſt aut obliquitas, qua aliquid deficit à rectitudine, quam poſſet, & iure ſaltem integritatis habuiſſe debet. Hinc eſt, quòd monſtra, naturæ peccata dicimus, quia à naturæ regula & integritate deficiunt. Idcircò hæc deſcriptio tam latè patet, & tam multas peccati diſtinctiones complectitur, vt etiam Chriſti carnem hac ſignificatione Paulus videri poſſit appellaſſe peccatum. Si enim hominem ad primæuam originem, ſtatum ſcilicet illum, in quo conditus eſt, referas, humanæ naturæ monſtra ſunt omnia, quæ noſtra nunc patitur fragilitas, vt ſunt morbi, cruciatus, ſames, ſitis, frigus, æſtus, tædium, laſſitudo, & id genus alia, quorum immunes conditi ſumus. An non monſtrum videtur, hominem æternitati conditum, nihil à pecudibus morte differre? Nónne monſtrum eſt & prodigium, vniuerſa quæ facta ſunt homini ad obediendum & ſeruiendum, eidem non obedire, ſed reſiſtere: non inſeruire, ſed aduerſari? Hoc genus peccati aliud deterius inuexerat, illud videlicet, quo primus homo, in quo tota humana natura tunc erat, creatori ſuo nõ obediuit, quo monſtro nihil accidere potuit homini prodigioſius. Interim tamen ſicut illa intemperies animi & inobedientia, quà homo auerſatus eſt dominum, & conditorem ſuum, peccatum fuit, ita hæc rerum omnium & corporis noſtri intemperies, illam vt pœna culpam ſequuta, qua reliquæ inferiores creaturæ ſuo non conditori, ſed domino inobedientes aduerſantur, dicenda eſt vtcunque peccatum, quod cunctis hominibus, quandiu & quatenus mortales ſumus, ineſt, cum nihil aliud ſit quàm morituram, imò & moribundam, ac reliquis creaturis, quibus natura præſtat, inſenſam circumferre carnem. Idcircò Apoſtolus Paulus de CHRISTO IESV, (qui naturæ noſtræ non culpas, ſed defectus & incommoda pro nobis aſſumpſit, vt ſuæ naturæ perfectionibus nos donaret:) dicit, eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis factum eſſe peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Quo in loco Apoſtolus duabus peccati acceptionibus eſt vſus, altera, quæ infrequens eſt, & à vera peccati ratione aliena, ſecundum quam aſſerit Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum: altera, quæ frequentior & propria, qua fatetur eundem non feciſſe peccatum. Nunc ſi quæratur, prius illud peccatum, ſit ne originale an actuale (quod vocant) nemini dubium eſt, quin actuale non ſit, vt quod nobis non modò nõ facientibus, verùm & nolentibus ineſt: originale dici, non patitur catholicæ doctrinæ conſuetudo. Quis enim audeat dicere, CHRISTVM habuiſſe peccatum originale, quod, quantumcunque piè conemur exponere, pietatis tamen vel ſola indole mẽs imbuta, refugit? Relegandum ergò eſt illud à peccatorum claſſe, de quibus communiter loquimur, quibus rebellio quædam aduerſus legem Dei, atque adeò culpa ſemper eſt annexa. Hoc verò de quo modo diſſeruimus, vt culpa non eſt, ita non tam peccatum, quàm peccati culpa propriè ſolet appellari. Quamobrem etiam ex cauſâ, quam modò reddidimus, fit vt peccatum largè ſumpto vocabulo dicatur CHRISVS, quoniam genus quoddam ſacrificij, peccatum in veteri lege dicebatur, & exprobratur ſacerdotibus, quod peccata populi comedebant otioſi, hoc eſt, hoſtias, quæ pro peccatis offerebantur. Hoc ergò genere peccati prætermiſſo, cætera omnia diuiduntur in originale & actuale peccatum. Quæ quidem hoc conueniunt in cõmuni ratione peccati, quod omnibus inſunt motus & propenſiones quędam, quibus legi Dei aduerſamur: ſed voluntatis applicatione differunt. Originale variè deſcribitur à doctoribus, alijs propriè, alijs per proprietates & circumloquia illud definientibus, omnium tamen ſententiam colligit Lombardus, Sententiarum cognomento magiſter, dicens: Peccatum originale eſſe concupiſcentiam aut fomitem, quam Apoſtolus legem membrorum appellat. Hæ definitiones, & quæcunque videntur his ęquipollere, incidunt in illam, qua vulgò dicitur peccatum originale carentia iuſtitiæ originalis, niſi quòd illa plus lucis, hæc plus artis habere videtur. Nam cùm peccatum (vt ſuperiùs diximus) ſit obliquitas, propriùs definitur per carentiam, quæ vox à Theologis ſemel recepta, defectum ſignificat, quam per concupiſcentiam, quæ vox videtur eſſe appoſitiua. Vtraque tamen definitio ſemel intellecta, eundem efficit ſenſum. Peccatum quippe originis concupiſcentia eſt, non quæ priuatæ alicuius rei affectum ſignificat, ſed illa, qua caro in vniuerſum concupiſcit aduerſus ſpiritum, & hac potiſſimùm ratione apparet eſſe defectus & carentia iuſtitiæ originalis, qua caro

Peccati diuiſio.

per omnia ſpiritui ſeruiebat. Huius theorematis intelligentia, pendet à cognitione Iuſtitiæ, vt nunc accipitur, quæ non eſt omninò legalis illa, quam Philippus ſignificat, in vtraque legis tabula contenta, tametſi coniuncta ſit illi & inſerulens. Sed eſt ordo quidam ſuperiorum vnà atque inferiorum regulabilis per voluntatem. Sicut enim non eſt idē peccatum originale & actuale, ita nec iuſtitia originalis & legalis. Nota eſt illa Dialecticorū regula: Quot modis accipitur alterum oppoſitorum, totidem & alterum eſſe accipiendū.

Oppoſita iuſtitia & peccati.

Iuſtitia ergò legalis, quæ Decalogo continetur, peccato opponitur actuali: orignali verò iuſtitia orginalis, eam dixmus eſſe ordinem ſuperiorum ad inferiora, quoniam per illam animus erat ſubditus Deo, animo corpus, corpori omnia, quæ iuxta Prophetam ſubiecerat pedibus noſtris, nempe oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli, & piſces maris. Quod autē hic ordo eſſet Iuſtitia, patet ex eo, quod ſecundum illū reddebatur vnicuique quod ſuum erat: quod verò originalis, per hoc apparet, quod ad hūc ordinem ſeruandum, & in eo primùm conditus eſt homo, dicente Domino: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtrā, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs terræ, cui etiam mox à cōditione iure ſuo vtens addit præcepta. Ab hac norma diſcedere homini peccare fuit. Sicut iuſtitia ordinem ſeruabat, ita peccatum ſubuertit, vnde & peruerſitas etiam dicitur. Iure etiam appellatur concupiſcentia, hoc eſt, rebellio & inobedientia eius, qui debuerat obedire. Porrò quemadmodum iuſtitia originalis, omnes illius ordinis gradus complectitur, ita & peccatum originis eorundem euerſionem vt pro ſubiectione, qua mens per dilectionē, fidem & timorem Dei erat ſubdita Deo, ſucceſſerit in eadem Dei contemptus & diffidentia: pro ſubiectione verò, qua corpus animæ omnibus ſuis motibus obtemperabat, ſucceſſerit omnium illorum rebellio. Tertius huius ordinis gradus non poteſt ad iuſtitiam, aut peccatum originis propriè pertinere, tāquam pars eius, ſed tanquam pœna, quia non eſt regulabilis à voluntate, niſi quatenus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Huius ordinis euerſio in primis parentibus fuit peccatum actuale, in cæteris omnibus eſt originale, quod per baptiſmum remittitur. Nam in eo, pro Dei odio, diffidentia & contemptu, morbis, (quorum ſemina, & inchoationes quaſdam, quæ ſunt nobis per vitiatæ naturæ propagationem ingenita, ſomites appellamus) ſuccedunt in anima fides, ſpes & charitas gratis infuſæ. Alioqui, quomodo baptiſma, quod vos etiam fatemini, gratiam conferre poteſt, niſi hæc efficiat? Valétne humana mēs ſine fide & charitate Deo eſſe grata? Quod ſi non eſt, vbi eſt, aut quidnā prodeſt illa gratia, quæ in baptiſmo confertur? Iam ſi in baptiſmo fide, ſpe & charitate, atque adeò gratia donamur, profectò peccatum originis, quod his aduerſatur, neceſſe eſt aboleri. Atque adeò iure à Leone Pon. Max. damnata eſt Lutheri aſſertio, qua dicebat originale peccatum manere in nobis, etiā poſt baptiſma. Hactenus nibil penè diuerſum à Confeſſione veſtra docuimus, niſi vos Philippi Melanchtonis polypus, quod aiunt, vſqueadeò delectat, vt quod non eodem ordine, quo ille tradidit, eſt à nobis elucidatū, illud prorſus vobis aduerſum eſſe credatis. Dicit tamen Philippus Lutherum iniuria damnatum, qui non reatum ad concupiſcentiam tātùm docuerit poſt baptiſmum manere, in quo, vt ait, patrocinatur illi Auguſtinus. Et quis non patrocinetur in nobis dicenti eſſe concupiſcentiam, quam Paulus agnoſcit in ſeipſo, non renato tantum per gratiam, ſed & in eadem confirmato? Attamen aliud eſt dicere, quòd poſt baptiſma peccatum originis maneat, aliud quòd concupiſcentia quædam nobis inſit. Nam peccatum (vt nunc accipimus) culpam habet annexam, quæ cùm nobis fuerit in ſacramento remiſſa, oportet & abolitum fuiſſe peccatum. Sepoſuimus enim ſuperiùs quamcunque peccati ſignificationē, quæ culpam aut reatum non habet. Atqui Paulus, inquies, concupiſcentiam appellat peccatum. Verum eſt, & Chriſtum etiam peccatum appellat. *1. Cor. 5.* Sed quàm ridiculum eſt dicere Chriſtum peccatum eſſe originale, tam vanum eſt & ineptum, aſſerere concupiſcentiam illam, quæ relicta eſt poſt baptiſma, originale peccatum eſſe. Idem eſt enim ac ſi de homine mortuo, quoniā remanet ei aliquid hominis, quo ſolet æquè atque viuus appellari homo, dixeris ſtrenuum eſſe aut ignauum, quæ de viuentibus neceſſariò ſub diſtinctione dicuntur. Quod ergò peccatum eſt, ſi quādo contingit nominari peccatum? Peccatum naturæ, hoc eſt, deficientia ab illa integritate, in qua condita eſt humana natura. Atque adeò ſimile illi, de quo primò diſſeruimus, non tamen idem, quod illud, eſt enim pœna, ſed cui congenita fuerat culpa, & ideò hoc gen peccati Chriſtus noluit accipere, à quo cæterorum omnium nemo genitus eſt immunis. Sanè in baptiſmo condonatur nobis culpa originalis, quæ eſt peccatum originis, manet autem concupiſcentiæ nonnihil, tametſi remiſſius, niſi peccandi conſuetudine augeatur, non quòd Deus malignè aut parcè ſua munera nobis impartiat, dat enim affluenter & non improperat, ſed quòd ita expediat accipientibus, vt qui ſecuritate quondam ſum lapſi, nunc timore contineamur in officio

pietatis,

Gratia Chriſti magnitudo non niſi cognitis morbis noſtris rectè intelligitur.

pietatis,& nobis diffiſi, Dei ſemper auxilium imploremus, cuius præſidio à propria concupiſcentia,& cæteris ad iniquitatem pellicientibus morbis tandem ſoluamur. Veriſſimè nanque dictum eſt à Philippo, non poſſe intelligi magnitudinẽ gratiæ Chriſti, niſi morbis noſtris cognitis, quibus cognoſcendis, maximè ſeruit improba carnis noſtræ cupiditas, ad iniquitatem pellicens, & ſpiritui ſemper aduerſa: quæ noſtris quotidie operibus vel augenda vel minuẽda relicta eſt poſt baptiſma. Hanc tamen cognitionem ante Lutherum natum vniuerſa prædicabat Eccleſia:& nos modò abſque Lutherani dogmatis adminiculo, manifeſtam ſecimus humanæ naturæ calamitatem, quę tamen diligentibus Deum, ſicut cætera omnia, cedit in bonum, quoniam vt olim virtus ſecuritate deſecit, ita nunc in infirmitate perficitur. Duo teſtimonia citat Philippus ex Auguſtino, quorũ poſterius loquitur de concupiſcentia peccati originalis aduerſus Pelagianos, qua de nos,& quatenus poſt baptiſma remaneat, modò tractauimus. Prius verò, quo dicit peccatum eſſe extinctum, non vt non ſit, ſed vt non imputetur, idẽ eſt, ac ſi diceret: Extinctum eſt, quod erat (vt ita loquar) imputabile, ſcilicet culpa: ineſt, quod non imputabile, nempe pœna: quæ tamen interdum, niſi cauemus, pellicit in culpam. Quòd ſi aliter Philippus (vt eſt in interpretandis auctoribus vaſer) Auguſtinũ conetur exponere. qui poterit non diſſentire ab Apoſtolo, qui prædicat, Chriſtum per lauacrum regenerationis mundauiſſe ſibi populum acceptabilem? Quomodo autem diceretur acceptabilis, ſi quicquam in eo eſſet reliquum culpæ? Quomodo mundus, ſi peccati ſordes, etiam ſi non imputarentur, manſiſſent in eo? Porrò verba Lutheri, quę damnata ſunt à Leone Pontifice, non hũc ſenſum faciebant, quem præ ſe ſerunt verba Philippi, ſed aliud non ferendum omninò, quo aperiebatur via ad errorem, qui liberum arbitrium adimit homini. Quis enim neſcit Philippi modeſtiam Lutheranum temperaſſe furorem, ita vt non ſine tanto Theſeo, potuerit ille inſanos exanthlare labores? Mihi ſanè idem videtur eſſe Phillippus Luthero, quod L. Torquatus apud Ciceronem eſt Epicuro, cuius dogma alioqui ſordidum & obſcurũ, verbis illuſtrat,& ingenij dexteritate ſacit eſſe perſpicuum. Hærent tamen & variant vtrique, illi in boni & mali, voluptatis & doloris nominibus, iſti in peccati, meriti, fidei, quæ nomina illis ſunt totius doctrinæ α (quod aiunt) & ω, idcircò opus eſt illis, quid his tandem vocibus intelligere velint, nunquàm ſatis explicare, ne capiantur. Nam interdum ita de fide, cui pietatis ſummam dederunt, loquuntur, vt cerdones & ſabri: quam fidem in procliui ſit habere, perditiſſimis quibuſque nepotibus, imò quam nemo non habeat inter Chriſtianos. Interdum verò tum pudore, tum ratione victi, fidem quãdam comminiſcuntur, quam nec Paulus quidem intelligat, tantum abeſt, vt illam habere poſſint opiliones,& agricolæ. Verùm vt ad originalis peccati cauſam redeamus, non libet modò verba, quæ damnata ſunt, excutere, ac denuò reſellere, cùm ſatis ſuperque confutata ſint & exploſa per egregium antiſtitem Ioannem Epiſcopum Roffenſem. Nunc ſufficiet Philippo, qui veſtram Confeſſionem interpretatus eſt & tutatus, ita reſpondiſſe, vt cognoſcat nobis, quæ benè docet, non improbari, ſtantum offendi nouitate verborum, quam Apoſtolus etiam damnat. Quorſum (rogo) attinet ab illis differre voce, cum quibus tibi conuenit in re? Nam quantumuis Confeſſionis verba, quę de Lutheri doctrina exprompta ſunt, excuſet: inficiari tamẽ neutiquam valet, quin illorum nouitas, noua dogmata, atque adeò noua ſcandala in eccleſiam aduexerit. Quæ omnia faciliùs vitaſſet Philippus, aut certè ſedaſſet, ſi quo ſtudio ſenſum, quem præ ſe ſerũt, conatus eſt euertere,& mutare, ipſa quoque verba, quod facillimum erat mutare velle t, & catholicas ſententias receptis Eccleſiæ verbis explicare. Sed hoc eſſet credere Theologis rectiora monentibus.

Tit. 3.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus III. De incarnatione Verbi.

Item docent quòd verbum, hoc eſt, filius Dei, aſſumpſerit humanam naturam in vtero B. Mariæ virginis, vt ſint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate perſonæ inſeparabiliter coniunctæ, vnus Chriſtus verè Deus, & verè homo, natus ex virgine Maria, verè paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, vt recõciliaret nobis patrem, & hoſtia eſſet, non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem deſcendit ad inferna, & verè reſurrexit a mortuis tertia die, deinde aſcendit ad cælos, vt ſedeat ad dexterã patris, & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in eorum corda ſpiritu ſancto, qui regat, conſoletur, & viuificet eos, ac defendat aduerſus diabolum, & vim peccati. Idem Chriſtus eſt palàm rediturus, vt iudicet viuos & mortuos, &c. iuxta Symbolum Apoſtolorum.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus III. De incarnatione Verbi.

ITem docent, quòd verbum, hoc eſt, filius Dei, aſſumpſerit humanam naturam in vtero B. Mariæ virginis, vt ſint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate perſonæ inſeparabiliter coniunctæ, vnus Chriſtus verè Deus, & verè homo, natus ex virgine Maria, vere paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, vt recõciliaret nobis patrem, & hoſtia eſſet, non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem deſcendit ad inferos, & verè reſurrexit tertia die, deinde aſcendit ad cœlos, vt ſedeat ad dexteram patris, & perpetuò regnet, & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum ſpiritu ſancto, & ſanctificatis det vitam æternam. Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, vt iudicet viuos & mortuos reſuſcitatos, iuxta Symbolum Apoſtolorum.

Caroli Cæſaris, & Catholicorum Principum ad tertium Articulum reſponſio.

IN tertio Articulo, nihil eſt quod offendat, cùm tota confeſſio cum ſymbolo Apoſtolorum, & cum certa fidei regula conueniat: Filium Dei ſcilicet eſſe incarnatum, humanam naturam aſſumpſiſſe in vnitate perſonæ, natum ex Maria virgine, verè paſſum, crucifixum, mortuum, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe tertia die, & aſcendiſſe ad cœlos, ſedereque ad dexteram putris.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum tertium animaduerſio.

TAmetſi hic Articulus doctrinæ Cathòlicæ, ſi verba ſpectes, conformis eſſe videatur, tamen ſi quæ monſtra Lutherus, & Melanththon hic alant, quis propiùs expendat, facilè deprehendet impietatem. Viderit Melanchthon quomodo hæc conueniant cum ſuis annotationibus in Matthæũ, vbi affirmat, diuinitatem à Chriſto aliquando ſe ſubtraxiſſe, nec ſemper charitatẽ in eo flagraſſe. Viderit etiam, quomodo in primũ caput primæ ad Corinthios ſcripſerit, Apoſtolum facere Patris & Chriſti mentionem, vt ſignificaret, non tam Chriſtum Deum eſſe, quàm per Chriſtum omnia donari. Iſtud nè eſt conſtanter docere, quòd duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate perſonæ inſeparabiliter coniunctæ ſint, quodque Chriſtus verè Deus ſit & homo? Quàm piè etiam noui iſti Prophetæ de merito Chriſti, de reconciliatione, & iuſtificatione hominum ſentiant, cùm in ſequentibus articulis, tùm alibi ſæpiſſimè clarum faciunt. Illud tamen velimus ipſos enodare, quomodo hic affirmẽt ad fidem pertinere, quòd Chriſtus vere ſit paſſus, mortuus & ſepultus, & c. quę præteriti ſunt temporis, cùm in Apologia doceant, fidem reſpicere tantùm res præſentes, & futuras. Ad extremum, quo obſecro iure vltimam huius articuli clauſulam: Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, vt iudicet viuos & mortuos, & cætera, iuxta ſymbolum Apoſtolorum, variarunt? An fortè proprio ſe iudicio condemnare voluerunt? an ipſimet quàm parùm fidei cæteris articulis hic non expreſſis tribuerent, teſtatum facere cupiuerunt? Cur enim aliàs clauſulam illam generalem, & cæt. omiſerũt? Nec certè obſcurum eſt, quàm ſtudiosè vocem illam, Catholicam, è Symbolo eradere ſtuduerunt.

Ioannis a Dauentria Articuli tertij refutatio.

HVNC ſimiliter Articulum à Catholica Eccleſia mutuati ſunt, qui & impollutus eſt.

Ioannis Cochlæi Articuli Tertij diſcuſſio.

DE hoc Articulo neq; in Confeſſione, neque in Apologia vlla eſt diſcordia inter nos & illos, vtinã & cæteri tales eſſent, vt nulla diſcuſſione opus foret.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo tertio iudicium.

APologia ipſa, quid Catholici hic velint, aperuit: nec ego ij ſius verba grauabor aſcribere. Tertium Articulum probãt Aduerſarij, inquit Philippus, in quo confitemur duas in Chriſto naturas, videlicet naturam humanam aſſumptam à verbo in vnitatem perſonæ ſuæ, &c. iuxta ſymbolum Apòlorum, & ſymbolum Nicenum. Hæc ille. Nos porrò reſpondemus, hunc Articulum meritò à Catholicis acceptum & approbatũ, quoniam apud nos ſic inuentus, ſic deprędicatus, & ſic defenſus eſt. At ſi quis fuerit diligens librorum Lutheranorum lector, non pauca inueniet, quæ huic Confeſſioni repugnent: multa ſic temerè eiaculata apud ſimpliciores, vt non potuerint non offendi piorum animi: quod quàm verum ſit, vno atque altero exẽplo

plo teſtatum faciam. Humanitas Chriſti, ait alibi Lutherus, omninò ſicut alius ſanctus, verè & natura homo, non cogitauit omni tẽpore, nec dixit, nec voluit, nec animaduertit omnia: vti quidam ex eo volunt hominem omnipotentem facere, imprudenter permiſcentes duas naturas, & opera earum. Quemadmodum enim non vidit, nec audiuit, nec ſenſit ſemper omnia: ita nec corde omnia quouis tempore intuitus eſt, ſed ſicut duxit eum Deus, eique res obtulit. Plenus quidem fuit gratia & ſapientia, indè quæcunque ei occurriſſent, potuit iudicare, & alijs tradere, ꝓpterea quòd in eo pręſens diuinitas perſonaliter erat, quæ ſola omnia videt & nouit. Hæc Lutherus ad verbum in expoſitione epiſtolæ ad Hebræos, ad ſupremam Miſſam natalis Chriſti, interprete Butzero, qui eadem ad Marpurgenſem Academiam refert. Sed tu in hoc negocio Catholicam Eccleſiæ ſententiã accipe. Si quis in duabus perſonis vel ſubſiſtẽtijs eas voces, quæ in Apoſtolicis ſcriptis & Euangelicis continentur, diuidit: vel quæ de Chriſto dicuntur à ſanctis vel ab ipſo, & aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei verbum ſpecialiter intelligatur, aptauerit, illas autem tanquàm dignas Deo, ſoli Dei Patris verbo deputauerit, Anathema ſit. Hactenus ex concilio Epheſino. Et iterum ſymbolum Epheſinæ Synodi ait: Vni perſonæ cũcta eius in Euangelio aſcribimus, vni ſubſtantiæ, verbi ſcilicet incarnati, qua vnus eſt dominus Ieſus Chriſtus, & cæt. Scribit etiam Leo ille, & eruditione & vitæ ſanctimonia inſignis Pontifex, epiſtola 40. ad Palæſtinos, quomodo de vtraque Chriſti natura diſſerendum ſit, quæ omnia vel allegaſſe ſuffecerit. Et Ioannes ille Damaſcenus non contemnendus Theologus, dignus eſt, qui ſuper hac re videatur lib. 2. orthodoxę fidei, cap. 22. & libr. 3. cap. 21. Et hæc quidem contra Lutheri incircunſpectum, & imprudentem, ne quid durius dicam, ſermonem produximus. Iam quis illam Philippi Theologiam patienti ſtomacho ferat, qua rationes pauoris Chriſti colligens, inter cætera dicit, Tertia cauſa pauoris Chriſti fuit, eademque ſumma, ſenſus quidã deſertionis & iræ diuinæ, quo fluctuabat Chriſtus inter infernum & vitam. In hoc pauore facta eſt deſpoliatio donorum in Chriſto, vt iam non concludat argumentum de charitatę, quod vbi ſit perfecta charitas, ibi non ſit timor. In Chriſto fuit perfecta charitas, nihilominus pauor: nam in hac afflictione & anguſtia, deſpoliatio quædam charitatis facta eſt, quod ſcilicet ſubtrahente ſe diuinitate, nõ flagrauit charitas. Hæc ille in Matt. cap. 26. Adiiciam etiam Aduerſariorum de deſcenſu Chriſti ad inferos ſententiam, certè ab Eccleſiæ catholicæ ſententia longè abhorrentem. Aduerſariorum autem nomine nõ ſolùm Lutherum & ſuos, ſed etiam Zuinglium & ſuos intelligas velim. Et hi quidẽ nuſquam non inculcant, non aliud eſſe, cùm dicimus, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, atque ſi dicimus, illum verè mortuum & ſepultum eſſe. Sic enim Zuinglius ſcribit: Deſcendit ad inferos, arbitror ideò ex Patrum ſententia Symbolo inſertum, vt oſtenderent, Chriſti morte Patres qui mortui fuerãt redemptos, &c. vt deſcenſio Chriſti ad inferos non ſic intelligatur, quaſi circumſcriptiuè, ſed potentialiter, vt ſic loquar: quòd ſcilicet mors eius, eos, qui erant apud inferos, redemerit. Hæc ille lib. Epiſt. 3. pag. 226. Audiatur etiam Oecolampadius: Deſcendit ad inferos, inquit, videtur iuxta Hebraici ſermonis proprietatẽ, declaratio eius eſſe quod dicit: Sepultus eſt: ita vt verè mortuum non ambigamus. Libr. epiſt. 1. pag. 54. Butzerus porrò ne prorſus videatur aſymbolus, ad eundem impingit lapidem, ac per omnia ſubſcribit præceptoribus ſuis Sacramentarijs in cap. Matth. 27. & adijcit, Somnia igitur ſunt, quæcunque Theologi ſuperioris ſeculi de Lymbo Patrum, & reali deſcenſu illo Chriſti, quo etiam ad locũ damnatorum & purgatorium acceſſerit, diſputarunt, & cætera. Et hactenus quidem Butzerus. Henr. Bullingerus in cathedra & dogmatibus Zuinglij ſucceſſor, quaſi in limo hærens, ſic ſcribit in Commentarijs ſuis: Etſi Petrus de perſona Chriſti videatur loquutus, quæ deſcenderit ad inferos: certè tamen de vita & redemptione Chriſti loquutꝰ eſt, quæ defunctis proſint. Hæc in 1. Pet. 3. In cap. verò 4. eiuſdem Epiſtolæ ait: Si quis omninò contendat etiam animam Chriſti ad patres deſcẽdiſſe ſanctos, non magnoperè reclamabimus, & cætera. Videant itaque Catholici, vtrum aduerſarij in articulis fidei Eccleſiæ Catholicæ conſentiant, an non: ego longè aliam interpretationem illorum articulorum in patrum monumentis video. Sed in hoc quem iam de deſcenſu Chriſti ad inferos attigimꝰ, nonnullum guſtum dabimus continenter.

Doctiſſimus ille Adamantius ſuper hac re ſic diſſeruit. Intelligimus Chriſtum idcircò in infernum deſcendiſſe, non ſolùm vt ipſe non teneretur à morte, ſed vt & eos, qui inibi, non tam præuaricationis crimine, quàm moriendi conditione habebantur, abſolueret. Hæc in cap. Rom. 5. lib. 5. Eadem legis apud eundem contra Celſum libr. 2. Et in Matth. tractat. 35. Iuuat hic adducere ſententiam D. Auguſt. ex lib. de præſentia Dei ad Dardanum: Neque enim ipſo die (paraſceues) in cœlo futurus erat homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecundum animam, in ſepulchro autem ſecundum carnem. Quid manifeſtius dici potuit à tam bono Antiſtite? Sed rogas, quibꝰ

Cap. 2.

ſcripturis

ſcripturis commentum ſuum probet: Lege caput tertium eiuſdem libri, & intelliges illú ſententiam eiuſmodi Catholicam ex D. Petri epiſtola hauſiſſe. His iam adde Hilarium, qui in Pſalm. 53. commentans, ſcribit: Morte non interceptus vnigenitus Deì filius, ad explendam quidem hominis naturam etiam morti ſe, id eſt, diſceſſioni, ſe tanquam animæ corporisq; ſubiecit, & ad infernas ſedes, Id quod homini debitum videtur eſſe, penetrauit, &c. Huc facit etiam quod D. Baſilius in pſal. 48. ſcribit ſuper illud: Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. Palàm vaticinatur, inquit, Chriſti ad infernum deſcēſionem, qui vnà cum alijs, Prophetæ ipſius animam ſit liberaturus, vt ibi nequaquam remanear. In pſalmum verò 44. Itaque Chriſti quidem odor myrrham, ob mortem ſpirat: guttam verò quod nó immobilis neque ocioſus in ſepulchro permanſerit, ſed illis diebus ac noctibus in infernum deſcenderit, ac omnia circa reſurrectionem myſteria, ne quid eorum, quæ ab ipſo agenda relinquerētur, abſoluerit, &c. Sub finem iuuat etiam D. Irenæum proferre, qui ad calcē lib. 5. contra hæreſes, inquit: Si ita eſſet, quemadmodum hęretici dicunt, ipſe vtique dominus, in quem credere ſe dicunt, non in tertia die feciſſet reſurrectionem, ſed ſuper crucem expirans, confeſtim vtique abijſſet, ſurſum relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus conuerſatus eſt vbi erant mortui, quē admodum prophetia ait de eo. Commemoratus eſt dominus ſanctorum mortuorú ſuorum, eorum, qui antè dormierunt in terram ſtipulationis, & deſcendit ad eos; extrahere eos, & ſaluare eos, & cætera, quæ ſequuntur. Non poſſum mihi temperare, quin hic ſubijciam doctiſſimi Theophili Alexandrini ſententiam, auctoris ſicut vetuſti, ita nec cōtemnendi. Hic igitur libr. Paſchali primo ſic ſcriptum reliquit. Nec credibile eſt, quòd ad inferos caro Chriſti deſcenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata ſit anima, in ſeris apparuerit, ſed quòd corpus eius poſitum in ſepulchro ſit, & ipſe nec de corpore, & ſapientia carnis, nec de diuinitate ſua dixerit: Non derelinques animam meam in inferno, ſed verè de naturæ noſtrę anima, vt perfectam ac rationalē & intelligibilē, ac ſenſibilem ad inferos animam deſcendiſſe monſtraret. Qui copioſiora velit ſuper hoc articulo, legat etiam Ioan. Damaſcenum: item doctiſſimam illam Comitis Mirandulani ſuper hoc negotio diſſertationem. Ex his enim, quæ nos adduximus, ſatis demonſtratum opinor, quàm varient aduerſariorū interpretationes à ſanctorum Patrum ſententijs, vt fruſtr à nobis occinant, ſe nobiſcum profiteri duodecim Symboli Apoſtolici articulos. De incarnatione verbi, & de Chriſti deſcēſu ad inferos, iam ſufficienter nos diſſeruiſſe putamus: de alijs nonnullis articulis ſuo loco, quæ dominus dederit, ingenuè fatebimur. Sed iam nobis obtrudunt libellum Confeſſionis ſuę, ad húc prouocant, hunc fidei ſuæ teſtem producūt. Quid tum? Non valebat apud cordatiores talis illatio, Lutherani bonam exhibent fidei ſuæ Confeſſionem, in hoc, vel illo libello, in hoc, vel illo articulo, ergò recte vbique docent. Aut, Confeſſionis libellus non omninò malus eſt, ergò in alijs ipſorum ſcriptis, nihil mali, nihil impij eſt. Non quæritur tantùm, quid iam teneant, quid credant, quidve iam profiteantur: ſed etiam hoc, quid hactenus à primo ouo huius inauſpicatiſſimi conuiuij, tenuerint, crediderint, docuerint? Et hæc ad omnes & ſingulos Confeſſionis articulos repetita volumus. Non mihi dolet aduerſariorum in multis articulis profectus, ſed miſeret me ſimplicioris populi, qui hactenus tam miſerè, nihil durius iam dixerim, deluſus fuit. Sed quoniam verboſiores hic fortè fuimus, quàm negotium poſtulare multis videri poteſt, ad ſequentis articuli Collationem deſcendemus.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus IIII. De Iuſtificatione hominum.

ITem docent, quòd homines non poſſint iuſtificari coram Deo, proprijs viribus, meritis aut operibus, ſed gratis iuſtificentur propter Chriſtum, per fidem, cùm credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti, propter Chriſtum, qui ſua morte, pro noſtris peccatis ſatisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iuſtitia coram ipſo. Roman. tertio & quarto.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus IIII. De iuſtificatione hominum.

VT autem conſequamur hæc beneficia Chriſti, ſcilicet remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, & vitam æternam, dedit Chriſtus Euangelium, in quo nobis beneficia hæc proponuntur, ſicut ſcriptum eſt Lucæ vltimo. Prædicari pænitentiam in nomine eius, & remiſſionem peccatorum inter omnes Gentes. Cum enim omnes homines naturali modo propagati

habeant

habeant peccatum, nec poſſint verè legi Dei ſatisfacere, Euangelium arguit peccata, & oſtendit nobis mediatorem Chriſtum, & ſic docet nos de remiſſione peccatorum. Cum Euangelium arguit peccata noſtra, corda perterrefacta ſtatuere debent, quod gratis nobis propter Chriſtum donentur remiſſio peccatorum, & iuſtificatio per fidem, qua credere, & confidere debemus, hæc nobis donari propter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt hoſtia, & placauit Patrem. Quamq; igitur Euangelium requirit pœnitentiam, tamen vt remiſſio peccatorum certa ſit, docet eam gratis donari, hoc eſt, non pendere ex conditione dignitatis noſtræ, nec dari propter vlla præcedentia opera, aut dignitatem ſequentium. Fieret enim incerta remiſſio, ſi ita ſentiendum eſſet: tum demum contingere nobis remiſſionem peccatorum, poſtquàm eam præcedentibus operibus meriti eſſemus, aut ſatis digna eſſet pœnitentia. Conſcientia enim in veris pauoribus nullum inuenit opus, quod poſſit opponere iræ Dei, & Chriſtus nobis donatus & propoſitus eſt, vt ſit propiciator. Hic honor Chriſti nō debet transferri in noſtra opera. Ideo Paulus dicit: Gratis ſaluati eſtis. Item, ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſſio, hoc eſt, ita erit certa remiſſio, cum ſciemus eam non pendere ex conditione dignitatis noſtræ, ſed donari propter Chriſtum. Hæc eſt firma & neceſſaria conſolatio, pijs & perterrefactis mentibus. Atq; ita docent & S. Patres. Et extat apud Ambroſium memorabilis & inſignis ſententia, his verbis: Hoc conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit, ſine opere, ſola fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum. Et fidei vocabulum non ſolum cognitionem hiſtoriæ de Chriſto ſignificat, ſed etiam credere, & aſſentiri huic promiſſioni, quæ eſt Euangelij propria, in qua propter Chriſtum nobis promittuntur remiſſio peccatorum, iuſtificatio, & vita æterna. Nam & hæc promiſſio ad hiſtoriam de Chriſto pertinet: ſicut & in ſymbolo additus eſt hiſtoriæ hic articulus, Credo remiſſionem peccatorum. Et ad hunc articulum reliqui de hiſtoria Chriſti referri debent. Nam id beneficium eſt finis hiſtoriæ. Ideò Chriſtus paſſus & reſuſcitatus eſt, vt propter ipſum nobis donarentur remiſſio peccatorum & vita æterna.

Caroli Cæſaris, & Catholicorum Principum ad Articulum quartum reſponſio.

QVòd in quarto Articulo Pelagiani damnantur, qui arbitrati ſunt hominem, proprijs viribus, ſecluſa Dei gratia, mereri vitam æternam, tanquàm catholicum & antiquis concilijs conſentaneum, acceptatur. Nam ſacræ literę hoc expreſsè teſtantur. Ioannes Baptiſta inquit, Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum à cœlo. Ioan. 3. Quia omne datum optimum, & donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, Iacob. 1. Omnis itaque ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3. Et Chriſtus inquit, nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Ioan. 6. Et Paulus: Quid habes, quod non accepiſti? 1. Corin. 4. Nam ſi quis vellet improbare merita hominum, quæ per aſſiſtentiam gratiæ diuinæ fiunt, plus aſſentiret Manichæis, quàm Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ. Omnia enim ſacris literis aduerſantur, negare meritoria opera noſtra. Etenim S. Paulus inquit, Bonū certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo mihi repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex. 2. Timo. 4. Et Corint. ſcripſit, Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſque referat propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. 2. Corint. 5. Vbi enim eſt merces, ibi eſt & meritum. Dominus dixit Abrahæ, Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Gen. 15. Et Eſaias inquit: Ecce merces eius cū eo, & opus illius coram illo. Eſaiæ 40. & 62. Et iterum Eſaias 58. Frange eſurienti panem tuum, & anteibit faciem tuam. Iuſtitia tua & gloria domini colliget te. Sic ait Dominus ad Cain: Nónne ſi benè egeris recipies? Gene. 4. Sic parabola Euangelica declarat, nos conductos in vineam domini, qui & conuenit nobiſcum pro diurno denario, qui & dicit: voca operarios, & redde eis mercedem. Matth. 20. Sic Paulus arcanorum Dei conſcius inquit: Vnuſquiſq; propriā mercedem accipiet ſecundū laborē ſuum. 1. Cor. 3. Attamen omnes Catholici fatētur opera noſtra ex ſe nullius eſſe meriti, ſed gratia Dei facit illa digna eſſe vita æterna. Sic ſanctus Ioannes inquit: Ambulabunt mecum in ſtolis albis, quia digni ſunt. Apoc. 3. Et ſanctus Paulus ad Col. 1. Cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partē ſortis ſanctorum in lumine.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum quartum animaduerſio.

Hæreſis Simonis Magi.

HIC Articulus iuxta Apologiam declaratus, ex ſchola Simonis Magi contra Eccleſiæ Catholicæ conſenſum eſt repetitus. Docuit enim ille, vt author eſt Irenęus libr. 1. cap. 20. ſuos ſectatores liberè agere poſſe, quæ velint, perque gratiam ſaluari homines, non autem ſecundum operationes iuſtas: eoque ipſorum myſtici ſacerdotes omnem immunditiam exercere non verebantur. Auctor eſt D. Auguſt. lib. de fide & operibus, quòd huius hæreſis occaſione Apoſtolus Iacobus ſuam epiſtolam Canonicam ſcripſerit, vt vanitatem fidei ſolius ſine operibus retunderet. Non diſsimili ratione Valentinus Simonis ſectator affirmauit, ſuis myſterijs initiatos perfectam habere cognitionem de Deo, per quam ſalui fiant, non autem per bonas actiones: eoque volunt, quòd in quibuſcunque facinoribus verſentur, corruptionem admittere non poſsint. Quamobrem ij etiam, qui perfectiſsimi ſunt, inter eos neſanda omnia intrepidè admittunt. Conſulatur Irenæneus lib. 1. cap. 1. & Ephiphanius lib. 1. aduerſus Valentinianos hæreſi 31. Maledicti igitur ſunt noui iſti Prophetæ. qui quod ipſis Apoſtolorum temporibus, & verbi diuini auctoritate fuit repreſſum, denuò ab inferis reuocare ſunt auſi. De hoc Simoniaco dogmate, plura dicturi ſumus articulo vigeſimo.

Ioannis à Dauentria Articuli quarti refutatio.

HVNC Articulum, qui diſſenſionum, ſchiſmatum, errorumque mundo anſam dedit, haudquaquam cenſura præterire debebat, vtpote erroneum, & catholicę doctrinæ aduerſantem: quod ſi quo modò tandem inter vtroſq; concordia coaleſcat, fiat vt exulent hæreſes, & ad vnitatem fidei redeant, plus δὶς διὰ πασῶν diſſidentes. Duo autem hoc Articulo potiſſimùm elicio: alterum, quod nemo ſuis viribus, ſuis meritis, ſuisque iuſtificetur operibus: alterum, quòd gratis per fidem peccatores iuſtificentur, quū credunt ſe in gratiam recipi, & propter Chriſtum peccata remitti, qui ſua morte peccata noſtra expiauerit. Primùm, quòd nemo ſuopte conatu iuſtificetur, ſi diuinam gratiam excludant, facilè conceſſero: & hac ratione, vt verum dicam, ſunt vniuerſæ hominum iuſtitiæ vt pannus menſtruatæ. Et hoc nemo vnquàm Orthodoxorum auſus eſt negare. Prę ſertim quum didiciſſent Paulum Corinthijs dixiſſe, inſufficientes eſſe homines vt cogitēt aliquid ex ſe quaſi ex ſeſe, quum omnis eorū ſufficientia ex Deo ſit. Deus enim (vt idem alibi auctor eſt) operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Neque ipſe mentitus eſt Chriſtus, qui vt præſumptoribus tolleret, de ſua ipſorum iactantia ſuperbientibus, ſupercilium, dicebat Apoſtolis: Sine me nihil poteſtis facere. Hoc igitur ſic acceptum, vtriſq; conuenit, & hac ratione haud minus quàm Lutherani, Pelagianos proſcribunt orthodoxi. Si verò iſtud problema intelligūt Lutherani, vt ad peccatorum remiſſionem, noſtrique iuſtificationem nihil faciant orthodoxorum bona opera, neq; neceſſaria ſint, errant (quod dici ſolet) toto cœlo, ſtruuntque rudi plebeculæ laqueum, quo in ſuum ipſorum pertrahantur interitum, adeò occultum, vt haud facilè vitari poſſit. Nam quantum ex bonis operibus ad iuſtificationē hominis, qui ratione pollet, & ingenio, accedat, mox ſuo loco commodo dixero. Alterum videlicet, quòd gratis iuſtificentur propter Chriſtum per fidem, id eſt, quum credunt ſe in gratiam recipi, & tam leuiter peccata dimitti, erroneum dogma eſt, pernicioſum eſt, damnabile eſt. Quod vt neminem lateat, aperiam, vt potero, breuiter. Si id ſufficit, vt credat quis peccatum ſuum remiſſum, & ſe mox in gratiam receptum, adeoque iuſtificatum, vt nihil amplius facto opus ſit, cur comminatur Chriſtus quibuſdam apud Lucam, quod niſi pœnitentiam haberent, exemplo Galilæorum, quorum Pilatus ſanguinē cum ſacrificijs miſcuerat, omnes ſimiliter perirent? Audiunt hic Lutherani iſtis, aut pereundum, aut pœnitendum fuiſſe, & nullam fieri fidei mentionem. Orthodoxi, vt cui peccata condonentur, pœnitentiæ fidem annectūt, auctore Chriſto, cuius huiuſmodi apud Marcum ſententia eſt: Pœnitemini & credite Euangelio, nimirum à qua plusquàm cœlum & terra diſſident Lutherani. Quare cū Chriſto in omnibus verbis ſuis fideli, tuto manū dederint, bene Chriſtiani, tum Orthodoxis, qui Chriſti verbis inhærent quam arctiſſimè: contrà qui Luthero nituntur, errant miſerè. Quod vt magis magiſque rudi elucescat populo, adnumerabo aliquot ſcripturarum locos, ex quibus ceu ad ſpeculum videat, quàm raro fidei, ſed ſemper ferè pœnitentiæ tribuatur peccatorum remiſſio. Si impius (inquit per Prophetam dominus) egerit pœnitentiā ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor. In iuſtitia ſua, quā operatus eſt, viuet. Audis hic pœnitentiam, audis præceptorum obſeruantiam, audis & iuſtitiam, fidei mirnm eſt hic ſilētinm. Quomodo ergò ſtabit cum his Lutheranorum ſententia, qui non pœnitentiæ, ſed fidei ſolū remiſſio-

Nemo proprio conatu ſine Dei gratia iuſtificari poteſt.

Eſaiæ 64.

2. Cor. 3.

Philip. 2.

Ioan. 15.

Fides ſola non iuſtificat.

Luc. 13.

Marc. 1.

Non ſola iuſtificat fides.

Ezech. 18.

remiſſionem peccatorum tribuunt. Si impi-
us, inquit, egerit pœnitentiam, non, ſi ſolum
credat ſe per fidem in Chriſtum à graui pec-
catorum ſarcina exonerari. Ait autem pœni-
tentiam, qui à peccato reſipiſcit, qui malum
magis deteſtatur, quam prius amplexus eſt,
qui offenſum Deum toto ſtudet pectore pa-
care, cui ſumma cura eſt, non Deum, cui iam
reconciliatus eſt, quo modo denuo offendat.
Sed neque ſufficit peccata a ſe longè ablega-
re, niſi aliter vitam inſtituat, vt qui prius alie-
na rapiebat, nunc ſua egenis tribuat: qui pri-
us voluptati vacabat, nunc abſtinentia ſe ma-
ceret: qui prius proſtibula frequentabat, nuc
ſeſe contineat, & in ſumma, quantum quis
peccato adhæſit, tantum nunc bonis operi-
bus det operam. Pulchrè hæc docet alius
Pſal. 33. Propheta & breuiter: Declina à malo, & fac
Felicitatis gradus. bonum: vt diſcas primum felicitatis gradum
eſſe, non delinquere, ſecundum peccatum
cognoſcere, & ad meliorem vitæ frugem ſtu-
dium conuertere. Illud innocentem, hoc fa-
cit ſuiipſius vulneris chirurgum. Breuiter vt
ab hac Ezechielis authoritate me abſoluam,
In iuſtitia (inquit) ſua, quam operatus eſt,
viuet, perinde atque diceret, Non in fide
tantum, qua credit ſua ſolum obliterata eſſe
peccata, ſed qua per dilectionem iuſtitiæ o-
Rom. 1. pera exequitur. Hic videant Lutherani, ne,
Abb. 2. dum dicta Pauli à Propheta Abacuc mutua-
ta pro ſua libidine ſtatuunt, Ezechielis fidem
exinaniant. Neceſſe ergò fuerit, vt duobus
prima facie parum quadrantibus locis Ca-
tholicam aliquam amuſſim, qua corrigan-
tur, adhibeant. Non video autem neque antè
me viderunt Orthodoxi ſacrarum ſcriptu-
rarum tractatores, applicabiliorem, quam
Gal. 5. eſt illud paradoxon Pauli, quòd neque cir-
cunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed
fides, quæ per charitatem operatur. Hic e-
nim fidem audiunt, audiunt & operationem,
nimirum fidei, quę per charitatem bene ope-
rans iuſtificat: vt diſcant non ſimulatq; quis
diuinam beneficẽtiam tenuiter in animo ver-
ſat, condonatam eſſe culpam. Huc ſpectat,
Ioan. 14. quod alibi Chriſtus contra iſtos pronuntia-
Iacob. 1. uit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſer-
uabit. Et B. Iacobus non auditorem obliui-
oſum, ſed operis factorem in ſuo facto bea-
tum vocat, non ob aliud arbitror, quàm ne
quis inſolentior audaculus de ſola ſibi fidei
nomenclatura blandiatur. Rurſum audi
quàm ſit ſemper vbique ſibi conſentiẽs pro-
pheta, imo is, qui in eo ſe prodit ſpiritus ſan-
Ezech. 18. ctus: Conuertimini, inquit, & agite pœni-
tentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, &
non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite
à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus
præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum
& ſpiritum nouum. Et quare moriemini do-
mus Iſrael? quia nolo mortem morientis, di-
cit Dominus. Nihil ſanè profuerit poſt per-
petratum malum ore ſolum tenuiter, & cor-
de peccatum Domino confiteri, niſi cor tibi
nouum feceris, niſi malum animo tibi pror-
ſus excidat, niſi peccato radicitùs euulſo, iu-
ſtitiam & eſurias & ſitias: & in ſumma, niſi
mandata Dei manibus pedibuſque deinceps
proſequaris. Suffragatur quoque iſtis Moy-
ſes. Anima, inquit, quæ delictum ſuum in- *Leuit. 5.*
tellexerit, agat pœnitentiam de peccato. Hic
mihi videor ſubodorare, hoc breui ſermo-
ne Moyſen voluiſſe inter nos litem compo-
nere, ſed Aduerſariorum malo, noſtro verò
tripudio. Sed quonam modo? Anima, inquit,
quæ delictum ſuum intellexerit. Hoc ſolum
volunt Aduerſarij, mutatis tamen aliquate-
nus verbis. Nam qui intelligit delictum ſu-
um, nimirum cum pœnitudine, intelligit &
dolet, & ineffabili quadam animi velocitate
veniam precatur: ſed non protinus abſolui-
tur, niſi pœnitendi ſtudium ei medullitus
inhæreat. Neque enim ſtatim vbi dixiſſet: A-
nima quæ delictum ſuum intellexerit, tacuit:
nam ſic nobis mancam reliquiſſet ſententiam
militaſſetque fortiter pro Aduerſarijs, qui ſa-
tis eſſe arbitrantur, vt peccator delictum ſu-
um agnoſcens, ſaltem credat per fidẽ in Chri-
ſtum illud abſtergi: ſed addidit: Agat pœni-
tentiam pro peccato, quo vel animi ſui dolo-
rem declaret. Hanc forte exegeſim non ab re
addidimus. Iam & Eccleſiaſticus ille IESVS *Eccleſ. 2.*
verebatur, ne ſi pœnitentiam non agerent,
fiat, vt in manus Domini vltrices inciderent
Iudæi. Ex Hieremia verò diſcis, quam ipſe
dominus noſtræ pœnitentiæ ſit cupidus, &
conſequenter, quam ipſe noſtram ſalutem ſi-
tiat: Attendi, inquit, & auſcultaui, num qui *Hiere. 8.*
antè offenderant me, veniam precaturi per
melioris vitæ ſtudium reuerterentur: & ec-
ce (quod dolens dico) nemo quod bonum
eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitenti-
am ſuper peccato ſuo: ſed vnuſquiſque quaſi
nihil habeat inquinamenti, obtegit pecca-
tum ſuum, perinde ac id me lateat, dicens:
Quid feci vt ad cor redeam? Et apud eundẽ
notat pſeudoprophetas, quorũ falſa perſuaſi-
one populus dementabatur, ne poſt erratum
ſuum oculos ſuos ad Deum ſuſtolleret: ſed
ipſe ſe mundum arbitraretur. Prophetæ, in- *Thren. 2.*
quit, tui viderunt tibi falſa & ſtulta, quorum
auditu gloriabaris, nec aperiebant tibi ini-
quitatem tuam, quam maximè tibi cognitam
oportuit, vt ex eius cognitione ad pœniten-
tiam prouocareris: & ſi quando aperuerunt,
vt tibi animum demulcerent, & ori tuo mel
oblinirent, cõtendebãt iniquè ſatis te feciſſe,
ſi ſaltem crederes per Chriſtũ omniũ te pec-
catorũ remiſſionem adeptũ, hoc nequiores,
quod pro pharmaco, aconitũ dedere peſtilẽ-
D tiſſimum.

Hierem. 7. tiſſimum. Probè eſſent ſuo munere defuncti, ſi ſedulo clamitaſſent: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto, & nolite confidere in verbis mēdacij, quandoquidem error eſt, ſolum credere tenuiter remiſſionem peccatorum, & interim manum ſub pallio otioſam portare. Atqui hic fortaſſis quis tacitus apud ſe dicat, iſtas eſſe minas eorum, quibus tum fidei in Chriſtū necdū propalata erat energia, quum Chriſtus neq; natus neque paſſus eſſet: nunc autem morte eius interueniente, nihil amplius damnationis, ſed ſalutis plurimum eos, qui credunt tantum, remanere. Qui hoc dicit, plane monoculus eſt, & perfidiæ eos accuſat, quòd in Chriſtum non crediderint, neque per eum ſalutem ſperauerint. Quomodo ergò ſtabit, quod Corinthijs dicebat Apoſtolus, quod omnes patres noſtri eandē eſcā ſpiritalē manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, de ſpiritali eos conſequente petra: petra autem erat Chriſtus.

1. Cor. 10. Chriſtus eſt omnium ſeruatorum vnus.

Sed non neceſſe eſt in ſcirpo nodum quærere, cum Aduerſarijs nobiſcum conueniat, Chriſtum omnium eſſe ſaluatorem & redemptorem, quodque non ſit in alio aliquo ſalus, Chriſtus enim Ieſus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Et in Apocalypſi agnum ab origine mundi Ioannes diuinitatis intimus, & ſine pari contemplator, occiſum dicit. Et ante mortem Chriſto aſello ſubuecto, turba Hoſanna acclamabat, præter Phariſæorum, & eorum, qui ei male volebant, opinionem.

Hebr. 13. Apoc. 13. Matth. 21.

Quemadmodum autem ante & poſt paſſum Chriſtum vna fuit de eo fides, ita & in pœnitendi ſententia non debent variare. Quod autem non varient, docent multa noui teſtamenti exempla. Principio Chriſtus noſtræ ſalutis author à pœnitētia ſacrum Euangelium auſpicatus eſt, non à fide, nimirum vt qui ſuo nomini inauthorari vellent, prioris vitæ maculas ſalutari pœnitentiæ ſpōgia delerent. Hinc fidelis Chriſti pediſſequus Marcus, apoſtolos ad munus Euangelicum ſelectos, exijſſe memorat, & annunciaſſe populo, vt deſerta male viuendi conſuetudine pœnitentiam agerent peccatorum. Et Petrus apoſtolicæ cohortis princeps, ne imperatoris ſui doctrinam inuerteret, ſuadebat populò, quem iam admiſſi in Chriſtum flagitij pœnitebat, vt pœniterent magis, & conuerterentur à via, qua non eſſet ad mortem rectior, ad ſaniorem dignam euangelio mentem, vt digni eſſent, quibus remitterentur peccata. Iuxta aduerſariorum ſententiam, ſatis erat per fidem in Chriſtum omne flagitium expunctum credere. Verum Petrus, & qui bene credunt Euangelio, fidei copulant pœnitentiam, qua ceu ſcopis vniuerſam immunditierum colluuionem, diuinitùs adiutl, euerrant.

Marc. 1.

Et apud Lucam, vt ipſe Chriſtus copioſus teſtis eſt, plus gaudij eſt ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non egent pœnitentia. Pœnitentiam agente, inquit, non autem peccatorum remiſſionem tantùm credente. Siquidem venit Chriſtus, vt ipſemet liberè confitetur, vt ad pœnitentiam peccatores vocaret, non ob aliud, quàm vt doceret, ſoli fidei cœleſtem aditum occludi, ſed ſi comitem habeat pœnitentiam, patere. Sic alicubi Paulus ſeſe iactitat, quod quibuſdam nihil vtilium ſubtraxerit, quin denunciarit eis, & docuerit publicè, & domeſticatim tam Iudæis, quàm Gentibus, pœnitentiam & fidem in dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Vident hic aduerſarij fidem pœnitētiæ adnexam, & adcopulatam. Quòd ſi ſola fide poſt peccatum Deo counimur, quorſum ſpectabat pœnitentiam denunciare? Si verò ſola ſufficiebat pœnitentia, quid neceſſe erat toties fidem prædicare? Quamobrem qui catholicè munere funguntur Apoſtolico, pœnitentiæ fidem, & è diuerſo pœnitentiam fidei aſſociant.

Luc. 15. Matt. 9. Act. 20. Fides cum pœnitentia iuſtificans.

Poteram hic eos, quibus tam exoſa eſt, tam fœtet pœnitentiæ nomenclatura, grauiter vrgere, & ceu inter malleum & incudem conſtituere, ſi pœnitentiam fidei præpoſitam, ad ſalutem magis fore neceſſariam contenderē. Sed nolo crabrones ſuapte ſpōte maligniores temerè irritare: tametſi ſciā eos, vel ex tenuiſſima occaſione ſolitos plenas paginas cōuicijs, maledictis, ſcommatis occupare, quæ ſi ex eorum ſcriptis tollas, quantùm erit reliqui? Nec illud noſtro diſſidet inſtituto, quod alibi Corinthijs idem ſcribit Apoſtolus: Tametſi, inquit, contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet: et ſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (& ſi ad horam) vos contriſtauit nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecūdum Deum; vt in nullò detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, vt quæ veſtra voluntate feciſtis, mutato nunc in melius conſilio, poſthac fide firmiter radicati, nunquàm ſitis commiſſuri.

2. Cor. 7. Triſtitia ſecūdum Deum quàm ſalutaris.

Rurſus inter Apoſtolos primus, quum ab ijs, quos Chriſto lucriſecerat, ſciſcitaretur, quid facto eſſet opus, vt ad illam, quam ille pollicebatur beatitudinem, pertingerent, reſpondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vident hic, niſi ſint Leberide cæciores Aduerſarij, quòd & credentibus admotum ſit pœnitentiæ pharmacum (niſi enim credidiſſent, vtique Apoſtolum non conſuluiſſent) quo medicati integriores

Act. 2.

griores venirẽt ſacrum baptiſma ſuſceptum. Idem alibi conſuluit quibuſdam, vt ſi æternæ felicitatis ambirent gloriam, pœniterent à perpetrato homicidio, conuerterentque ſe ab inueterata peccandi conſuetudine ad euãgelicam abſolutioris vitæ normam, modò vellent à peccatis, quibus commaculati erant, expurgari. Et vt ad caput Chriſtum, quem primum ex noua lege ad roborandum noſtrum inſtitutum acceſſiui teſtem, redeam, qui tam poſt exantlatum acerbiſſimæ mortis agonem, quam antè, quum prædicationem auſpicaretur, ſibi conſonus, ſic ferè apud Lucam perorauit: Oportuit Chriſtum pati, & à mortuis reſurgere, & in nomine eius prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Vel ex his verbis luce clarius eſt, non ſufficere peccatori ad veritatis cognitionem, ceu poſtliminio accito, vt credat ſaltem Chriſtum pro ſua iniquitate in crucem exactum peccatorum meruiſſe remiſſionem, imò neceſſe eſſe, vt fidei pœnitentiam adnectat, qua ſimul commonſtret animum ſuum promptum ad quaſuis iniurias, pro nominis eius gloria perferendas, vtpote qui tam acerba pro ſe ſua ſponte obierit. Si ſola fides (iterum dico) meretur remiſſionem peccatorum, ſuperuacuum fuerit, pœnitentiã prędicare, ceu rem inutilem & ſola denominatione celebrem. Sed abſit, vt tautologiæ Chriſtum condemnemus, cuius verba, ſi Euangelio fidem habemus, diuturnitate cœlum & terram anteuertent. Idem Chriſtus in Apocalyp. (ſi tamen per eum, qui ſeptem ſtellas tenens in dextera, ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, Chriſtum intelligi patiantur Aduerſarij) præcipit Ioanni, vt ſcribat angelo Epheſinæ Eccleſiæ: Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Item quibuſdam poſt acceptam fidem, velut ad vomitum reuerſis comminabatur, quòd niſi pœnitentiam agerent ſuperioris vitæ, niſi vigilarent, fore vt à Domino, tanquam à fure dormitantes obruerentur, nullam corrigendæ vitæ ſpem relicturo. Quid neceſſe eſt pluribus (quæ paſſim tam in vetere, quàm noua ſuperſunt apothecis) grauare lectorem teſtimonijs, quum vnũ aliquod affatim Chriſtiano ſufficeret lectori, contentioſo ne quidem plauſtro ſatisfeceris? Hanc igitur Catholicæ Eccleſiæ ſententiam, quam ego pro ingenioli mei capacitate tuendam accepi, refero ad omnes bonos viros, qui veritati libẽter ſubſcribent, vt iudicent inter ſe ipſi, cui potiſſimùm debeatur palma, Eccleſiæ defenſoribus, an contrà Aduerſarijs. Eccleſiæ tutò manum dederint, cuius omnia columina in vnam coeunt ſententiam. Aduerſarij ſunt polypo magis diuerſicolores, nunquam vna ſtant ſententia.

Rationibus probatur neceſſitas pœnitentiæ ad iuſtificationem.

Enumerauimus multos nunc ſcripturarũ locos, quibus docuim⁹ aduerſus pſeudoprophetas, non ad nudam fidem hominibus peccata dimitti per Chriſtum, ſed & pœnitentiam in primis eſſe neceſſariam: ſupereſt, vt idẽ etiam rationibus doceamus. Rationibus (inquam) ex ipſiſſimo ſcripturarum fonte explicitis, ne vt aſſolet, criminentur ſe humanis rationibus, aut ſophiſmatibus adactos, inuitos nobis herbam dediſſe. Erunt autem rationes numero octo. Prima ratio. Deus vt eſt pius, ita eſt & iuſtus, & vt canit in Pſalmis Dauid, iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Tam iuſtus eſt, tantamq́; habuit æquitatis rationem, vt quantumuis ſine vnigeniti filij ſui incarnatione, paſſione, morte, humano generi mille modis perdito, ſuccurrere miſericorditer pro ſua inexhauſta bonitate potuiſſet, noluerit eam vel puſillum offendi ſed, vt res ipſa declarat, docent, profitenturq́; omnes, qui Chriſto manũ dedere, nihil eidem filio ſuo parcens, poſt extremam egeſtatem, famem, ſitim, algores, frigora, poſt multa conuicia, opprobria, maledicta, poſt reſtes, flagella, ſpinas, coronas, tradidit eum turpiſſimo mortis genere afficiendum, idque vel pro inimicis immeritiſſimis. Qui autem in filio ſuo tam atrociter hominum peccata vltus eſt, non animaduerteret in ſeruum dominum ſuum iterum ſuis criminibus crucifigentem, ſanguinem eius & mortem contemnentem, profundẽtem, conculcantem? Sic abſoluet ad ſolam credulitatem impium, vt ſine vlla pœnitentia impunitum dimittat? Non arbitror. Siquidem de eo in Deuteronomio cecinit Moyſes, quòd omnia eius opera ſint perfecta, & omnes eius viæ iudicia. Et in Apocalypſi audit Ioannes multas turbas concinentes laudem, & gloriam, & virtutem Deo ſuo, quòd vera & iuſta eſſent iudicia eius. Quòd ſi vera ſunt eius iudicia, ſi iuſta, ſi recta, quomodo non vlciſcetur peccata in ſeruo domini ſui voluntatem ſciente, & non tantùm non faciente, ſed & contemnente, reſpuente, & abominante? Profectò ſi Euangelio credimus, contumax iſte ſeruus plagis vapulabit multis, tametſi precioſi ſanguinis CHRSTI commercio miſericorditer ſit redemptus. Oportet enim, vt & iuſtitiæ ſuus ſeruetur locus. Hinc igitur primùm elicimus, nudam fidem in Chriſtum, ad omnimodam peccatorum remiſſionem non ſufficere. Secuoda ratio. Iam quia peccatum ſuapte natura eſt ab inæſtimabili bono quædam digreſſio, & ad bonum variabile adeoque caducum acceſſio, non poteſt, qui peccato obnoxius eſt, niſi verè eum peccati pœniteat, remiſſionem ſperare: nam hac ratione ad illud bonum,

Pſal. 10.
Deus vt pius, ita & iuſtus eſt.
Deut. 32.
Apoc. 19.
Luc. 12.
Auerſione à Deo conuerti oportet.

quod reliquerat, regreditur. Credat qui velit per Chriſtum remiſſionem, credat natú, cru[illegible]m, mortuum, credat omnia: niſi ab iniqu[illegible]ate ſeſe ad iuſtitiam, renunciato diabulo, conuerterit, non eſt quòd remiſſionem ſperet. Qui in peccato manet, & ne cogitat quidem illud à ſe ablegare, & credit nihilominus ſe per Chriſtum à peccato abſolui, temerator eſt diuinæ bonitatis, manentq́ue ſuper eum ira & indignatio. *Pſal. 7.* Niſi conuerſi fueritis, inquit myſtagogus ille, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & in eo parauit vaſa mortis. Vide hic etiam exempla, quæ *David quo modo miſericordiam tū ſequutus* paſſim ſcriptura ſuppeditat Dauidi, vbi homicidio adulterium copulaſſet, facinus condonatum eſt, ſed pœnitenti, ſed gementi, ſed flenti, ſed oranti. *Magdale. Luc. 7. Petrus.* Magdalena inſignis illa peccatrix, vbi veterem reliquiſſet malè merendi conſuetudinem, vbi lachrymis pedes Chriſti abluiſſet, comaque extersiſſet, poſt multum gemitum, poſt ſimul accubantium ſecretum conuicium, audijt: Remittuntur tibi peccata tua. Sic & Petro, quod humano timore correptus Chriſtum negaſſet, delictum ignoſcitur: ſed non tam facilè, vt Aduerſarij contendunt. Conuerſus enim ad cor, pœnituit, & vt Euangeliſta ait, egreſſus foras, fleuit amarè. Iam ſi ocium tibi eſt, & ſi vis, volue, reuolue totum Bibliorum codicem: diſpeream, ſi vnum aliquod offendes exemplum, quò Aduerſarij ſuam iniquam perſuaſionem roborare poſſint, vtpote quòd ad nudam in Chriſtum fidem peccata condonentur. Caue igitur, ne pulchro verborum lenocinio illectus eis manum porrigas, ſed fidelem te orthodoxæ Eccleſiæ alumnum exhibe. *Non ſatis eſt ſi Deo credas, niſi eidē obedias.* Tertia ratio. Rurſus, illa fides nimirum impium iuſtificat, qua non tantùm credit (quod vrgent Aduerſarij) peccatorum remiſſionem, verùm qua toto conatur pectore, qua manibus pedibuſque nititur, vt laborem abſoluat, quem Deus voluit peccatorem ſubire. Si credas ſaltem vera eſſe, quæ CHRISTVS dixit, & eadem pro virili tua non facias, nihil magni feceris. Si credas autem, & factis ipſis tuam fidem declares, vt fidei facta reſpondeant, non eris ocioſus operarius, neque nomine tenus fidelis. Non enim auctore Paulo, auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factore[s] iu- *Scripturæ ſacræ vtilitas.* ſtificabuntur. Alibi idem docet, ſacram ſcripturam ad ſalutem inſtruere per fidem, non autem ſaluare: hoc eſt, Inculcat quid nobis, vt ſaluemur, vt iuſtificemur, poti[ſſ]imum per fidem, facto opus ſit: Si verò Chriſtum audi[a]s, audias Pauli[nu]m, audias denique omnia, quę per ſpiritum ſanctum ſcripta ſunt, credas item & ore[te]nus profitearis: nil il facis, niſi ea in int[imo] animæ rec[e]ſſus complectens, quot di[e] no exerc[iti]o per bona opera eru- *Matth. 7.* ctes. Nam felix illa beatitudo, beataque felicitas voluntatem Dei patris facienti, non credenti tantum, aut tenuiter confitenti, promittitur. Voluntas autem patris eſt, vt tu peccato valedicens, pœnitentiæ te exercitatione per fidē talē exhibeas, qui peccatorū à Deo merearis remiſſionem accipere. Caue ergo, ne Aduerſariorum ſubſcribas ſententiæ. Quarta ratio. Compertum eſt quoque, *Qui Deū peccato offendit, pœnitentia placet.* peccatorem, quantum in ſe, malitia ſua Deum dehoneſtare, flocci pendere, contemnere, quum ſua praua libidine diuinam vo- *Iob 15.* luntatem anteuertens, facit, quod infectum, contemni, quod factum eſſe oportuit: quod de impio Iob pronutiabat: Tetendit, inquit, aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & ceruice pingui armatus eſt. *Deut. 32.* Et Moyſes: Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Id malè habuit Moyſen de carnali adhuc Iſraele, carnalibus tantùm vmbris, & inuolucris initiato: & iuxta Aduerſariorum ſentētiam, Deus, qui nul- *Deum nullam patitur iniquitatem.* lam patitur iniquitatem, qui tot modis à Chriſtiano, precioſo filij ſui ſanguine inauthorato ceu illuditur, ad tenuem in filium ſuum fidem, nullam hominum vindicabit iniquitatem? Si tam facilis de peccato ad gratiam aditus eſt, ſi ad tam exiguam fidei in Chriſtū cogitationem, inueterata ablingitur peccatorum rubigo, ampliata eſt nimirum peccādi liberius via, & abſque vllo timore, quod dicit Salomon, filij hominum perpetrabunt *Eccl 8.* mala. Si tam facilis eſt, inquam, de peccato ad *Religio Chriſtiana periclitaretur, ſi iuſtificaret ſola fides.* gratiam introitus, vt ſola modicaq; in Chriſtum fidei cogitatione contingat, quorſum putas deuoluetur religio Chriſtiana? Raptu, furto, fornicatu, adulteratu, mœchatu viuēt homines; homicidio, auaritia, ſuperbia, inuidia, & id generis monſtris ſeſe contaminabūt, pollutaque erunt omnia. Et tandem fiet, vt magis humana iudicia, quàm diuina metuāt. Sed abſit hoc. Quapropter, ne malo videretur Deus occaſionem dediſſe, noluit, imò decuit ſuam iuſtitiam tam facilem iuſtificandi hominis ſuapte malitia recidiuantis, conſtituere modum. Et ne lapſis ſpes recuperandæ ſalutis putaretur prorſus adempta, pro ſua inæſtimabili bonitate, iuſtitiam temperauit miſericordia, reuertentem per pœnitentiam humaniter excipiendo. Quinta ratio. *1. Cor 6. Iniqui niſi pœniteant, nō ſaluantur.* Paulus proinde enumerat in priore ad Corinthios epiſtola aliquot per ordinem facinoroſos, quibus regnum Dei non continget, nempe fornicarijs, idololatris, adulteris, mollibus, maſculorum concubitoribus, furibus, auaris, ebrioſis, maledicis, rapacibus, & in epiſtola ad Epheſios adnectit his etiam immundos. Dicant hic mihi Aduerſarij de

rij de fidelibus, an de infidelibus, an certè de vtriſque hæc ſcripſerit Apoſtolus? De infidelibus? Sed hi ob ſolam infidelitatis notam à cœlorum regno arcentur, & ſuperuacaneum fuerit admonere vel terrere eos, quos ſcias admonitionem tuam, & verborum fulmina floccifacturos, & te dicent aerem verberaſſe. Si de fidelibus, hoc eſt, Chriſto ſemel per fidẽ & baptiſmum initiatis hæc ſcribit, compertũ eſt, per huiuſmodi vitiorum portenta, quæ admiſiſſent, ſalutem & gloriam impediri. Iã vt vt credant flagitioſi iſti fornicatores, inquam, adulteri, ebrioſi, &c. niſi fidei pœnitentiam adcopulent, inaniter per Chriſtum remiſſionem credunt peccatorum. Qui odium, inuidiam, ſimultatem, rancorem in corde ſuo geſtant, qui rapto, furtoq; domos ſuas & arcas locupletant, dicto citius, nulla prius reſtituendæ prædæ habita ratione, per fidem in Chriſtum aduerſariorum opinione, remiſſionem cõſequuntur peccatorum. At noſtra ſententia, ſic credidiſſe, præſumpſiſſe eſt, peccaſſe eſt, diuinæque iuſtitiæ inſultaſſe eſt, tantum abeſt, vt iuſtificentur. His ergò, qui peccato renunciant, qui peccandi voluntatem mutant, qui omnem perſequendæ iuſtitiæ anſam captant, haud difficilis erit ad remiſſionem peccatorum aditus: qui credunt tantum, & interim vacant otio, excludentur. Sexta ratio. Denique Ioannes, diuinæ maieſtati, vt ita dicam, à ſecretis, Deum dicit eſſe lucem inacceſſibilem. & Epheſios aliquando Paulus dùm eſſent peccatores, tenebras appellauit: & ita omnes, qui in cœno volutant peccatorum, quoſque ſua ipſorum exoculat malitia, quique tenebrarum principi ancillãtur, optimo iure tenebras dixeris. Et nemo neſcit, nullam eſſe luci cum tenebris ſocietatem, quod inter ſe ipſa ex diametro pugnant. Iam vt nouo prodigio tenebræ fiant lux, id eſt, vt rurſus homo peccator cum luce participet, vt rurſus Deo counitatur, neceſſe fuerit, vt ceu ſerpens, relictis prioribus peccatorum exuuijs, nouum induant hominem, qui ſecũdum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Id autem ad ſolam fidei in Chriſtum cogitationem fieri nequit, oportet enim & iuſtitiam addere & ſanctitatem, quæ ſimul & corpus & animam, & totum denique hominem exigunt, vt noua ſit in Chriſto creatura. Iſtam verò hominis metamorphoſim, vtcunque vocitent Aduerſarij, ſiue reſipiſcentiam, ſiue pœnitudinem, ſiue dolentiam, ſiue alio quouis nomine, parum mea retulerit, modò dent ſola fide in Chriſtum nõ dimitti peccata. Neceſſe eſt autem vt hoc dent, nam Ioannes diſcriminauit inter benè & malè fideles: Si dixerimus, inquit, quoniam ſocietatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius, emundat nos ab omni peccato. Audiunt hic Aduerſarij & fideles in tenebris verſari poſſe, qui cum ſanguine Chriſti nullam habeant communionem, qui tamen haud dubium, ſi ſola fidei in Chriſtum memoria, peccata relaxantur, iam eſſent Chriſto reuniti, vt non in tenebris clara die palpitarent. Sed non eſt tam planus de peccato ad iuſtificationem trãſitus. Omnia ſimul peccata relinquere oportet, & vt Paulus docet, expurgandum eſt vetus fermentum, vt ſimus noua conſperſio. Tunc tandem fiet, vt ſocietatem habeant inter ſe, qui prius erant ab inuicem vel remotiſſimi. Septima ratio.

Prima qui- bus remitã- tur, & quibus non.

1. Ioan. 1.
Ephe. 5.
2. Cor. 6.
Lux et tene- bræ.
Deus pro- ferens nale iuniæ.
1. Ioan. 1.
Diſcrimen bonorum & malorum fi- delium.
1. Cor. 5.
7.

Præterea, qui per baptiſmũ ex ſpiritu ſancto ſunt renati, vtique filij Dei ſunt, qui tanto eos beneficio dignatus eſt. Quòd ſi tantæ dignationis obliti, ingrati ſint beneficentiſſimo domino, ſeſeque peccatis iterum inuoluant, ſathanicæ totos ſe mancipant ſeruituti, qua non eſt alia infelicior. Quid enim poteſt homini contingere in vita infeliciùs, quid miſeriùs, quàm ſubijci illi, qui æternæ mortis eius ſemper eſt ſitientiſſimus? Et non tantum ſeruus, ſed & filius eſt. Qui enim facit peccatum, inquit Ioannes, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Chriſto quoque perfidi & contumaces ex patre ſunt diabolo, malitia, non natura. Iſtiuſmodi autem ſua ipſius malitia perditum, vt priori lauacro per innocentiam reſpondeat, iuſtitiam operari oportet, qua creatori ſuo, quantum humana per gratiam Dei patitur infirmitas, coæquetur. Neceſſe ergò fuerit vt iuſtitiam faciat, vt iuſtus ſit; qui prius dùm peccatum faceret, ex diabolo erat. Aliud eſt autem iuſtitiam facere, aliud ſimpliciter in Chriſtum credere. Illud ſi ſociam habeat fidem, te verè facit fidelem, iſtud planè præſumptorem, fide vacuum, ſpe vacuum, charitate vacuum, & prorſus omni virtute indignum. Octaua ratio. Poſtremò velim ſcire ab Aduerſarijs, cur tam facilè ab omnibus peccatis abſoluant homines, qui in baptiſmo ſemel eliminato vetere homine, rurſus ſe peccatis inuoluunt, & (quod dicit Petrus) contingit eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti. Cur (inquam) iſtos tam facilè abſoluunt, cùm ne gentiles quidem, niſi pœniterent, ad lauacrum regenerationis ſint recepti? Putabant enim neceſſarium eſſe, & verè fuit, vt prius pœniterent, quàm ad baptiſmum venirent. Et hinc dixiſſe Petrum Iudæis, vt primùm pœnitentiam agerent, deinde baptizarentur in nomine domini noſtri IESV Chriſti in remiſſionem peccatorum. Nulla

1. Ioan. 3.
Ioan. 8.
Pœnitentia requirebatur in baptizan- dis.
2. Pet. 2.
Act. 2.

enim iuſtitiæ cum iniquitate participatio eſt, & nephas, ſanctum canibus dare. Hoc B. Pater Auguſtinus, libro de fide bis terque inculcat, & apud Patres nuſquàm non viſitur. Quare non eſt mihi in hoc deſudandum, ſed vt doceam, iam renatis Chriſto per baptiſmum, non tam facilem eſſe poſt enormem lapſum, vt rurſus illi inſerantur, acceſſum. Dicant itaque mihi vtrius grauior ſit caſus, gentilis, an Chriſtiani? non baptizati, an baptizati? fidelis, an infidelis? Nimirum dicent, grauius eſſe Chriſtiani baptizati & fidelis delictum, quàm ſit gentilis non baptizati, & infidelis. Quod ſi grauius eſt, quare non item acriore indigeret ſpongia, cur non magis pœnitentia abluеretur? Tolerabilius eſt, quòd aqua ſalutaris gentilem & quidem credentem à peccatis ſuis emaculet, quàm quòd Chriſtianus remiſſionem peccatorum per ſolam fidem in Chriſtum accipiat. Grauitatem verò peccati eorũ, qui poſt baptiſmum deliquerunt, in epiſtola ad Hebræos Paulus ponderat dicens: Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus reuouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes filium Dei, & oſtentui habentes. Et: Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam veritatis notitiam, iam nõ relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Audiunt hic, quàm longè aliter, atque ipſi docuerit Paulus. Rapiat aliquis aliena, furetur, mœchetur, fornicetur, adulteret, ſit auarus, ſit ſuperbus, ſit inuidus, ſit voluptuarius, ſit proinde fœtens omnium immundiciarum cloaca, apud aduerſarios prius dicto veniam meretur, hoc eſt, vt credat tantum in Chriſto peccata condonari, nihilque pœnitentiæ meminerit. Paulus verò lapſi putat tam graue, tam atrox vulnus, vt vix medicamentum ſuſcipiat, vt vix pro peccato vlla ſuperſit hoſtia, ſed terribile iudicium, ſed ignis perpetuus, ſed mors. Quò fit palàm, alio ſpiritu Paulum, alio Aduerſarios agitari. Tam graue pleriſque nonnullis poſt baptiſmum iterum relabi viſum eſt, vt pœnitentiam prorſus abſtulerint. Sed nos neque iſtis, neque Aduerſarijs ſubſcribentes, media via ambulamus: & quod illi negant, concedimus: quod iſti putant ſuperfluum eſſe, nos dicimus omninò neceſſarium. Hoc autem ſunt

Heb. 6.

Heb. 10.

Nouatianos notat. Catholici medium tenent, heretici ad extrema dilabuntur.

iſti illis deteriores, quòd omnem timorem eximentes, peccandi hominibus frenum relaxant, quod illi volebant vel maximè constrictum. Porrò vt conſolemur eos, quibus Lutherus legẽdi vulgari idiomate libros poteſtatem fecit, quique nunc ei, vel ob hoc renuntiant, maximè quod hunc locum videãt ex diametro cum doctrina eius pugnare, inſtitutum eſt eum ſic explicare, ne vel Luthero vel Nouatiano poſthac credant. Quum ergò impoſſibile audis, & quod nulla pro peccato reliqua ſit hoſtia, difficultatem intellige redeundi in gratiam, & ne veniam poſt perpetratum malum deſpera: ſed pro tua virili decerta, vt offenſum Deum per pœnitẽtiam, quam Hierony. ſecundam vocat poſt naufragium tabulam, reconcilies. Alioqui niſi ſic intelligas, quomodo non ipſe ſecum diſſidebit Paulus, qui alibi inquietos docet corrigẽdos eſſe fratres? Quid ita, niſi vt à mala ſua cõſuetudine conuerſi, pœniteant, fiantque tales, quibus Deus miſericorditer pro ſua inæſtimabili bonitate peccata condonare poſſit. Rurſus Paulus fornicarium illum inſignem Corinthium excommunicat, & in interitum carnis tradit ſathanæ, vt tandem ſpiritus ſaluus ſit. Vides hic tam Nouatiani, cui nullus erat pœnitendi locus, quàm Aduerſariorum, qui ſolùm ex fide in Chriſtum iuſtificant impium, prorſus documenta labaſcere. Vrget enim eum ad pœnitentiam, quod illis aduerſatur: & quod illis refragatur, quem epiſtola ad fidem in Chriſtum pro peccatorũ remiſſione adhortari potuerat, contrudit ceu in carnificinam, qua non poteſt in Eccleſia eſſe ſeuerior. Quantum verò in hac profecerit pœnitentiæ carnificina, docet in ſequenti epiſtola idem Apoſtolus, vbi vult, vt in illum iã olim à ſe ad internecionem carnis proſcriptũ confirment charitatem, vtpote iam à ſuo ſcelere vacuum. Poterant hæc ad roborandam Eccleſiæ Catholicæ fidem ſufficere, ſed nondum fortè obſtreperum, eructantemq; Aduerſariorum expleuerim ſtomachum. Proponam ergò plura, vt quomodo tandem ſaturi deſinant ſubmuſſitare. Paulus igitur eodem, quem citauimus, loco: Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, inquit, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Audis hic triſtitiam, audis pœnitentiam, audis & ſalutem. Triſtitia aut dolor naſcitur de peccato, quæ ſubinde meditatur pœnitentiam, imò triſtitia ipſa, ſiue dolor, pœnitentiæ pars eſt, & aliquid nimirum extra fidem in Chriſtum: & hanc triſtitiam dicit ſtabilem ſalutem operari, quã Aduerſarij ſolùm contendunt cõtingere homini fide in Chriſtum, cuius ne hic quidem meminit Apoſtolus. Et B. Petrus dicit dominum patienter agere propter eos, quibus iam fidem in Chriſtum prædicauerat, nolens ali-

quos

Impoſſibile prodiſſiui.

1. Theſ. 5.

Paulus ſeſe exponit.

1. Cor. 5.

Lutherani & Nouatiani vna ſententia damnantur.

Excommunicatio.

2. Cor. 7.

Ibidem.

Triſtitia ſecundum Deũ operatur pœnitentiam in ſalutem.

2. Pet. 3.

quos perire.ſed omnes ad pœnitentiam conuerti.Habebant certè iſti fidem in Chriſtum, tametſi eam iuſtis operibus,vt debebant,non excolerent,tametſi vita vocationi non reſpóderent.Propter eà tamdiu eos expectat miſericorditer,nihil eis interim mali machinans, *Act. 11.* donec tandem excitati, iuſtis laboribus pœnitentiæ aduigilent. Et in actis Apoſtolicis congratulantur Apoſtoli gentibus,& magnificant Deum, quod pœnitentiam dediſſet eis ad vitam. Rurſus non meminit hic Lucas, illius libri congeſtor,fidei,quę nimirum radix eſt totius euangelicæ perfectæque vitæ, ſed ſolùm innuit,quòd pœnitentia neceſſariò comitem habeat fidem. Nemo eſt enim,qui ſe ieiunijs maceret,carnem domitet,ſibiipſi renuntiet,& vt ſemel dicã, qui ſe propter Chriſtum prorſus excarnificet,niſi idem in Chriſtum credat.Si dixiſſet: Dedit Deus gentibus fidem in vitam, haberent Aduerſarij vnde aduerſum nos gloriarentur, extollerentque ſuam in Chriſtum ſine pœnitẽtia fidem: nos, qui vtraque prædicamus ad vitam eſſe neceſſaria,humi repimus, & ſimplici vtimur veri- *Vis veritatis* tatis oratione, affatim contenti, quòd apud nos ipſa ſe defendit veritàs.Huc quoque ſpectat,quod ibidem dixit Petrus principi ſacer- *Act. 5.* dotum & magiſtratui, verbo Dei obſtreperis: Hunc (inquit inter alia) principem & ſaluatorem Deus exaltauit dextera ſua,ad dandam pœnitentiam Iſrael,& remiſſionem peccatorum. Vides quod neque hic fidei vllam faciat mentionem, ſed pœnitentiæ fidei neceſſariò adſociatæ,quę cùm in vno ſimul coeunt homine,remiſſionem ei nimirùm peccatorum operantur. Hactenus Aduerſariorũ ſententiam extenuantes,eos,qui ſeſe ob ſuperiùs allegatum Pauli dictum miſerè in animo afflictabant, conſolati ſumus: niſi quòd eis poſteriora duo parerga videri poſſunt. Hæc igitur ego,pro virili omnibus conſultum cupiens,quæ mihi ſcriptura ſuggeſſit,adnotaui. Expendat candidus lector,an exceptu digna ſint: ſi quòd minus referat ſe ad epiſtolam Cypriani,quæ eſt ad Nouatianum, munitiſſimũ noſtræ ſententiæ propugnaculum. Ego iterum pergo.Nunc audiant Aduerſarij,quis ſit noſtræ iuſtificationis ordo, quæ conſummatio,quæ nõ tam eis,quàm noſtris, quoad poſſumus elaboramus: præſertim ne iſti vacillẽt animo,illi aduerſum nos cornua erigãt,quaſi id neſciamus,quod ne pueri ferè noſtrates alphabetarij ignorant.

Fides fundamentũ Chriſtianæ vitæ ſine qua omnia pereunt. Fidem igitur qua Deum agnoſcat, veneretur,ſuſpiciat, inprimis neceſſariam eſſe homini,qui regno Dei dignus ſit,aſſerimus. Fidẽ, inquam,quæ ſpiritalis vitæ, iuſtificationis, & ſalutis baſis eſt,& fundumentum. Quemadmodum enim qui domum ædificat in arena, operam perdit,ita ſine fide nihil ſtabile,nihil firmum,nihil perpetuum,imò ruit, languet, & perit, quicquid putabatur ad rem facere. *Heb. 11.* Nam auctore Paulo, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.&: Credere oportet accedentem *Fides vt ſpẽ, ita & timorẽ nobis incutit.* ad Deum,quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Obſerua ex hoc Pauli poſteriori dicto,duo potiſſimnm rectè credenti eſſe neceſſaria. Alterum, vt Deum agnoſcat omnium,quæ ſunt,creatorem, factorem, moderatorem, inſpectorem, ſine cuius adnutu in tãta rerum machina nihil fit prorſus. Alterum, vt credat eum beneficentiſſimum largiſſimũque remuneratorem fore ijs, qui fideliter ex animi ſimplicitate & innocentia eum requirunt. Iſtud in nobis ſpei, illud timoris ſeminarium eſt. Vacate,inquit myſtagogus ille,& *Pſal. 45.* videte, quoniam ego ſum Deus,ac ſi diceret: Intendite in me animos procul ablegatis huius mundi curis, & agnoſcitote omnipotentem,cunctiſcientem,vbique præſentem,facilè miſerantem, vindicare potentem, & alia, quæ palàm ſcripturæ indicant. De timore, quem de diuina maieſtate concipit homo, hoc loco maximè dicendum eſt, quoniam Lutherus, & qui eum ſequuntur, eum à cordibus humanis longè vult exulare, quum tamen ſapiẽter quiſpiam dixerit, quòd qui ſine *Iccl. 1.* timore eſt,non poſſit iuſtificari. Sic enim habet tractatu de modo confitendi,& ſermone de pœnitentiâ. *Lutherus.*

Contritio,quæ paratur diſcuſſione,collectione,deteſtatione peccatorum,qua quis põderat grauitatem,damnum,fœditatem,multitudinem peccatorum deinde amiſſionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia timore præcepti, & dolore damni id facit,& tales omnes indignè abſoluuntur & communicantur. Si hoc ve- *Prou. 1.* rum eſt, quomodo non corruet, quod alibi *Timor dominĩ ſapientiæ initium.* in Pſalmis & in prouerbijs dixit ſpiritus ſanctus,nempe,quòd initium ſapientię ſit timor domini? Sed vera eſt ſcriptura,fallunt autem omnes contrarium ſtatuere conantes. Iſta autem aduerſariæ partis coryphæi aſſertio,non tantùm vera non eſt, ſed habet in Deum blaſphemiæ plurimum,quod vtrinſque Inſtrumenti ſcripturæ maniſeſtè docent. Ieremias *Ieremia 2.* enim dicit animę peccatrici: Scito & vide quia *Ieremia 3.* malum eſt,& amarũ, dereliquiſſe te dominũ *Ieremia 2.* Deum tuum,nec eſſe timorem eius apud te. Vide vias tuas in conualle, & ſcito quid feceris. Rurſus: Leua oculos tuos in directum, & vide nunc, vbi proſtrata ſis. Item: Quàm vilis facta es nimis,iterans vias tuas. Cur tot locos congeſſimus? vt videat Lutherus cum ſuis, ſpiritum ſanctum, qui plurimum noſtræ ſalutis eſt ſitiens, peccatoribus ſuorum peccatorum grauitatem,damnum,fœditatẽ, multitudinem ob oculos expoſuiſſe. Quorſum? num vt delectent magis? num vt placeant?

Sed hac ratione Deus noſtræ malitię eſſet author,& nō tam quęreret,quàm perderet:non tam ſanaret,quàm ſauciaret: non tam viuificaret,quàm occideret.Sed id abſit. Quid ergò?Num vt pœniteant errati?Ita prorſus.Sed id non vult Lutherus,impiū iudicans, vt cōtritio,diſcuſsione,deteſtatione,&c. peccatori naſcatur. Vtut velit Lutherus, flocciſacias, quando ita ſpiritui ſancto viſum eſt,quod vel monoculus videat: nullatenus enim dolor, qui de grauitate aut magnitudine peccati, aut prementis ingruētiſque mali timore naſcitur, peccatis pluribus inuoluit,aut hypocritam ſacit(quod nugatur Lutherus)ſed ad ſalubrem pœnitentiam prouehit, vrget,extimulat. Alioqui ipſiſsima bonitas Deus, qui mali culpæque author eſſe non poteſt, hac ratione ad peccandum nos commoneret.Ad hæc ſi timore præcepti nemo debet ſe è peccatorum cœno,quoad poteſt,erigere:cur toties nobis iudicij æquitas, ſuppliciorum grauitas,tribunal iudicis,ignis,ſtridor dentium, tenebræ,fletus,ſecures, gladij,fames,& id genus calamitates, quarum in ſcripturis tā frequens mentio eſt,obijciuntur?Non ob aliud, quàm vt timore præcepti abſterreatur maleſacere,& ſi quam habet peccati maculam, efficaci pœnitentiæ nitro emaculet. Quid neceſſe eſt huc ſcripturarū apportare teſtimonia,cùm ipſa id clamet ſcriptura, & Aduerſarij id non poſsint inficiari? Sed hæc miſſa faciamus: reuertamur ad ea,quæ propoſuimus Hūc itaque timorem, quem Lutherus in hominibus vult extinctum iri, videtur angelus humanis mentibus voluiſſe inſerere, cùm in Apocalypſi reſonans diceret: Timete dominum,& date illi honorem,quia venit hora iudicij eius,& adorate eum,qui fecit cœlum & terram,&c.Hic tamen videat ſibi quiſque, ne dum diuinæ iuſtitiæ rigorem,& peccatorum multitudinem ſuorum ſecum mente pertractat, ſine vlla miſericordiæ ſpe in infelicisſimum tandem deſperationis barathrum prolabatur:hoc eſt,ita iuſtitiam metuat, vt tamē interim miſericordiam non deſperet. Hi verò,qui animum deſponderunt, dicūt in Hieremia:Deſperauimus: poſt cogitationes noſtras ibimus,& vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus. Vt autem Deum timere ſanctum,ita hoc deſperationis malo nihil deterius eſt.Quapropter non tantùm timere Deum,ſed & in eum ſperare debet peccator, vtpote in exuberantisſimam totius miſerationis & beneficentiæ ſcaturiginem, apud quem,quod dicit Dauid eſt ſons vitæ,de quo paratisſimus eſt reuertentem refocillare.Ipſe eſt,cui benè placitum eſt ſuper timentes cū & in eis,qui ſperant ſuper miſericordia eius. Ipſe eſt,qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Rurſus ne te peccata faciant puſillanimem vt deſperes,audi orantem Moyſen: Dominator, Domine Deus,miſericors & clemens,patiens,& multę miſerationis ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia,qui auſers iniquitatem & ſcelera,atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt. Et: Dominus patiens & multæ miſericordiæ auferens iniquitatem & ſcelera Et Ioel: Conuertimini ad dominum Deum veſtrum,quia benignus eſt,& miſericors, patiens,& multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.Profectò ita eſt,& miſerationis eius modi,humana voce ſatis formari nō poſſunt. Tanta eſt eius erga nos miſericordia,tāta manſuetudo,vt vel grauisſimè in ſe delinquentes,donec reuertantur,expectet: tanta dulcedo,vt longè per deuia quæque errātes, reuocet:tanta humanitas,vt vel inimicos,modò deſinant eſſe inimici,ſuſcipiat.Quid dicā? tam eſt noſtræ ſalutis appetens,vt vel inuitos cogat,nunc ſame,nunc bello, nunc peſtilentia,& alijs alijſque modis, vt rectè dixiſſe videatur Dauid: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum,poſtea accelerauerunt. Et: Clamauerunt ad dominū cùm tribularentur. Quos autem ſic expectauit, quos reuocauit, quos ſuſcepit, quoſque ſic coegit, miſericorditer tandem coronat,non tam ob ea, quæ fecerūt bona,ſed quæ ipſe cum eis,& in eis facere dignatus eſt. His addimus ſcripturas, quādo pauidas hominum conſcientias delinire volumus,ſatagimuſque pro virili, vt conſolatæ & benè inſtructæ,fide ſortes,ſpe ſortes, priora malæ vitæ ſtudia poſtpoſituri,abeant. Et ſic demulcere,non eſt illaqueare: Sic abſoluere, non eſt irretire, quod vbique ſerè nobis obijciunt Aduerſarij.Et rarò aut nunquam Eccleſiaſtica vtimur cēſura,niſi quando in maximè inſignes & ſacinoroſos grauius animaduertimus,vt & cæteri timorem habeant. Timor ergò & ſpes, de quibus hactenus diximus,veræ pœnitentiæ initia ſunt. Vt enim, ſicut dicit quidā,qui timet Deum, nihil negligit,ſed à malo declinat: ita omnis, qui ſpem habet in Deo,ad Deum ſe conuertit,facitque quod iuſtum,quod ſanctum eſt. Id quod Ioānes ait: Omnis qui habet hanc ſpem ſanctiſicat ſe,ſicut & ille ſanctus eſt. Tantum de fide, quam diximus ad veram pœnitentiam,adeoque ad noſtri iuſtificationem eſſe in primis neceſſariam: tantumque de timore & ſpe.

Secundo loco, vt ad veram pertingamus pœnitentiam,vtque iuſtificemur, à peccatis auerſione opus eſt. Neque enim Deo credere Deum timere,& in Deum ſperare ſufficit,ſed vt peccata relinquamus & deteſtemur neceſſe eſt. Hinc ait per Eſaiam Dominus: Cōuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. Et per Ezechielem: Si annunciante te ad impium,vt à vijs ſuis conuertatur, nō fuerit

Peccatorum grauitas cur hominis proponatur.
Minæ in ſcripturis cur obijciantur.
Apoc. 14
Spes erigit peccatorem
Hiere 18.
Deſperatione nihil eſt deterius.
Pſal. 35.
Pſal. 146.
Ezech. 18.
Fiduciam Deum.
Exod. 34.
Ioel. 2.
Conſolatio peccatoru eſt immenſa Dei miſericordia.
Pſal. 15.
Pſal. 106.
Deus ſua dona in nobis coronat.
Eccleſ 7.
1. Ioan. 3
Auerſio à peccatis ad iuſtificationē pertinet.
Eſaiæ 31.
Ezech. 3.

ſit conuerſus à via ſua mala, ipſe in iniquitate ſua morietur: tu autem animam tuam liberaſti. Ex his liquet, ſi tamē domino credimus non ſufficere ſolam fidem in Chriſtum ad remiſsionem peccatorum, niſi conuerſi vitam quoque melioribus actis corrigamus: hoc eſt qui fuit hactenus ad libidinem ſalax, fiat continens: qui auarus, ſua largiatur: qui guloſus, frugalitate edacitatem vincat: qui adulter, intra ſuos ſeſe coniugij limites cohibeat: qui ſuperbus, lubens ſe tam minoribus quam maioribus ſubmittat: qui alienæ doctrinę, & falſitatis fuit ſectator, eccleſiaſticā amplexetur veritatem, inauſpicatæque vitæ tandem modum ſtatuat, nitaturque quantum poteſt, vt iuſtitiæ culmen apprehēdat. Hæc autem, renuntiationem ſcilicet inauſpicatæ vitæ, & ad melioris vitæ adniſum ideò copulauimus, quòd ea Propheta Dauid ſimplici tātum copula cōiunxit: Declina à malo, & fac bonum.

Pſal 33. Rom. 12.

Et Paulus: Odientes malum, adhærentes bono. Non enim ſatis eſt, malum non facere, ſed iuſtitiæ operibus oportet quam arctiſsime coniungi, &, quantum licet ſuę imbecillitati, in terris cœleſtem vitam viuere. Quò fiet plane, vt plus de bonæ conſcientiæ diuino lumine deſuper influente, quàm de vlla re quantumcunque honeſta, gaudeant. Secura enim mens, quod Salomon ait, quaſi iuge conuiuium.

Prouer. 15.

Conſcientia verò mali ſibi conſcia, nihil poteſt eſſe miſerius. Scitè enim dixit Chriſtus, quòd vermis eorum non morietur.

Marc. 9. Contritio ad remiſsionem peccatorum neceſſaria.

Ad hæc quoque ad remiſsionem peccatorum, ſiue ad tui ipſius iuſtificationem neceſſariò requiritur; vt peccata tibi nunc conuerſo tantum diſpliceant, quantum primùm cùm peccares, cordi erant. Iſta verò diſplicentia verę pœnitentiæ nihil poteſt eſſe proximius. Qui enim verè pœnitet, quique ſtudet vitam corrigere, peccato, quod prius cōmiſit, nihil odit magis. Neque enim poteſt quis nouam vitam inchoare, auctore beato patre Auguſtino, niſi prioris malè actæ vitæ eum pœniteat. Hanc quoque diſplicentiam, ſiue cōtritionem, ſiue attritionem, vel quocunque id vocites nomine, Deus à te exigit, vtpote ad remiſsionē peccatorum neceſſariam. Iſaias enim Prophetici ductor agminis: Ad quem, inquit, reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu? & Dauid: Sacriſicium Deo ſpiritus cōtribulatus, cor contritum, &c. &: Ipſe ſanat contritos corde: & rurſus dicit Iſaias. Habitat cū cōtrito ſpiritu. Quare? vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Et ex perſona Chriſti: Spiritus domini ſuper me, eò quod vnxerit me Dominus. Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer cōtrito corde. Vides vel ex tam multis fide nimirum digniſsimis teſtibus, non ſola fide in Chriſtum peccatoribus remiſsionem cōtingere, ſed præter eam, & cōtritionem, aut alia, quæ idem nobis ſignificant eſſe neceſſaria. Sic Niniuitæ dum peccata deteſtarentur, à ſubuerſione aſſecurātur. Sic Dauid, ſic Ezechias, ſic omnes, qui à peccatis volunt abſolui, neceſſario peccata abominantur.

Iſaiæ v'ti. Pſal 50. Pſal 146. Iſaiæ 57. Iſaiæ 61. Ionæ 3.

Poſtremò, vt peccata tibi remittātur, opus eſt bono voluntatis propoſito, vt deinceps ſtatuas ſic vitam inſtituere, vt neque pecces vnquam, neque vllam peccato des occaſionē. Hoc etiam ſubindicant verba Chriſti adulteræ apud Ioannem, dicentis; Vade, & noli amplius peccare. Non dixit, Ne pecces amplius, ſed, Voluntatem habe poſthac nō peccandi. Huc ſpectat illud, quod per Ezechielem dixit dominus: Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum: & illud paralytico interminatum: Iam ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: Et illud Pauli: Renouamini ſpiritu mētis veſtræ. Porrò vt hoc in te propoſitum maneat integrū, neceſſe eſt, ſicut diximus, vt peccandi cauſas omnes occaſiones. Qui amat periculū, inquit Syrach, in illo peribit: & alius: Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Et: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Hactenus de iuſtificationis modo & ordine, nam de Confeſſione ſuo loco commodiùs dicetur. Ex his, quæ hactenus pro Catholica Eccleſia dicta ſunt à nobis, arbitror neminem eſſe, qui tamē ſyncero & candido eſt animo, qui nō videat, quartum Aduerſariorum articulum, non tātùm ſobrium non eſſe, ſed & orthodoxæ doctrinæ multis numeris aduerſari.

Propoſito bono opus eſt ad remiſsionē peccatorū. Ioan 8. Ezech. 18. Ioan. 5. Ephe. 4.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo quarto iudicium.

QVòd Aduerſarij docent, hominem nō poſſe iuſtificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, ſed gratis propter Chriſtum per fidem, non grauatim accipimus, nec putamus aliquem ex modeſtioribus Theologis nobis hic reluctaturum. Huius autem longæ, & quaſi inueteratæ quęſtionis, quæ eſt de fide iuſtificante, niſi me fallūt omnia, poſſum aliquam ſubodorare cauſam. Quis enim ignorat, quàm gladiatoriè quidā contra hunc iuſtificationis articulum pugnauerunt? Sed accipe cauſam. Niſi quidam ex aduerſariorum caſtris, tam impia ſparſiſſent alibi in populum cōtra bona piorum opera, nunquam profectò ventum fuiſſet ad tā vanas contentiones. Conqueſtus eſt hoc ipſum & meritò, Butzerus in Romanis ſuis. Cōqueſtus eſt Regius, & ni fallor, Lutherus ipſe in viſitatione ſua Saxonica. Sic enim illi ſolebāt inuehi in bona filiorum Dei opera, ac ſi nihil prorſus pertinerent ad ſalutem hominis: qua de re nos ſuo loco dicemus abundè: ſed ad

rem:

rem. Ante exortum hunc in Eccleſia Dei tumultũ, nemo fuit offenſus particula illa, Sola quam iam teneræ quorundam aures vix ferre poſſunt. Nemo ſiquidem vnquam in ius vocauit D. Ambroſium, quòd affirmarit hominem ſola fide iuſtificari. Iam porrò pro hac vocula, Sola, neſcio quot annis digladiatum ſit. Qui igitur hoc factum eſt? Qua ratione in Aduerſarijs damnatur, quod in Ambroſio & plauſibiliter legitur, & fideliter creditur? Accipe cauſam: nam omnia fient planiora, monſtratis occaſionibus, vnde quæſtiones oriuntur. Diuus Ambroſius tam dilucidè loquitur, tam egregiè atque exactè ſuũ tribuit fidei locum, vt piorũ operibus ne vnica quidem ſyllaba præiudicet: Et aliter loquitur de operibus, quæ præcedunt iuſtificationem, & aliter de operibus, quæ iuſtificationẽ ſequuntur, id quod in ſequentibus manifeſtiſsimum faciemus. Sic etiam S. Epiſcopus tractat negotium de iuſtificatione impij, vt non tacitè prætereat, quomodo à iuſtificatione lapſus, ad peccatorum remiſſam peruenire iterum poſsit, & reiterato iuſtificari: Et in hoc negotio non totum tribuit ſoli fidei, ſed ad pœnitentiam adhortatur. Iam enim non ſimplex peccatum eſt, ait alibi Chryſoſtomus, ſed duplex aut triplex. Habes igitur quare non offendamur vocula, Sola, in Ambroſio, imò nõ tantum in Ambroſio, ſed neque in alijs claſsicis, & Catholicis doctoribus. Quin, quod Philippus ipſe teſtatur (infrà de pœnitentia) doctrinam pœnitentiæ, & doctrinam iuſtificationis eſſe locos maximè cognatos? profectò plurimum refert, qua occaſione, quoue loco aliquid dicatur. Quod Paulus Apoſtolꝰ fidei (addam) & Soli fidei (modò rectè intelligatur iuſtificationem adſcribit, neminem hactenus offendit. Vt verò mens Pauli intelligatur (qui in prioribus capitibus Iuſtificationẽ fidei tribuit, & tamen nihilo ſecius in ſequentibus opera vrget, tanquàm ea, ſine quibus ſalutem conſequi poſsit nemo) ſolerter iudicãdum eſt. Quis putas fuerit ſcopus Pauli diſſerentis ſic de fide, ac ſi huic ſoli deberetur ſalus? operum verò quaſi nullus ſit reſpectus? Audi quæſo bone Lector. Quæſtio in hoc vertebatur cardine, vter Deo magis acceptus Iudæus ne, qui omne onus legis per omnem vitam tulerat, an ne Gentilis, qui neque legi ſcriptæ, neque legi naturæ vnquam obtemperauerat? Incredibile enim videbatur Iudæis, ſiquidem homo, qui omnem priorẽ vitam fruſtrà atque inaniter conſumpſiſſet (ſic enim loquitur Chryſoſtomus) duxiſſetque per mala opera, poſtmodùm ex FIDE SOLA ſaluandus duceretur: Vt ergo ita ſe habere perſuaderet Paulus & Iudæis & Græcis, oſtẽdere voluit, neque Iudæum neque Gẽtilem ſuis ipſorum operibus præmeruiſſe, vt ita loquar, iuſtificationem, ſed iuſtificari hominem ſola fide, qua credit Chriſtum filiũ Dei in hoc à patre miſſum, vt quaſi agnus innocens, totius mundi, hoc eſt, & Iudæorum & Gentilium peccata tegeret, expiaret, aboleret. Iuſtificamur per eã fidem, inquit D. Auguſtinus, qua credimus nobis iuſtitiam diuinitùs dari, non à nobis, in nobis, noſtris viribus fieri, &c. Hæc puto tam clara eſſe, vt nemo poſsit citra impudentiã cõtradicere. Hoc certè egit Paulus in Romanis, quod Apoſtoli in primo concilio Hieroſolymis, quod etiam Caluinus in Romanis ſuis diſsimulare noluit *In cap 3.* vbi etiam diſertis verbis aſsignat, Paulo negotiũ fuiſſe cum eis, qui populũ falſa cęremoniarũ fiducia inflabant. Quũ igitur Patres ad hãc rationẽ tribuerint iuſtificationem ſoli fidei, ſiue fuerit Origenes, ſiue Chryſoſt. ſiue Ambroſius, ſiue Auguſtinus, nemo ex Scholaſticis, vel ex alijs etiã modeſtioribus Theologis reclamauit. Iã porrò hoc turbulẽto & turbato ſeculo, ita cõfuſe hoc negotiũ tractatũ eſt, vt alter alterũ non intellexerit. Nam qui ſoli fidei ſe oppoſuerũt, in hoc ſuã aciẽ ordinarũt ne diſputatio hæc iret in perniciem ſaluberrimæ pœnitentiæ, quã non immeritò D. Hieronymus ſecundam poſt naufragiũ tabulam vocauit: neq; enim vetus illa altercatio Iudęorũ & Gentiũ illis in mentẽ venerat: nec putauerũt illã diſputationẽ valde neceſſariã, quãdo ſtatim à cunis, imo ab vtero matris ad Baptiſmi ſacramẽtũ apportamur, ibiq; haud dubie in lauacro regenerationis iuſtificamur, & filij Dei efficimur. An verò iã eadẽ ſit diſputatio de iuſtificatione paruuli, qui nec corde credere ad iuſtitiã, nec ore confiteri ad ſalutẽ poteſt: & quæ eſt apud Apoſtolũ de iuſtificatione impij Iudæi, vel Ethnici, aliorũ eſto iudiciũ. Hic Sacramentarij cũ ſuis Anabaptiſtis *Paruuli rationis iudicio non vtuntur. Lib. 1. cap 7.* ad coruos. Nã quod ad paruulos attinet indubitatũ eſt, ꝙ nullo iudicio rationis vtũtur (ſic loqtur D. Ambr. de vocatione Gen.) quo auctoris ſui beneficia ſentiẽtes, ad agnitionẽ valeãt veritatis accedere. Meo certè iudicio alia eſt diſputatio, qua raõe iuſtificetur impius, & & alia, quomodo Chriſtianus baptizatus & in peccata relapſus peccatorũ remiſsionẽ accipe poſsit. In hac, ni fallor, non ſola fides locũ habet, ſed pœnitẽtia, ꝙ etiã ſine fide in Dei miſericordia nihil eſt, cũ fides omniũ virtutũ baſis & fundamẽtũ ſit. In illa verò, quomodo ſola illa, & verè ſolitaria veſtra fides locũ habeat, nõ video. Sed eiꝰ rei arbitrũ ſubſtituemꝰ vetuſtiſsimũ eccleſiæ Antiſtitẽ Arnobiũ, cuius & verba & ſentẽtiã ex Pſal. 106. ſic habe. Tu Nouatiane dicis: Qui adhuc nõ ſunt redẽpti, ipſi poſsũt ad indulgẽtiã ꝑ pœnitẽtiã peruenire. Nos dicimus: Illi per fidẽ ſolã ad indulgentiã attingũt: iſti autẽ qui iã redẽpti ſunt, nõ ꝑ fidẽ ſolam, quia iã crediderũt, ſed per pœnitentiã peru-

perueniunt ad miſericordiam redemptoris. Hactenus ille. In priori igitur quæritur quid iuſtificandum, in altera, quid ſemel iuſtificatum, & tamen relapſum facere oporteat. Ad iuſtificandum pertinet, quod Apoſtolus dicit: Ex operibus legis non iuſtificatur omnis homo, ſed iuſtitia quæ teſtificata eſt à lege & Prophetis, iuſtitia, inquam, Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Et: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Arbitràmur enim hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus legis. Credenti enim in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ. Ad iuſtificatum vero, & qui iam peccato non, vt debuit, repugnauit, pertinet id quod Paulus in eadem Epiſtola ad Romanos dicit. Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicúque bàptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte eius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtùs reſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et rurſum: Sicut enim exhibuiſtis membrà veſtra ſeruire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete mébra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem &c. Vide ergò iam inſtitutum Paùli, & ſtatim intelliges, quid fidei, quid operibus tribuat. Primùm docet vnde iuſtificemur, deinde docet vnde ſaluemur: neque enim videtur idē eſſe, nec apoſtolum pro eodem accipere iuſtitiam, & ſalutem: ratio quæ me mouet, hæc eſt. Iuſtitia quis excidere poteſt, at ſalute accepta nemo iam excidere poteſt. (Sophiſticas argutias hic nihil moramur.) Quid enim agit àliud Apoſtolus in Romanis, quam quod admonet Gentiles, cautè agere, nè rurſum excidant? Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, inquit, tu autem, cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi tu gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergò: Fracti ſunt rami, vt ego inſerar: Benè, Propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas: Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat, & cæt. Et alibi ait idem Apoſtolus, Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Et rurſus, ad Philip. Cum metu & tremore ſalutem veſtrā operamini. Et Apoſtolorum vertex Petrus: Quapropter fratres ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem faciatis, & cæt. Hæc mihi in hoc dicta ſunt, vt dem rationem, quare in veteribus approbamus, quod Aduerſarijs vitio vertitur, hoc eſt, quod vocula (Sola) nos in his offendit, quam in illis nolimus mutatā.

Rom. 3. *Ibid.*

Iam igitur propius ad negotium accedētes, profitemur nos Aduerſarijs ſubſcribere, quod quidem hunc articulum attinet: ſi modò ſic intelligi volunt, ſicut apud priſcos Patres ſcriptum legimus, & lectū intelligimus, nimirum, vt in iuſtificando impio, quod ad hominem pertinet, primas ſoli debeatur fidei, vt ſine qua nemo vnquam placuerit Deo. Nihil hic de paruulis fideliū loquimur: Nihil nos mouebit, ſiue dixerint, hominem iuſtificari fide, ſiue ſola fide, modo hoc dent nobis, nemini patere viam, niſi qui fidei adiecerit opera charitatis. Quando enim de re conſtat, non ópus eſt certare de verbis. D. Paulus nūc dicit hóminem iuſtificari fide, nunc gratis, nūc non ex operibus legis, vnde ſanè liquet, quid velit. Et nós aſſentimur, neque Iudęum ſua lege, neque Græcum ſua non lege, vt ita loquâr, iuſtificari, ſed vtrunque fide, & hoc gratis propter Chriſtum, cuius precióſus ſanguis pro nobis fúſus non póſtremum locū in iuſtificàndo impio habere putandus eſt. Sic etiam aſſerimus, paruulos noſtros non ſuis meritis (quid enim vel boni vel mali meruiſſent, nondum nati?) ſed ſola Dei miſericordia & gratia, ſanguine Chriſti intercedente per lauacrum regenerationis, & renouationis iuſtificari: nec dubitamus, vocare iuſtificatos, quos ſcimus, iuxta Chriſti promiſſum, & iuxta eccleſiæ fidem regeneratos, & in albo filiorum Dei conſcriptos. Pauli vox eſt, Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis. Quod verò ad ópera, quæ iuſtificationem ſequi debent, attinet, ſuo locò Articulo 6. dicemus.

Fides, primas tenet in iuſtificatione impij.

Vide Aug. tract. 83 in Euangelium Ioannis.

Reliquum, vt etiám teſtatum faciamus, priſcos patrés, tam Græcæ quàm Latinæ eccleſiæ à nobis ſtare, noſque meritò nón debere offendi, ſi quis dicat, nos ſola fide iuſtificari, ſiue relicta particula, Sola, nos fidem iuſtificari. D. Auguſtinus, primus nobis patrocinetur vt qui à nemine citra impudentiam reijci poteſt. Hic ergò de ſpiritu & litera ca. 10. inquit, Iuſtificamur per gratiam gratis, id eſt, nullis noſtrorum operum præcedentibus meritis: alioqui gratia non eſſet gratia: quādoquidem ideò datur, non quia bona opera fecimus, ſed vt ea facere valeamus, id eſt, non quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſsimus: Eadem ferè legis cap. 26. eiuſdē libri. Et rurſum cap. 13. ait: Nō iuſtificatur homo præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chriſti, hoc eſt, non lege operum, ſed lege fidei: non litera, ſed ſpiritu: non factorum meritis, ſed gratuita gratia. De fide porrò & operibus cap. 14. ait idem Auguſt. Cum dicit Apoſt. Arbitrari ſe hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus legis: non hoc agit, vt præcepta & profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur; ſed vt

Rom. 3.

ſciāt

ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum. Subijciam & illud ex libro eiuſdẽ de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum cap. 6. Neceſſarium eſt, inquit, homini, vt gratia Dei non ſolum iuſtificetur impius, id eſt, ex impio fiat iuſtus, cùm redduntur ei bona pro malis ſed etiam vt cùm fuerit iuſtificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſum ne cadat. Hactenus vno atque altero teſtimonio docuimus, quid S. ille Antiſtes de iuſtificatione impij ſentiat: tuum iã fuerit diligẽter expendere, quoties inculcauerit, quoties repetiuerit, gratiam, gratis, ſolã fidem, non ex operibus præcedentibus, & ſtatim intelliges S. Epiſcopum omnia iuxta mẽtem Pauli diſſeruiſſe. Sed quid prohibet adijcere, quod idem Auguſtinus contra Iulianũ Pelagianũ ſcripſit: Iuſtificatio, inquit, in hac vita nobis ſecundum tria iſta confertur: prius lauacro regenerationis, quo remittuntur nobis cuncta peccata. Deinde congreſsione cum vitijs, à quorũ reatu ſoluti ſumus. Tertiò, dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Iã D. Ambroſ. qui Auguſt. Chriſto genuit, audiamus, & quid velit diligenter attẽdamus: vix enim alius eſt, qui fidem iuſtificãtem magis vrgeat, atque hic vigilantiſsimus Mediolanenſium Epiſcopus, maximè verò in Commentarijs quos in Epiſtolam ad Romanos, compoſuit: Iuſtificati ſunt, inquit. Iudæi ſcilicet & Græci gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide iuſtificati ſunt. Et rurſum: Deus in Chriſto propoſuit, id eſt, diſpoſuit ſe propitium futurũ humano generi ſi credat. Et iterum: Viderunt Iudæi hominem nõ iuſtificari apud Deum, niſi per fidem. Et ibidẽ: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Gentilem dicit hominẽ pro certo haberi, quòd iuſtificetur credens, nulla faciens opera legis, hoc eſt, ſine circunciſione, aut neomẽnijs, aut veneratione ſabbati. Hæc omnia Ambroſius in cap. Rom. 3. vbi & quæ ſequuntur inuenies. Ideò autem iuſtitia Dei dicta eſt, quæ videtur eſſe miſericordia, quia de promiſsione originem habet & cùm promiſſum Dei redditur, iuſtitia Dei dicitur. Iuſtitia enim Dei eſt, quia redditum eſt, quod promiſſum eſt. Ex cap. porrò 4. hæc ſubijciemus, quæ continenter ſequũtur, Impius per ſolam fidem iuſtificatur apud Deũ. Item: Sic decretum dicit Apoſtolus à Deo, vt ceſſante lege, ſolam fidem gratiæ Dei poſceret ad ſalutem. Et iterum in ijſdem Commẽta. Beatos dicit, de quibus hoc ſanxit Deus, vt ſine labore, & aliqua obſeruatione, ſola fide iuſtificentur apud Deum. Et non ita multò poſt: Manifeſtè beati ſunt quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantum vt credãt, &c. Hactenus retulimus, quæ D. Ambroſius in præmemoratis commentarijs diſſeruit de iuſtificatione impij, quæ proculdubiò conſonant cum Confeſsione aduerſariorum, & intelligi debent de his, qui iuſtificandi & regenerandi ſunt. Quod quam verum ſit, vel ex ipſo Ambroſio luce clarius demonſtrari poteſt: hoc inquã demonſtrari poteſt, quod D. hic Antiſtes, quãdo de ſola fide, de nõ labore, de nullis operibus dicit, intelligi debeat de iuſtificandis impijs, qui nondũ loti ſunt lauacro regenerationis. Ipſe enim Epiſcopus ſanctus tibimetipſi obijcit. Quomodo quis poſsit ſine labore & gemitu remiſsionem peccatorũ accipere? & reſpondet. Apoſtolus propter plenitudinem temporũ, & quia plus gratiæ eſt in Apoſtolis quàm Prophetis, maiora proteſtatur, quæ ex dono baptiſmatis conſequũtur quia iam non ſolum remiſsionem peccatorũ accipere nos, ſed & iuſtificari, & filios Dei fieri profitetur &c. Hæc ille in cap. Rom. 4. & ad finem huius capitis, inquit: Ante paſsionem qui baptizati ſunt, ſolam acceperunt peccatorum remiſsionem, quorum zelo Satanas occidit Saluatorem: poſt reſurrectionem verò, tam ij qui prius quàm iſti, qui poſtea baptizati ſunt, omnes iuſtificati ſunt per datam formam fidei Trinitatis, acceptoque ſpiritu ſancto, qui ſignum eſt credentium, quod ſint filij Dei. Et vt ad cumulum nobis iuſtificationis proficeret, reſurgẽs præceptis ſuis authoritatem tribuens, æmulos nos eorum hac fiducia faceret, per quam iuſtificemur, meritis nos augeremus, per quã gloriam adepti clari appareamus in regno Dei, quia iuſtificati à morte teneri non poſſumus. Totidem verbis Ambroſij alludens nimirũ ad locum illum Pauli ad Titum; Vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operũ. His opinor ſatis probatum eſt multũ differre, quando quis dicit, hominem iuſtificandũ opus habere ſola fide, & peccatorem baptizatum non poſſe ſaluari ſola fide. Certo ſiquidẽ conſtat, Catholicos Doctores, quando loquũtur de ſola fide, eos loqui de nondum iuſtificatis, non de relapſis. Et quoties loquũtur de non ſola fide, eos loqui de his, qui poſt regenerationis lauacrum reuerſi ſunt ad volutabrũ cœni ſui. In huius rei fidẽ adducã Ambroſiũ ipſum, qui in Rom. cap. 11. ſcriptũ reliquit: Gratia Dei in baptiſmate nõ requirit gemitũ aut planctũ, aut opus aliquod: niſi ſolã ex corde profeſsionẽ. Ne enim, quia grauiter deliquerant (Iudæi) nõ recipiẽdo promiſſum dei & quia quæ grauiter peccãtur, nõ niſi fletu & gemitu ad veniã pertinent: ne ideò illos non poſſe iam accipere miſericordiam putarent (Gen-

Lib. 2.

Ephes. 1.

Tit. 2.

(Gentiles)quia dolere illos(Iudæos) non videbant; oſtendit hoc inter primordia fidei non requiri. Donum enim Dei gratis donat in baptiſmo. Eiuſdem ſententiæ eſt etiam D. Chryſoſtomus in acta Apoſtolorũ hom. 1. Si enim boni Patres ſalutem & noſtri glorificationem vni & ſoli adſcriberent fidei, quid opus fuerat ſcribere tot commentarios de alijs virtutibus,& maximè de pœnitentia. D. Origenes cum Apoſtolo Paulo iuſtificationem,& prima ſalutis noſtræ fundamenta adſcribit quidem fidei, tamen nihilo ſecius non tacet, quid iuſtificatos, accepta per fidem iuſtificatione, facere oporteat: Si quis iniuſtè agat, inquit, poſt iuſtificationem, ſine dubio iuſtificationis gratiam ſpreuit: neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt rurſum ſibi putet peccandi licentiam datam. Hactenus ille. Et Chryſoſtomus: Non ſola fide,inquit, opus eſt, ſed & conuerſatione ſpiritali, vt ſemel datum ſpiritum contineamus. Eadem videre licebit apud S. Auguſtinum octoginta trium quæſtion. q. 76. vbi Pauli & Iacobi Apoſtolorum ſententias de fide & operibus exponit, & quæ in ſpeciem pugnare videntur ſatis dextrè conciliat: Hæc igitur ſunt, quæ me mouerunt ad conſentiendum huic quarto Confeſsionis articulo de Iuſtificatione impij, qui articulus ceu demonſtratum eſt,teſtimonia habet ex Paulo, & multis Orthodoxis Patribus.Tu modo diligenter memineris,quæ de iuſtificandis & de iuſtificatis admonui; item de his, qui adhuc infantes in baptiſmate iuſtificantur. Tractauit etiam ante nos,nec infeliciter,negotium hoc Doctor Ioannes Dictenbergius libro ſecundo devotis Monaſticis contra Martinum Lutherum. Item D. Ioannes Menſingius, cum ex profeſſo contra Apologiam Philippi ſcriberet, vnde qui volet copioſiora legat. Qui nobis enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis donarunt, viri nimirum non minus eruditione quàm pietate inſignes, non abhorrent à noſtra ſententia. Sic enim ſcribunt:Euangelium, inquiunt, initio vtitur miniſterio legis, Chriſtus, præcurſore Ioanne: arguit enim peccata,terreſacit conſcientiam,ad pœnitẽtiam adigit,docet nos de infirmitate noſtra, indicat nobis opus eſſe propiciatore Chriſto, propter quem datur nobis remiſſio peccatorum. Poſtea miniſterio legis velut interquieſcente, accedit fiducia, quam mens contrita & humiliata capit ex promiſſione Euangelij,& qua ſe erigit, credens ſibi remitti peccata gratis propter Chriſtũ:quod cum fit,ſimul donatur ſpiritus ſanctus, per quem diffunditur charitas Dei in cordibus noſtris,qua renouatur voluntas, & libera efficitur à legis ſeruitute: atque ita demũ iuſtificatur homo,& inchoat nouam vitam,atque adeò ęternam,idque per fidem in Chriſtum, qua tanquam inſtrumento, remiſſio peccatorum,& renouatio interioris hominis,& vita accipiuntur,habentur,ac retinentur. Hactenus illi admodum piè ac eruditè. Nec video qua ratione Aduerſarij noſtri hanc Iuſtificationis definitionem flagellare queant, cum ſit per omnia Sacris ſcripturis conſona,& habeat Patrum teſtimonia. Adde quod Aduerſarij ipſi fatentur, eam tandem ſolam fidem iuſtificare,quæ ſit per charitatem efficax, & abſoluatur per pœnitentiam. Sic enim loquitur Brentius in Lucam ſuum: Melanchthon item in locis ſuis nuper non temere renatis, ſic ſcribit:Nunc inquiens,de adultis loquimur,qui docendi ſunt ex Euangelio, & qui ex verbo de Dei voluntate ſtatuere debent.Mens perterreſacta agnitione peccatorum,ſtatuere debet,remitti ſibi peccata gratis propter Chriſtum, per miſericordiam, non propter dignitatem contritionis, dilectionis,aut aliorum operum.Hæc ille. Audis ſolam fidem Melanchtonis, quæ tamen licet zelotypa ſit,tamen ſecum patitur agnitionem peccatorum,contritionem,dilectionem,&c.Et in Apologia idem Philippus ait: Chriſtus Lucæ vltimo iubet prædicari pœnitentiam in nomine ſuo,& remiſsioné peccatorum. Euangelium enim arguit omnes homines,quod ſint ſub peccato,quod omnes ſint rei æternę irę ac mortis,& offert propter Chriſtum remiſsionem peccatorũ & iuſtificationẽ,quæ fide accipitur.Prędicatio pœnitentiæ,quæ arguit nos,perterrefacit cõſcientias veris & ſerijs terroribus.In his corda rurſum debent concipere conſolationem.Id fit, ſi credant promiſsioni Chriſti,quod propter Ipſum habeamus remiſsionem peccatorum. Hæc fides in illis pauoribus erigens & conſolans,accipit remiſsionem peccatorum, iuſtificat & viuificat.Nam illa cõſolatio eſt noua & ſpiritalis vita, &cæt. Et in argumento Epiſtolæ ad Romanos ſcribit idem Melãthõ Fides non poteſt exiſtere, niſi in pœnitentia. Ideò vt creſcat, & confirmetur, creſcere oportet pœnitentiam: oportet adeſſe timorem Dei, fiduciam, dilectionem, denique obedientiam erga legem Dei nobis propoſitam. Eadem ferè dicit in caput quintum eiuſdem Epiſtolæ, vbi teſtatur,fidem ſine pœnitentia nec poſſe exiſtere, nec ſine pœnitentia poſſe contingere iuſtificationem. Vocat item pœnitentiam cõuerſionem impij,eiuſque conuerſionis duas præcipuas partes ponit,contritionem & fidem. In argumento Epiſtolę ad Colloſſenſes deſtomachatur in illos,qui fidem prędicant,& pœnitentiã non prædicant.Nũc multi,inquit, fidẽ & remiſsioné peccatorũ docent, pœnitentiã

In ca. Ro. 3.
Hom. 29. in Roma.

Euangelium vtitur miniſterio legis.

non docent. At fides nihil eſt ſine pœnitētia, niſi Inane ſomnium. Sic enim ſcripſit Eſaias cap.66. Vbi habitabit Dominus? In ſpiritu contrito & humiliato. Cùm autem cor cōcipit fidem per ſpiritum ſanctū, iam renatum eſt, induitque nouos affectus, humilitatem, caſtitatem, charitatem, & parit bona opera. Hactenus Philipp. qui ſi cum ſuis vbique & ſemper ſic ſcripſiſſet, neminem, vt puto, ſua ſola fide offendiſſet. Ego ſicut antea teſtatus ſum, nihil moror ſolam fidem, cùm S. Patres ſic loquuti ſint, & Aduerſarij hic oſtentent ſolam fidem, vt interim huic addere non dubitent pœnitentiam, contritionem & charitatem, &c. Iam Scholaſticorum videamus dogma ſuper Iuſtificatione impij. In hac illi requirunt gratiæ infuſionem, motum liberi arbitrij, contritionem, & remiſſionem peccatorum. De gratiæ infuſione non puto aduerſarios hic aliquam moturos tragœdiam. De motu liberi arbitrij, multò minus: nam ſicut voluntate noſtra à Deo auerſi ſumus, ita neceſſe eſt, vt & volentes ad Deum conuertamur. Et D. Auguſtinus hic nobiſcum facit in lib. de ſpiritu & litera, inquiens: Neque enim lex impletur niſi libero arbitrio: ſed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiā ſanatio animæ à vitio peccati: per animæ ſanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iuſtitiæ dilectio, per iuſtitiæ dilectionem legis operatio, &c. Ne quis verò exiſtimaret, liberum arbitrium noſtrum ex ſemet ipſo Iuſtificationi cooperari, in eodem libro cauet dicens: Deum in nobis operari, & velle, & perficere pro bona voluntate, diffundendo nimirum charitatem in cordibus noſtris per ſpiritū ſanctum, qui datus eſt nobis. Apertius eſt quod eiuſdem lib. cap. 9. ſcribit: Iuſtificati, inquit, gratis per gratiā ipſius. Non itaque iuſtificati per legem, non iuſtificati per propriam voluntatem, ſed iuſtificati gratis per gratiam ipſius, non quòd ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas oſtēditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntatem, & ſana voluntas impleat legem, non conſtituta ſub lege, nec indigens lege &c. De cōtritione, & remiſſione peccatorum ex abundanti eſt diſſerere, quum in hoc à nobis nihil diſſentiat Philippus. Dicet forſan hic aliquis, in hoc negotio à Scholaſticis nullam mentionē fieri fidei, neque etiam innouationis. Bona verba quæſo. Ego certè non puto Scholaſticis incognitum fuiſſe, quæ ad iuſtificationem impij pertinerent, quum vbique docuerint fidem omnium virtutum, omniſque boni eſſe fundamentum. Iuxta illud: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Vnde Scholaſtici non negant in Iuſtificatione fidem, ſed eam præſupponunt, vt ipſorum verbis loquar. Neque enim ſemper negatur quod tacetur: Imo non tacent fidem, ſed dum loquuntur de infuſione gratiæ, non tātùm fidem, ſed & ſpem & charitatem volunt intelligi. Thomas Aquinas vocat motum illum inctionem fidei, per quem intellectus fertur in Deum. Et Bonauentura identidem inculcat fidem, ex Romanorum Epiſtola colligens teſtimonia, & ex Actis illud nominatim, Fide purificans corda, &c. Porrò quod Philippus toties inculcat, Scholaſticos docuiſſe, quod opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia & propiciatore Chriſto, non video vnde illi compertum fuerit, aut quinam illi Scholaſtici fuerint, quos non puduit negare miſericordiam, & propiciatorem Chriſtum homini neceſſarium: Ego tales ſi qui ſunt (nullos autem eſſe perſuaſiſſimum habeo) excuſare nolim. Poſtremò quod ad bona opera attinet, ſuo loco commodum dicemus. Iam huic negotio Iuſtificationis, quod addam non habeo: neque dubitauerim, quin facilè in hoe negotio ratio concordiæ inueniri poſſit, modo animi vtriuſque partis fuerint concordiæ quàm inuidentiæ appetentiores.

Cap. 16.

Cap. 25.

Operantur in nobis Chriſto cooperamur ſalutem æternam ac iuſtificationem noſtram. Iuſtificat enim Deus nos in nobis, vt faciamus & nos. Aug. Tract. 72 in Euangel. Ioannis

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus V. De miniſterio Euangelij.

VT hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium docendi Euangelij, & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquàm per inſtrumenta donatur ſpiritus ſanctus, qui fidem efficit, vbi & quando viſum eſt Deo, in his, qui audiunt Euangelium, ſcilicet, quod Deus non propter noſtra merita, ſed propter Chriſtum iuſtificet hos, qui credunt ſe propter Chriſtum in gratiam recipi, vt promiſſionem ſpiritus accipiamus, per fidem. Damnant Anabaptiſtas & alios, qui ſentiunt ſpiritum ſanctum contingere ſine verbo externo hominibus, per ipſorum præparationes, & opera.

Hanc clauſulam, Vt promiſſionem ſpiritus accipiamus per fidem prima exemplaria VVittenbergenſium intermiſerunt.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus V. De miniſterio Euangelij.

ITaque inſtituit Chriſtus miniſterium docendi Euangelij, quod prædicat pœnitentiā & remiſſionē peccatorū. Eſtq́ vtraq; prædicatio vniuerſalis. Omniū peccata arguit, et omnibus creden-

credentibus promittit remiſsionem peccatorum, vt non ſit incerta remiſsio, ſed vt omnes perterrefactæ mentes ſciant, ſe debere credere, quod certò donetur ipſis remiſsio peccatorum propter Chriſtum, non propter ipſorum merita aut dignitatem. Hi omnes certò conſequuntur remiſsionẽ peccatorũ. Et cũ hoc modo cõſolamur nos promiſsione ſeu Euangelio, & erigimus nos fide, ſimul datur nobis ſpirit⁹ ſanctus. Nã ſpiritus ſanctus datur, & eſt efficax per verbũ Dei, & p Sacramẽta. Cùm Euangeliũ audimus, aut cogitamus, aut ſacramẽta tractamus, & fide nos conſolamur, ſimul eſt efficax ſpiritus ſanctus, iuxta illud Pauli ad Galatas iij. Vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus. & ad Corinth. Euangelium eſt miniſterium ſpiritus. & ad Rom. Fides ex auditu eſt. Cum igitur fide nos conſolamur, & liberamur à terroribus peccati per ſpiritum ſanctum, concipiunt corda cæteras virtutes, agnoſcunt miſericordiam Dei, concipiunt veram dilectionem, verum timorem Dei, fiduciam, ſpem auxilij diuini, inuocationem, & ſimiles fructus ſpiritus. Damnantur illi, qui de hac fide, qua remiſsio peccatorum accipitur, nihil docent, ſed iubent cõſcientias dubitare, an conſequantur remiſsionem. Et addunt hanc dubitationem non eſſe peccatum. Item, docent homines conſequi remiſsionem peccatorum, propter propriam dignitatem, non docent credendum eſſe, quod gratis propter Chriſtum remiſsio peccatorum donetur. Damnantur item fanatici ſpiritus, qui fingunt ſpiritum ſanctum dari, aut efficacem eſſe, ſine verbo Dei. Et ob eam cauſam contemnunt miniſterium Euangelij & Sacramentorum, & quærunt illuminationes ſine verbo Dei, & extra Euangelium, atq; ita abducunt animos à verbo Dei, ad proprias opiniones, quod eſt pernicioſiſsimum. Tales fuerunt olim Manichæi, Enthuſiaſtæ, & nunc ſunt Anabaptiſtæ. Huiuſmodi furores conſtanter damnamus: abolent enim verum vſum verbi Dei, & falſo ſomniant ſine verbo Dei accipi ſpiritum ſanctum, et freti ſuis opinionibus miniſcuntur impia dogmata, & efficiunt infinitam diſsipationem.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum quintum reſponſio.

IN articulo quinto, quod ſpiritus ſanctus per verba & Sacramenta detur, tanquàm per inſtrumenta, comprobatur. Sic enim ſcriptum habetur Actuum 10. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audierunt verbum. Et Ioan. 1. Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Quod autem fidei mentionem hic faciunt, catenus approbatur, quatenus de fide non ſola, (vt aliqui male docent) ſed quæ per dilectionem operatur (vt Apoſtolus rectè docet Gal. 5.) intelligatur. In baptiſmo enim non ſola fides, ſed & ſpes, charitasque ſimul infunduntur, vt declarat Alexander Papa c. Maiores, de Baptiſmo & eius effectu. Quod & antè longè docuit Ioan. Baptiſta, de Chriſto loquens Luc. 3. Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum quintum animaduerſio.

VIDEN, quàm egregiè ſpiritus iſte nequam ſibi conſentiat? Hic enim in Originali dicit, quod Spiritus ſanctus fidẽ efficiat, in altera verò editione affirmat, quod poſtquam nos fide ereximus, ſimul detur ſpiritus ſanctus, & in Apologia aliquoties dicit, quòd per fidem detur nobis ſpiritus ſanctus. Inſignis profectò eſt iſta harmonia, hacque ratione orbis Magiſtri ſapienter ſua caſtigãt. Ferre Catholicos non poſſunt, quòd ex verbi diuini ſententia, & Patrum iudicio permoti, affirment bonis operibus, gratia Dei adiuuante, nos mereri vitam æternam. Et interim docere non verentur, hominẽ ſe fide ad Deũ poſſe erigere, cuius virtute ſpiritus ſanctus detur, per quem & cæteræ virtutes hominũ animis etiam concipiantur. Quid hoc eſt aliud, quàm πελαγιανίζειν? quid hoc eſt aliud, quàm initia, & perfectionem iuſtificationis noſtræ proprijs viribus adſcribere? Nam ſi velint dicere, quòd non poſsimus nos fide erigere ſine ſpiritu ſancto, falſum igitur eſt, quòd per fidem detur. Anteà enim habebatur: Porrò quòd in huius articuli appendice damnant Anabaptiſtas & alios, qui non ab hominibus, ſed à Deo per intimam inſpirationem doceri volunt, minimè improbant Catholici. Ita enim Zvinglij etiam vanitas refellitur, qui à Deo, & non ab hominib⁹ doceri voluit. Hinc libro de claritate Dei intrepidè affirmat, ſe certum eſſe, quòd à Deo eruditus ſit. Sed ſi hoc damnandum ſit in Zvuinglio, cur etiam non erit damnandum in Luthero, qui multo impudentius Theodidacticam illam vim ſibi arrogauit, qui mille Cy-

 pria-

ptianos, mille Auguſtinos, mille Hieronymos, atque adeò omnes Eccleſiæ Catholicæ doctores auſus eſt deſpuere, præ eo quod ſuus ſpiritus illi ſuggerebat? Sed hanc ſuperbiam & vanitatem pulchrè refellit D. Auguſtinus in præfatione libelli de doctrina Chriſtiana, inde repetantur, quæ huc pertineant. Intelligere etiam non poſſumus, quod Philippus cum ſuis ſymmiſtis hic approbet miniſterium verbi, poſtquàm tantopere debacchati ſunt aduerſus vniuerſitates ſtudiorum, per quas miniſterium verbi potiſſimùm fouebatur, & conſeruabatur. Sed ita iſtos choragos ſuæ ſcenæ ſeruire conueniebat, tantiſper atque ſubuerſis Catholicorum ſcholis, Satanæ ſua gymnaſia tandem erigere poſſent. Qui hinc ſumuntur miniſtri verbi, ſpiritum ſanctum ſuis auditoribus plena manu infundũt. Sed qui in Academijs catholicis eruditi, legitimè tanquam Aaron ad functionem Eccleſiaſticam vocantur, nihil videlicet de ſpiritu Chriſti hauſerunt. O egregiam Gnoſticorũ propaginem.

Aduerſarij Gnoſtici ſũt.

Ioannis à Dauentria Articuli quinti refutatio.

MInisterium docendi Euangelij, vt fidem conſequamur, inſtitutum eſſe, nemo negat Catholicorum. Nam vt Euangelium toti mundo euulgaretur, miſſi ſunt Apoſtoli. Euulgabatur autem, vt audientes crederent. Hinc [illegible] auidius fidem capeſſerent audientes, multis ſermo apoſtolorum fulciebatur prodigijs. Quare nemo id inficiatur. At miniſterium porrigendi Sacramenta, eandem ob rem, videlicet, vt fidem cõſequamur, inſtitutum eſſe, planè negamus. Non .n. rectè & ſalubriter ſacramenta porrexeris, niſi prius credenti. Stat enim firma domini ſententia: Qui non crediderit, condemnabitur. Et cum Apoſtolos mitteret Chriſtus ad prædicandum Euangelium, præcepit, vt qui crederent baptizarentur, increduli minimè. Hinc dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: vt diſcas, fidem baptiſmum debere præcedere, præſertim in eis qui rationis eſſent compotes, qui etiam propter hoc Chriſti dictum, quod Anabaptiſtę nugantur, à baptiſmo non excipiunur. Sed id nuper pleriſque multis argumentis in Catapulta, quam ſuperiori anno aduerſus Bernardum Rothmannum, anabaptiſtarum apud Monaſterium anteſignanum edidimus, docuimus. Quemadmodum autem ſacri baptiſmatis ſalubre ſacramentum non niſi credenti in ſalutem miniſtratur, ita & alia Eccleſiæ ſacramẽta, nullam ſuſcipienti gratiam conferunt, niſi idem etiam credat, neque rectè ei adminiſtrari poſſunt. Quia ergo in eo, qui Sacramẽta ſuſcipiet, requirimus fidem (quæ prius imperfecta erat, & informis, cum pœnitudine prioris vitæ male exactæ, ſacramentum baptiſmi vel pœnitentiæ recipienti perficitur, & deſuper gratia affluente formatur) ſaltem informem, neſcio cur affirment Aduerſarij, miniſterium porrigendi ſacramenta, vt fidem conſequantur, inſtitutum eſſe. Sed attentum me facit pronominis illa poſitio, cũ quaſi cum demonſtratione quadam dicunt: Hanc fidem, arbitror quod ſuam dicant, quã vt nouam, neque nos, neque, qui ante nos fuerunt, Patres, profeſſi ſumus, neque profitebimur vnquam. Nobis enim perſuaſum eſt, quod ſicut vnus eſt Deus, & vnum baptiſma, ſic ſit vna fides, quam vt à Petro accepimus, ita & inuiolatam, incorruptam, ſanctamque ſeruamus, & præter hãc nullam acceptamus. Si hac demonſtratione aliam nobis fidem, vt videtur, volunt ingerere Aduerſarij, dolemus, non tam noſtri quàm Aduerſariorum cauſa. Stetit enim fides noſtra inuitis tot Aduerſariorum dentibus ſeſquimille annos, ſtabitque perpetuò, tametſi aliquantiſper apud nonnullos vacillet. Iam quod dicunt, per verbum & ſacramenta tanquàm per inſtrumenta donari ſpiritũ ſanctum, vt Catholicum læti ſuſcipimus & amplectimur. Lætitiæ verò cauſa eſt, quod eos tandem ceu poſtliminio, vbi eorum miſertus eſt Deus, à principis ſui prima ſententia videamus deficere, qua negat per ſacramentorum ſuſceptionem gratiam dari, & hæreticum putat hoc ſentire, ſic autem ſonant eius verba:

Fides alia Catholicorũ, alia Lutheranorum.

Hic deficiunt à Luthero.

Hæretica eſt, ſed vſitata ſententia ſacramenta nouæ legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem.

Vide an maior poſſit eſſe inter Lutherum & inter ſuos diſcordia? ille negat, per ſacramẽta dari gratiam, iſti dicunt & confitentur per ſacramenta donari ſpiritum ſanctum. Qui vero ſpiritum ſanctum accipit, accipit nimirum & gratiam: nam ſine gratia non datur ſpiritus ſanctus. Qui vbi in hominem illapſus eſt, charitatem, quæ ſine gratia gratum faciente eſſe nequit, in corde eius diffundit. Porrò quibus datur per verba & ſacramenta ſpiritus ſanctus? Num ijs, qui obicem gratiæ poſuerint, an qui non poſuerint? Profectò illis vtpote credere nolentibus, ſpiritui quoque ſancto obſtreperis, dari non poteſt, quibus illud S. Stephani dictum rectè applicueris: Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, ita & vos. His autem, hoc eſt, qui non ponunt obicem, qui non recalcitrant, rectè datur. Quid eſt autem obicem non ponere, niſi diuinis verbis credere, à peccatis ſeſe alienare, ea deteſtari, gratiam quærere, & hac fide ſacramenta ſuſcipere? Quod ſi his non datur ſpiritus ſanctus, non video quibus rectè detur,

Lutheri & ſuorum diſcordia.

Act. 7.

Gratiam Dei qui accipit.

Marc vlt.

Ibidem.

tum præſertim inter eos, qui compotes ſunt rationis: Quamobrem qui obicem ponunt, credere nolunt, qui gratiam reſpuunt, huius doni non ſunt capaces. Cum igitur nihil æque deſiderem, nihil magis efflagitem, quàm ſchiſmatum atque errorum, quæ hac mala tempeſtate apud nos incruduerunt, exinanitionem, catholicæ Eccleſiæ pacem & Aduerſariorum ſalutem, pro qua, & hoc corpuſculum libenter expoſuero, (diſpeream ſi aliam ob cauſam hunc laborem ſumpſerim) non mediocriter ſum exhilaratus, quum iſtũ Articulum Confeſsioni inſertum viderẽ. Quidni gauderem? haud enim deſpero fore, vt eadem facilitate etiã renuntient alijs, qua hunc reliquerũt. Quo fiet tandem, vt inter nos concordia coaleſcat: Nunc verò ſequitur in Confeſsione.

Qui fidem efficit, inquiunt, vbi & quando viſum eſt Deo in ijs, qui audiunt Euangelium.

Hęc me exactius perlectitante, ingens animum meum inceſsit admiratio, cur iſti, qui omnium ſe ſapientiſsimos arbitrantur, adeò deiirent, vt nec ſeipſos intelligant. Sed agè, id oſtendamus. Illis qui Euangelium audiunt, dicunt per verbum & ſacramenta dari ſpiritum ſanctum, qui fidem in eis operetur, non ſemper, nec mox, ſed vbi & quando viſum eſt Deo. Ergóne ſpiritus ſanctus datur infidelibus, impijs & ſceleſtis? Eſto, detur ſpiritus ſanctus iſtis, ijdém ne, accepto tanto Dei dono, mox fide illuſtrantur? Certè oriente ſole, dies eſt, & euanuerunt omnes tenebræ, imo impoſsibile eſt, vt vbi lumen eſt, ibidem ſit & nox. Et vbi ſpiritus ſanctus, id eſt, vbi Deus eſt, ibi nimirum omnes infidelitatis, & peccati diſpulſa eſt caligo, & non ſunt ijdem malitia ſaltem, qui prius, quos inhabitat. Iam quia infideles ſunt impij & ſceleſti, neque ſpiritum ſanctum, neque fidem poſſunt habere. Vt autem ſpiritum ſanctum & fidem ſimul habeant, obicem, quoad poſſunt, tollant, ſpiritui gratiæ locum parent. Non enim niſi in ſancto habitat, &: In maleuolam animam non intrat ſapientia, nec habitat in corpore peccatis ſubdito. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auſert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Quid ergò dicunt Aduerſarij, ſpiritum ſanctum per verbum & ſacramenta dari, quum tamen non in inſtanti in eos, qui Euangelium audiunt, ſed vbi & quando Deo viſum fuerit, vim ſuam explicet? Ergóne ſpiritus ſanctus ingreſſus in hominem, qui audiuit Euangelium & credit, operietur alium Deum, qui vbi & quando ſibi viſum fuerit, ſuo hõmini, quem poſsidet, fidem infundat? Num duos nobis faciẽt deos? aut aduerſus ſe diuiſus eſt Deus? vt quod velit ſpiritus ſanctus, idem nolit Pater? Sed heus, non debebam in re tam ſeria ineptire. Porrò, Deus vt perſonarum acceptor non eſt, vt ſemper ſalutem noſtram quærit, ita nunquàm non paratus eſt dare fidem his, qui fidem optant, & cum fide etiam remiſſionem peccatorum modò quęrant vt oportet. Ipſe eſt enim qui dixit: Petite, & accipietis quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.

Non intelligunt ſeſe aduerſarij.

Pſal. 21. Sapient. 1.

Deus ſemper paratus eſt fidem dare, & cum ea remiſsionem peccatorum.

Math 7.

Iam vt etiam alia expendamus, non audit Euangelium, qui credit Deum neminem iuſtificare ob ſua merita, ſed propter Chriſtum tantùm, abſque vllis operibus, quanquàm hoc ſolum credit, quod propter Chriſtum in gratiam recipiatur. Audit autem Euangeliũ, qui audit, Chriſtũ ſalutis noſtræ cauſa incarnatum, paſſum, mortuum: qui audit regnum cœlorũ illis contingere tantùm, qui mandata obſeruant: qui audit, non credentibus tantũ, ſed & pœnitentibus remiſsionem peccatorũ, iuſtitiam, ſalutẽ, eſſe promiſſam. Qui hæc audit, audit ſimul Euãgelium & Chriſtum, qui hæc, vt euangelizatum miſſus eſt, fideliter euangelizauit. Qui verò audit, Deum ita nos iuſtificare gratis per ſolam fidem abſque vllis noſtris operibus, pernitioſum audit hominum conuentum: &, vt verè dicam diabolicum figmentum. Talis abſolutionis nuſquã neque Prophetæ, neque Chriſtus, neque Apoſtoli meminerunt. Sed quod res eſt, dixit Chriſtus: Pœnitẽtiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Sed iterum in eadem hæſitamus ſalebra, vnde iam diu fuimus explicati, & ſæpe in eadem, niſi præcauerimus, incidemus. Sequitur.

Euangelium quis audiat.

Math 3.

Damnant Anabaptiſtas, & alios, qui ſentiunt ſpiritum ſanctum contingere ſine verbo externo hominibus per ipſorum præparationes & opera.

Cur non deteſtarentur eos, quorum tam craſſæ ſunt hæreſes, vt vix ipſi eas, ſermone vel literis audeant palàm profiteri. Tam aperte cum ſcripturis pugnant, vt nemo eas acceptet præter peruerſos, & ſacrarum literarum prorſus ignaros. At vtinam huic veſano tumultui ac alijs hæreſibus cauſam nõ dediſſet Lutherus, qui cuilibet liberam fecit, aliter atque vniuerſalis Eccleſia ſentit, ſentiẽdi, determinandi, conſtituendi humanas cõſtitutiones, decreta contemnẽdi, pro ſuo arbitratu viuẽdi, præſertim quod qui ſunt per Chriſtũm emãcipati, nullis deinceps humanis ſubijciantur decretis, imo quod maius eſt ſentit iuſtum non tantùm humanis, ſed & diuinis legibus non ſubiectum. Adde quod omnia fecit omnibus cõmunia: quod tametſi certus ſim, nolo aſſeuerare. Recẽti tamen teneo memoria, mulierculã quandã, quantũ ad

Luthe. cauſa diſsidiorum.

corpus pertinet illuſtrem, Aduerſariorum
partem non ſegniter protegentem, recitaſſe
mihi(vt procax eſt ille ſexus)ex Symbolo Lu
theri, (talis enim erat libro titulus) quod in
Chriſtiana fide omnia omnibus deberẽt eſſe
Melancthon ſa ob quam Anabaptiſtas damnant communia. Non defuit quod reſpondiſſem,
niſi me innata cohibuiſſet verecundia. Sed
hæc extra metam. Damnant Anabaptiſta-
rum hæreſes, quas nemo non damnat. Sed
rationem ob quam eos damnant, non pro-
bamus. Damnant eos vel ob hoc ſolùm, quòd
ſentiunt ſine verbo externo ſpiritum ſan-
ctum contingere hominibus per ipſorum
præparationes & opera. Hoc eſt totum, quod
in Anabaptiſtis eis diſplicet, alios tacent er-
rores, & quod ſuæ repugnat ſententiæ, dam-
nant. An hoc, quod iſti eis impingunt vt er-
roneũ, ſentiant Anabaptiſtę, neſcio: ſed quod
multi ſine externo verbo ſpiritum ſanctum
Spiritus ſanctus datur ſine externo verbo. accipiant, non item. Cur ita? Sit ex Chri-
ſtianis quiſpiam peccator, multis peccato-
rum ſordibus implicatus, qui vbi miſerante
Deo cœpit vel modicum extra lutum pedẽ
alterum ſubleuare, gemit, plorat, lamenta-
tur, ſi non ore, corde tamen precatur Deum
vt ſui tandem miſertus, gratiam, qua iuſtifi-
cetur, qua ſanctificetur, elargiatur. Interim
ieiunat, ſeſe deijcit, miſeretur pauperum, &
nihil non facit vt miſericordem Dei animũ
ad commiſerationem flectat. Huiuſcemodi
ne peccatorum remiſsionem, & ſpiritus ſan-
cti gratiam negabit? Num infirmius eſt in-
ternum Dei verbum externo? Num increa-
tum Dei verbũ ſine vllo vocis externo ſtre-
pitu in humano corde non poteſt loqui?
Pſal 84. Quorſum ergò illud: Audiam quid in me
Ioan. 4. loquatur dominus Deus: Quod poteſt ho-
mo, idem non poterit Deus? Adorat patrem
homo in ſpiritu ſine verborum ſono, & in
veritate adorat: & Deus viciſsim nõ loquetur
ſine verbo externo homini? loquitur planè,
& humiliatos, & corde contritos, ſine verbo
externo per opera ipſorum & præparatio-
nes conſolatur, gratiam eis mittens ſpiritus
ſancti, vt omninò tandem è peccatorũ cloaca
mundi abeant. Addunt præterea ſignanter.

Per ipſorum præparationes & opera.

Quid audio? damnant vt hæreticos, qui
ſentiunt ad ſpiritus ſancti receptionem præ-
parationes & opera facere. Quis hoc æquo
ferat animo? Si ad receptionem ſpiritus ſan-
cti nihil faciunt præparationes & opera, cur
Chriſtus præmittit ante ſe Iohannem, vt
viam Domino dirigat? vt corda præparet?
Si ad receptionem ſpiritus ſancti nihil faci-
unt præparationes & opera, cur dicitur per
1. Reg. 7. Samuelem Iſraeli: Si in toto corde veſtro
reuertimini ad dominum, auferte deos a-
lienos de medio veſtri, & præparate corda
veſtra domino & ſeruite illi ſoli. Iterùm dico
ſi ad receptionem ſpiritus ſancti, nihil facit
præparationes & opera, cur toties requirit
Deus noſtram pœnitentiam quò paratiores
ſimus indulgentiam, iuſtitiam, & ſpiritũ ſan-
ctum accipere? Cur dicit in actis Apoſtolo-
rum Petrus: Pœnitemini & conuertimini vt *Act. 3.*
deleantur peccata veſtra. Præparatio nul-
la re magis conſtat, quàm pœnitentia & con-
uerſione, & in Euangelio dicit Chriſtus: Da- *Luc. 11.*
te eleemoſynam, & omnia munda erunt
vobis, quaſi dicat: Si non dederitis eleemo-
ſynam, polluta vobis erunt omnia, vident
etiam hic præparationem & opera, & vbi-
que ferè in ſcripturis, quum gratiam ſpiritus
ſancti ſe daturum pollicetur Deus homini-
bus, deſiderium eorũ & ſitim poſtulat. Hinc
dicit per Iſaiam: Omnes ſitientes venite ad *Eſaiæ 55.*
aquas: & hinc dicit etiam Chriſtus: Si quis ſi- *Ioan 7.*
tit, veniat ad me & bibat. Vides etiam hic
præparationem & opera, nempe vt cum de-
ſiderio & ſiti veniant, ſi velint ſitim extin-
ctum iri. Et non datur iſte potus niſi ſiti æ-
ſtuanti. Sed quid neceſſe eſt pluribus hoc te- *Luc. 11.*
ſtimonijs probare, quum id vbique clamet
ſcriptura, & Deus, vt peccatoribus condo-
net peccata, pœnitentiam, iuſtitiam, iudi-
cium, cor contritum, in proximos miſeri-
cordiam, & alia id genus præparamenta exi-
gat? Hoc tamen commodum adiecero, quod
ad deuotas hominum petitiones Chriſtus ra
tiocinatur patrem ſuum cœleſtem, ſpiritum
ſanctum daturum, hoc modo: Si vos cum ſi-
tis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris,
quanto magis pater cœleſtis dabit ſpiritum
bonum petentibus ſe? Vide hic orationem
præparatoriam, qua ſine pater cœleſtis alio-
qui beneficentiſsimus nemini adulto det ſpi-
ritum ſanctum, Doceãt hic, ſi poſſunt aduer-
ſarij, orationem, præparationem, & reliqua
opus non eſſe. Non eſt igitur quod hæreſeos
inſimulent eos, qui doctrinæ Chriſti inhærẽt
mordicus, præſertim quum ipſi nihil æquè
vrgeant, atque vt ſui ex Chriſti verbis & pro-
miſsis toti dependeant. Non ſolum autem
hæreſeos nos inſimulant, ſed cum peſtilen-
tiſsimis damnant Anabaptiſtis. O impuden-
tiam, ô cõtumaciam plus quàm ferinam, quæ
damnat eos, quibus Chriſtus, quibus Apo-
ſtoli, quibus vicaria eorum ſucceſsio normã
dedit rectè viuendi, rectéque credendi. Non
poſſum hic mirari ſatis, quo modo illuſtriſ-
ſimi Principes, viri profectò cordatiſsimi ſi-
mul ac oculatiſsimi, perſpicaciſsimique in
hanc Aduerſariorum (eos puto, qui hære-
ſeos huius ſunt auctores, & quorum in Con-
feſsione & Apologia fœturam agnoſcimus)
coierint ſententiam, quam vident ex diame-
tro cum ſcripturis ſacris & eccleſiaſticis In-
ſtitutis pugnare.

Iohan-

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo quinto iudicium.

ET huncarticulum de vſu ſacramentorũ & miniſterio verbi non illibenter amplectemur, modò illi interpretationem noſtram non reijciant: Primum quod dicunt nos conſequi fidem per miniſterium verbi & Sacramentorum, ſi intelligunt de applicatione quam Scholaſtici ponunt, nihil peccatum eſt. Quod ſi ſentiunt etiam infideles, vtputà Gentiles, vel Iudæos, conſequi fidem per miniſterium Sacramentorum, quomodo hoc ipſum fiat, non intelligimus: niſi forte hic alludere velint ad infantes, qui certè actu, fidẽ non habent, & tamen hos concedimus in baptiſmo regenerari, & iuſtificari. Addunt Aduerſarij, per verbum & Sacramenta tanquam per inſtrumentum dari ſpiritum ſanctum: in quo haud dubiè & ſolidioris Theologiæ Patres, & Scolaſticos habent adſtipulatores. Prædictis adnectunt: Spiritum ſanctum per ſacramenta & miniſterium verbi fidem efficere, vbi & quando viſum eſt Deo? Hoc Scholaſtici vocant gratiam non eſſe alligatam Sacramentis. qua de re Scholaſtici in 4. ſententiarum ſtatim ab initio: De iuſtificatione, an ea noſtris meritis, anne ſola fide contingat, in proxima diſputatione tractatum eſt. In appendice Anabaptiſtas rectè damnant: ſed addunt rationes ſatis ambiguas. Scimus enim quid Anabaptiſtæ ſomnient, & quidam alij non maligni homines de verbo externo. Quod ad præparationes & opera attinet, infra tractabimus. Scimus D. Paulum docere, fidem eſſe ex auditu, auditum verò per verbũ Chriſti: iam qui diſcriminant verbum externum ab interno, non prorſus delirare mihi videntur. D. ille Gentium doctor, cuius illa

1. Cor. 3. de fide verba iam poſuimus, quem & neceſſitas vrgebat prædicare verbum Dei, non dubitauit dicere: Ego plantaui. Apollo rigauit, Dominus autem incrementum dedit, quo nimirum ſignificauit, non ſolo externo verbo contingere fidem. Fides enim Dei donum eſt. Bene itaque ponderandum eſt, quod Dominus apud Hieremiam loquitur: Non docebit vir proximum ſuum & cæt. ſed erunt omnes à Deo docti. Et certè corporales aures habebant ad quos valide clamabat Chriſtus: Qui habet aures audiendi, audiat. & rurſum: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, ſed vos non audit, quia ex Deo non eſtis: & tamen ipſi externè audierunt. Qui ſuper hac re copioſiora velit, legat Lutherum ipſum in Pſal. 17. ſuper verſum, Inclinauit cœlos, & cæt. & Caſparis N. libellum de Curſu verbi Dei. Item M. Bucerum ad Marpurgen. Academiam articulo 8. ibidem verò ſuper 9. articul. quomodo ipſi cum Confeſſione hac conueniat, intellectu difficillimum eſt: ita enim diſputat, ita ſeſe in omnia vertit, vt non cuiuis ſit datum intelligere, quid ille effecerit, quid probauerit, & conſentiátne Lutheranis, an non. Mihi profectò impetere videtur Philippus Zvuinglianos, & hoc in locis poſterioribus, quando in hæc verba ſcribit: Sunt belli quidam homines, qui cum velint videri ciuiliter interprætari cæremonias, dicunt Sacramenta non eſſe ſigna voluntatis Dei erga nos, ſed tantùm notas profeſſionis noſtræ: quia extare oportet notas, quibus diſcernamur à reliquis gentibus, ſicut Romanos toga diſcernebat à Græcis: aut ſicut veſtitus diſcernit Monachos. Sed hæc ciuilis interpretatio non ſatis explicat vſum Sacramentorum, & cæt. Verum hoc negotium altum requirit locum. Subuereor enim Lutheranos & Zvinglianos in negotio Sacramentorum omnium non parum diſſentire. & ex Bucero apertiſſimum eſt, hanc illorum Confeſſionem certè ſeriò à Zvuinglianis Marpurgi fuiſſe impugnatam. Lege, ſi lubet, Bucerum ad Academiam Marpurgenſem: & in Matth. cap. 3. & ad Monaſterien. cap. 7. & iurabis me nihil hic finxiſſe. Quam malè porrò audiant Zvuinglianorum dogmata, vel vnus Melanchthon præ multis ſufficerit vt teſtatum faciat. Repudianda eſt, inquit, Zvuinglij & ſimilium opinio, qui tantùm ciuili more iudicant de ſignis, ſcilicet ſigna & ſacramenta tantùm eſſe notas profeſſionis inter homines. Hæc ille in Roman. cap. 4. In eundem autem locum Bullingerus Zvuinglij ſucceſſor, ſic ſcriptum reliquit: Qui id dogmatis ex Roman. 4. tranſſumunt, quod ſigna externa interioris hominis fidem fulciant, confirment, imo & conferant, quis eſt, qui non videat quam alienum ſit à Pauli inſtituto? Cæterùm quoniam non eſt præſentis loci Aduerſariorum miras repugnãtias ſublegere, ad intermiſſa redire iuuabit. Quod de præparationibus & operibus in Appendice huius articuli eſt, non omninò dextre nec prudenter dictum eſt. Si enim hoc de infantibus dicunt, quis obſecro repugnauit vnquam? Si de adultis, quos primitiuæ eccleſię temporibus baptizatos eſſe accepimus, planè abſurdum eſt. Anne Apoſtolis dictum: Euntes docere omnes gentes, & cæt. Matth. ult.
baptizantes eos? Quid porrò docuerunt? vtique pœnitentiam, quo nomine, ni planè hallucinor, & præparationes & bona opera intelligere poſſumus. Et in actis, Quid faciemus, viri fratres? dicunt quidam Petro. Quibus ille: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu

Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Et ſequitur. Qui ergò receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt. Sic Philippus Eunucho illi, poſt auditum Euangelium petenti baptiſmum, ait; Si credis ex toto corde, &c. Apertius eſt quod de Saulo legitur: Huic enim dixit Dominus: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Capite item ſequenti: Qui Cornelij illius opera non videt, planè cæcus eſt. Scrutare obſecro ſcripturas & vide num Baptiſta aliquem, excepto Chriſto, baptizarit, qui non antea egerit pœnitentiam, & confeſſus fuerit peccata ſua. Facite fructus dignos pœnitentiæ, inquit, &cæt. Item: Baptizabantur à Ioanne in Iordane cõfitentes peccata ſua: His adijciam teſtimonia Patrum: Venturi ad baptiſmum, ait Hilarius, prius confitentur ſe credere Dei filio, & in paſſione, ac reſurrectione eius, & huic profeſſionis ſacramento fides redditur. Atque vt hanc verborum ſponſionem quædam rerum ipſarum veritas conſequatur, toto in ieiunijs Paſſionis dominicæ tẽpore demorãtes, quadam domino paſſioni ſocietate iunguntur. Huic addam Auguſtinum, qui in hæc verba ſcribit: Agunt homines ante baptiſmum pœnitentiam de prioribus peccatis ſuis, ita tamen, vt etiam baptizentur, ſicut ſcriptum eſt, loquente Petro ad Iudæos, & dicente: Pœnitentiam, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum, &c. Agunt etiam homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccauerint, vt excommunicari, & poſteà reconciliari mereantur. Totidem verbis Auguſtinus epiſtola 108. ad Seleucianum. Audiamus & Gregorium illum Nazianzenum verè Theologum, Cathecumenos ſuos ſic alloquentem: Bona, inquit, erunt tibi auxilia, ad ea, quæ deſideras conſequenda, vigiliæ, ieiunia, humi dormiturit io, orationes, lachrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio, &c. Vide orationem huius in ſanctum lauacrum & alteram in ſancta Epiphaniarum lumina, & videbis, quid de præparationibus & operibus ſanctus præſul ſentiat. Multa eius generis habet D. Baſilius lib, 1. de Baptiſmo, cap. 1. & 2. quæ, ne prolixior ſim, prudens prætereo. Ab adultis ergò, vt tandem receptui canam, baptizandis, hoc quod adhuc obſeruat Eccleſia, requiruntur & præparationes quædam, & bona opera, quę tamen ab infantibus nemo requirit. Itaque ſi qui ſunt filij pacis, & almæ concordiæ, & qui tranquillitatem quærunt Eccleſiæ, nec hunc articulum quidem explodent. Meo quidem iudicio magis aduerſatur opinionibus Zuinglianorum & Anabaptiſtarum, qui adhuc nolunt criſtas ponere, quàm nobis, quos per contemptum Pontificios vocant. Sed hæc hactenus. Act. 2.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO dēſumptæ Articulus VI. De bonis operibus.

Item docent quòd fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non vt confidamus per bona opera iuſtificationem coram Deo mereri: nam remiſſio peccatorum, & iuſtificatio fide apprehenditur, ſicut teſtatur & vox Chriſti: Cùm feceritis hæc omnia, dicite, Serui inutiles ſumus. Idem docent & veteres ſcriptores Eccleſiaſtici: Ambroſius enim inquit, Hoc conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit, ſine opere, ſola fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ de bonis operibus Articulus VI.

Item docent quòd cùm fide recõciliamur, neceſſariò debeat ſequi iuſtitia bonorũ operũ, quæ Deus nobis mãdauit, ſicut & Chriſtus præcepit. Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata. Sed quia tãta eſt infirmitas humanæ naturæ, vt nemo legi ſatisfacere poſſit, neceſſe eſt docere homines, quòd non ſolũ legi obediendũ ſit, ſed etiã quomodo placeat hæc obedientia, ne conſciẽtiæ incidãt in deſperationẽ, cùm intelligũt ſe non ſatisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi ſatisfacit, ſed quia perſona eſt in Chriſto recõciliata fide, & credit ſibi reliquias peccati condonari. Sẽper igitur ſentiendũ eſt nos cõſequi remiſſionẽ peccatorũ, & perſonã pronuntiari iuſtã, id eſt, acceptari gratis propter Chriſtum per fidem. Poſteà verò placere etiã obedientiã erga legẽ, & reputari quandã iuſtitiã, & mereri præmia. Non. n. poteſt cõſcientia opponere iudicio Dei propriã mundiciẽ, aut opera, ſicut pſalmus teſtatur: Nõ intres in iudicium cũ ſeruo tuo, quia nõ iuſtificabitur corã te omnis viuẽs. Et Ioãnes ait: Si dixerimus, quòd peccatũ nõ habemus, ipſi nos ſeducimus. Si cõfiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra. Et Chriſtus inquit: Cùm feceritis omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus. Poſtquàm autem perſona reconciliata, & iuſta fide, id eſt, accepta eſt, placet obedientia, & reputatur eſſe quædam iuſtitia, ſicut Ioannes inquit: Omnis, qui in eo manet, non peccat. Et 2. Corin. 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Ac debet hæc obedientia repugnare prauis cupiditatibus, & ſubinde ſpiritualibus exercitijs fieri purior, & cauere, ne quid committamus contra conſcientiam, iuxta illud:

Summa

Summa legis eſt dilectio, ex puro corde & conſcientia bona, & fide non ficta. Qui verò obtemperant prauis cupiditatibus, & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus nec fidei iuſtitiam, nec iuſtitiam bonorum operum retinēt, iuxta illud Pauli: Qui talia agūt, regnum Dei non poſſidebunt.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum ſextum reſponſio.

QVòd autem ſexto Articulo confitentur, fidem parere bonos fructus, ratum, gratumque habetur. Quin fides ſine operibus mortua eſt, Iacob. 2. Et tota ſcriptura inuitat nos ad opera. nam Sapiens inquit: Quodcunque manus tua poteſt facere, inſtanter operare. Eccleſiaſtis 9. Et Deus reſpexit ad Abel, & munera eius. Geneſ. 4. Viditque Abraham quod præcepturus eſſet filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam domini, & faciant iudicium & iuſtitiam. Gene. 18. Et per memetipſum iuraui, ait dominus, quia feciſti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum. Gene. 22. Ita reſpexit in ieiuuium Niniuitarum. Ionæ 3. In fletus & lachrymas Ezechiæ regis. 4. Reg. 20. Quare omnes fideles ſequi debent conſilium ſancti Pauli dicentis: Ergò dum habemus tempus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Gala. 6. Ait enim Chriſtus: Venit nox quando nemo operari poterit. Ioann. 9. Quoniam opera illorum ſequuntur illos. Apocalyp. 14.

Quòd verò in eodem Articulo iuſtificationem ſoli fidei tribuunt, ex diametro pugnat cum Euangelica veritate, opera non excludēte. Quia gloria, honor, & pax, omni operanti bonū. Rom. 2. Quid, quòd Dauid Pſal. 16. Chriſtus Matth. 25. & Paulus ad Rom. 2. teſtātur, quòd dominus redditurus ſit vnicuiq; iuxta opera eius. Preterea inquit Chriſtus: Nō omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnū cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei. Matth. 7. Vnde quantumcunque quis crediderit, ſi non operatur bonum, non eſt amicus Dei. Vos amici mei eſtis, inquit Chriſtus, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Ioann. 15. Proinde non admittitur, quod tam ſæpè tribuunt fidei iuſtificationem, cùm id pertineat ad gratiam & charitatem. Nam ſic planè inquit ſanctus Paulus: Si omnem fidem habuero, nihil ſum. 1. Cor. 13. Hic ſanctus Paulus certificat principes, & totam Eccleſiam, fidem ſolam non iuſtificare, ideo docet, charitatem præcipuam eſſe virtutem, ad Coloſſenſes. 3. Super omnia autem charitatem habete; quod eſt vinculum perfectionis. Neque ſuffragatur eis verbum Chriſti, Cùm feceritis hæc omnia, dicite, Serui inutiles ſumus. Luc. 17. Nam ſi factores ſe inutiles dicere debent, quantò magis his, qui ſolùm credunt, dicere conuenit: Si credideritis omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus. Non ergò hæc vox Chriſti extollit charitatem ſine operibus, ſed docet quòd opera noſtra nihil vtilitatis Deo adferunt, quòd operibus ſuis nemo poteſt iuſtificari, quòd opera noſtra comparata diuinis præmijs nulla ſint & nihil, ita inquit D. Paulus: Exiſtimo quòd non ſint condignæ paſſiones temporis huius, ad futurā gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Ro. 8. Nam & fides & bona opera ſunt dona Dei, quibus per miſericordiam Dei datur vita æterna. Sic & Ambroſius hic citatus, minimè huc pertinet, cum S. Ambroſius expreſsè ſeipſum exponat de operibus legalibus: inquit enim, non ſine lege, ſed ſine lege ſabbati, & circuncíſionis & vindictæ. Et hoc luculentiùs ait in epiſtolam ad Roma. 26. inducit ſanctum Iacobum de iuſtificatione Abrahæ, & operibus legalibus ante circuncíſionem differentem. Nam qui fieret vt S. Ambroſius in Commentarijs aliud diceret, quàm S. Paulus in textu, cum inquit: Quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo. Idçò in fine non ſimpliciter excludit opera, ſed ait: Arbitramur inſtificari hominē ſine operibus legis.

Fides & bona opera, Dei dona ſunt.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum ſextum animaduerſio.

EX collatione Prototypi cum ſequenti editione prudens Lector haud difficulter animaduertet, quomodo tortuoſus ille ſerpens ſe voluat, vt venenum olim effuſum reſorbeat,

beat quo aliud ad interitum plurium maiori aſtu euomat. Ibi negat bona opera iuſtificare, hic affirmat poſt reconciliationem, neceſſario debere ſequi iuſtitiam bonorum operum. Ibi negatur per bona opera nos mereri iuſtitiam, eamque ſola fide apprehendi, hic dicitur per obedientiam erga legem nobis reputari quandam iuſtitiam, noſque mereri præmia: eamque obedientiam ſubinde ſpiritualib⁹ exercitijs debere fieri puriorem. Sed quo pacto fiet purior, ſi noſtra iuſtitia ſit tantùm imaginata iuſtitia? Prodigioſa ſunt iſta, quæ ſub ſpecioſo conſolationis titulo commendantur. Quid enim abſurdius, quàm fingere, & reputare ſe iuſtum, noſtraq; opera reputare eſſe iuſta, & meritoria, & interim re ipſa aliud nos debere credere?

Ioannis a Dauentria Articuli ſexti refutatio.

Bonorum operum prædicatores exulabunt. SExtus iſte Articulus, partim me dolore excruciat, partim exhilarat. Doloris cauſa eſt, tot errorum congeries in tam paucis verbis: Gaudij, quòd video aduerſarios paululum reſipiſcere, quodque ſperē tandē cōcordiæ inueniri modos. Opera itaque bona, quę auctore Luthero proſcripta erāt, ab exilio tandē reuocata ſunt. Qui hęc prędicabant, quū exularēt, proh dolor, quib⁹ iniurijs, quibus cōuicijs, quib⁹ proſcriptionib⁹, quib⁹ ſunt verberibus affecti. Contrà, qui tum omnem mouiſſet lapidem, vt omnis ex humanis cordibus benè operandi adimeretur affectus, omniſque conatus, palma donabatur, eratque præclarus huiuſce choreæ ductor. Sed ne hęc videar per calumniam Luthero impoſuiſſe, adnumerabo aliquot articulos, qui doceant, nunc aliter Aduerſarios ſentire, atq; olim pręſcripſit eis Lutherus, libro de Chriſtiana libertate:

1. *Fides ſola eſt ſalutaris & efficax vſus verbi.*
2. *Verbum Dei nullis operibus, ſed ſola fide ſuſcipi & coli poteſt.*
3. *Fides eſt breuis, & conſummata plenitudo legis.*
4. *Sola fides ſine operibus iuſtificat, liberat & ſaluat.*
5. *Sola fides ſufficit ad ſalutem.*
6. *Nulla res tam bona, nulla tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, ſi modò credidero.*

Et in lib. de votis Monaſt.

7. *Quàm primum ſcientia fidei reuelatur, omnia non neceſſaria ad ſalutem inueniuntur.*

Admiramur hic Lutheri exoculationem, quod tam palàm ſcripturis obſtrepit. Si fides ſola, vt ipſe vult, eſt ſalutaris, & efficax vſus verbi, ſi verbum Dei nullis operibus, ſed ſola fide ſuſcipi poteſt & coli, cur item Paulus nō auditores verbi iuſtos affirmat, ſed factores dicit iuſtificari? *Rom. 2.* Cur Chriſtus dicit, quoſdam fore indigniores, quàm quibus cœleſte regnum donetur, qui poſt acceptam fidem, qua vel pleraque multa feciſſent miracula, qua etiam prophetaſſent, voluntatem Dei non fecerunt? Cur ad tuam O Luthere ſententiam non dicit Chriſtus diuini ſermonis factores ſuper arenam, ſed contra, auditores tantùm ſuper arenam ædificare? *Matt. 7.* Rurſum cur non remunerat operum miſericordiæ neglectores iuxta ſenſum tuum? cur item non damnat eorundem operum operarios? *Ibidem.* Si hoc faceret, ſtaret fortiter tua ſententia. Si fides eſt breuis & conſummata plenitudo legis, ſi fides ſine operibus iuſtificat, liberat, ſaluat; ſi ſola ſufficit ad ſalutem, cur minatur Paulus mortem ijs, non ſolum qui non credunt, ſed & ijs, qui non obediunt Euangelio, dicens: Qui non obedierint Euangelio, pœnas dabunt in interitu æternas? *2. Theſ. 1.* Vides non modò credendum: ſed & obediendum eſſe euangelio. *Matth. 19.* Item ſi credidiſſe ſatis eſt: quare nulla fidei habita mentione, iuuenem ſe conſulentē, quum maxime ad ſalutem opus eſſet, perperam (ſi Deo placet) docet Chriſtus mandata eſſe obſeruanda? Ergóne diſcrepant, credere, & mandata ſeruare? Si non eſt vlla res tam bona, vlla tam mala, quæ tibi in bonum, quod credideris, non cooperetur, mirum quid Corinthijs fornicarijs, adulteris, raptoribus, alioqui Chriſto credulis, contigerit, *1. Cor. 6.* quos Paulus cœleſtibus regnis priuans, occultius implicatiusque, niſi reſipiſcerent, ad æternas pœnas damnat. Si vbi ſcientia fidei reuelatur, cętera omnia ad ſalutem inueniuntur ſuperuacanea, hallucinatus eſt, vt tu ſentis, Chriſtus, qui fidei etiam adnexuit pœnitentiam, charitatem, bona opera, & pleraque omnia, quæ paſſim produnt ſcripturæ. Hæc nobis obiter dicta ſint, & ceu à limine ſalutata. Siquidem non Lutherus, ſed Aduerſariorum Confeſſio nobis facеſſit negotium. Nunc ergò diſcutiamus Articulum. Bene faciunt Aduerſarij, cùm à Luthero ſe conuertentes, fidem bona opera parere ingenuè fatentur, quodque oporteat bona opera à Deo mandata facere propter voluntatem Dei. Benè hic & Catholicè nobiſcum ſentiunt: & vna vtrique, quod vulgò dicitur, nauigamus ſcapha. Verùm quod adijciunt, bona opera non facienda, vt confidamus per ea iuſtificationem coram Deo mereri, non poſſum non improbare, præſertim quod ſcripturis ſacris eſt diſſentaneum, quodque ſuo ſe confodiunt gladio. *Opera bona merentur iuſtificationem corā Deo.* Confitentur enim, quòd bona opera à Deo mandata ſint propter eius voluntatem facienda. Iam ab eis velim reſcire, cur Deus ea fieri velit, an vt ipſi conducant, an proximo, aut etiam nobiſipſis? *Opera bona quibus conducant.* Planè non vult Deus vt bene operemur, quòd ipſi labor noſter emolumento ſit. Id enim præſagijt Dauid: Quoniā bonorum noſtrorum non indiges. *Pſal. 15.* quando- *Iacob 1.*

quidem

quidem qui ipſe eſt fons omnium bonorum exuberantiſſimus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum emanat, à quo omnes habent vt ſint, vt bene viuant, vt bene cogitent, vt loquantur bene, nulla noſtra indiget opera. *1.Cor.4.* Quid habes, inquit Apoſtolus, quod non accepiſti? Vt autem noſtra non indiget opera, ita neque ex bonis operibus noſtris lucrum, neque ex peccatis noſtris iacturam facit. Non enim ad cuiuſuis laudem glorioſior, neque ad vllam, qua afficitur iniuriam, fit deſpicabilior. *Iob.35.* Sic enim dixit B. Iob: Si peccaueris, quid nocebis Deo? & ſi iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Alioqui, quod dictu eſt abſurdum, noſtra beatitudo, noſtra perfectio non eſſet ex Deo: ſed Dei perfectio & beatitudo plurima ex parte penderet ex nobis. Rurſum, non vult Deus, nos tantùm proximorum intuitui & vtilitati deſeruire, vt benè operemur. *Bona opera quatenùs proximis conducant.* Voluit quidem naturali ordine, vt pro ſe viciſſim ſolicita ſint myſtici corporis ſui mēbra, *Luc.6.* hoc eſt, vt alter alterius ſubueniat inopiæ, vt alter alterum iuuet, vt in ſe peccanti indulgeat, ſicut & Pater cœleſtis propter Chriſtum noſtra expunxit peccata. Num hæc voluit tātùm proximorum cauſa, vt nihil ad nos inde lucri redeat? Vult vt in proximos ſimus miſericordes, vt ipſi rurſus à Deo conſequamur miſericordiam. vult vt peccantibus in nos noxam remittamus, vt & nobis Deus peccata remittat. vult vt pro calumniantibus, & perſequentibus nos oremus, vt in numerum filiorum Dei adſcribi mereamur. *Matth.5.* In ſumma, qualis tu fueris proximis, talis erit tibi Deus. Vide hic candide Lector, quantum lucri tibi ex bono opere redeat, vide etiam quàm elumbe ſit aduerſariorum figmentum. *Philip.4.* Sic Paulus laudat Philippenſes, quòd ſuæ ſubueniſſent neceſſitati, non quòd gauderet ſuæ inopiæ eſſe prouiſum, ſed quòd eis ex commiſeratione ſua, emolumenti acceſſerit plurimum. Vnde cùm dixiſſet: Benè feciſtis, conſulentes tribulationi meæ. adiecit paulò pòſt: Non quod quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in rationem veſtram. *Bona opera, quæ ſoli proſunt authori.* Adde quòd multa nos voluit Deus bona opera facere, quæ parùm ad proximorum vtilitatem pertinent, nempe vt ſemper oremus, carnem domemus, crucem portemus, & id genus alia, quæ proximo nihil conferunt, niſi fortè ad ædificationem. Vident igitur Aduerſarij, quòd Deus non vult, vt ſui cauſa, aut proximorum tantùm, ſed ad noſtrum ipſorum commodum bona opera faciamus. *Deum quærit nobis ſpirituale cōmodum ex bonis operibus.* Quale commodum? terrenum, vt agrum agro, domum domui adcopulemus? vt diteſcamus? vt diuitijs nos luxemus? vt in terra nomen noſtrum celebremus? Nihil minus, ſed vt ſpirituale commodum manibus pedibusq; & toto pectore perſequamur. Hinc vt neglecta rerum temporalium cura, diſcipuli ſpiritualibus lucris magis inhiarent, exhortatus eſt eos Chriſtus dicens: *Matth.6.* Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, quid bibemus, aut quo operiemur. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergò primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia hæc adijcientur vobis. Audis ſpiritualia eſſe quærenda. Sed quo modo? vt facias, quæ pro eorum indeptione voluit Deus. Hic labaſcit aduerſariorum opinio, prorſuſque corruit. Ad hæc, cur voluit Deus, vt pœnitentiæ operibus ſeſe affligerent peccatores, niſi vt veniam conſequerentur? Cur itē vult, vt diuina homines obſeruent mandata, *Mandata Dei cur obſeruari debeant.* niſi vt vitam habeant in cœlis æternam? Quis det, inquit Dominus in Deuteronomio, eos *Deut.5.* talem habere mentem, vt timeant me, & cu- *Ibidem.* ſtodiant vniuerſa mandata mea in omni opere, vt benè ſit eis, & filijs eorum in ſempiternum? &: Cuſtodite, & facite ea, quæ præcepit dominus Deus vobis, neque declinabitis ad dextram, neque ad ſiniſtram, ſed per viam, quam præcepit dominus ambulabitis, vt viuatis. *Ibid.cap.7.* &: Cuſtodi præcepta domini Dei tui, & fac quod placitum eſt, & bonum in conſpectu domini, vt benè ſit tibi. Proponit nobis mandatorum obſeruantiam, proponit & ſpē mercedis, & Aduerſarij nolunt nos fructum bonæ vitæ ſperare. Sic non licebit eis, qui inedia, ieiunijs, vigilijs, alijſque propter Deum ſeſe modis affligant, Deo confidere fideliſſimo, quòd laboribus ſuis comparem largiturus ſit mercedem? Cur ergò proponit, ſi nihil vel iuſtificationis coram ſe vel præmij nos manet? Profectò, quātum ego coniecturare poſſum, nolunt nos diuinis pollicitationibus fidem habere. Dicant ſi poſſunt, quod malè egerit Dauid, cùm inclinauit cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Domini propter retributionem. *Pſal.118.* Dicant an peccauerit Moyſes, quando *Heb.11.* contemptis regijs delicijs, & vniuerſa Aegyptiorum pompa repudiata, maluit ſpe mercedis cum populo Dei triſti mœrore contabeſcere. Non audebunt dicere quòd peccauerit, alioqui offenderent & in Paulum; cauſam noſtram fortiter defendentem. Fide, inquit, Moyſes grandis factus, negauit ſe filium eſſe filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, &c. & quòd partes noſtras tuetur; Aſpiciebat in remunerationem. *Ibid.* Qui in remunerationem aſpicit, certè confidit per opera ſua coram Deo mereri iuſtificationē. Haud ſcio an quicquam dici poſſet enucleatius. Et operarij illi, quos conduxit paterfamilias ad excolendam vineam ſuam, ſtatutam expectant & accipiunt mercedulam. *Matt.20.* Petrus quoque Apoſtolici muneris princeps, beatos *1.Pet.2.*

prounn-

Suppliciorū multa genera. pronunciat eos, qui propter iuſtitiam, corporis aliquantam feciſſent iacturam. beato inquam, in ſpe rependendæ retributionis. Glorioſi quoque martyres nihil de diuinis promiſſis diffidentes, poſt contumelias, poſt verbera, flammas, equuleos, lampades, fuſtes, crates, metalla, calcarias, ſulphurarias, ſalinas, ſcalas, gemonias, enſes, ſurcas, patibula, & poſt vltimum ſupplicium ſortiter perpeſſa, ſpetabant fore, vt ſecundum verbum Chriſti ſuis laborib⁹ merces reſunderetur. Inaniter mercedem operitur, qui nihil meruerit. Qui verò Chriſto nulla fecit ſtipendia, ſi quid accipit, dono accipit, quo principis ſui liberalitatem agnoſcat. B. Paulus, vbi infracto animo *Paulus cōfidit in operibus ſuis. 2. Tim. 4.* nomen CHriſti per vniuerſum fermè mundum euulgaſſet, & ſuo munere probe defunctus eſſet, haud animum deſpondebat, imò iactitabat, quid ſe pro labore exanthlato maneret præmij, dicens: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Cur ſperat coronam, multo ſuo labore paratam, ſi non licet etiam nobis per opera noſtra coram Deo iuſtificationi promeritæ confidere? Haud dubium, quin miſericors pater gratiam, qua gloriam promereamur, miſericorditer præſtet. vt autem iuſtus eſt iudex, ita profectò vnicuique ſecundum ſuum laborem dabit mercedem. Et B. *Iacob. 1.* Iacobus dicit legis obſeruatorem in ſuo facto beatum: non ob aliud planè, quàm quòd fecit iuxta legē Dei, quæ obſeruatoribus beatitudinem, quam per patientiam expectent, *Heb. 13.* pollicetur. Rurſum Paulus noſtræ fidei tutiſſimum aſylum, docet Hebræos, vt beneficentiæ & cōmunionis non obliuiſcerentur, quòd talibus hoſtijs promereatur Deus. In tam clara luce non vident Aduerſarij, hominem per ſua opera iuſtificationem promereri, cùm hic dicat Apoſtolus, quòd beneficentiæ & communionis opetibus Deus promereatur. Qui Deum promeretur, planè non iuſtificationē tantùm, ſed & iuſtitiam, charitatem, beatitu-*Matth. 19.* dinem promeretur. Interrogāt præterea per Petrum Apoſtoli omnes quidnam lucri, quid mercedis poſt rerum ſuarum abnegationem expectaturi ſint, & audiunt: Amen dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Iſrael. Deſiderio præmij flagrant Apoſtoli, & Chriſtus bona pollicetur, vt plus æſtuent: & Aduerſarij nolunt nos quicquam noſtris operibus cō fidere. Comportauimus nunc ex multis, imò ex omnibus pauca teſtimonia, quibus pro noſtra qualicunque virili catholicam veritatem ab Aduerſariorum minis defendimus, tam aperta, tam clara, vt niſi velint prorſus errare, conuelli non poſſint. Ipſi verò vn[illegible] verbo male intellecto innitentes, ne t[illegible] quidem habent ſolidæ veritatis.

Hic, vt Aduerſarijs intel[illegible] apertum oſtium, haud fuerit otioſ[illegible] de merito definierint ſacrarum literarum tractatores. Biſariam itaque di[illegible]cant meritum, vt alterum ſit meritum congrui, alterum condigni. Meritum congrui vo[illegible] quo[illegible] meretur ſuo opere, quam quod de ſo[illegible] largitoris liberalitate petenti [illegible]t. Benè enim petentibus ſemper præſto e[illegible]. Meritum condigni præmium appellant, quod ita accipiūt benè meriti, vt negâſſe iniuſtitiæ ſit. Qui circa huiuſmodi fabricant ſimilitudinem: vt ſint alicui patriſamilias tria ſimul mancipia, primū cōductitium, duo poſteriora acceſſoria, quorum alterum malum, alterum peſſimum. Cōductitium, laboris ſui ſtatam poſtulat mercedem, quam herus, prius quàm opus aggrederetur, pollicebatur. Hic ſi mercenario fideli ſolutionem negaret, iniquitatis rectè incuſaretur. Primum acceſſorium, quod malum diximus, arcta quadam neceſſitudine hero ſuo adcopulatum, diligit, veneratur: quod ſi munuſculum ab eo petit humiliter, [illegible] ius liberalitatem, ſi negaret, cum tamē, ſi vellet, negare poſſet; eo quòd nullum ſibi feciſſet ſtipendium. Alterum acceſſorium peſſimū, contumax, immorigerum, inuidum, herum ſuum odit, proſequitur, intentat ei minas vt occidat. Huic herus non tantùm nihil dare tenetur, ſed & peccet, ſi det, quod ſciat eum in ſui contumeliam verſurum. Primum mercedem accipit de condigno, ſecundum donum recipit de congruo, tertium de neutro nihil accipit. Applica nunc iſtis tribus ſi videtur, tres eorum, qui ſunt in Eccleſia, ordines, vt per poſterius ſignificetur diuinæ voluntatis irriſor & contemptor, qui tametſi credat tenuiter Deo, ſi non dolet peccati, ſi gratiam nō implorat, ſi manet in peccandi propoſito, nihil minus quàm remiſſionem peccatorū meretur. Medio coniunge eum, qui peccator eſt, & homo nullius frugi, qui vt cœperit malitiæ ſuæ enormitatem ſecum in animo ſuo volutare, conuerſationem ſuam, vel ob amaritudinem priùs expertam, vel ob imminentis pœnæ timorem deteſtatur. Hinc gemit, lachrymatur, tundit pectus, orat, inedia ſe affligat, pauperibus ſuccurrit, & omnem gnauat operam, vt in gratiam tandem ceu poſtliminio recipiatur. Iſtiuſmodi quis neget de congruo mereri iuſtificationem, præſertim cùm ad promerendum eam ſeſe totum effundit. Nihilominus opera eius, qualiacunque tandem ſint, non merentur, vt eorum intuitu Deus obligetur ei gratiam dare, vt iuſtam operum mercedem, ſed pro effluētiſſima ſua largitate

Tres homin[illegible] ordines in eccle[illegible]

gratiam

Gratiam ei impartit, & peccatorum remiſſionem: alioqui gratia, iam non eſſet grâtia. Sic gratiam & remiſſionem peccatorum meruiſſe, idem eſſe intellige, quod eſt gratiæ ſeſe coaptare, & valedicto, ablegatoq́; peccato, ſe ad Deum connertere. Hinc Deus dixit in Zacharia: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. & Chriſtus in Euangelio: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Porrò cùm gratia petenti multiſque modis quærenti impêditur, protinùs qui accipit, iuſtificatur, & ex hoſte fit amicus, imò filius Dei. Deinde poſtquam ſolutus eſt à peccatis, nihil moratus, cõuertit ſe, vt ea, quæ prius animo conceperat, ſtudia exequatur. Tũc demùm fit, vt per opera, quæ poſt iuſtificationem in Deo, & per Deum fecit, dignus fiat, qui æternam vitam accipiat. Nemo enim operatur, qui idem non expectet operis ſui condignum fructum. Si id facit, qui pro terreno laborat numiſmate, ſolùm finem operis ſui proſpectans, quid putas fiet ei, qui ineffabili affectione, ingenti deſiderio, non tam ſuum commodum, quàm diuinum honorem, ob oculos ponit? Iam verò opera, quæ is cooperante Deo facit, vi ſua genuina, infinitam quandam ex Deo ſortiuntur bonitatem, vt non tantùm temporali, verùm etiam perpetuo digna ſint præmio. Hinc de ſalutaris gratiæ aqua dicebat Saluator: Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Neque diuinam dedecet bonitatem & iuſtitiam, vt fideli ſeruulo, pro operibus, quæ ex mera in Deum affectione fecit, æternam mercedem reſtituat, quam, niſi nos fallunt verba eius, in vinea ſua ſtrenuè laborantibus promiſit, dicens: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Sit igitur hoc modo concluſum, vt iuſtus, cùm diuinis mandatis ad amuſſim obſequitur, nihilq́ue non ad gloriam Dei facit, cœleſtem beatitudinem de condigno, peccator pro viribus iuſtificãtem gratiã quærens pro cõgruo; obſtinatus verò in peccatis non gratiam, ſed iram, ſed indignationẽ, ſed æterna ſupplicia accipiat.

Zach. 1. Matth. 7.

Gratiam adeptus, mox iuſtificatur.

Opera, quæ cœleſte præmium merẽtur.

Ioan. 4.

Ioan. 12.

Nunc, quando de fide & meritis inter nos & Aduerſarios tota eſt controuerſia, operæpreclum fuerit, vt etiam reſpõdeamus ijs, quę de iuſtificatione (re planè non minutula, ſed in qua omnis voluitur ſalutis cardo) pluribus verbis, ſed admodum infirmis diſputant Adnerſarij in ſua Apologia, quam ediderunt aduerſus Confeſſionis ſuæ cõfutationem, nõ ſatis intellectam. Hic præcipua annotabo argumenta eorum, quibus Catholicam veritatem labefactare conantur.

Vniuerſa, inquiunt, *ſcriptura in hos duos locos præcipuè diuidi debet, in legem & promiſſiones. Aliàs enim legem tradit, aliàs promiſſionem de Chriſto, videlicet, cùm aut promittit Chriſtum venturum eſſe, et pollicetur propter eum remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, & vitam æternam. Aut in Euangelio Chriſtus, poſtquàm apparuit, promittit remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, & vitam æternam. Vocamus autem legem in hac diſputatione, Decalogi præcepta, vbicunq; illa in ſcriptura leguntur. De cæremonijs, & iudicialibus legibus Moyſi in præſentia nihil loquimur.*

Non video cur Aduerſarij vniuerſam ſcripturam in legem & promiſſiones diſſecent, niſi quòd iuſtificationem putant ſolis promiſſionibus & fide contingi, quibus nos item mandatorum Dei obſeruantiam adiungim9. Quare huiuſmodi diſſecationem nemo probat fidelium, vel quòd nullam habeat ex ſcripturis auctoritatem, vel quòd abs re promiſſionem à lege ſecernunt, cùm tamẽ omnis lex vt pœnam tranſgreſſoribus minatur, ita obſeruatoribus præmia promittit. Sic quoque vetus lex per Moyſen data, bonis benedictionem, malis contrà maledictionem imprecabatur. En propono in conſpectu veſtro, inquit Moyſes, hodiè benedictionem & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mãdatis domini Dei veſtri: maledictionem, ſi nõ obedieritis mandatis Domini Dei veſtri. Audiunt hic & in Moyſe promiſſionem temporalem quidem, de qua haud infrequens eſt in Deuteronomio memoria; de qua & in Iſa. dicit dominus: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis; ſi nolueritis, gladius deuorabit terminos veſtros. Audiant nunc etiam in eadem lege æterna bona obſecundantibus, tranſgreſſoribus item æterna mala promiſſa. De ijs dictum eſt: Quis det, inquit, talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt benè ſit eis, & filijs eorum in ſempiternum. De iſtis: Ignem ſuccendiſtis in furore meo, in æternum ardebit. Illis bonorũ, iſtis malorum promittitur perpetuitas. Similiter noua lex, hoc eſt, lex Chriſti, promiſſioni comminationem habet annexam. Qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum; &, Seruum fidelem ſuper omnia bona ſua cõſtituet. Rurſus apud alium Euangeliſtam: Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Illic animos operantium iucunda præmiorum pollicitatione demulcet, hic malis operarijs comminatur pœnam, qua non poteſt eſſe intolerabilior: præter ignem enim interitus neſcium, vermen mali patientur conſcientiæ ſemper remordentem, ſemper vellicantem, ſemperq́ue perpetrati facinoris commonentẽ. Cùm ergò vtraq; lex, vetus & noua, Moyſi & Chriſti, promiſſionem habeat & comminationẽ, qua temeritate, qua audacia, ſeiungunt pro-

Scriptura totius diſſecatio improba.

Lex vtraque promiſſionem habet, habet & vtraque pœnam.

Deut. 11. Iſaiæ 1.

Deut. 5.

Matth. 7. Matt. 25. Marc. 9.

Vermis conſcientiæ.

miſſionem à lege? Neque tantummodo Decalogi præcepta lex appellâtur, ſed quicquid Deus præcepit, ordinauit in Moyſe, totum lex vetus dicitur. Rurſus quicquid in ſua lege Chriſtus præcepit, decreuit, dixit, ſecit, noua lex eſt. Vtranque ceu digito indicauit Paulus: Ego, inquit, per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Quid hic dicent Aduerſarij, qui nuda Decalogi præcepta legem appellât?

Gala. 2.

Paulus legi Moyſi per legem Chriſti mortuus eſt. Num igitur per legem Chriſti ab obſeruantia præceptorum Decalogi abſolutus eſt? Minimè. nam ea ſunt tam obſeruatu neceſſaria, vt ſine eorum obſeruatione nemo vitam æternam ſperare poſſit. Quare id neceſſariò conceſſerint aduerſarij, Paulum veteri legi, non quoad moralium, quæ nunquam non ligant, ſed quoad cæremonialium & iudicialium præceptorum obſeruantiam, per

Rom. 3.

legem Chriſti eſſe abſolutum. De hac item lege, quę in cęremonialibus & iudicialibus eſt, dixit alibi: Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Non pnſſunt hic legem Chriſti intelligere, nam vt idem dixit alibi: Qui non obedierint Euangelio

2. Theſ. 1.

Chriſti, pœnas dabunt in interitu æternas à facie domini & gloria virtutis eius. Huic legi, id eſt, Euâgelio, quicunq; non paruerit, quod audis, tametſi credat ſolùm, pœnas dabit. Euâ

Rom. 2.

gelio verò nô obedit, quicunq; negligit, quod iubet, ſacere. Hinc idem Apoſtolus iuſtificationem non fidei, ſed operibus tribuit, cùm dicit: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Hinc etiam ipſe Chriſtus palàm pronuntiat, ſeruum

Luca 12.

ſcientem quidem domini voluntatem, minimè tamen ſacientem, multis verberibus afficiendum: nimirum vt diſcant Aduerſarij, ſola fide abſque operibus legis neminem iuſtificari. Quum legem dicimus, legem non in-

Dilectio opus legis maximum.

telligimus veterem, ſed Chriſti. Non tamen ſine omnibus operibus legis veteris iuſtificatur homo. Eſt enim legis tùm veteris tùm nouæ potiſſimum & in primis neceſſarium op⁹, vt diligatur Deus ſuper omnia, & proximus ſicut alter ipſe, quo ſine nemo iuſtificatur. Qui enim non diligit, manet in morte. Hactenus nobis luce clarius expoſitum ſit, duplicē eſſe legē, Moyſi ſcilicet & Chriſti, & appellatione legis, cui ſe mortuum dicit Paulus, non mandata Decalogi, ſed iudicialia & cæremonialia (quæ mox vt promulgata eſt lex Chriſti, tanquã vmbra oriente ſole euanuit) intelligi debere, quodq; vtraque lex promiſſiones habeat, & comminationes, côtra Aduerſariorum cæcam partitionem. Porrò cur hanc excogitauerint partitionem, in ſequentibus ſæpenumerò declarât, nempe vt hominis iuſtificationē nullis operibus, ſed tantùm fidei, id eſt, promiſſionibus diuinis credenti, adſcribant, & Catholicos, qui cum fide etiam opera ad hominis iuſtificationem exigunt, legem, non Euangelium docere mendaciter nugentur. Sed quàm id ſecerint inſeliciter, ex ijs, quæ iam diximus, perſpicuum eſt. Quæ ſi corde acciperent Aduerſarij, intelligerent planè, quàm erroneam, quàm periculoſam imitarentur & docerēt doctrinam. Sed proh dolor tam potens eſt peſtilens illa philautia, tam eſt ad excæcandum fortis ſuperbia. Nûc ad argumenta, quibus ceu arûdini vacuæ innituntur, aduerſarij, manum miſſuri, ſuperfluum duximus, omnia eorum verba examinare. Quod ſi attentarem, candido lectori intelligendi magis ianuam præcluſero, quàm aperuero. Tam malitioſè callidi ſunt, tâ verſuti ſunt, & verſipelles, vt vel hydram côMentitia varietate ſuperent. Tot excogitant, quæ ſalsò nobis imponant, mendacia, vt vel Cretenſes hac parte ſuperent. Taceo garrulitatē, taceo quoties eandem vt cuculi cantilenã câtitent. Quomodo autē veritatem ſtatuet, qui meris nititur mendacijs? Sed age, quibus mēdacijs nos, ne dicam ſeipſos conſpurcent, videamus. Falsò Eccleſiaſticis ſcripturarum enarratoribus imponunt.

Quòd integras humana natura vires tribuant ad diligendum Deum ſuper omnia ſine ſpiritus ſancti gratia. — *Ab Eccleſia, quæ Lutherani Catholicis falsò imponunt.*

Quòd doceant hominem proprijs viribus mandata Dei poſſe facere.

Quòd charitatis habitum ideò doceant dari, vt quod alioqui proprijs viribus poſſet (nempe diligere Deum ſuper omnia) faciliùs, & libentiùs faceret.

Quòd Philoſophos ſequuti, ſolam doceant rationis iuſtitiam.

Quòd Chriſtum ſepeliant, ne eo mediatore vtantur homines, & per ipſum ſe ſentiant gratis accipere remiſſionem peccatorum.

Et pleraq; alia, quæ inani quadam battologia congeminant. O hominum impudentiã, peruerſitatem, pertinaciam. Tenet me Chri-

Mendacij argumentat. Lutherani.

ſtiana modeſtia, tenet verecundia, ne in præcox, ſed inſanum cuiuſdam, qui iſtius Apologiæ auctor eſt, ingenium durius debaccher. Sed dicant nobis obſecramus, vbi in doctoribus Eccleſiaſticis inuenerint, quòd doceant hominem fragilem originali iuſtitia, & omni diuina gratia deſtitutũ, proprijs viribus poſſe diligere Deum ſuper omnia, quodq; omnia eius mandata ex ſeſe explere valeat. Pono hâc animam ſi offendere poterunt. Profectò ſic ſentire, non catholicum, ſed hæreticum eſt.

August. lib. de hæreſib.

Hinc dicit Auguſt. quòd ad hæreſim Pelagianam pertineat, credere ſine gratia Dei, hominē omnia Dei mâdata implere poſſe. Idē nos quoq; ingenuè côfitemur, & ante nos côfeſſi ſunt ſancti Patres, & mentiuntur ora hominũ iniquorũ, facilè ad iniurias ſolubilia. Aequo quidē animo ferendũ eſſet, ſi eis errorē ſolùm

im-

impingerent, nunc verò & hæreſeos eos accuſant. Sed Chriſtiana illorum libertas, qua, vel omnia audent, audaciores eas facit, quàm vt vllum malum deuitent facinus. Mirum cur non retraxerit pudor, quos à tam apertis mendacijs timor Dei non compeſcuit. Qui enim hæc legent, qui audient cãdidi animi, tantam in Aduerſarijs deteſtabuntur malignitatem. Porrò ſi ſentirent, quod nunquam cogitauerunt, ac docerẽt, quod tam impudenter, tam

Doctrina Christi quantum differt à Philosophia.

mendaciter eos ſenſiſſe & docuiſſe, nugantur Aduerſarij, nihil prorſus inter philoſophiam & doctrinam Chriſti diſcernerent. Sed longo interuallo ea docuerunt eſſe à ſeinuicem ſequeſtrata, nempe quod illa tantùm humanis ſtudijs & virtutibus, fide & gratia Chriſti excluſis, felicitatem attribuit: iſta verò fidem requirit cum operibus, docetque apertiſſimè omnes humanos conatus, omnia opera ad felicitatem promerendam languere, & impotentia eſſe, fide, & gratia Dei excluſis. Qui hæc docet, Pelagianusne audire meretur? Sed hic dicent aduerſarij: Nonne docent iſti, quos vocas Catholicos, hominem mererire miſſionem peccatorum, dùm facit quod in ſe eſt, hoc eſt, ſi ratio dolens de peccato eliciat actum dilectionis Dei, aut benè operetur propter Deum? Nónne contendunt, quòd Deus neceſſariò ſic operanti det gratiam, neceſſitate immutabilitatis, non coactionis? Planè id confitentur, & idem confeſſi ſunt ante nos Patres. Et cur non confiterentur, quod omnis diuina ſcriptura clamat, quemadmodũ ſuprà ſatis, ſuperque declaratum eſt. Rurſus

Passionis Christi meritum omnibus neceſſarium.

hic dicent Aduerſarij: Si homo, cùm facit quod in ſe eſt, cùm eum pœnitet peccatorum, cùm benè ad diuini nominis gloriam operatur, meretur remiſſionem peccatorũ, quorſum ſpectat, quòd paſſus eſt, quòd mortuus eſt Chriſtus? Hic ſciant meritum paſſionis Dominicæ & mortis in primis tam eſſe neceſſarium, vt ſine eo nemo ſaluetur. Et omnes humani conatus, omnia ſtudia, omnia etiam opera, niſi hoc Chriſti merito ſuſtentarẽtur, erigerenturque, ne tantillum quidem valerent: tantum abeſt, vt remiſſionem peccatorum & ſalutem abſque Chriſti meritis operẽtur. Sed quid dico de infirmis hominum conatibus, cùm & ipſi angeli boni, malos ſpiritus non niſi in virtute meriti Chriſti ſuperauerint? Poſt enim commiſſum prælium Michaelis, & ſuorum cum dracone, poſt expugnatũ & è cœlo exturbatum diabolum, dicebat Ioannes: Ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni. Vt verò angelorum, ita & hominum conatus & opera merito paſſionis Chriſti, efficacia ſunt & merentur; nam quod ait Ioannes: De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: ſanè quòd noſtra opera aliquid merentur, de plenitudine meritorum

Angeli boni quò spiritus nequam superauerint.

Apoc. 21.

Ioan 1.

Chriſti eſt, & niſi ille nobis meruiſſet, merito omni eſſemus vacui. Quærant iterum fortè maleuoli: Si hominum ſtudia & opera, peccatorum merentur remiſſionem, quæ ſine gratia Dei omninò non eſt, ſequeretur ex operibus eſſe gratiam, imo gratiam non eſſe gratiam, quod Pauli ſententiæ refragatur. Theologi vt hanc diluerent quæſtionem, duplex definierunt eſſe meritum, congrui ſcilicet & condigni. Et quod merito condigni gratia mereri non poſſit, cùm inter ſe pugnẽt gratuitum & debitum donum, poſſit tamen nihilominus merito congrui mereri: & quòd meritum congrui nihil aliud ſit, quàm aptitudo quædam gratiæ Dei accipiendæ accommoda, vt licet non ſit omnifariam illo munere dignus, congruum tamen & conueniens fuerit diuinæ bonitati, quæ eſt beneficentiſſima, & ſemper liberaliſſima; vt ei, qui ſe gratiæ coaptauerit, tale donum detur. Hic dicent, quod ſic hæc aſſeuerare, ludere ſit, & veritatem diſſimulare. Nam ſi Deus neceſſariò dat gratiam pro merito congrui, non iam erit meritũ congrui, ſed cõdigni. Reſpondendũ quòd tali alicui per lumen fidei adiuto ad diuinam gratiam recipiẽdam idoneo, propter ſui ipſius humiliationem, in egenos miſericordiam, orationes, ieiunia, quibus ſe diſponit, neceſſariò miſericordia detur à Deo, non (quod etiam prædiximus) coactionis illa neceſſitate (nemo enim Deum propriè cogit) ſed immutabilitatis. Quandoquidem Deus immutabilis, verax, ſemper conſtans, quod promittit, fideliter implet. Canit enim de eo Propheta, quòd fidelis ſit in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Id quoque ne Balaam quidem neſciuit: Non eſt Deus, inquit, quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Quando ergò hiſce, qui vtcunque poſſunt, ad Deum ſe conuertunt per fidem, & miſericordiam gratiamque petunt, promiſit ſe non defuturum, haud dubium, quin ſuis promiſſis reſpondẽs, det quod rogatur. Hinc dicit Zacharias: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Cõuertit autem ſe Deus ad peccatorem, quem nunc peccatorum pœnitet, quãdo miſericordia eum dignatur, & gratiam, qua iuſtificetur, tribuit. Sic conuerſus dominus, vt refert Euangeliſta, reſpexit Petrum, tantam ei gratiam contritionis conferens, vt foras egreſſus fleret amarè. Pollicitus eſt etiam miſericordiam his, qui aliorum miſerti ſunt. Adhæc, neque corda contrita & humiliata deſpicit. Sed hæc ſuperiùs docuimus quidem copioſius.

Meritum duplex.

Neceſsitas, qua Deus homini [illegible]

Pſal. 144.

Num. 23.

Zach. 1.

Luc. 22.

Pſal. 50.

Non eſt ergò quòd Theologis inſenſi ſint hómines, qui vixdum ſacraria ſcripturarum, vt videtur à limine introſpexerunt, quòd docuerint Deum neceſſariò dare gratiã eis, qui ſe ei, vt poſſunt, coaptant, & modis omni-

Math.7. bus pro viribus requirunt, quibus tamen gratiam tribuere pollicitus eſt: Omnis, inquit, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit.

Deus cur indignis etiam det gratiam. Porrò, cùm dicunt Aduerſarij: Si neceſſariò Deus dat gratiam pro merito congrui, ergò non erit meritum congrui, ſed condigni, palàm inſcitiam ſuam declarant. Nam ſi ignorant, vel indignis ob ſolam Dei promiſſioné gratiam dari & beneficium, haud multùm ſapiunt. Compertum eſt enim ſacerdoti licèt indigniſſimo non ob ſuam dignitatem, quæ nulla eſt, ſed ob diuinæ pollicitationis ſtabilitatem, virtutem dari, vt Chriſti corpus conſecret: præſertim vt firma ſtet promiſſio. Hãc procul dubio Aduerſarij agnoſcunt veritatem, verùm cùm eam occultare nituntur & offuſcare, oſtendunt peruerſa ſua ingenia, quibus exolitam velint Chriſtianam religionem. At nos confitemur, quòd dominus vt eſt beneficentiſſimus, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ita & indignis non negat, quod promiſit. Sic quoque de cógruo, licet non de condigno, gratiam merentibus, hoc eſt, ad illam ſeſe modis, quos ſæpè diximus, coaptantibus, ex promiſſione diuina datur gratia. Non tamen, quòd digni ſint, qui recipiant, ſed quòd Deũ non deceat verbis ſuis fidem retractare.

Nunc iterum Aduerſarij nó habẽtes quod obijciant, ad priorem illam calumniandi artem, ceu ad ſacram ancoram confugiunt, nó quidem aliam, ſed eandem cantilenam obſtrepentes.

Ita (inquiunt) *nihil docent aduerſarij, niſi iuſtitiã rationis, aut certè legis, in quam intuentur, ſicut Iudæi in velatam faciem Moyſi, & in ſecuris hypocritis, qui putant ſe legi ſatisfacere, excitant præſumptionem, & inanem fiduciam operum, & contemptum gratiæ Chriſti. E contra pauidas conſcientias adigunt in deſperationem, quæ operantes cum deſperatione, nunquàm poſſunt experiri quid ſit fides, & quàm ſit efficax, ita ad extremum penitùs deſperant.*

Hæc eſt aduerſariorum vetus calumnia, nouis mendacijs redimita.

Fides quam docuerunt Catholici. Qui hæc ad viuum expendet Chriſtianus Lector, facilè intelliget, iſta non in Catholicos, quibus falsò obijciuntur, ſed in Aduerſarios peculiariùs competere. Catholici Lutheranæ factionis capitales inimici, non, vt calumniantur veritatis euerſores, ſolùm docent rationis iuſtitiam, ſed docent iuſtitiam fidei. Non tamen inanis fidei, quæ operibus vacat, perinde ac illi fortiter vrgent, ſed docent iuſtitiam fidei operantis. Sed quid operantis? vtique quod iuſſit Chriſtus, ne mortua ſit. Iam quid iuſſit Chriſtus? Num vt credant homines ſaltem remiſſioné peccatorum? Nihil minus: ſed vt ex fide pœnitentiã agerẽt, & diuina mandata obſeruarent in remiſſionem peccatorum. Neq; Moyſi, ſed Chriſti legem intuentur, ad cuius obſeruantiam, vt fideles verbi miniſtri, auditores ſuos pro virili inſtigant: plane apoſtolos ſequuti, qui ex mandato Chriſti, cum fide, diuinorum mandatorũ obſeruantiam pariter docebant. Sed neq; hypocritas, ſed veros Dei cultores inſtituũt, qui non tantum ijs, quæ dixit Chriſtus, credunt, verumetiam pro ſuo modulo cont[illegible] expleant quod iuſſit Chri[illegible], haud [illegible] quòd nõ auditores legis [illegible] iuſtificentur. Nec inanem, ſed cer[illegible] operum fiduciam in aud[illegible] excı[illegible] ſuadent enim non hominum vaniſſimis [illegible] mentis, ſed diuinis promiſſis ſtandum e[illegible], quodque fideliter in vinea domini deſudantes, glorioſam expectent ſui operis mercedem. *Rom.2.* *Iacob.2.* Docent nihilominus fideles, vt gratiam & miſericordiam Dei petituri, miſericordem eius animum precationibus, ieiunijs, eleemoſynis, & alijs id genus bonis operibus flectant: tantum abeſt, vt in eis gratiæ contemptum excitent. *Matt.20.* Nullatenus etiam pauidas hominum conſcientias ad deſperationem adigant, ſed conſolantur, confirmant, perſuadẽtes tam amplum diuinæ miſerationis eſſe ſinum, vt nullum, tametſi innumeris peccatis inuolutum, ſi modò gratiam quærat & deſideret, non accipiat. Nónne, quod etiam nobis opponunt Aduerſarij, Catholici docent, Deum neceſſariò ſubuenire his, qui miſericordiam & gratiam, quantum in ſe eſt, deſiderãt, non quòd cogi poſſit Deus, ſed quòd immutabilis ſit, & ſemper idem? Ad hæc docent ex Euangelio, quòd qui pœnitentiæ recipit in eccleſia ſacramentum, qui non ponit obicem, hoc eſt, qui prioris vitæ facinora deteſtans, melioris vitæ propoſitum ſecum per fidem Chriſti ſtatuit, procul dubiò gratiam à Deo recipiat. Qui autem hæc docent, non adigunt hominem ad deſperationem. Nunc ſatis conſtat quàm peſſimè quàm mendaciter iſta in Catholicos torſerint Aduerſarij, quæ ſibi magis docebimus competere. Gloriantur Aduerſarij docere ſe iuſtitiàm ſidei, ſed non communis, vt ex ſequentibus eluceſcet, ſed ſpecialis; nempe vt credat homo ſibi peccata dimitti. Non eſt eis ſatis, ſi credat homo pœnitentibus remiſſionem peccatorum dari, credat Deum incarnatum, paſſum, mortuum pro nobis, imò ſi credat omnes ſimul ſidei articulos: niſi credat ſibi peccata dimitti, & hanc ſolam fidem dicunt iuſtificare. *Fides ſpecialis Lutheranorum.* Profectò eſt iſta ſpecialis fides, & hactenus quidem incognita. Sed ſi oſtendant eam in ſacris literis explicitam, herbam haud inuiti dederimus. Exploratum quidẽ eſt & nobis iuſtificari hominẽ per fidem, fidemq; purgare, ſed hæc de generali omniũ Chriſtianorum fide,

quam

quam vnam eſſe docet Apoſtolus, prædicantur, vtpote non inani, ſed quæ pœniteat, quæque diuinis mandatis obtemperet. Vnde ergò iſta tam ſpecialis, tam inaudita, tamque incognita fides, quæ ex eorum fictitia ratiocinatione pullulauit, meritò iuſtitiam parit, quam æquiſſimo iure iuſtitiam rationis vocites, quæ non Chriſti verbis, ſed rationi magis philoſophicæ innitatur. Catholica iuſtificatio in ſcripturis ſanctis non infrequens, fidei iuſtitia dici meretur, præſertim quòd verbis Chriſti vbique munita ſit.

Indulgentia aduerſariorũ ad peccatores

Iam non video, an ſint in hoc mundo homines magis perſonati, aut ſi malunt, hypocritæ, quàm ſunt aduerſarij, qui offucijs quibuſdam ac ſutelis præſumptionem quandam & inanem fiduciam in animis ſuorum fouẽt, non quidem operum, ſed fidei. Quid neceſſe eſt hæc probare, cùm res ipſa nihil aliud clamet? Sit quiſpiam adulter, ſit fornicator, ſit latro, ſit denique omni ſpurcitia peccatorum oppletus, Aduerſariorum vana indulgentia nihil remoratur à iuſtificatione, modò credat ſibi peccata remitti per CHRISTVM. Et non vrgetur adulter, vt intra coniugij ſeſe limites contineat: neque fornicator, vt lupas ceu colubros fugiat: neque latro, vt latrocinio abſtineat: neque raptor, vt reddat non ſua: & in ſumma, neque cogitur ad emendatiorem vitæ normam. Tantùm credat remiſſionem peccatorum per Chriſtum, & cogitatu prius (ſi Deo placet) iuſtificatur, & medullitùs gratia expletur. Quæ poteſt eſſe maior præſumptio, quæ inanior fidei iactantia? Semper peccant, ſemper alienis mordicùs inhærent & fruuntur bonis, & ſemper ad nudam fidẽ ſunt innoxij. Profectò, vt videtur, credunt, vt liberiùs peccent. Non recenſebo hic, quæ quotidiè cernuntur in Lutheranis exempla.

Capiũtur hic aduerſarij.

Pone iam, vt ad nudam fidem peccata remittantur alicui, vel non remittantur. Si remittuntur, & in iiſdem manet peccatorum ſecibus, profectò ſine fide remittũtur. Nam, & iſtorum ſententia, qui in peccatis eſt, fidem habere nequit. Si non remittuntur, vt res eſt, planè relinquitur, Aduerſariorum doctrinam perſonato illi inanem fidei iactantiam præſtitiſſe. Proinde quid magis ad deſperationem impellit pauidas conſcientias atque Aduerſariorum doctrina (quam qualis ſit ſuo loco ſuis depingam coloribus.) Docent, quòd qui credit peccata ſibi per Chriſtum remitti, mox ſit abſolutus. At ſi ſceleſtus quiſpiam peccatis immerſus, dicat ſe credere idem quod docent, & tamen nullum fructum faciat, dicunt eum nondum benè credere, quia ſi benè crederet, fides illa non eſſet ocioſa, ſed bonum iuſtitiæ fructum afferret, cum auctore Chriſto, bona arbor bonis fructibus ſit fœta. Porrò ſi quis eos interroget, quid ſit verè credere, velint, nolint, cogentur dicere (niſi vellent ipſi ſecum pugnare) neminem verè credere, niſi vera fide, non ex hypocriſi credat ſibi propter Chriſtum peccata dimitti. Et hanc fidem ſolam dicunt veram, quæ ſit charitate formata, quam nobiſcum negant eſſe in ijs, qui peccatis ſunt obnoxij, præſertim ſi damnabilia ſint illa peccata. Dicant igitur ſi poſſunt, quomodo eiuſcemodi aliquis capitali crimine inuolutus verè poſſit credere, vt à peccatis exuatur, potiſſimùm cum ſua ipſorum ſententia nemo verè credat, niſi veram fidem, hoc eſt, viuam fidem, fidem charitate formatam habeat. Hæc autem quod negare non poſſunt, in iuſto eſt tantum, in tali mortiſera macula polluto, nunquàm. Neceſſariò hic relinquũt nobis, flagitioſos nunquàm verè, ſed fictè tantùm poſſe credere, quod propter Chriſtum ſibi remittantur peccata. Iam vides Chriſtiane Lector, quàm ſeſe lancinet ipſa Aduerſariorum doctrina, quamq; magnum deſperationis oſtium his, qui illorum innituntur opinioni, quiq; pœnitere ad normam eccleſiaſticam reſpuunt, aperuerit.

Capiuntur iterum ſuis verbis.

Adhæc habet Aduerſariorum Confeſſio, quòd non ſemper, ſed tunc ſolùm, quando Deo viſum fuerit, in audientibus Euangelium, operetur ſpiritus ſanctus remiſſionem peccatorum per fidem in Chriſtum. Atqui quomodò ſciet, qui audit Euangelium, quandò velit Deus per ſpiritum ſanctum veram fidem in corde ſuo infundere, vt verè ſe ſine vlla ſimulatione credat propter Chriſtum in gratiam receptum? Quis hic non videat, quibus impoſturis circumueniant miſeros, quibuſque periculis exponant incautos? De Catholica ergò doctrina, quam apud nos inueniunt, & quam nos profitemur, tutò licebit dicere, quod certiſſima ſit, & nullis inuolucris occultata, claro Dei verbo micet. Et quòd hæc ſola ſit, quæ pauidas hominum cõſcientias, trepidantes timore mali animos erigere poſſit. Nam qui ex fide, licèt non formata, pœnitent, ſimulatque pœnitentiæ ſacramentum, cum propoſito vitam melius inſtituendi aceipiunt, ab ipſa ſtatim veritate remiſſionem accipiunt peccatorum. Nunc vident aduerſarij niſi exoculati ſint, ſuo ſe confoſſos eſſe gladio, ſed necdum deſinunt nobis negotium faceſſere.

Doctrina catholica certiſſima.

Hoc imprudentiſſimè, inquiunt, ſcribitur ab aduerſarijs, quod homines rei æternæ iræ, mereantur remiſſionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cùm impoſſibile ſit diligere Deum, niſi prius fide apprehendatur remiſſio peccatorum. Non enim poteſt cor verè ſentiens Deum iraſci, diligere Deum, niſi oſtendatur

placatum. Donec terret & videtur nos abijcere in æternã mortem, non poteſt ſe erigere natura humana, vt diligat iratum, iudicantem, punientem.

Iſta Aduerſariorum aſſertio tam eſt frigida, vt vel thermas Neronianas poſſit refrigerare. Sed videamus quantum habeat neruorum aduerſus veritatem. Homines, inquiunt, æternæ iræ reos mereri remiſſionem peccatorum per actum dilectionis elicitum, imprudenter ab aduerſarijs ſcribitur. Sed cur ita? Reſpondebunt quod ſuprà, nempe quod qui æternæ mortis rei ſunt, ſentiant ſibi Deum iratum, & ob hoc naturam humanam ad diligendum Deum ſe eleuare non poſſe. Prima facie verba iſta videntur aliquid habere ſoliditatis, verùm ſi Silenum explices, vacua erunt & ſine neruis. Dicant itaque nobis Aduerſarij, quomodo ſcient peccatores, huiuſmodi offenſum ſibi eſſe Deum? Haud dubium quin dicant, aut per lumen rationis, aut per lumen fidei, aut certè per vtrumque ſimul id eos agnoſcere. Vtcumque id eos agnoſcere dicant, noſtra nihil intereſt: ſed vnde agnoſcunt Deum ſibi iratum, peccata deteſtari, nimirum inde etiam ſciunt, Deum non optare peccatorum mortem, perditionem & interitum, imò nolle ea, quin potius pœnitentiam, iuſtificationem eorum deſiderare. Et hac ratione longanimiter, diu multumq́; expectat, miſericorditer reuocat, & pœnitentibus prioris vitæ peccata condonat. Sed hic obiter irrequiſiti dicamus, quod vtraque hæc diſcunt ex lumine fidei, quod Deum eſſe ſummè bonum, omnipotentem, cunctiſcientem, & æquiſſimum omnibus iudicẽ, manifeſtat.

Fidei lumine agnoſcitur Deus & offenſus & placatus.

Et quemadmodum facit hominem meticuloſum, ita credit Deum multò benigniſſimũ, multoque miſericordiſſimum, vtpotè nullius perditionis cupidum, ſed quòd velit omnes redire ad pœnitentiam, & viuere. Spe quoque peccatorem erigit, atque à Deo proximiora ſaluti expectare facit. Agit nihilominus, vt diligamus Deum, conuerſionem noſtram, iuſtitiam & ſalutem tanto charitatis ardore patienter expectantem. Quis non diligat eum, quem ſe adamare ſciat? Quis non diligat eum, quem certo credat multis, imo innumeris charitatis ſymbolis ſe deperiſſe? Quis, inquam, non eum diligeret, quem ſciat ſui cauſa flagella, ſpinas, crucem, & mortem excepiſſe, idque cùm Deo inimicus eſſet? Quẽadmodũ igitur ex lumine informis fidei naſcitur in corde peccatoris timor, ita ex eodẽ oritur lumine, vt ſperet, vt diligat.

Dilectionis Dei cauſa.

Veruntamen hic amor hoc modo per informem fidem natus, multum eſt imperfectus: quia peccator tametſi Deum diligat, plus tamen æquo ſeipſum diligit, quàm Deum. Hinc ſuam ipſius vtilitatem, dilectionem, honorem, cœleſtibus mercibus, æternis gaudijs, diuinæ Maieſtati anteponit. Neque poteſt Deum ſuper ſemetipſum & ſuper omnia diligere, donec veniens ſpiritus ſanctus veram charitatem diffundat in corde eius. Quod vbi factum fuerit, mirum quàm promptè, quàm hilariter, ceu à ſomno experrectus, ad honorem Dei nihil non faciat. Nihilominus ex illa informi charitate per fidem parta, poteſt peccator ceu calcaribus pungi, vt aliqua bona opera faciat, vt ſcilicet ieiunet, oret, eleemoſynas det, imò ex hac dilectione quadantenus pœnitentiam agere poteſt, quòd Deum ſua mala vita offenderit. Iſta tamen pœnitentia haud eſt abſoluta, quandoquidẽ naturali imbecillitate, & ad malum propenſitate inuitus impeditur. Senſus enim & cogitatio humani cordis, quod in Moyſe dicit Dominus, prona ſunt ad malum ab adoleſcentia. Vt autem ſatis non pœnitet, ita quoque non ſatis de peccatis dolet, nec efficaciter ſatis vitam corrigere ſecum ſtatuit, donec miſerante Deo afflatum ſancti ſpiritus ſentiens, magis doleat, magisq́; peccatum abominetur. Imperfectus ille amor cum operatur, imperfectè meretur, perfectus verò amor perfectè. Iſtud meritum condigni, illud congrui ſuprà appellauimus.

Fidei informis imperfectio.

Gen. 8.

Iam & ipſi Aduerſarij ſuapte ſponte fatentur, hominem ſuis viribus rationis iuſtitiam, poſſe vtcunq; efficere, quanquam ſæpe vincatur imbecillitate naturali, & impellente diabolo ad manifeſta procedat facinora. Vide huic rationis iuſtitiæ quot laudes tribuant.

Hac, inquiunt, *nullam natura corrupta magis habet bonum. Et,*

Rationis iuſtitiæ laudes.

Hanc requirit, & temporaliter remunerat Deus.

Quod ſi rationis iuſtitiam, non ad gloriam Dei, ſed in ſuum vniuſcuiuſque commodum, & arulam relatam, Deus requirit & vſque adeò diligit, vt temporaliter remuneret, quid obſtabit, cur peccator informi fide illuſtratus, dilectioneque, licèt imperfecta, excitatus, pleraque bona opera faciat ad gloriam DEI, quærat quoque, & ſuppliciter poſtulet gratiam, ad quorum intuitum, eius miſertus gratiam præſtet, vt quod ex ſe non poteſt peccator, aliunde, id eſt, à Deo adiutus, poſſit? Vt autem quæ diximus, clariora ſint, pone duos eſſe poſterioris notæ adulteros. Alter pro ſua facultate vbi cœpit cum prioris vitæ pœnitere, fit in pauperes liberalis, vacat interdiu orationibus, inedia ſe affligat, duriſſimis continentiæ loris carnem ad omnem pruritum ſalacem compeſcit, lachrymatur, ingemiſcit, ſuſpirat, & pœnitentia ferè ſe eneruat, vt ex offenſo Deo placatum faciat. Atqui vbi paulò animum remiſerit, amore illo ſpurco rationem ſuperante,

Fide informi quantum mereantur docet exemplo.

recidit non raro in idē malum prius tot modis deteſtatum, & vix expleto facinore ad ſanam mentem reuertitur, ſolet enim peccatum vt plurimum pœnitudo ſequi. Alter vt iubatus gigas vadit extento collo, ac ſi nullo teneretur peccati vinculo, nullum deteſtatur malum, nullum horreſcit piaculum, nihil agit fide dignum, charitate dignum, pietate dignum. Egenos contemnit, mendicos tanquam ſurdus præterit, diuini verbi miniſtros non tantùm non audit, ſed etiam odit. Et vt ſemel dicam omnia, talem ſe mundo exhibet, ac ſi Deum prorſus neſciat. Quæro iam vter horum dignior ſit, qui gratiam diuinitus accipiat? Haud dubium, niſi omninò expunctam vellent veritatem, dicent quod prior ille, vtpotè qui ex fide informi operans tantopere, ad gratiam aſpirat. Compertiſsimum verò eſt neutrum de condigno gratiam vllis ſuis operibus mereri, quia vterque peccator, vterque adulter eſt. Congruit tamen diuinæ iuſtitiæ magis, vt qui ſummè quærit gratiam, gratiam accipiat prior: qui contemnit, contemnatur. Ad hæc iterum dicunt Aduerſarij, quod Deus requirat iſtam rationis iuſtitiam, quodque neceſſario ad voluntatem Dei bona opera facienda ſint. Sed cur velit nos bona facere opera, & ad cuius commoditatem, haud eſſet otioſum perueſtigare, niſi ſuperiùs nobis dictum eſſet, opera noſtra Deo nihil, proximis, aliqua parum, aliqua nihil, ſed nobiſipſis vtilitatis afferre plurimùm. Album igitur Aduerſarij calculū noſtræ doctrinæ adijciunt neſcij, quod Deus peccatores à peccatis ideò arcet, & ad bene operandum perurgeat, quò tandem poſt deteſtatum facinus, poſt amotum obicem gratię obuerſum, idonei ſint, quibus gratiam ſuam tribuat.

Gratia cui magis confeватur.

Paulus ait,(inquiunt) *Lex iram operatur, non dicit per legem homines mereri remiſsionem peccatorum. Lex enim ſemper accuſat conſcientias, & perterrefacit. Non igitur iuſtificat, quia conſciētia perterrefacta lege, fugit iudicium Dei. Erram igitur, qui per legē, per opera ſua mereri ſe remiſsionem peccatorum confidunt.*

Benè equidem Paulus dicit legem iram operari. Sed aduertendum eſt legem nullam in ſuis obſeruatoribus iram operari, ſed amicitiam cum Deo conciliare. Id docent verba

Ioan 14. Chriſti: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & māſionem apud eum faciemus. Conſtat igitur obſeruatoribus legem non operari iram, ſed e diuerſo tranſgreſſoribus. Idem Paulus qui dixit, lex iram operatur, in eadem epiſtola illis bona, iſtis mala prænunciauit. Illis ob obſeruantiam, iſtis ob præuaricationem legis. (Quid legis nomine intelligamus iam ſupra diximus.) Secundum du-

Lex operatur iram in tranſgreſſoribus, in obſeruatoribus contra.

Rom 2. ritiam tuam, inquit, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: his quidem, qui ſecundū patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus, vitā ęternam: his autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, &c. His itaque poſterioribus verbis Apoſtolus ſeſe exponit, & prorſus eneruat aduerſariorum ſtructuram. Sed iam eorum verba diſcutiamus. Non dicit, inquiunt, per legem mereri homines remiſſionem peccatoru. Quid igitur? Num quod hic non dicitur, alibi tacetur? Profectò ſi neque hic neque in ſcripturis alibi haberetur, homines videlicet ex legis, hoc eſt, pręceptorum Dei obſeruantia (ſic enim ipſi legem accipiunt) remiſsionem peccatorum mereri, eſſet vnde gloriarentur. Quod verò, qui diuinis mandatis obſecundant, cum pœnitētia vitæ prioris, remiſsionem peccatorū mereātur, abunde ſuperius Chriſti, apoſtolorum, & Prophetarum verbis teſtatum eſt. Neque habent Aduerſarij, quod iure illis obſtrepant.

Iam ex his quæ habemus in manibus, parū lyncei videtur eſſe acuminis aduerſarij, quod que non vident quæ loquuntur. Accuſant legem peccati, quod timore iudicij conſcientiam perterreſaciat. Hic velim agnoſcere an hominis iuſtificationem labefactet, qui diuini iudicij timorem eringerit. Non video vnde labefactet, video autem vnde iuuetur, vnde erigatur. Scriptura dicit: Timor Domini initium ſapiētiæ eſt. Cùm enim peccator timet Deum, audit terrorē iudicij, examen meritorum, ignem, gehennam, ſupplicia, incipit ſecum animo volutare, quibus modis illa euadat infortunia. Mox ſecum reputat Deum, vt iuſtum, ita eſſe & miſericordem, facilè flexibilem, facile peccata condonantem: peccatoris vitam, non mortem volentem. Et mira celeritate prioris vitę ſtudijs vadit renuntiatum. Et non tantùm vitijs indulſit prius, quantum poſt huius terroris conceptionem virtutibus inhiat. Vide nunc quātum ad hominis iuſtificationem iuuerit lex. Si voluiſſet Chriſtus imperterritum eſſe hominem, & impauidam eius conſcientiam, gehennam, ignem, ſtridorem dentium, fletum, ſulfur & alia id genus ſupplicia ſilentio cōtecta eſſe oportuit. Rurſus, neque debebat Apoſtolus iræ, indignationis, & pœnarū aliquādo meminiſſe. Forſan hoc agunt Aduerſarij, vt ſine vllo timore filij hominum perpetrent mala. Sed nolumus de eis tam male ſuſpicari. Si igitur hoc modo iudicium fugit, id eſt, vt terrore iudicij vicijs renuntiet, virtutes amplexetur, prudenter fugit. Sic enim fugiſſe, vitā mutaſſe eſt. Sed nolūt Aduerſarij

Lex iuuat trepidantes. Prou. 1. Prou. 10.

Minæ cur habeantur in ſcripturis.

 quod

quod verba ſua ita intelligantur.

Concludunt collectionem ſuam diſperſu facilem hoc modo: Errant igitur qui per legem & opera ſua mereri ſe remiſsionem peccatorum confidunt. Si errant, quotquot per operationem legis eiuſque impletioné peccatorem iuſtificari credunt, multo maximè errarunt Prophetæ ſacri, Apoſtoli diuinitùs edocti, & Chriſtus doctrinæ Catholicæ author. Quid verò acceperimus, & euulgauerimus ex ſacris illorum myrothecijs, ex ijs, quę nobis ſuprà dicta ſunt, palàm eſt.

Quia (inquiunt) *non poſſunt homines viribus ſuis legem facere, & omnes ſunt ſub peccato & rei æternæ iræ & mortis, ideò non poſſumus per legem à peccato liberari, ac iuſtificari, ſed data eſt promiſsio remiſsionis peccatorum & iuſtificationis propter Chriſtum, qui datus eſt pro nobis, vt ſatisfaceret pro peccatis mundi, & poſitus eſt mediator, ac propitiator.*

Hoc candido, ſed fluido verborum ſuco multis impoſuerunt Aduerſarij, quibus fortaſsis noſtra nec lecta, vel ſi lecta, nec intellecta ſunt ſatis: vel ſi fortè intellecta ſunt, non facilem ad ſalutem ſemitã demonſtrare ſunt viſa. Virtus enim in ſummo eſt, nec tam facilè à quibuſuis apprehenditur. Et regnum cœlorum vim patitur, & ſoli vi irrumpentes diripiunt illud. Senticoſa eſt, & ardua, multiſque ſpinis obſita pœnitentiæ via, & ob hoc paucos habet qui conterant eam. Cæterùm extra oleas ſatis. Quod tam multis argumentis ſtatuere moliuntur Aduerſarij hominem ſub peccato eſſe, & ſuis viribus legem Dei facere non poſſe, perinde eſt ac ſi diſſecent ignem: nemo enim Catholicorum id negat. At quod colligunt, ideò nos non poſſe per legem à peccato liberari aut iuſtificari, nouum nobis faceſsit negotium, vt interrogemus eos, de qua lege hæc intelligant, de Moyſi, an de Chriſti lege? Si de Moyſi lege, nihil obluctamur & vna eſt vtriſque ſententia. Si de Chriſti lege, vt multis titulis à veritate diſſentaneum, negamus: nam per legis Chriſti obſeruantiam, remiſsionem peccatorum, iuſtitiam, & regnum cœlorum conſequimur. Quid enim in ſua lege magis vrget Chriſtus, quàm vt qui in luto hærent peccatorum pœnitentiæ robore adiuti, liberi abeant? Quid (inquam) magis vrget CHRISTVS, quàm vt mandata obſeruent, qui ſeruari, adeoque in vitam æternam hinc abire volunt? Qui remiſsionem peccatorum verè pœnitentibus, & mandatorum Dei obſeruatoribus contingere negat, in CHRISTVM blaſphemus, & in Euangelium planè iniurius eſt. Quod verò his, qui legibus Chriſti obtemperant, & ad mormam Euangelicam viuunt, ſalus & æterna vita promittatur, ex vnius Chriſti merito contingit, quo ſi modò ei ſimus morigeri, vniuerſi liberamur & ſaluamur. Sic & ſub vetere, Id eſt, Moſaica lege, quotquot legem obſeruauiſſent, ex virtute paſsionis & meritorum CHRISti peccatorum remiſsionem & vitam cõſequebantur. Hinc dicebat per Ezechielem Dominus: Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi, quæ qui fecerit homo, viuet in eis. Ideò Chriſtus illis promiſſus, nobis verò datus eſt, vt tam illos, quàm nos ſaluaret & liberaret. Vnde tùm illis, qui ſub vetere erant teſtamento, tùm nobis, qui ſub nouo ſumus, mediator, propitiator, atque ſaluator datus eſt, quod cum iſtis nobis cõuenit. Hinc eſt quod vtrique, tam veteres Patres, quàm poſt Chriſtum nati, clamamus: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis. Chriſtus, quod Paulus tradit, pro nobis mortuus eſt, & ſemetipſum redemptionem dedit pro omnibus: nunquid igitur omnes ſaluantur? Minimè: pereunt enim quotquot non credunt. Nunquid omnes qui credunt ſaluantur? Id non dixerim multi enim vocati ſunt, pauci electi. Cur ita? Reſpondeat hic ipſa veritas: Lata eſt, inquit, & ſpecioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant per eam. Fuerunt quoque quidam fidei tam ſingularis, vt in nomine Chriſti dæmonia eijcerent ab obſeſsis, qui, niſi ipſa veritas det nobis verba, in extremo examine audient: Nunquam noui vos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quid eſt ergò quod alij ſaluantur, alij pereunt? Quod alij Chriſto creduli etiam obedierũt, iſti contra credentes, ſola fide ſibi ſalutem contingere præſumebant. Et Paulus commemorat, Chriſtum ſolis obtemperantibus ſaluatorem eſſe, dicens: Conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: non obtemperantibus, ruina. Ecce poſitus eſt hic (inquit apud Lucam beatus ille ſenex Simeon) in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael. In quorum ruinam? Planè eorum, qui Euangelio non obedierunt, quos Paulus æternas pœnas in interitu daturos pronuntiat. In reſurrectionem vero è diuerſo poſitus eſt eorum, qui per pœnitentiæ actum, per mandatorum obedientiam, vitam Chriſtianis dignam agentes, tales ſunt, qui in ſortem recenſeantur iuſtorum. Ex his, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, neminem arbitramur latere, Chriſti promiſſa opera noſtra non excludere, imo exigere. Perſpicuum nihilominus eſt, non ita gratis propter Chriſtum dari remiſsioné peccatorum, & ſaluté, quod hęc abſque noſtris operibus fiãt: ſed quod omnes noſtri conatus, omnia ſtudia, omnes actiones ad remiſsionem promerendam inania ſint & infirma, niſi ex ſua liberalitate ipſe nobis Deus propter Chriſti merita gratiam & gloriam ſuam largiatur;

inge-

Virtus apprehenſa difficilis.

Obſeruantia legis meretur remiſsionem peccatorum.

Paſsionis Chriſti merito ſaluamur.

Ezech 20.

Chriſtus veteris atque teſtamenti populũ ſaluauit.

Matth. 21.

1. Tim. 2.

Matt. 22.

Matth. 7.

Ibidem.

Hebr. 5.

Lucæ 2.

ingenuè confitemur. Sed hæc ſuo loco dicē-tur copioſius.

Fide informi ſaltem nobis opus eſſe vt conſequamur remiſſionem peccatorum.

Ex diametro igitur pugnat cum ſacris literis, quod colligunt Aduerſarij, nēpè Chriſti promiſsionem, non habere meritorum noſtrorum conditionem, ſed ita gratis offerri remiſsionem peccatorum, vt noſtris operibus opus non ſit. Et nemo noſtrum neſcit dicere Apoſtolum, gratiam non eſſe ex operibus, alioqui gratia iam non eſſet gratia. Siquidem vt merito congrui mereamur remiſſionem peccatorum, dono nobis opus eſt gratiæ gratis datę, id eſt, fide informi, vel alio diuino inſtinctu. Vt autem merito condigni remiſsionem peccatorum mereamur, egemus gratia gratum faciente, qua ſine nullius omninò opera accepta ſunt & ſalutifera. Prędictum igitur Apoſtoli dictum pro nobis eſt magis, quàm pro Aduerſarijs, qui pro arbitratu ſuo metiuntur, & expediunt omnia.

Prodigioſa verborum Pauli expoſitio.

Iam quod ait Apoſtolus: Iuſtitia Dei iam manifeſtatur ſine lege, parum Catholicè tractant Aduerſarij, quod dicunt: iuſtitiam Dei reuelari ſine lege, idem eſſe, ac ſi dicat, eam iuſtitiam ſine noſtris meritis & operibus cōtingere. Nemo enim ante iſtos temerarios, hoc loco legem accepit pro meritis. Quod autem ſine operibus, hoc eſt, ſine pœnitentia & obſeruantia diuinorum mandatorū nemo iuſtificetur, nemo ſeruetur, docuimus ferè innumeris ſcripturarum dictis, quibus reſtitiſſe temeritatis eſt. Sine qua ergo lege iuſtitia Dei reuelata eſt? num ſine lege Chriſti? nequaquam. Lex enim Euangelica docet, quid Chriſtus, vt nos iuſtificaret, egerit, quid paſſus ſit. Docet etiamnum, quid nos credere, quid facere oporteat, vt iuſtificemur, vt ſaluemur. Præterēa docet, quod Chriſtus ęqua lāce vnicuique pro ſuo opere mercedē reſundat. Nō eſt igitur quod Aduerſarij hac parte ſibi applaudāt. Vide nūc quàm ineptè cōcludant collectionem ſuam. Quod ſi ex meritis noſtris, inquiunt, pēderet remiſsio peccatorum, & reconciliatio eſſet ex lege, inutilis eſſet: quia enim legem nō facimus, ſequeretur, promiſsionem reconciliationis nunquā contingere. Hoc certò ſciant Antagoniſtæ, quod niſi legem faciant, promiſsionem accipere non poterunt, ſtat enim Chriſti verbum: Nō omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit regnum cœlorum. Quæ eſt voluntas patris mei, niſi vt iuſtè, vt ſanctè viuant homines in ſortem ſanctorū acciti? Hæc eſt voluntas Dei, inquit Apoſtolus, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos ab omni fornicatione, vt ſciat vnuſquiſquę vas ſuū poſsidere in ſanctificatione & honore, non in paſsione deſiderij, ſicut & gentes, quæ Deum ignorant. Ne quis tranſgrediatur, neque circūmueniat in vllo negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt de omnibus dominus: ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominē ſpernit, ſed Deum, qui dedit ſpiritum ſanctum in nobis. Haud ſumus grauati tam multa ex Paulo adnotare, præſertim vt videat Chriſtianus lector, quàm parum conueniat Aduerſarijs cum Paulo, quem libenter habent in ore, quam diſsimilia ab eo doceāt. Audiunt à Chriſto neminem vtcunque credat, regno beato potiturum, niſi idem voluntatem patris faciat. Audiunt rurſum à Paulo, quid facto opus ſit homini, vt regno illo potiatur: & Aduerſarij agunt, ſed occultè, vt legis faciendæ nūquam meminerint homines, ſed ferantur pro ſua quiſque libidine, ſed credant tantùm, promiſsionem haud ſibi defuturam, vtcunque viuant. Quorſum autem ſpectabat, vt Chriſtus, Petrus, Paulus, & alij in apoſtolicam functionem acciti, Chriſtiani hominis vitam & mores inſtituerent, vt formas eis viuendi pręſcriberent, ſi non deberēt ſtare, ſed tantum credere, legibus?

Quid doceat Lex Euangelica.

Concluſio inepta.

Matth. 7.

Theſ. 4.

Porrò quod memorant ex Paulo: Si ex lege eſſet hæreditas, inanis eſſet fides, abolita promiſsio, nihil iuuat eorum inſtitutum. Nā hoc de vetere lege dictum nemo, modò ſit ille alicuius acuminis, ex ijs quæ præcedunt, quæq́ue ſequuntur, non videt. Sed ſic libet Aduerſarijs pro ſuis capitibus torquere ſcripturas, vt aliquam nugæ ſuæ faciem habeant. Hoc dicto itaque Apoſtolus Galatis tantùm indicatum voluit: Si ſine Chriſto vetus lex iuſtificare & ſaluare potuiſſet, fruſtra venit Chriſtus, & quod prouerbio dicitur, ex arena funiculum nexuit. Quocirca idem Apoſtolus ſcribens Corinthijs, legem bifariam diſſecuit, in legem Moyſi, & legem Chriſti. Cùm eſſem liber ab omnibus, inquit, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: his, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem. His qui ſine lege erant, quaſi ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti. Et alio loco dicit ſe per legem Chriſti, Moſaicæ legi mortuum eſſe, quodq́ue iſta pædagogus fuerit ad Chriſti legem accipiendam, nihilq́ue ad perfectum perduxerit: Quorſum hæc, inquient hic Aduerſarij, de lege tam multa? Vt ipſi diſcant legem, legi non commiſcere: hoc eſt, ne quod ad nouam legem ſpectat, ad veterem; & è diuerſo, quod ad veterem, ad nouam referant. Sed huiuſmodi ferè eſt animus ineptire volentis.

1 Cor. 9.

Galat. 2.

Cùm

Cùm autem iuſtificatio, inquiunt, contingat per gratuitam promiſsionem, ſequitur quòd non poſſumus nos ipſi iuſtificare. Alioqui, quorſum opus erat promittere, Cumque promiſsio non poſsit accipi niſi fide, Euangelium, quod eſt propriè promiſsio remiſsionis peccatorum, & iuſtificationis propter Chriſtũ, prædicat iuſtitiã fidei in Chriſtum, quã non docet lex, neque hæc eſt iuſtitia legis: lex enim requirit à nobis opera, & perfectioné noſtrã. Sed promiſsio offert nobis oppreſsis peccato & morte, gratis reconciliationem propter Chriſtũ, quæ nó accipitur operibus, ſed ſola fide. Hæc fides non adfert ad Deũ fiduciam propriorũ meritorum ſed tantùm fiduciã promiſsionis, ſeu promiſſæ miſericordiæ in Chriſto. Hæc igitur fides ſpecialis, qua credit vnuſquiſque ſibi remitti peccata propter Chriſtũ, & Deum placatum, & propitium eſſe propter Chriſtũ, conſequitur remiſsionem peccatorũ & iuſtificat nos. Et quia in pœnitentia, hoc eſt, in terroribus conſolatur & erigit corda, regenerat nos, & affert ſpiritum ſanctum, vt deinde legem Dei facere, videlicet diligere Deum, verè timere Deum, obedire Deo, poſsimus. Miror hic Antagoniſtarum aſtutiam, vafriciem, & dolum. Tam enim hæc ſunt callide, tam aſtutè conſarcita, vt vel Oedipo imponant. Bene autem habet, quod ſcripturam non habent, qua ſua communiant, ſicut & vbique ferè nó habent, niſi pro ſuo capite detortam. Porrò nouus hic aures noſtras verberat iuſtificationis modus, nouum Euangelium, noua lex, noua fides, iam olim & nata & edita, noua denique omnia, quæ vt fidem facerent lectori, cùm ſcripturis, tùm prodigijs erant roboranda. Nihilominus non aliter ea ingerũt, quam ſi vt oracula ſuſpicere eſſet operæpretium. Sed agè, explicemus Silenum. Quod itaque primum aſſumunt, nempe per ſolam gratuitam promiſsionem, abſque vllis noſtris operibus iuſtificari hominem, à veritate eſt alieniſsimum, quia Chriſti verbis haudquaquã quadrat. Dicant nobis quibus peccatorum remiſsio, iuſtificatio, & ſalus ſit promiſſa. Nũ ſolis credentibus? Si iſtis tantùm facta eſt remiſsionis peccatorũ, iuſtificationis, & ſalutis promiſsio, non eſt quod vllum vnquã animę timeant interitum. Vt enim Deus ſemper vnus eſt, ita & verbum ſuum nunquam retractat. Atqui exploratum eſt perijſſe multos, qui crediderunt quidem omnia. Quæ autem fuit perditionis cauſa? Nó alia, quã quod cùm crederent, nullam fidei ſuæ in operibus expreſſerunt imaginé. Neceſſariũ igitur vt fidei adcopulata ſit mandatorũ obſeruãtia, ſi quis inde ſperare velit iuſtificationis & ſalutis fructum. Quemadmodum enim ſuapte ſponte Deum offendit homo, ita eum nó placat ſine ſuo ipſius bono opere. Non ſtat igitur, quod per ſolam gratuitã promiſsioné abſque opere, homo in gratiã recipiatur ac iuſtificetur.

Promiſsio propitiationis neceſſaria valde.

Si nos ipſi nos, inquiunt, iuſtificare poſſumus, quid opus erat promiſsione? Haud difficile eſt ad hæc reſpondere. Siquidem promiſsionem propitiationis pœnitẽtibus ſummopere eſſe neceſſariam, quis neſcit? Nam nemo ſtuctuoſam aut ſalubrem agit pœnitentiã, niſi eam in ſpe veniæ agat. Pœnituit quidé Iudam, vt refert Matthæus, perpetrati facinoris, ſed quia animum deſponderat, id eſt, ſpem veniæ non habuerat, in ſuo ſcelere perijt. Spe autem veniæ pœnitens peccator vacaret, ſi peccatorum remiſsionem Deus pœnitentibus non promiſiſſet. Huc igitur opus erat promiſsione. Non minus à vero diſsidet, quod ſæpe contendunt Aduerſarij, ſola fide contingere remiſsionem. At toties iiſdé ineptijs reſpondere, quoties obijciũtur, tãetſi graue ſit, & facultatem ſuperet tenuioris ingenij, haudquaquã tamen omittendum erit omninò, ne ipſi in ſinu gaudeant de Marte vixdum auſpicato Quod itaque ſola fide peccatũ nemini condonetur, palã eſt. Nam quod non tantùm credenti, ſed & pœnitenti, ſed præceptis diuinis parenti, peccatorũ fiat remiſsio, præter alia quæ diximus, docet illud Ezechielis: Si impius egerit, pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium & iuſtitiam, &c. & illud Chriſti apud Matth. Agite pœnitentiam, & appropinquabit regnũ cœlorum: & rurſus illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Si non eſt alius ad vitam & ad regnum cœlorum, quàm per pœnitentiam & mandatorum obſeruantiam, aditus, vt verè non eſt: errant ergò quotquot falſo ſibi remiſsionem peccatorum & ſaluté ad ſolam fidem repromittunt.

Matth. 27.

Fides cum pœnitentia meretur remiſſ. peccatorum.

Ezech. 18
Matth. 4.
Matth. 19.

Nec minus à veritate diſcrepat, quod volunt Antagoniſtæ, Euangelium Chriſti tantùm promiſsionem eſſe. Nam vt iam oſtendimus, Euangeliũ Chriſti non ſolùm promittit remiſsioné peccatorũ, & in Chriſtũ fidem & beatitudinem, verũ etiam docet, quid nobis, vt promiſsionis efficiamur participes, faciendum ſit. Docet præterea pœnitentiam, docet mandatorum Dei obſeruantiam, docet corporum caſtigationé, miſericordiam, humiliationé, obedientiam, & multa alia, quæ lógiſsimo diſtant à promiſsione interuallo. Neque verò habet Euangeliũ ab etymologia vt promiſsionem ſignificet, nam bonum nuntium interpretatur, quod etiãnum à promiſsione multũ diſcrepat. Auſim quoque dicere, ante Aduerſarios neminem Catholicorum cogitaſſe quidem, vt Euangelium tantùm promiſſionem diceret. Sed ad temerarias inuentiones plus ſatis illi ſibi indulgent.

Euangelium multa complectitur.

Similiter repugnat veritati, quod docẽt aduerſarij;

uerſarij, legem non docere inſtitiam fidei in Chriſtum. Quocirca aduertendum, quantum pertinet ad legem Moyſi, quod tametſi non tam palàm, ſed ſub inuolucris ac ænigmatibus iuſtitiam fidei in Chriſtum doceat, inculcat nihilominus opera noſtra non eſſe accepta ſine fide in Deum. Quod ſi in Deum, ergò & in Chriſtum, qui vtique Deus eſt. Lex autem Chriſti luce clarius iuſtitiam fidei docet, quod nemo neſcit. Docet enim quod qui pœnitentiam agunt, per Chriſtum iuſtificētur. Quotquot igitur tā ſub vetere lege, quā ſub noua ſalui facti ſunt, in fide Chriſti ſalui facti ſunt: illi, vt legi obedierunt: iſti, vt fecerunt, quæ iuſsit Chriſtus. Errant igitur Aduerſarij, vel in hac parte. Quod nunc addunt, legem ab hominibus opera & perfectionem requirere, certo certius eſt, & tanquam quod è Catholica officina prodierit, amplectimur. Requirit, inquam, lex opera noſtra & perfectionem: quam, quia à nobiſipſis ipſi habere non poſſumus, affluenter offert nobis gratiā ſuam, qua poſſumus, modo ipſi nobis nó deſimus, hoc eſt, vt gratiam oblatam iuſtis deſiderijs imploremus. Et tam gratuito offert, vt eam de cōdigno nemo mereri poſsit quod ſuperius nobis longiori filo diductum eſt. Quod ſi à Deo gratiam nó obtineamus, omnia ſtudia noſtra, omnia opera erunt inania. Si accipiamus verò, accepta erunt Deo, & meritoria. Et nemo bene Chriſtianus eſt, qui ita proprijs confidit viribus, ſuiſque operibus, vt gratiam Dei, vt Chriſti meritum excludat

Lex docet, iuſtitiam fidei in Chriſtum.

Lex requirit opera noſtra & perfectionem.

Porrò nunc faciunt nos Aduerſarij vel attentiſsimos, cùm ſpecialis fidei nomenclaturam ingerunt. Hæc igitur, inquiunt, fides ſpecialis, qua credit vnuſquiſque ſibi remitti peccata, conſequitur remiſsionem peccatorum. Videtur ex hoc apud Aduerſarios nouum eſſe Chriſtum, nouum Euāgelium, nouam Eccleſiam, nouam fidem, nouam promiſsionem, noua denique omnia, quę neſcierunt Apoſtoli, & poſt apoſtolós vicaria ſanctorum ſucceſsio, quorum ſacra fides indeſinenter hucuſque ad nos per bonos viros, ceu per canales deriuatur. Quod ſi hanc ſpecialé fidem, quam iſti efferūt, agnouiſſent, aliquod certè eius veſtigium in ſcriptis illorum reliquum eſſet, vt non eſſet Aduerſarijs operæpretium, eius notionem poſtliminio, ceu è ſpecu eruere. Audio, Paulo vnius fidei reuelatam notionem, audio etiam, alios apoſtolos, fidei facere mentionem, ſed nullā audio ſpecialem fidem. Verùm enimuero fides iſta quam docēt aduerſarij, prorſus ſpecialis eſt, meretur enim, vt ipſi volunt, & ſi placet Deo remiſsionem peccatorum. Quod non meretur communis omnium Chriſtianorú fides, quam Chriſtus noſter noſtriq; docuerunt apoſtoli, quęvult, vt ſibi accopuletur etiā num pro peccatis pœnitentia, vt ad promerēdam remiſsioné peccatorum multô ſit efficaciſsima. Videor mihi ſubodorare, quorsú aduerſarij nouæ iſtius & ſpecialis fidei noméclaturam excogitauerint, idq́ue ſine ratione, ſine ſcriptura. Sed nó dicam, niſi vt ſibi magis indulgeant, complicibuſq; liberius viuédi frenum relaxēt. Tantùm de ſpeciali illorú fide. Nunc videat hic Chriſtianus lector, quàm nihil ſibi conſtent Aduerſarij, quamq́ue parū iſta, quæ dicunt, cum ijs, quæ quinto Confeſsionis ſuæ articulo confitentur, quadrent. In Confeſsione dicunt, ad hanc fidem recipiendam inſtitutum eſſe miniſterium porrigēdi ſacramenta, nam per verbum & Sacramenta, tanquam per inſtrumenta, donatur ſpiritus ſanctus, qui fidem efficit, vbi & quādo viſum eſt Deo, in his, qui audiunt Euangelium. Hic contra dicunt, hanc fidem afferre ſpiritum ſanctum. Quæ magis inter ſe pugnant, quàm iſta duo? Spiritus ſanctus efficit fidem, &; Hęc fides affert ſpiritum ſanctum? Quam dudum eſt, quod dicebant, nos nunquam facere legem? Iam hic dicunt, per fidem afferri ſpiritum ſanctum, vt deinde legem facere poſsimus. Illic dicunt nunquam facimus legem; hic, vt facere poſsimus. Qui facit legem & habet ſpiritum ſanctum, vtique vnquam legem facit: ſed ipſi dicunt nunquam facimus. Vbi eſt acumen eorum? Crebrò ingerunt, nullam eſſe informem fidem, hoc eſt, nullam eſſe fidem, quæ non habeat charitatem adnexā hic ſuiipſorum immemores, dicunt hanc ſpecialem fidem tandem ſpiritum ſanctum aſferre, vt deinde legem faciant, videlicet diligere Deum, &c. poſsint. Si poſt fidem datur dilectio, manifeſtū eſt, quod fides prius quā diligerent, erat informis, hoc eſt, ſine charitate. In tam clara luce offenderunt. Sed quid mirum, ſi errent, ſi ipſi ſibi non conſtent, ſi in meridiano ſole vt in tenebris palpitent, qui fidem Catholicam, qui eccleſiaſtica ſacramēta, qui ſacros eccleſiæ ritus & ordinationes impudenter & perfricta fronte auſi ſunt contaminare? Videt hic, qui vel modicum habet luminis, quàm turpiter ipſi ſeſe traducāt, ſine vllo noſtro adiumento, verùm id núc magis magiſq́ue eluceſcet.

Lutherani parum ſibi conſtant.

O ſapientes homines.

Capiuntur hic uerum Lutherani.

Fides, (inquiunt) quæ gratis accepit remiſſionem peccatorum, quia opponit mediatorem & propitiatorem Chriſtum iræ Dei, nó opponit noſtra merita, aut dilectionem noſtram, quæ fides eſt cognitio Chriſti, & vtitur beneficijs Chriſti, & regenerat corda, & præcedit legis impletionem. Et de hac fide nulla ſyllaba extat in doctrina aduerſariorum noſtrorum. Iſti dicunt fidem præcedere legis impletionem, & Paulus dicit plenitudiné ſiue impletionem legis eſſe dilectioné. Relinquitur ergò fidé charitatis eſſe

Acumen deſideratur in Lutheranis.

præam-

præambulonem,& ſtat rurſum noſtrum propoſitum,videlicet quod ſit & informis fides, vtpotè quę charitatem non habeat annexam. Putabam Aduerſarios doctioris fuiſſe Mineruæ,magiſque lynceos, quàm vt ipſi nobis gladium darent,quo confoderentur.Si verò quod ipſi confitentur, fides legis impletionem id eſt,charitatem,præcedit,quantumuis etiamnum inſaniant, eſt aliquando fides ſine charitate. Quemadmodum autem vno tempore fidem ſine charitate eſſe compertum eſt,ita & alio tempore poteſt eſſe ſola.Neque ſtatim poſt peccatum deſinit in peccatore fides,imo vt reſurgere poſsit à lapſu, manet in eo integra. Sed hæc alias commodiorem habebunt locum.

Fides, quæ ſequitur legis impletionem.

Iam quod dicunt fidem veram eſſe cognitionem Chriſti,è ſacro Catholicæ eccleſiæ penu deprompſerunt,& de hoc vtriſque conuenit. Item hanc, ſi modo Chriſti beneficijs bene vtatur,corda regenerare, ac legis præcedere impletionem,non negamus,ſed probamus,ſed vt nobis peculiare exoſculamur. Doctrina enim Catholica eſt, fidem veram eſſe cognitionem Chriſti,tametſi cognoſcentes Chriſtum,cognitum, vt oportet, non diligunt,non obſeruant,non ſuſpiciunt. Hanc inquam fidem,non dubitant legis impletionem præcedere,quod ſciant eam in peccatoribus informem eſſe. Quæ, ſi Chriſti beneficijs,hoc eſt, ſupernaturali illuſtratione,diuinaq; inſpiratione & vocatione bene vſa fuerit, proculdubio per veram pœnitentiam Deo hominem regenerat.Præcedit autem,vt diximus legis impletionem, id eſt, charitatē aut dilectionem,quam vbi indepta fuerit,legem Chriſti implet:ſin autem,temerat. Quis putauiſſet,Aduerſarios tam ſtrenuè pro nobis militaturos?

Calumnia.

Proinde vbi perſuaſerunt, ſibi aliquam magnam nobis ex ijs, quæ commentati ſunt falſo aduerſum nos,inuſsiſſe maculam, tum demum concludunt: De hac fide, inquiunt, nulla ſyllaba extat in doctrina aduerſariorū noſtrorum: proinde reprehendimus aduerſarios,quod tantùm tradunt iuſtitiam legis, non tradunt iuſtitiam euangelij, quod prædicat iuſtitiam fidei in Chriſtum. Dignum planè patella operculum, vt enim telam ſuá à calumnia exorſi ſunt,ita & à calumnia decidunt, cùm dicunt: De hac fide nulla ſyllaba extat in doctrina aduerſariorum ,aut de fide communi,hoc eſt,de fide in Chriſtum accipi volūt,aut certè de ſpeciali ſua fide, quam ipſi multis nominibus efferunt. Si hoc modo accipiunt,adnuimus prorſus, ſed hac ratione ipſi ſe inſimulant hæreſeos: nam quos aduerſarios vocent,doctores Scholaſticos & Catholicos putant,qui fortiter eccleſiæ Dei partes tuentur.Quod ſi,vt ipſi dicunt, ne vna quidem ſyllaba de hac fide ſua in eorum ſcriptis extat, alterum nobis admittant neceſſe eſt, vel vniuerſalem eccleſiam annos abhinc quadringentos in fide erraſſe,vel ſeſe tota, quod dicitur,via errare. Compertiſsimum autē eſt prędictos Theologos ne ad latū quidē vnguē ab vniuerſalis eccleſiæ ſententia variaſſe, id quod nec ipſi inficias ire poſſunt. Si verò accipiant,vt de communi fide in Chriſtū nulla in illorum doctrina extet ſyllaba, mentiūtur planè turpiter. Nemo enim ignorat, quam multa de fide Chriſti ſcripſerint: & ſi negent Aduerſarij,res ipſa id clamat. Sed de hac ſpeciali fide,quæ iam ante annos plus minus viginti apud Vvittenbergam nata eſt, ingenue fatemur,mirum eſt apud eos ſilētium. Quid enim de ea re dicerent, quam neque ab apoſtolis,neque à Chriſto accepiſſent. Conſtat igitur vel Aduerſarios vel vniuerſalem eccleſiam in recentioris iſtius fidei cauſa errare plurimum: illi, quod nouam & ſpecialem fidem mundo ingerunt: illa, quod vult nouæ fidei deferre,& ſuo honore proſequi.Sed Eccleſia vt teſtimonio Chriſti, in his, quæ ad fidem,ſacramque religionis pertinent obſeruantiam,errare non poteſt,ita nullius nouæ ac ſpecialis fidei,doctrinam admittit,ſed ſuo ſemper per ſpiritum ſanctum ſtat iudicio.

Nunc Aduerſarij conſequenter aliam in fidem Catholicam moliuntur irruptionem. Compertum enim habent, hactenus infirmos atque elumbes fuiſſe arietes. Meditantur autem nunc irruptionem ex fidei ipſius natura,non minus mendaciter quam priores machinas extruxerunt.Nam vt hactenus Catholicis viris exprobrarunt, quod doceant hominem ſua ipſius virtute,ſine ſpiritus ſancti gratia, poſſe mandata ſeruare; ita nunc quoque, vt fallant ſimplices quoſque, nugantur,aduerſarios ſuos, orthodoxos puta doctores, fingere, fidem ſolùm eſſe hiſtoriæ notitiam,quodque ſimul cum peccato mortali poſsit eſſe.

Mendacium.

Dicunt enim ſic: Aduerſarij tantùm fingunt fidem eſſe notitiam hiſtoriæ, ideoque docent,eam cum peccato mortali poſſe exiſtere. Nihil igitur loquuntur de fide, qua Paulus toties dicit hominem iuſtificari, quia qui reputantur iuſti coram Deo,non verſantur in peccato mortali. Sed illa fides quæ iuſtificat,non eſt tantùm notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſsioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſsio peccatorum & iuſtificatio.

Mendacij arguuntur Lutherani.

Quòd dicunt Catholicis fidem tantùm hiſtoriæ notitiam eſſe,mendacium eſt, & haud ſcio an hoc mendacio eſſe poſsit apertiùs, quod nemo ferè neſcit, qui vel tenuiter illorum ſcripta introſpexerit. Ipſi Catholicæ fidei noſtræ Antagoniſtæ habent perſuaſiſsimum,

anum, fidem ſimul cum peccato mortali, & informem nunquam eſſe poſſe, cui tãquam baſi inhærent mordicus. Hic igitur operæpretiũ fuerit demonſtrare, fidem in peccatore manentem, informem, & virtutem eſſe, quod omnino nolunt Aduerſarij. Fidem eſſe donum Dei, quo intellectus illuſtratur roboraturque, vt ea, quæ naturalem captum ſuperant, agnoſcat, & abſque vlla hæſitatione credat, neminem puto latere, præſertim cùm dicat ad Hebræos Apoſtolus, fidem ſubſtantiam eſſe ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Contingit autem & haud raro vſu venit, vt illuminato in homine intellectu, non æque mox etiam inflammetur affectus, hoc eſt, qui cognoſcit Deum, idem, vt teneretur, eum ſtatim etiam non diligit, non obſeruat, neque colit. Hinc de his, qui ſæculo ſapiebant, dicebat Paulus: Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Quemadmodũ autem iſti naturali ratione ex creaturis Deũ cognoſcebant, quem tamen, vt debebant, nõ diligebant: ita & multi Chriſtiani diuino fidei munere ad radiati, cognoſcunt Deum, cognoſcunt diuinam voluntatem, & tam firmiter fide ſtant, vt malint vel corporis iacturam facere, quàm tranſuerſum vnguem à Catholicæ fidei norma diſcedere. Qui tamen, vt oporteret, Deum non diligunt, neque mandatis eius obſequuntur; habent quidem fidem, qua, quæ naturalem intellectus facultatem excedunt, ſine quauis ambiguitate credunt, vacant nihilominus in Deum dilectione, & gratia gratum faciente, & ſæpenumerò præcepta eius præuaricantes, peccatis ſunt ceu cœno obuoluti. In iſtis igitur fides eſt, ſed informis, quia dilectionem, quæ forma eſt & virtutum ſpecialis quædam vita, non habent. Vnde & hanc fidem Iacobus dicebat eſſe mortuam. Præterea vt in libro de prædeſt. ſanctorum teſtatur Auguſtinus: Credere eſt cum aſſenſione cogitare. Cui adeò ſubſcribit Lutherus, vt in Actis ſuis, fidem nihil aliud eſſe dicat, quàm illud quod promittit Deus aut dicit, credere. Euidentiſſimum verò eſt, pleroſque multos ſimultatem ſecum in corde geſtare, alios etiam rapto viuere, alios adulterio diffluere, qui nonnunquam tamen fidei articulos cum mentis aſſenſione voluunt atque reuoluunt, neque hærent animo an vera ſint, quæ Deus aut dixit aut promiſit, vel quod dicunt Aduerſarij diuinæ aſſentiuntur promiſsioni. Si igitur, vt inquit Auguſtinus, credere eſt cum aſſenſione cogitare, ſi, quod ipſe ait Lutherus, fides eſt, quod dicit, quodque promittit Deus, tantùm credere, imo ſi, vt ipſi hic dicunt Aduerſarij, fides eſt ſolùm aſſenſio ad diuinam voluntatem, erunt certè multi ſuis peccatis immerſi, qui credent omnia, ſed ob hoc ſolùm nihilo erunt meliores, niſi fidei etiam adiungant alia ſua monilia. Credunt enim, vt refert Iacobus, dæmones & contremiſcũt. Relinquitur igitur, modò velint ſibi conſtare Aduerſarij, fidem in peccatoribus exiſtere informem. Ad hæc, vt inquit idem Auguſtinus, nihil eſt homini certius ſua fide. At in eius quoque ſententiam ferè it Lutherus articulo 14. dicens: fidem in corde certiſsimè ſentiri poſſe, ſi quis eam habeat. Quare ſi nũquam fides charitate vacat, perſpicuum eſt, nihil eſſe homini certius, quàm quod in charitate ſit. Sed id ita haud multũ quadrat ſcripturæ dicenti in Eccleſiaſte: Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei ſunt, & neſcit homo vtrum odio an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Hic ſi ſcripturæ credunt aduerſarij, confiteri coguntur neſcire hominem, alioqui fidelem, an in charitate ſit. Quando igitur tradũt fidé certiſsimè in corde credentis ſentiri poſſe, velint, nolint, relinquere nobis debent, fidem aliquando ſine charitate, hoc eſt, informem eſſe in peccatoribus.

Fide intellectus illuſtratur.
Hebr 11.
Rom. 1.
Fides informis quomodo ſit efficax.
Iacob 2.
Auguſtin.
Fides, quid ſit Luthero.
Iacob. 2.
Nemo neſcit vtrum in charitate ſit. Eccl. 9.

Adde prædictis, virtutis habitum, non niſi per oppoſitum vitium interire poſſe, vtpotè iuſtitiam obnubilat iniuſtitia, prudentiam dementat ſtultitia, temperantiam vincit intemperantia. Virtus enim ſimul cum vitio nequit coaleſcere, & vt alterum in alterius vergit perniciem, ita fidei habitum non tollit niſi incredulitas. Quantumlibet igitur peccet, qui credit, niſi in hæreſim decidat aut in incredulitatem, fidei tamen habitum non amittit, charitatem tamen cæterarum virtutum ornamentum perdit. Stat ergò rurſus noſtra ſententia, quod ſicut cæteræ virtutes, ſic & fides quoque informis in peccatoribus manet. Alioqui, quod vel dictu eſt abſurdiſſimum, omnis peccato mortali obnoxius, nõ ſolùm hæreticus, ſed & infidelis cenſeretur.

Virtus ſine vitio non perit.

Iam ſi per quoduis peccatum mortale fidei lumen ex homine radicitus extirpatur, profectò omnis peccatori ſpes reuertẽdi erit adempta, potiſsimùm cum fides, vt Paulus dicit, & nos ſupra teſtati ſumus, conuerſionis noſtræ, iuſtificationis & ſalutis baſis ſit & initium, qua qui vacat, neque timet, neque ſperat, neque amat, & nullum prorſus metuit ſupplicium. Cur ita? Quia non credit eſſe Deum, mortuorum reſurrectionem cenſet impoſsibilem, & omnia, quæ fide Catholici amplectuntur, ſiculis gerris æſtimat inaniora. Deus igitur vt ſemper eſt beneficẽtiſsimus, & nullius cupit interitum, ſed magis vt conuertatur & viuat, noluit ſalutis hoc ſeminarium in homine extinctum iri, ne ad ſalutem redeunti non pateret oſtiũ. Hinc facit homini & viuendi copiam, hinc eſt

Fides ſalutis noſtræ baſis.

quod patienter expectat peccatori pœnitentiam, vt tandem conuerſus, fidei ſuæ fructũ percipiat. Proinde quod nemo negat, dona Dei ſacra eius bonitate concesſa, in peccatoribus remanent. Hinc enumerat Paulus Corinthijs quæ quiſque dona ab Opt. Max. Deo accepiſſet, dicens: Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij verò ſermo ſcientiæ, alteri fides in eodem ſpiritu, alteri gratia ſanitatum in vno ſpiritu, & alia aliorum dona, quibus qui rectè vtitur, & ſuæ ipſius, & aliorum ſaluti conſulit. Sed manifeſtum eſt, hæc apoſtolum non de donis gratum facičtibus, ſed de donis gratis datis intellexiſſe. Prophetauit. n. Balaam, prophetauit & Caiphas, vterque in Deum impius. Sunt nunc multi, qui è ſuggeſtu valent plurimum, domi lupas fouent, de quibus dicit Chriſtus: Dicunt, & non faciunt. Quemadmodum igitur iſta dona iuſtis ſimul atque iniuſtis ſunt communia, ita & fides vtriſque communis eſt, quandoquidem cum illis etiam connumeratur.

Dona Dei manent etiã in peccatoribus.

1. Cor. 12.

Ioan. 11.

Fortè erit, qui dicat, Paulum hoc loco ſingulorum peculiaria recẽſuiſſe dona, haud quaquam omnibus in vniuerſum communia, fidem verò omnibus eccleſiæ membris communem eſſe, nullumq́ue de corpore Eccleſiæ cenſeri debere, qui fide vacet, vel ſaltem informi, & reipſa infidelẽm foris vt alienum ſtare. Benè quidem hic mouetur, ſed ego inficias iuero, hæc ita eſſe. Si autem ita eſt, vt vtriſque conuenit, oportet planè illam tam excellentem fidem prodigiorũ claritate inſignem, alijs donis gratiæ gratis datæ adnumerare, & vt illa priora dona, ita & fidẽ in peccatore poſſe conſiſtere. Nam quod illa tam excellens fides quæ prodigijs claret, ſimul in peccatore eſſe poſsit, docemur ex ipſis Chriſti verbis: Multi dicent mihi, in die illa, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c. qui niſi crediſſent in Chriſtum, nullam poterant in nomine eius virtutem facere: & ijdem tamẽ audient: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Sequitur ergò, fidem illorum informem eſſe, & non venient ad præmium fidei, auctor eſt Cyprianus, qui fidem nolunt ſeruare mandati.

Matth. 7.

Haud abſimilem habebant fidem illi de quibus Ioannes ſic refert: Multi crediderunt in nomine eius videntes ſigna eius quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis. Et maiorem illi fortaſſe, de quibus idem dicit: Ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non cõfitebantur, vt è ſynagoga non eijcerẽtur. Dilexerũt enim gloriam hominum magis quã Dei. Credunt certè iſti, & diligunt, ſed Deum minus, magis hominum leuem auram.

Cyprianus de ſimp. prælatorum.

Ioan. 2.

Ioan. 12.

Videas quoque frequenter auaros, ſuperbos, ebrioſos, adulteros, & alias id genus hominum feces, tanta pertinacia pro ſua fide, quam à maternis vberibus exuxerunt, decertare, vt malint & ſui corporis, & bonorum iacturam facere, quam ad latum culmu ab ea deficere. Habent & iſti fidem, ſed informem, ſed charitate vacuam. Quid nullis eſt pluribus chartas redimere papyraceas, cum in pleriſque multis fidem videas tam frequenter informem, vt qui hoc negatum eat, neque ſcripturis, neque ipſe ſibi hoc experto, credat.

Mali fidem habent, ſed informem.

Auguſtinus quoque manifeſte docet, per fidem impetrari gratiam iuſtificantem quod nunquam nobis crederent Aduerſarij. Nam iniuſtis, vt reſipiſcant, ſic conſulit: Confugiant, inquit, per fidem ad iuſtificantem gratiam, & per donum ſpiritus ſuauitate iuſtitiæ delectati, pœnam literæ minantis euadant. Conſtat hanc fidem, qua perurget iniuſtos gratiam quærere, informem eſſe. Alioqui ſi formata erat, quid opus fuit iuſtis, (illa enim formata fides iuſtificat,) quærere quod iam erant conſequuti? Rurſus idem: Ideo, inquit, per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam Deus, vt ad eius miſericordiam per fidem confugiens ſanetur. Hic ſecundo perſpicuum eſt, grauiter peccatorum vulneribus ſaucium, formata vacare fide, quam ſi haberet, iam olim peccatorum obductæ eſſent cicatrices. Idem quoque libro eodem manifeſtius hæc noſtra confirmat: Nulli, inquit, dubium eſt, eam fidem ab Apoſtolo commendari, qua creditur Deo: Sed adhuc eſt aliquid ad diſcernendum, quoniam illi, qui ſub lege ſunt, & timore pœnæ iuſtitiam ſuam facere conantur, & ideo non faciunt Dei iuſtitiam, quia charitas eam facit, qua non libet, niſi quod licet. Non timor, qui cogitur in opere habere, quod licet, cũ aliud habeat in voluntate, qua mallet, ſi fieri poſſet licere, quod non licet. (Audi nunc quid pro nobis dicat.) Et illi ergò credunt Deo, nam ſi omninò non crederent, nec pœnam legis vtique formidarent. Sed non hanc fidem commendat apoſtolus, qui dicit: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus: Abba pater. Timor ergò ille ſeruilis eſt, & ideò quamuis in illo domino credatur, non tantùm iuſtitia amatur, ſed dãnatio timetur, filij verò clamant: Abba pater. Quarum duarum vocum vna ex circunciſione, altera à præputio, Iudæi primum & Græci, quoniam vnus eſt Deus, qui iuſtificat circunſionem ex fide, & præputium per fidem. (Attende hinc verborum energiam.) Cùm autem clamant, aliquid petũt, & quid petũt? niſi quod eſuriunt & ſitiũt. Et hoc quidẽ niſi quod

[illegible] ca. 16.

Lib. eodem.

Lib. eodem cap 32.

Rom. 8.

quod de [illegible] eſt. Beati, q[illegible] & ſitiunt iu[illegible]tia[m], quoniam ipſi [illegible] pari [illegible] tranſeant, qu[illegible] ſub lege [illegible]nt, vt ex ſer[illegible]ſ[illegible] nec tamen ſic, vt ſerui eſſe de[illegible]ant, ſed vt tanquam filij, do[illegible] & patr[illegible] beraliter ſeruiant, quia & hoc acceperunt. Dedit enim ille poteſtatem v[illegible]ios Dei fieri credentibus in nomine eius, eoſque admonuit petere, quærere, pulſare, vt ac[illegible]nt & inueniant, & aperiatur eis, addens increpationem & dicens: Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data date filijs veſtris, &c. Quis eſt tam nullius ingenij, qui ex his, quæ cum labore, ſed libenter ex hoc B. patre Auguſtino adnotauimus, non intelligat eum [illegible]dem bifariam diuidere, vt altera formata ſit, altera informis, & per hanc docere, vt gratiam quęrat peccator, qua accepta, fides haud dubie formatur, & peccator iuſtificatur. Quid eſt quod tantoperè laboramus, vt fidē in hominibus demonſtremus aliquando eſſe informem, cū & noſtri antagoniſtæ neſcij idem confiteantur, quod omni modo negatum percupiebāt nam ſic habent in Apologia.

» Semper ſtatuere debemus, inquiunt, quod » propter Chriſtum habeamus placatū Deum, » etiamſi nos indigni ſimus. Et mox: Semper » ſtatuendum eſt, quod fide propter Chriſtum » iuſti reputemur.

Docent hic Aduerſarij ſuos, vt Phariſaicū induant ſupercilium, & ſe iuſtos arbitrentur ex tenui fidei facie, cum tamē eorum magna pars voluptatibus & delitijs Sardanapalū, habendi deſiderio Midām, voracitate Epicurū ſuperēt. Sed qua fide poſſunt iſti ſemper credere, quod Deum habeant pacatum, quū fidē non habeāt charitate formatā, quum interim nihil adlaborent, quo correctiorē vitā viuāt? Quomodo dicet quis, quoniam diligo Deū, cuius mandata nō obſeruat? Inanis eſt planè iſta Aduerſariorū iactantia, inanes ſunt, qui iuſtitiam ſibi arrogant, niſi præſtēt, quod audire volunt. Sed iſtos quis putet fidem habere formatam, cùm extra eccleſiam cōſtitutis ne informis quidem ſalutaris ſit. Iſtos relinquamus ſuæ philautiæ. Non poſſunt facinoroſi Deum habere pacatum, qui indigni ſunt quibus placatus ſit Deus: neque coram Deo i[illegible] reputari poſſunt propter fidem in Chriſtū, ni[illegible] de ſi illa charitate ſit formata. Quod ſi ea fide carēt, ſequitur, eos qui in Chriſtum credunt, & quadantenus Chriſtiani ſunt, fidē informē habere. Statuunt ergo Aduerſarij, ſed neſcij, quod dirutū volebāt. Quantū autē habeat hęc illorū ſententia virlū, mox cómodū dixero, niſi magis ſentētię noſtrę accedūt.

Fidei Lutheranorum vanus.

» Sent[illegible]re oportet, (inquiūt) de Chriſto, quod » apu[illegible]ſum ſit quærenda remiſſio peccato» ru[illegible]: Quærere apud ipſum remiſſionem pec[illegible]orum, eſt ſummus cultus Chriſti. Por[illegible]ro [illegible] de Chriſto ſentire, eſt verè credere. L[illegible]lar[illegible]eſt, multos, qui tamen nihilo » m[illegible]in[illegible]nt, cre[illegible]re remiſſionē peccatorum a C[illegible]ngere, & ab hoc ſolo q[illegible]re[illegible]da[illegible] & quidem quærere remiſſionem [illegible]rum, qui tamen quęſitionis [illegible] non ſiun[t] compotes: nam eo pacto, qu[illegible]orte[illegible] quærunt. Sed dum p[illegible], dum quærunt rem[illegible]onem peccatorum, pal[illegible] eſt, eos non habere remiſſionem peccatorum. Fruſtra enim quæritur, quod iam poſſidetur. Quando autem non habent remi[illegible]nem peccator[u]m, non poſſunt iam Deo p[illegible] eſſe, neque poſſunt iuſti nuncupari. Q[uando] ergo quærunt remiſſione[m] peccatoru[m], quam non habent, neceſſario relinquitur, eos per fidem informem, necdum charitate redimitam, remiſſionem peccatorum quęrere. Nam ſi haberent charitatem fidei annexā, nihil opus foret alia quęſitione amicis Dei. Non eſt ergò quod negent Aduerſarij, fidem vnquam in fi[de]li informē eſſe, maximè cum i[pſ]i ijdem neſcij dicant, idque non hoc loco tantùm, ſed & ſequenti nō minus apertè. Fides, (inquiunt) antecedit » dilectionem, imò non timemus, inquiunt, » Deum, non diligimus Deum, niſi prius iuſti- » ficemur per fidem. Poſtquàm autem iuſtifi- » cati & renati ſumus, incipimus Deū diligere. »

Hic palàm confitentur fidem primùm in homine creari, deinde charitatem. Quis hic non videat fidem, cùm adhuc in homine ſine charitate eſt, informē eſſe? Rurſus, quid poſſet inſipientius dici; quàm quod iſti dicunt, nempe fidem charitate vacuam poſſe iuſtificare? quaſi iſta fides cogāt Deum, vt inimicū & oſorem ſuum debeat iuſtificare, multis modis de ſe malè meritum. De fide informi hactenus, nunc videamus an ea etiam virtutis vllam ſpeciem habeat. An informis iſta fides vera virtus, & vera fides ſit, dubitatum eſt ab aliquibus. Vt hunc nodum ſoluamus, ſcitu digniſſimum eſt, virtutem à Theologis bifariam accipi: primùm propriè, deinde communiter. Primo modo accepta, eſt recta ratio, in finem perducens. Huic ſuffragatur. Auguſtinus, dicens: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam ſolus Deus in homine operatur Hoc modo virtus benè merendi initium eſt, & de ſolo habitu gratia, hoc eſt, charitate formato dicitur, qua ſine vltimo fine, æterna ſcilicet gloria nemo perfruetur. Si hoc modo virtutem accipias, iam informis fides virtus non erit: credere enim, myſtica quædam intellectus operatio eſt, ſuapte ſponte primę veritati aſſentientis. Porrò vt iſta intellectus operatio vndequaque abſoluta ſit, duo potiſſimum requiruntur. Alterum, vt Intellectus ſine vlla duplicitate tendat in ſuum bonum,

Virtus bifariā diuiditur

Auguſtin.

Fides vt ſit abſoluta, duo requirit.

num,id eſt,verum,quo non eſt aliud melius. Alterum,vt adlaboret in vltimum finem, cuius intuitu ipſa voluntas vero aſſentit, principio recogitans patrem Deum vt maximũ, ita & optimum, vel ob hoc ſolùm coæternum ſibi miſiſſe filium, vt omnes qui credũt in eum non pereant, ſed habeant vitam æternam.

Ioan. 3.

Vtrunque in actu fidei formatæ reperitur: nam ſolius fidei ratione eſt, quòd intellectus tanto ſtudio in ipſum verum bonum agitatur. Fidei enim, eò quòd ineffabili innititur veritati, nihil poteſt ſubeſſe falſitatis.

Fidei nihil falſitatis poteſt ſubeſſe.

Ratione verò charitatis, quæ primum eſt fidei ornamentum, efficaciter tendit credentis volũtas ad vltimum finem, gloriæ ſcilicet perpetuæ. Hoc pacto vera virtus eſt fides formata, at informis nõ item. Alio modo accipitur virtus communiter pro ipſo habitu vim atque animi potentiam aptitante, dirigente, conſortanteque ad aliquod arduum opus, & factu difficile, quod tamen ad finem vltimum non poſsit perducere.

Secundo, quo modo accipiatur virtus.

Quamobrem tametſi hac ratione aptitudo illa ſiue habitus ſit moralis, ſiue mauis politicus, dicitur tamen, & eſt virtus, ſiquidem eum, in quo eſt, moraliter inſtigat atque ceu calcario perurget, vt rectè agat. Sic eum, qui iuſtitiæ habitum tenet, iuſtitia pungit, vt iuſtè viuat.

Fides informis, quæ virtus ſit.

Qui temperantiæ habet habitum, temperatè: qui prudentiæ, prudenter. Hoc modo haud dubiè virtus eſt fides informis, nam per illam aptatur & componitur intellectus hominis, vt ad faciendam iuſtitiam fideliter aſpiret, vt vera credat, erronea fugiat. Hinc non rarò conſpicias iſtiuſmodi charitate vacuos pertinaci conſtantia, imò conſtanti pertinacia lictori prius iugulum, quàm hæreticis aſſenſum offerre. Quis hunc habitum, quo vi intellectus vera amplectuntur, hæretica reſpuunt, neget eſſe virtutem?

Auguſt.

Auguſtinus cæteras virtutes, vna duntaxat excepta charitate, omnibus facit communes, ſic dicens: Cùm cæteræ virtutes bonis & malis poſsint eſſe communes, ſola dilectio, eſt propria & ſpecialis virtus piorum atque ſanctorum. Liquet hinc Auguſtino fidem cæteraſque virtutes, licet informes tamen virtutes fuiſſe. Adhæc, illud quod ex diametro vitio opponitur, virtus eſt. Habitus verò, quod iam nunc attigimus, informis fidei hæreſi & infidelitati vtpote vitijs peſtilentiſsimis opponitur, & quibus inter ſe nullum eſt commercium. Oportet ergò informem fidem virtutem eſſe.

Iam & maioris probatur eſſe difficultatis, omnes fidei articulos tenere & credere, quã voluptatibus & concupiſcentijs imperare, quàm nociuarum turpitudinum appetitus refrenare, quòd hæc rectæ rationi magis ſint conſentanea. Sic Paulo gentes, quæ exleges erant, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: Cùm enim gentes, inquit, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.

Rom. 2.

Illud verò naturæ excedit rationem. Cogitur enim mens ſupra ſuæ capacitatis modum, intellectum ſuum in obſequium Chriſti captiuare, & ſe ſupra ſe ineffabiliore modo eleuare. Nam fides nõ eſt terrenarum aut caducarum rerum credulitas, ſed quod ait Apoſtolus, argumentum rerum non apparentium.

Fides naturæ rationem excedit.

Hebr. 11.

Quare ſi virtutis eſt, à luxu continere, corpori nõ indulgere, & ſuum cuique ius tribuere, quæ nonnunquàm informia & ſine charitate ſunt, cur item non erit virtus, quod his apprehẽſu eſt difficilius, magiſque arduum? Huc in vniuerſum omnes appello Aduerſarios, vt videant an nos ſolam doceamus hiſtoriæ fidem.

Auguſtinus quoque fidei trifariam diſſecat actum, vt aliud ſit credere Deum, aliud credere Deo, aliud in Deum credere. Per fidem verò informem Deum credimus, credimus item Deo; tamen in Deum non credimus, niſi per charitatem, qua illi vel arctiſſimè coniungi debeamus.

Auguſt. [illegible] tres.

Quando igitur credere Deum, & ſimiliter credere Deo virtus eſt, eſt planè & informis fides virtus, licet ex omni parte perfecta & charitate compoſita non ſit. Hic fortè dicat aliquis doctioris Mineruæ: Cùm forma tribuat alicui rei vt ſit, qui poteſt eſſe virtus, quod formam, qua agnoſcatur quod tale ſit, non habet?

Obiectio.

Sciat qui hæc quærit virtutibus duplicem eſſe formã: vnam eſſentialem & intrinſecam, quæ ſpeciem conſtituit: alteram accidentalem & extrinſecam. Illa eſſe, iſta perfectum eſſe virtuti tribuit: illa veram, iſta perfectam eſſe virtutem facit.

Virtutum duplex forma.

Atqui ob hoc fides & aliæ virtutum ſpecies non dicuntur informes, quòd omni prorſus forma careant, alioqui quod à veritate alieniſsimum eſt, virtus iam non eſſet virtus, ſed quia gratuita, & gratum faciente forma, quam charitatem eſſe iam ſæpe diximus, careant.

Ex his, quæ diximus hactenus de informi fide, eluceſcit etiam veram fidem eſſe informem fidem. Si enim verum accipias, vt idem ſit quod perfectum, tunc informis fides non erit vera fides, nam forma perficiente, id eſt, charitate caret. Si autem verum accipias, vt eius ſonat nomenclatura, vtpote cui nulla ſubſit falſitas, tum informis fides, vera fides eſt, ſine vlla ambiguitate, quandoquidem nihil credit, niſi quod verum eſt. Primæ enim veritati, quæ nec fallit, nec ipſa fallitur,

tur, innititur, cogitque hominis intellectum, vt nulli adeo creaturæ, atque Deo credat, iuxta illud Apoſtolicum dogma: In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti. Porrò hæretica fides (ſi tamen perfidia fides dici debet) nõ eſt vera, ſed tali fides, ideoque nec vera virtus. Cur ita? Quia, quod eſt proprium opus eius, animæ potentiam non regit, vt intellectum captiuet prorſus in obſequium Chriſti, neque rurſus cohibet intellectum, ne falſitatem ipſiſſimæ veritati aduerſantem, hæreticus ſtatuat. Ita alia credit, alia negat: alia ſtatuere, alia nititur euertere. Tale eſt enim hæreticorum ingenium, quod vt ſuam affirment opinionem, imò errorem, omnia eccleſiæ ſenſa, omnia decreta, omnia iura, quicquid eſt religionis, quicquid eſt decoris, deſtructum iri percupiant. Quod vbi pro virili effecerint, contingit non rarò, vt conciſſa eccleſiæ ſagena, quiſque pro ſuo arbitratu eruptionem faciens, ſtatuat, decernat, definiat, doceat quod vult. Hinc eſt nimirum, quod tam varia noſtra hac infelice tempeſtate eccleſia patiatur hæreticorum monſtra. Tantum de fide informi: nunc alia repetamus. Struunt hic Catholicis ſcripturarum interpretibus aliam calumniam, haud ita multùm ſuperioribus diſsimilem.

2. Cor. 10.

Fides hæretica nõ virtus.

Dicunt enim: *Nihil interim loquuntur de fide, qua Paulus toties dicit homines iuſtificari. Quia qui reputantur iuſti coram Deo, non verſantur, in peccato mortali.*

Quantum loquantur de fide, qua Paulus docet homines iuſtificari, audierunt iam pleraque multa, & plura audient. At hic, quod illorum ſententia fides in nemine, quàm in iuſto locum habeat, neque vlli magis competat, non ſatis prudenter, ſed inſulsè proferũt. Si fides ſoli competit iuſto, qui fiet, vt per eá peccator iuſtificetur, quem toties dicunt per fidem iuſtificari. Iam peccator non poteſt eſſe iuſtus per fidem, quam illorum ſentẽtia nemo habet prȩter iuſtum. Corruit ergo ſuo iudicio, quod in primis ſtare volebant. Audi nunc, cur in peccatore fidem eſſe negent.

Capiuntur hic aduerſarij.

Sed illa fides, inquiunt. *quæ iuſtificat, non eſt tantũ notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſsioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſsio peccatorũ & iuſtificatio. Et ne quis ſuſpicetur tantùm notitiam eſſe, addemus amplius, eſt velle, & accipere oblatam promiſſionem, remiſsionem peccatorum, & iuſtificationem.*

Audis quod vrgent Aduerſarij, fidem iuſtificantem eſſe, aſſentiri promiſsioni Dei, & velle, & accipere eam. Quis ex his colligat, quod Aduerſarij probatum iri cupiunt, in peccatore fidem ſimul cum peccato mortali non poſſe exiſtere? Audimus quid dicant, ſed quid velint dicere, neſcimus. Quòd dicũt Catholicos fidem tantùm notitiam hiſtoriæ fingere, mendacium eſſe diximus, docuimus quoque fidem ſimul cũ peccato mortali exiſtere poſſe. Et hæc ſufficere poterant ad obiectionem: ſubuerſo enim fundamento, nõ poteſt reliqua ſtructura incolumis ſtare. Sed agè reſpondeamus etiam alijs ineptijs. Audis itaque quid dicant. Si tam facilis eſt iuſtificationis modus, non puto quod vllus cõdemnetur ad vltimum gehennæ iudiciũ. Quãdoquidem nihil amplius requiritur, ſi nos non fallunt Aduerſarij, quàm vt aſſentiamur diuinæ promiſsioni, quæ, ſi velis accipere gratis, ſine vlla corporis tui, aut animæ, aut bonorum iactura, nunquam non offertur. Tantũ hiſce, vt offeratur tibi præmanſum. Ede, bibe, epulare, viue, rape, occide, luxuriare, inuide, ſuperbi, dormi, & omni voluptate teipſum affice, citra vllam operam tuam ſemper te aſſenſio ad diuinam promiſsionẽ iuſtificat peccataque condonat. Prima facie quidẽ videntur iſta pulchra acceptuque iucunda, ſed multò plura, ſi ſcripturis, ſi ſanctis Patribus, ſi veterum doctrinȩ credimus, huc ſcilicet, vt iuſtificeris, pertinẽt. Planè ſceleſtus quiſpiã, & omnigena peccatorũ fece contaminatus, ſi audiat, Deum ob Chriſti paſsionem, quæ ſola abluendis peccatis ſufficit, ita humano generi eſſe placatum, vt peccatori quãtumuis peſſimo, tribuat remiſsionẽ peccatorũ, modò id credat, & accipere velit, præ gaudio exiliet, idemq; lubenti accipiet animo: ſitienti enim animo accipit homo quod deſiderat. At quid alicui velle prodeſt, niſi voluntati efficaciam addas, id eſt, vt ipſum tuum velle operibus commõſtres, vt exinde peccato, toto pectore renunties. Quid, inquit ipſe Chriſtus, vocatis me magiſter & domine, & non facitis quæ dico? Nemo ſaltẽ diuinam agnoſcẽs omnipotentiam, cunctiſcientiã, iuſtitiam, iudiciũ, vel per hiſtoricam fidẽ, Deum cupit habere aduerſarium, hoſtẽ, & punitorẽ, ſed magis amicum, benignũ & miſericordem. At hoc opus, hic labor eſt: non enim pacaueris, nõ flexeris, niſi prius pacta, fœdera, & amicitiȩ iura obſeruaueris. Qui delitijs affluit, & ſuis ſeruit affectibus, & putat ſe interim Deo amicum, temerarius eſt, plus audens quàm oportet. Odit enim Deus, vt refert ſcriptura, omnes, qui operantur iniquitatem. Vt ergò iuſtificeris, pluribus tibi opus eſt, quàm aſſenſione, ad diuinam promiſsionẽ, quàm velle promiſsionem, remiſsionem peccatorũ, & iuſtificationem, quàm accipere ea ſola fide. Opus enim eſt, vt reipſa declares te peccatorum pœnitere, & poſt reſipiſcentiam magis faciundæ iuſtitiæ ad laborare, quàm priùs peccato adhæſiſſe, videare. Hoc animam, memoriam, intellectum, mentem, rationem, & ipſum denique totum hominem requirit. Audi quidnam nunc dicant.

Indulgentia aduerſariorũ ſtulta.

Voluntas accipiẽdi remiſſionem peccatorum non ſufficit.

Lucæ 6.

Pſal 5.

Non ſufficit (inquiunt) ad iuſtificantem fidem credere ſibi peccata dimitti, & propter Chriſtum in gratiam recipi, hoc item velle, ſed oportere quoque hanc recipere.

Omnia hæc accipimus, ſunt enim acceptu digniſsima. Profectò non ſufficit ad iuſtificantem fidem credere tãtùm ſibi peccata dimitti, & propter Chriſtum in gratiam recipi, & item velle, ſed & hanc recipere oportet vt iuſtificetur. Cùm hoc dicunt, reipſa admittunt, cuius cauſa hucuſque tantam duxerunt controuerſiam, quod putauerunt inuicto Marte noſtra funditùs euerſurum. Nemo enim recipitur in gratiam, & recipit gratiam, quam, vt iuſtificaretur, maximè recipere oportuit, niſi quem peccatorum pœnitet, niſi qui melioris vitæ propoſitum in animo ſuo concepit, & iam iamq́ue agit, ne pœnitentia minor ſit crimine. Oportet enim eum, (qui in gratiam vult recipi), orare impenſius & rogare, & quod dicit Cyprianus, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lamentatione occupare, ſtrato ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, poſt veſtimentum Chriſti perditum, nullum iam velle veſtitum; poſt diaboli cibum malle ieiunium; iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberantur. Sic libenter Aduerſarios non noſtris, ſed ſanctorum verbis expugnamus. Hic dicerent Antagoniſtæ omnia iſta, quæ beatus hic agoniſtes peccatoribus facienda cenſuit, opera legis eſſe, ſi ipſi ex noſtra ipſorum pharetra deprompſiſſemus. Iã non habent quod obmurmurent. Frangit enim eos tanti viri auctoritas. Illa autem omnia quæ enumerata ſunt, non ſunt idem quod credere. Relinquitur ergò, & pœnitentiam ad accipiendam gratiam, & remiſsionem peccatorum iuſtificationemq́ue, poſt fidem ſecundo loco eſſe neceſſariam. Fide acceditur, pœnitentia Deus placatur. Hactenus Aduerſariorum illam coronidem probauimus: quorum ſanè nos miſeret, quòd tam proxima non viderint: Nunc dicunt nullum eſſe tam enorme peccatum, quod mox per fidem in Chriſtum non abluatur: idq́ue ſine vllo hominis adminiculo. Paulò pòſt ſuperioris ſententiæ, & ſuijpſorum obliti, palinodiam cantitant, aſſeruntq́ue non ſatis eſſe credere ſe in gratiam recipi propter Chriſtum, & ſibi dimitti peccata, & velle hanc remiſsionem accipere, ſed oportere quoque hanc recipere. Quomodo autem recipient, ſi fide non recipiunt, niſi fortè per pœnitentiam, quod hactenus noluerunt, recipiant: Dicunt inſuper.

Cypr. ſerm. de lapſis.

Fides eſt λατρεία, quæ accipit à Deo oblata beneficia. Iuſtitia legis eſt λατρεία, quæ offert Deo noſtra merita. Fide ſic vult coli Deus, vt ab ipſo accipiamus ea, quæ promittit & offert.

Fide ita vult Deus coli à nobis, vt non ſolùm ab eo expectemus beneficia, quæ promiſit, ſed & vt manibus pedibuſq́ue & toto corpore, mandatis eius implendis deſudemus. Quemadmodum enim peccatorum remiſſio, non eſt niſi pœnitentibus promiſſa, ita æternæ beatitudinis merces, non datur niſi ijs, qui æterno regi ſtrenuè ſtipendia fecerunt. Et hac ratione, oportet fidem & iuſtitiam legis coniungi. Sola enim fides non accipit oblata à Deo beneficia, neque ſine legis iuſtitia, hoc eſt, ſine mandatorum obſeruantia rectè colitur. Rurſum iuſtitia legis ſine fide non offert Deo humana merita, nam hoc modo non ſunt ei accepta. Sequitur ergò alteram alteri neceſſariò coniungi, & inutile eſſe quod promiſit Deus, credere, niſi itidem facias, quod imperauit. Nam vt ipſe dixit: Seruus ſciens voluntatem domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis. *Luca. 12.*

Deus ita vult ſe coli, (inquiunt,) vt ab ipſo accipiamus beneficia. Et quidem accipimus propter ipſius miſericordiam, non propter noſtra merita.

Diuina beneficia non dantur ſolùm propter diuinam affluentemq; miſericordiam, alioqui omnia in omnibus eſſent æqualia, neque promiſsione munerũ ad operandum, ad merendũ Deus nos illectaret, verumetiã diſpertiũtur ſingulis pro ſingulorum portione meritorũ. Sẽtẽtia eſt Euangelica, quæ nulla vlterius indiget probatione. Neque vnquam putauiſſemus Aduerſarios eſſe tam ſtupidos quã vt hæc neſcirent. Iam ſi ſine delectu deus omnibus propter ſuam miſericordiã, abſque vllis meritis largitur ſua dona, cur ille iſto plura, iſte verò illo pauciora, accipit? Cur tãtoperè quærere, petere, pulſare iubet Chriſtus, ſi dat omnibus propter miſericordiã ſuã indifferenter, tã non petentibus, quã petentibus: tam non quærẽtibus, quàm quærẽtibus: tam non pulſantibus, quàm pulſantibus? Sed diuina beneficia, vt catholicè definiamus, dãtur omnibus, quibus promittuntur. Promittuntur autem his, qui ea per fidem quærunt & petunt: peſsimis verò negantur. Huiuſmodi conſolationes (dicunt) abolent aduerſarij, cùm fidẽ extenuant & vituperant, & tantùm docent, homines per opera & merita cũ Deo agere. Fingunt ſacramenta conferre ſpiritum ſanctũ ex opere operato, ſine bono motu accipientis. Quibus conſolationibus pauidas peccatorũ demulceamus cõſcientias, partim diximus ſuperiùs, partim vita comite dicemus inferiùs. Verũ cõſolationes, imò, vt verè loquamur, deſolationes Aduerſariorum, quibus falluntur indocti, vnà cũ fide prorſus abolitum iri à cordibus hominũ exoptamus,

Beneficia cui Deus det.

Matt. 7.

& ob hoc præſertim fidem eorum extenuamus, vituperamus, execramurq́ue, quod ad perdendas animas non ſit præſentiùs intoxicum. Cæterum, quod dicunt nos docere homines vt cum Deo per ſola opera & merita agant, impudens mendacium eſt. Docemus.n. omnia hominum opera, omnia merita, omnia ſtudia, ſine fide elumbia eſſe, & ne tantillũ quidem valere, ſed fidem vbique operantem requirimus. Deinde inuerecundè mentiũtur nos fingere, quòd ex opere operato conferatur ſpiritus ſanctus ſine bono motu accipientis. Omnium enim vna ſententia eſt, ſine fide nemini contingere ſpiritum ſanctũ, quodq́; incredulitas obex ſit, quo præcludatur ſpiritui ſancto in hominem introitus. Quis iam cõſulat iſtos nugaces de rebus, quæ ad ſalutem in primis pertinent, qui tam impudenter ora ſua ad mendacia effrenant, qui offutijs, fallacijsq́ue peſſimis innocentium corda demulcent, & ad ſuum errorem illectant? Poſſunt quidem homines facilè flexibiles, & ad noua dogmata, quæ eis luxurioſiùs viuendi poteſtatem faciunt, alioqui promptos, mendacijs & impoſturis fallere, perſuadereq́ue, ſola fide, citra vlla merita & opera, iuſtificari homines, Deum verò, & eos, qui verba Dei docent, nemo fallit, neque veritate anteuertit. Porrò Deus, & qui verba Dei docet Apoſtolus, iſtorum pſeudologorum impia cõmenta præuenientes, longè aliter tradiderunt, népe vt bonis fructibus abundemus. Hinc iſte dicebat Galatis: Nolite errare fratres, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. quoniã qui ſeminat in carne, de carne metet & corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternã. Et poſt hæc: Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Quis non videat hic Paulum ab his, quibus fidem tantopere commendat, etiam opera exigere? Sufficeret quidem vel vnicum hoc Pauli paradoxum ad conterendam iſtorum impudentiam, qua temerè nihil non audent aduerſus catholicam veritatem. Verùm enimuerò ne peſtilens eorum error, & ſerpẽtinum malum longius diſſeminetur, neue vlteriùs innocentes ouiculæ pulchrorum verborum proſcenio à caulis domioicis abducãtur, gnauabimus operam pro virili (adiuuamentum ſperamus cœlitus) vt & qui errant, redeant: & qui integri ſunt, cõſeruentur. Neceſſe autem fuerit in primis, ſpectare, quæ ſit baſis aut fundamentum, cui eorum doctrina deſtinata, vel cuius rei gratia hãc tragœdiam inſtituerint.

Mendacij arguuntur Lutherani.

Mendacij uerũ arguitur Lutheranis.

Gal. 6.

Quantum itaque ex ijs, quæ in Apologia ſua tradunt Aduerſarij, elicere poſſumus, duo potiſſimùm proſpexerunt fallendi magis, quàm rectè docendi animo, vt quoad iuſtificationem & ſalutem indipiſcendam, nihil operibus fidei omnia tribuant. Alterum, vt ipſi dicunt, vt gloriam Dei magis magisq́; amplient: Alterum item vt pauidas hominum conſcientias neſcio quo modo aſſecurent. Hoc enim ſibi perſuaſum habent, ſi ad iuſtificationem & ſalutem opera ſunt neceſſaria, imò ſi opera iuſtificant & ſaluant, non iuſtificat neque ſaluat Chriſtus: quo fiat, vt honor Chriſto debitus, operibus attribuatur. Præterea, ſi operibus iuſtificamur inquiunt, & ſaluamur, ſemper pauidæ, nunquam ſecuræ erunt noſtræ conſcientiæ, quia quod debemus, & poſſumus, non facimus. Huc ferè ſpectant omnia, quæ ſub iuſtificationis titulo complectuntur, niſi quòd paſſim Theologos mendacijs, ſcommatis, & conuicijs laceſſũt. Nunc ſi placet explicemus Silenum. Ad primam cauſam reſponſio.

Diuina illa increataque ſapientia, quæ vt refert catholica ſcriptura, attingit à fine vſque ad finem fortiter, quæque diſponit omnia ſuauiter, vt nullam creaturis vim potenter inferat: ita infima quæque per media deducit ad ſumma, & in tanta rerum machina præter ordinem nihil agit temerè. Sic ſole diem, noctem verò luna ſideribusq́ue illuſtrat, quæ ipſe ſuo æterno lumine ſolo adnutu illuminare poſſet. Sic eius imperio angelis angeli, hominibusq́ue angeli diuinam voluntatem aperiunt, quod ſine internuncio, ſolo ſpiritu potuiſſet. Iam tametſi ſit nobis ſemper ipſe præſentiſſimus, per Apoſtolos tamen & eorum vicariam ſucceſſionem diuini verbi miniſtros, cœleſtis vitæ alimenta nobis ſemper adminiſtrat. Hæc inquam ſolus ipſe citra vllum negotium, citra omnem laborem per ſe potuiſſet. Quorſum hæc? inquient hic, quibus malè nobiſcum conuenit. Vt doceamus eos, qui è Luthero lethale hæreſeos virus ſuxerunt, è ſacra catholicæ eccleſiæ apotheca ſalubre pharmacum petere, quo incurabilibus, niſi ad eccleſiam redeant, morbis medeãtur. Quemadmodum ergò illa ei nullum faceſſerent negotium, ita quoque ſolus ipſe nos liberare, ſolus iuſtificare, ſolusq́ue potuiſſet ſaluare. Ad hoc tamen munus deſignauit primum Prophetas, deinde Apoſtolos, pòſtremò doctores, qui vineam domini, quoad poſſent, quantumq́ue daretur, excolerent. Paulus propter electos ſuſtinet ſitim, famem, frigora, & caumata, pugnas & virgas, lapides & carceres; perſecutiones, & alia ſuppliciorũ genera. Cur ꝓpter electos ſuſtinet? Vt & ipſi, inquit, ſalutẽ conſequãtur, q̃ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cœleſti. Vnde ſe, ſuiq́; ſimiles, appellat Dei cooperatores.

Sap 8.

Deus per media deducit infima ad ſumma.

Deus citra vllum negotium nos potuiſſet ſaluare.

2 Tim. 2.

Quòd ſi iſti ſaluti humanę cooperantur, qd vetat, ne noſtræ ipſi ſaluti conſulamus? Si non licebit nobis aliquid facere, quo ſaluemur,

quid profuerit vitæ acquirendæ, mortisque euitandæ ſollicitudine torqueri? Cur nobis bonum & malum proponuntur, ſi hoc fugere, illud non licet perſequi? Aduerſariorum enim opinione melius eſt manum in ſinu geſtare, quàm operari, ne ex imperfectò opere conſcientiæ deſolentur. Moyſes adhortabatur ſuum Iſraelem, dicens: Conſidera, quòd hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è cõtra, mortem & malum, perinde atque diceret; elige vtrum malis, vitam aut mortem, bonum aut malum. Si vita placet, apprehende. Quomodo apprehendes? Planè ſi mandata Dei tui obſeruaueris, ſi fidelem te domino tuo miniſtrum exhibueris, ſi fidem cum operibus venturo iudici præſentaueris. Vitam verò comitatur bonum inæſtimabile, quod oculus non vidit, &cæt. Mortem autem, peſſimumque adeò malum paraueris, ſi perſonatum agas Chriſtianum, ſi ſola fide turgidum animum habeas, operibus vacuum. Stipendia enim peccati, mors. Homo ergò, vt ſine Deo perditionem, ita cum Deo propriam ſalutem operatur.

Deut. 30.

1. Cor. 2.

Rom. 6.

Tametſi autem nos pro paupercula facultate, noſtram ipſorum operemur ſalutẽ, nos tamen ſine Chriſto ipſi ſaluare non poſſum⁹. Non enim ſumus ſufficientes, inquit Apoſtolus, cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra eſt ex Deo. Niſi ex Chriſti meritis gratia nobis tribueretur, inanes eſſent omnes noſtri conatus. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Quare neque ex nobis, neque ex noſtris operibus aut meritis propriè ſaluamur, quod nemo etiam ante nos catholicorum hactenus dixit, ſed per Chriſtum, qui nobis meruit gratiam, quique dat benè operandi virtutem, imò qui operatur per nos, & in nobis & velle, & perficere. Hic inquam propriè ſaluator eſt & redemptor, cui debem⁹, quicquid ſumus. Haud minus autem ille nos ſaluat atque iuſtificat, qui nos per opera noſtra ſaluat, quæ non niſi ex eo ſolo, tanquàm ex ipſiſſima bonorum ſcaturigine manarunt. Neque hac ratione, quòd ſe cauiſſe putant aduerſarij, quicquam eius derogatur bonitati aut gloriæ, imò diuina bonitas, maieſtas, ſapientia, potentia, magis ab hominibus efferuntur. Bonitas, quòd ſua beneficia tam liberaliter profundit: potentia, quòd ipſa in ſumma requie etiam in creaturis fortiter agit: ſapientia, quòd tam prudenter omnia pro nominis ſui maieſtate diſpenſat. Non ſtatim qui doctior eſt præceptor, etiam abſolutior eſt, ſed qui ſcientiam ſuam apertiùs iuuentibus inſtillat auribus. Hoc quoque habetur quiſque melior, ſapientior, potentior, quò magis eius bonitas, ſapientia & potentia in operibus exuberant. Qui ita viuit, vt & alios ſolus viuificet, & viuendi poteſtatem faciat, qui ſic operatur, vt alijs quoque ſolus operandi facultatem tribuat, haud dubium perfectius viuit, perfectius operatur, quàm qui nemini vel vitæ vel mortis cauſa eſt. Vnde quemadmodum Deus ob hoc non dicitur, neque eſt imperfectus, ſed prudentiſſimus mundi moderator, rector, conſeruator, quòd non per ſe modò, ſed & per creaturas moderatur, regit, & conſeruat cum: ita perfectius Chriſtus nobis operatur ſalutem, cùm poteſtatem nobis per liberum arbitrium facit bene merendi, hoc perfectius ſaluat, quod per opera noſtra nos ſaluat.

Opera quo modo ſaluẽt hominem.

2. Cor. 3.

Ioan. 15.

Philip. 2.

Honor additur Deo, cùm benè operamur ad ſalutẽ noſtram.

Quis iam adeò cæcutit, vt non videat operibus per diuinam gratiam factis, accedere merita Chriſti, vt aliquid mereri poſſint, quo quadantenus iram Dei placent, & mereantur remiſſionem peccatorum? Et hic putamus priori cauſæ ſatis obuiatum eſſe. Ad ſecundam cauſam. Alteram cauſam cur non admittant Aduerſarij, quod homines ſuis operibus iuſtificentur aut ſaluentur, huiuſmodi ferè aſſignant: vt pauidas conſcientias faciant ſecuras. Sic autem ſonant eorum verba.

Nullam, inquiunt, *habebunt ſatis firmam conſolationem conſcientiæ piorum aduerſus terrores peccati & mortis, ſi non ſciant ſe debere ſtatuere, quòd gratis propter CHRISTVM habeant remiſſionem peccatorum. Oportet ergò in Eccleſia hanc eſſe doctrinam, ex qua concipiant piæ mentes certam ſpem ſalutis.*

Catholici in hac parte non ſunt Aduerſarijs duriores, ſunt verò æquiores. Conſolantur pias conſcientias, ſpem quoque remiſſionis peccatorum, iuſtificationis & ſalutis, multò maximè peccatoribus ingerunt. Hoc æquiores, quòd docent, vt nemo falſa fiducia animatus, impunitatem peccatorum ceu rem nihili contemnat. Docent item, non ita ſtandum eſſe diuinæ clementiæ, vt diuinæ iuſtitiæ rigor negligatur, quod cauit etiam ille ſapiens: Ne dixeris, inquit, in corde tuo peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. patitur enim noſtram ingratitudinem, malitiam, errorem, & vt conuertamur, expectat: ſed procul dubio eò ferit ſeueriùs non pœnitentes, quò expectauit diutius non redeuntes. Deus, inquit inuictiſſimus ille martyr Cyprianus, quantũ patris pietate indulgens, & bonus eſt, tantum iudicis maieſtate metuendus eſt. Hinc rurſus idem admonet; Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.

Cõſolationes, quibus ſuos erigunt Catholici.

Ecclеſ. 5.

Ibidem.

Aduerſarij ita ſperandum docent de Dei miſericordia, vt iuſtitiam eius prorſus exinani-

oaniant. Vnde falſam de impunitate ſpem ingerentes, dicunt: Semper ſtatuere debemus, quod ipſum placatum habeamus Deũm, etiam ſi indigniſſimus. Quid audio? ergóne perſuadebit ſibi mœchus, adulter, latro, Deum ſibi placatum eſſe propter Chriſtum? ergóne Deo diſplicet? nõ vindicabit peccatum? Perinde ſonat Aduerſariorum ſententia, ac ſi peccatum iam non ſit peccatum. Cur ergò non delent peccati nomenclaturam? Hac peſtifera perſuaſione trahunt homines, vt confidãt, nullum ſibi flagitium nocere poſſe, modò credant propter Chriſtum peccata dimitti. Hinc rurſus dicunt. Semper ſtatuendum eſt, quòd fide propter CHRISTVM iuſti reputemur. Iſtáne conſolatio eſt, qua corriguntur homines? imo deſolatio eſt, qua pereant. Sic peccantem blandimentis adulãtibus palpant, ſic peccandi fomitem ſubminiſtrant. Nec ſic delicta comprimunt, ſed nutriunt. Nõ iugerunt, vt ſanetur, pœnitentiam, neque veram ſatisfactionis medicinam. Pœnitentiam à peccatoribus excludunt, grauiſſimique delicti memoriam auferunt. Quòd nos deſolationem, Cyprianus ille nunquam ſatis laudatus martyr, appellauit perſecutionem: Non concedit pacem, inquit, facilitas iſta, ſed tollit: nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt & tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis lapſis occulta populatione graſſatur, vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat, vt delicti memoria vaneſcat, comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur oculorum fletus; nec dominum grauiter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur, cùm ſcriptum ſit: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam. Et poſt pauca: Cæterùm ſi quis præpropera feſtinatione temerarie remiſſionem dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet domini præcepta reſcindere, non tantum nihil peccatoribus prodeſt, ſed & obeſt. Et multa alia, quæ vel ſola Aduerſarijs os alioqui infrenum compeſcere poterant, & obturare. Et nihilo minus hæc eſt vetus illius tempeſtatis doctrina, quam nunc aduerſarij extinctum iri volunt. Vtcunque viuant in Synagoga illa Aduerſariorum benè aut malè, vna eſt vtrorumque ſententia. Apud eos continentis & fornicarij, intra leges matrimonij ſe cohibentis & adulteri, humilis & ſuperbi, pacifici & contentioſi, boni & mali, vna eſt cenſura: malus quia peccauit, bonus quia non peccauit: reus eſt; & nihil magis confert iſti innocentia, quã illi malitia. Vtrique quoq; fides ſimiliter prodeſt. ſiue iſte ſemper credat ille ſemper peccet, vnũ eſt vtriuſque iudiciũ, modò iſte, q ſẽper peccat, interdiu ſemel meminerit, aut certè in vita profeſſionis ſuæ. Sed hæc peſtilens illorum indulgentia proh pudor, perduxit eos, vt de peccatis non doleãt, vt nullum quantumuis graue facinus caueãt, ſed vt pro ſua quiſque libidine agant. Sed id imbiberunt Aduerſarij ex Luthero, factionis ſuæ facilè anteſignano. Sic enim docet ille in captiuitate Babylonica.

Baptizatus, inquit, *etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolet credere.*

O peſtilentem perfrictæ frontis ſententiam hominis. o iniquam, ó plus quàm impiam, impij hominis perſuaſionem. Sic, vt tu impiè ſeductor (occludant hic aures, qui audiunt) impiè nugatis, inter ſcorta, in ipſis proſtibulis, in ipſa Venere, in ipſo latrocinio, in ipſo raptu, & in ipſo cuiuſcunque facinoris actu, qui credet, non perdet ſalutem ſuam? Credit, & liberiùs peccat putat enim ex te perſuaſus, quòd ipſum facinus, quando credit, peccatum non ſit. Et niſi facilem crederet peccatorum remiſſionem, tam liberè non peccaret, & tam licenter ſine metu non viueret. Quid verò aliud, ſemper ſtatuendum eſt, quod fide propter Chriſtum iuſti reputemur, niſi quando peccat quis, credat ſe non peccare, aut certè tam facilem ſecum remiſſionem peccatorum ſtatuat. O quantum malorum ter impia hæc perſuaſio mundo inuexit. Hinc eſt quòd prophanata ſunt templa, quòd diruta monaſteria, hinc ſunt tot ſacrarum DEO virginum ſtupra, hinc creſcunt furta, hinc rapiunt nonnulli retinentque aliena. hinc ſcatent iræ, rixæ, ſectæ, inuidiæ, ſimultates. hinc pullulant dietim alia mala, quæ hoc ſeculo deploramus. Lemnijs malis acerbiora, quæ, vt referam, non eſt otium. Videant autem Aduerſarij, ſecumque in animo meditentur, vnde prodierint omnia iſta mala, & vnde nata ſint primùm, niſi ex hac ſua temeraria præſumptione, qua vel dicere audent, & toti mundo euulgare, hominem ſola fide in Chriſtum ab omni culpa, vel peſſima purgari, aduerſus omnes ſcripturas; aduerſus tot Patrum decreta, aduerſus omnem rationem, aduerſus omnium veterum concentum, qui nihil ferè aliud magis clamant, quàm pœnitentiam; cùm ipſi, quod oſtendimus, magiſque ſplendeſcet, nullam ſolidam habeant ſcripturam. Sed in hac re fortaſſe nimij ſumus, verùm huc uſque deduxit nos impia illorum deſolatio, quam nequiter hominibus inſinuant. Porrò quòd peccator non debeat ſola fide in animo ſecum laſciuire, etiam alibi docet Eccleſiaſticus. De propiciato peccato, noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: Miſeratio domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia .n. & ira ab illo citò proximant, & in

Cyprian. ser. de Lap.

Lutherus ... in Lutheranum hominem perditiſſimum.

Doctrina Lutheri quantorum malorum.

Eccl. 5.

& in peccatores reſpicit ira illius. Hoc & hodiè dici debet ijs, qui contempta Dei iuſtitia, de ſola eius miſericordia inaniter ſuperbiũt, ne ſeſe ipſi decipiant immoderatius viuẽdo. Rom. 2. Idem cauit & Paulus: Exiſtimas autem hoc, ô homo, inquit, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. Vel vnico hoc Pauli paradoxo, tota corruit Aduerſariorum aduerſus veritatem ſtructura. Credebant planè, quibus iſta ſcribebat Apoſtolus, alioqui ſcripta ſimul cum ipſo auctore exibilaſſent, arguiſſentq́; eum perditæ operæ. Erant quoque peccatores, nam ob hoc præſertim acriter corripiuntur. Credebant & nihilominus peccatorum remiſſionem. Nunc verò exprobrat eis, quòd ſine metu in peccatis delicientes, bonitatis Dei & benignitatis diuitias contempſiſſent. Sed quid? num, qui credunt per Chriſtum peccata dimitti, mox ad credulitatem ſuam abſoluuntur? Luthero quidem mundi habentur & iuſti, at Paulo non item. non enim dicit: Quia creditis in Chriſto remiſſionem peccatorum vobis contingere, nõ imputatur vobis peccatum, ſed eſtis mundi: ſed quid? Secundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram. Nunc quoque dicit per hæc Luthero, Lutherique pediſſequis: Quantumuis vobis de ſola fide blãdiamini, quantumuis credatis propter Chriſtum peccata remitti, non tamen ad nudum profeſſionis veſtræ cogitatum mox abluimini, ſed niſi pœnitueritis, iram vobis & DEI Rom. 11. indignationem theſaurizatis. Idem quoq; alibi ait: Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos, qui ceciderũt, ſeueritatem: in te autem, bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioqui & tu excideris. Audiunt & hic Aduerſarij, Gẽtibus interminantẽ Apoſtolum, ne, cùm ſibi nimium de fide applauderent, à fide excidant, & diuina miſericordia. Idem accrediderunt & veteres ſcriptores, videlicet quod gratiam & miſericordiam adepti, niſi ſe fidei operibus gnauiter occupaſſent, fore vt perirent, quo declarant fidem oportere negotioſam eſſe, non vacuam, non mortuam.

Iam habes Lector vel perſpectiſſimum, hác peccatoribus fiduciam Paulum non inſtillaſſe, quodque aliter atque Paulus moueantur Aduerſarij, ſed quo ſpiritu nõ dicam: ſed exemplo tibi ſint noſtrates Lutheranæ factionis aſſeclæ, [illegible] licenter, [illegible]àm turpiter, quãque nequiter in vniuerſi[illegible]ant [illegible] mi[illegible]m mal[illegible]o agitat[illegible]terum dic[illegible], quid potuit hac [illegible]ra perſuaſi[illegible] hac [illegible] eſſima tempeſtate iniquius, qu[illegible] ingenio, homines per omnia vitiorum [illegible] [illegible]rabundi per[illegible]uagantur? addunt [illegible] tibus peius viuendi calcaria, quos à fla[illegible]o abſterruiſſe oportuit. Vrgent ad [illegible] vltrò currentes. Abſterre[illegible] dum pertæſ[illegible], & quos iam a[illegible] bant. Multi nunc diuina bon[illegible]ate abuti, peccata peccati[illegible] adglomerant, ni[illegible] neque fidei, neque iuſtitiæ, nec [illegible] miniſcuntur. Hoc vnum miſeri [illegible] unt hac maleſuada Aduerſariorum d[illegible] perciti, quod cum animam agere cœperint, credere volũt remiſſionem peccatorum per Chriſtum. Interim neminem reueriti faciunt quod volunt: &, eò quòd non cito profertur contra malos ſententia, abſque timore vllo perpetrant mala. Eccleſ. 8. Tam ferax, tam [illegible]bris, tam ſana, tam efficax eſt Aduerſariorum doctrina, cur non in ſ[illegible]um gaudeant de [illegible] tam bene ge[illegible]ta? Multos ante hac ex[illegible] humani generis Satan, ſeducendi homines modos; nunc per [illegible]adebat ei omnia ex neceſſitate, iuxta diuinæ prædeſtinationis, & præſcientiæ normam euenire, quò fiebat, vt ſiue bene, ſiue malè viueret, præſcientiam Dei in ſe fruſtratum iri non poſſe perſuaſiſſimum haberet. At tandem edocti, illam præſcientiam neminem vel ad benè, vel ad malè agendum cogere, ſed DEVM omnium ſalutem cupere, ab hac ſententia properè diſceſſerunt. Statim aliud malum haud multò ſecurius illi excogitatum eſt, videlicet ne à malis timore concuſſi auocarentur, ſuggeſtum eſt, vt res eſt, DEVM nobis vitam meruiſſe, & gratis olim hinc decedentibus donaturum, & non bobus, ſed hominibus præparatum eſſe cœleſte regnum. Hinc vna 1. Cor. 15. erat omnium cantilena: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur corpore, ad animæ longè beatiorem vitam. Rurſus iſti melius inſtructi, perſuaſique regnum Dei iniquis non contingere, à vitijs vt poterant, ſeſe temperarunt, iuſtitiam amplectentes. Perſuaſit alijs, ſatis eſſe ſi in ſine vitæ pœniterent, promiſit etiam longa viuendi ſpacia, neque hac ratione omnes peruincere potuit. Diſpiciebant enim ſecum multi, nihil morte certius, nihilque hora mortis eſſe incertius. Nunc omnium [illegible] viam inueniſſe ſeducendi videtur, [illegible]m per iſtos hominibus [illegible]ngerit nemini [illegible]eccata imputari, modò ve[illegible] credere per fidem in CHRISTVM remiſſionem peccatorum ad omnes pertingere. Sed quid poteſt hac perſuaſione eſſe peſtilentius? Vide nunc, quàm ſolida ſit, quàm

firma

Capitur hic aduerſarij. firma Aduerſariorum doctrina. Tradunt primùm, fidem in peccatoribus eſſe non poſſe: deinde quod præter fidem nemo poſsit ſaluari. Ex his facile colligerit vel ſutor, nullũ peccatorem ſaluari poſſe, cùm quod iſti dicunt nemo peccator credere poſſit, & ſoli iuſto tribuunt fidem? ſi autem nemo prętor iuſtum, fidem habet, quo modo per fidem quiſquam iuſtificabitur? Non video, an quicquã dici poſſit abſurdius. Qui iuſtus eſt, nulla vlteriùs indiget iuſtificatione: at qui in peccatis eſt, in primis iuſtificatione indiget. Sed iſte non poteſt iuſtificari, quia vt iſti dicunt, fidem habere non poteſt, qua iuſtificetur. Vbi ergò eſt illa conſolatio, qua pauidas hominum conſcientias deliniunt? Quos conſolari volebant, deſolantur. Sic enim peccatori ingerere neceſſariò debent, modo velint ſuæ doctrinæ reſpondere: Tu peccator es, & non potes credere, & ob hoc iuſtificari non poteris vnquam. Vides, quàm peſtilens ſit iſta aduerſariorum conſolatio. Adhæc dicunt *Pugnant hic ſecum aduerſarij.* in Apologia, dilectionem à fide ſeparari non poſſe, & paulò pôſt adijciunt, quòd fidem ſequatur dilectio. Manifeſtè hic ſibi non conſtant. Si fidem ſequitur dilectio, oportet planè fidem, dum veniat dilectio, ſolam & ſeparatam eſſe. ſi non eſt ſeparata, quo modo ſequitur?

Rurſum nugantur, fidem in terroribus cõcipi & creſcere, & ex noſtra conſideratione oriri: aliàs dixerũt, quòd ſpiritus ſanctus det fidem. In Confeſſione verò dicunt, ſpiritum ſanctum donari per verbum & ſacramenta. Quæ maior poteſt eſſe, quàm in iſtis, diuerſitas? Si viderent iſta illuſtriſsimi illi Principes, ſi videret Senatus Norenbergenſis & Reutlingenſis, qui Confeſſioni ſubſcripſerunt, nõ arbitror, quòd poſthac fidem haberent iſtis hydra magis varijs. Atqui prorſus carnales libenter iſtis manum dant, quandoquidem iſta perſuaſio ſenſibus blanditur, & carni libertatem promittit licentius viuendi.

Non intelligunt ipſi ſe aduerſarij. Verùm quantum ego coniectura conſequi poſſum, videntur Aduerſarij vel ſemetipſos non intellexiſſe, vel, data opera, hominibus imponere voluiſſe. Hoc meeum dicet, quotquot ſano iudicio noſtram qualemcunque legent operam. Si enim conſeras iſta, quæ in quarto, & quæ in duodecimo Confeſſionis articulis, & in Apologia tradunt, videbis quàm parùm mutuo reſpondeant. In quarto Confeſſionis articulo dicunt, quòd peccator gratis iuſtificetur per fidem, cùm credit ſe in gratiam recipi, & ſibi peccata propter CHRISTVM remitti. In Apologia perſuadent peccatori, vt ſemper ſecum ſtatuat, quòd Deum ſemper propter Chriſtum placatum habeat, tametſi indignus ſit. Addunt quoque hoc, ſtatuendum eſſe ſemper, quòd fide propter Chriſtum iuſti reputemur. Hęc multis argumentis, ſed infirmis, ſed euerſu facillimis confirmare molientes, conuerſionis, contritionis, & pœnitentiæ, quæ tamen in duodecimo Confeſſionis articulo requirunt, ne ſemel quidem recordantur. Quam ergò conſolationem afferre poteſt illa doctrina, tam parum ſibi conſtans? Si ſola ad ſalutem ſufficit fides, quorſum opus eſt conuerſione? Si verò conuerſio ad iuſtificationem *Suo ſe iugulant gladio aduerſarij.* hominis facit, quorſum ſpectabat, vt prædicarent ſolam fidem iuſtificare? At nũc non conuerſionem modo, ſed & contritionem exigunt & pœnitentiam. Quis iam hic non videat conuerſionem, contritionem, & pœnitentiam multo à fide diſtare interuallo? Rurſus quis hic non videat, credere poſſe quemq; per Chriſtum remiſſionem peccatorum, qui idem tamen neque conuertitur, neque conteritur: quomodo autem iſte pœnitere poteſt, qui de peccato non dolet? Arbitrantur ſane multi ex illis, qui hoc Aduerſariorum fermento infecati ſunt, quòd per nudam in Chriſtum fidem in gratiam recipiantur, qui tamen non poſtponunt antiqua ſtudia, non dolent, non pœnitent, ſed edunt, ſed bibunt, ſed vomunt. Iſti ad priorem Aduerſariorum ſententiam, vel in ipſo ſemper vomitu iuſtificari poſſunt, ad poſteriorem minimè. Hic enim conuerſione, contritione, & pœnitentia opus eſt: illic, nihil minus. Porrò hic reclamabunt Lutheri adiuti ſuffragio. Dicunt enim.

Fides ſine contritione eſſe non poteſt, quoniam gratia non infunditur, niſi cum magna commotione animi.

Vt audio, amplus eſt fidei ſinus. Quicquid enim ad iuſtificationem facit, fide comprehenditur. Si non poteſt fides eſſe ſine contritione, nemo certus eſt, an fidem habeat: nam neque de contritione quiſquam ſecurus eſt, niſi idem in animo magnam commotionem ſentiat. At ſæpenumerò plerique ſentiunt magnas in ſemetipſis commotiones, quibus tamen non ſemper gratia infunditur. Quis rurſum hic non videat, quàm longè iſti aberrent, quàm miſerè ſuos decipiant, qui nunc dicunt, nunc negant. Nunc perſuadent, ſatis eſſe vt credant ſaltem ſe in gratiam recipi per Chriſtum, paulò pôſt diſſuadent ſola fide ſtãdum eſſe, ſed contritionem adeò neceſſariam eſſe, vt quantumuis credat quis remiſſionem peccatorum, ſaluari tamen non poſſit. Cur ita? quia non ſentit in animo ſecum magnam concuſſionem. Qui hanc aduerſariorum varietatem, & inconſtantiam æqua lance penſitauerit, haud quaquam nutabundus hac atq; illac cogitatione diffluet.

Iam reſcire velim ab Aduerſarijs, quam potiſſimum fidem putent ad ſalutem eſſe neceſ-

ſariam,

Fides iuſtificans quæ ſit.

ſariam, (elicimus enim ex ſuis ipſorum verbis, duplicem eſſe fidem) informem, an formatam, nam prætereà non eſt alia. Si primam dicant, hoc eſt, quod iuſtificetur homo ex fide informi, quam ipſi hiſtoricam vocant, palàm offendunt in omnes ſcripturas, quę apertè produnt, citra charitatis donum fidei annexum, neminem iuſtificari poſſe. Nam qui tantùm credit, non diligit, manet in morte, æterno ſupplicio obnoxius. Si habuero, inquit Apoſtolus, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, tantum abeſt, vt ad credulitatem modò iuſtificetur. Rurſum, Paulo neque circuncilio, neque præputium in Chriſto Ieſu aliquid valet, ſed fides, quæ per charitatem operatur. Vtcunque ergò credas, niſi fidem habeas charitate ornatam, inani ſuperbia aduerſus veritatem inflatus, ſpe vacua fruſtraris.

1. Cor. 13.
Gala. 5.

Si alteram iuſtificare ſtatuant, nempe charitate formatam, neceſſariò bona ſpe excidũt, qui illa tument, iſta vacui ſunt. Vnde liqueſcit, quam parùm ſibi conſtent, quamque falſa fiducia ſuorũ conſcientias deliniant. Quod enim maximè ſperabant, minimè conſequũtur, niſi fidem habeant charitate formatam, qua tantùm iuſti radiant. Vt ergo quis hanc fidem habeat, iuſtus ſit operæprecium eſt, aliàs fucata ſpe ſeducitur, & (liberè loquar) ſic ſperaſſe, præſumpſiſſe eſt. Oportet enim primùm cauſam pręcedere, quam deinde ſequatur effectus. Sanè qui fidem habet charitate formatam, iuſtus eſt, filius Dei eſt, Deum habet, in Deo manet, & Deus pariter in eo. Qui verò non habet hanc fidem, ſed informem illam, qua nomine tenus Chriſtianus appellatur, qua voce, & ſermone depromit, quod cor dis & pectoris teſtimonio non probat, non facilè poterit hunc iuſtificationis actum elicere. Miſeret me planè eorum, qui hoc dulci perſuaſionis melle, ſed felle mixto, illecti, ſatis ſe feciſſe ſibi perſuadent, ſi credant, ſaltem hac fide informi ſibi per Chriſtum peccata dimitti. Nam ipſi etiam dicunt Aduerſarij, oportere hunc fidei actũ ex fide charitate formata procedere, vt iuſti reputentur. Si hoc ab initio perſuaſiſſent ſuis, non fuiſſet vllus ferè de hac re controuerſiæ locus.

Fides charitate formata, ad iuſtificationem neceſſaria.
1. Ioan. 4.

Conſtringuntur hic Aduerſarij, tametſi nolint ingenuè confiteri, quòd ſola fides neminem iuſtificet, vtcunq; etiam credat ſibi per Chriſtum peccata dimitti. Nam fidem vt iuſtificet, neceſſariò comitatur charitas. Si ergò ſola, ſi ſine charitate non iuſtificat, profectò, (Sola,) pronomen expunctum eſſe oportuit. Qui enim vel vnum habet conuiuam, ſolus non recumbit. Sicut enim hoſpes & conuiua, duo ſunt homines & corpore & anima diuiſi: ſic fides & charitas vnum eſſe nequeunt. Sic enim di[illegible]r & Apoſtolus fidem à charitate. Qu[illegible]em fidem habet charitati agglutinatan[illegible]nes virtutes habet, tantum abeſt, vt ſola ſ[illegible]des. Aut igitur fallunt nos Aduerſar[illegible]j. q[illegible] ſolam vrgent fidem iuſtificare, aut i[illegible]ponit nobis ſcriptura, quæ fidei charita[illegible]onnectit. Sed iſtud impoſſibile eſt. A[illegible]ec, cùm dicunt, fidem informem ſine cl[illegible]te, quam ipſi hiſtoricæ fidem nominát, ſe[illegible]ſi confodiunt. Nam alibi contendunt, e[illegible]mpoſſibile, vt ſit à charitate fides ſeparata. Quòd ſi nunquam poteſt fides eſſe ſine charitate, nunquàm ergò ſola erit; & ſi nunq[illegible]am ſola eſt, ſequitur, ſolam nunquam iuſ[illegible]re. Vide iam probe lector, quomodo hæc quadrent ijs, quæ in Apologia ſcribunt. Nam hic, vt ſuprà meminimus, docent fidem præcedere dilectionem, imò, vt ad viuum intelligas, docent, quòd vbi iuſtificatus & renatus eſt homo, tum demùm incipit Deũ diligere, timere, petere, & expectare ab eo auxilium, gratias agere, & prædicar[illegible] & obedire ei in afflictionibus. t[illegible]m etia[illegible]ncip[illegible] diligere proximos. Q[illegible]æ duo poſſ[illegible]n[illegible]agis inter ſe pugnare, quam iſta: fides n[illegible]nquam eſt ſine charitate, & fides præcedit charitatem? Nunc inuitis Aduerſariorum dentibus relinquitur, fidem aliquando eſſe informem, id eſt, ſine charitate, cùm charitatẽ præcedit. Et hanc informẽ fidem, quæ ſine charitate eſt, ſtultè aduerſum ſeſe & contra Paulum dicunt iuſtificare, qui dicit fidem per charitatem operari. Nam iſtorum ſententia priùs iuſtificantur homines, quàm diligere incipiant. Sed & hoc quid poteſt eſſe ineptius? nam quòd informis fides iuſtificet, omnibus in vniuerſum aduerſatur ſcripturis, pugnat nihilominus cum alia Aduerſariorum ſententia, qua dicunt fidem nũquam eſſe ſine charitate. Hic ſpero illuſtriſſimos Principes, vnà cum priuata plebe hac ſeſe iugulante perſuaſione, haud attenta illectos, ad cor reuerſuros, profligato à ſeſe longius errore.

Aduerſarij capiuntur ſuis verbis.
Gal. 5.

Perſuadent his, qui conſcientiam habent mille modis ſauciam, vt tantùm credant, ſe propter Chriſtum in gratiam recipi, quum tamen ipſi in corde ſuo, quod apertè in Apologia teſtantur, ſentiant hoc non eſſe ſatis, quod vtcunque credant, ſed oportere hanc fidem charitate formatam eſſe, & tum demùm credere remiſſionem peccatorum. Sic perſuadent alijs, quod necdum ipſi ſibi perſuaſerunt. Sic docent alios, quod an certum ſit, necdum apud ſe definierunt. Sic vt eccleſiaſticam eneruent doctrinam, docent aduerſus conſcientiam ſuam, quæ vt alijs quadrarẽt erroribus, prius examinare oportuit. Quis non videat iſtos data opera ſuis voluiſſe imponere, quum ali[illegible] docent, aliud intelligũt, aliud effutiunt, aliud in corde verſant? aliter ſentiunt,

Aduerſarij docent, quæ ipſi ſecum nõ definierunt.

ſentiunt, atque rudi plebeculæ inſtillant? Cur ita? Dicam ego quantum coniectura conſequi poſſum, quod aduerſarij, tametſi magna ex parte exorditam erubeant telam, nolunt tamen propalam παλινῳδεῖν. Hoc enim eſt eorum, qui in Rempublic. offenderunt, malum ingenium, vt perpetratum facinus non niſi coacti confiteantur. Haud dubium, quin nũc credant multi, ad priorem illam perſuaſionem prima fronte ambroſia acceptu iucundiorem, illecti, qui tamen hactenus neſciunt, quid iſti ſecum in animo ſentiant, quid conceperint, quid tandem pariant. Credunt inquam multi, & ſine vlla trepidatione ſuperbia diſtenti ſunt, auaritia rapaces, iracundia truces, alea prodigi, vinolentia temulenti, liuore inuidi, libidinibus inceſti, crudelitate violenti, ſed ſpe nimirum fruſtrabuntur.

Doctrina Lutheri partim iucunda.

Quid ergò in cauſa eſt, vt non fiant ſui voti compotes? Quod iſti necdum definierint, quam normam viuẽdi potiſſimùm ſequi debeant. Interim dùm iſti parturiunt, multa pereunt animarum milia, quæ iuſtificari poterant, ſi ab iſtis hoc melle aconito peſtilentiore non eſſent ineſcati, ſi ſolidum eccleſiaſtici dogmatis cibum cum ructu non nauſeaſſent. Iſte autem cibus tantò eſt purior, quantò eſt vetuſtate defecatior, eo appetibilior, quò fortior. Sed ne tam alta, tam recondita, tam abſtruſa deliteſcant ſenſa, aperiant nobis pectoris ſui feneſtram, quò perſpicuum fiat; quid velint, quid meditentur, quid alta mente repoſuerint. Feſellit enim ſuos hactenus oratio, mentitus eſt ſermo, qui prorſus repræſentare debebat, quod multis diſſimulationum inuolucris hucuſque obtegunt: Aperiant inquam mentem ſuam, vt introſpiciant ipſi, ſi non eſt eis otium dicere, diſcantque, quid facto opus ſit, vt ad eam fidem contingant, quæ ſola iuſtificet, an vllam debẽt gnauare operam, vt à peccatorum ſorde emaculentur, an omninò ignauiter deſidere. Si ibi latitat, quod citra operam ſuam ſaluari poſſunt, virus certè tam ſibi, quàm ſuis mortiferum circumferunt. Quod verò iſtud animarum virus ſit, aperit Apoſtolus, qui aliud pharmacum peccati ſomno grauatis, vt eſt animarum fidelis chyrurgus, ingerit: Surge, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te CHRISTVS. Si poſſunt peccatores citra vllam ſuam operam ſaluari, fruſtrà docuit Chriſtus orandum eſſe indeſinẽter, quærendum iugiter, pulſandum pertinaciter. Fruſtrà ingerit, vt ſimus largi in egenos, vt veſtiamus nudos, vt inuiſamus debiles & carceribus vinctos, vt ſepeliamus mortuos. Hæc enim omnia exiget ab his, qui velint ab ipſo miſericordiam conſequi, qui velint à peccatis abſolui, & qui velint iuſtificari. Fruſtrà conſulit nobis ſcriptura, imò ipſa iuſtificatio noſtra Chriſtus, vt prioris vitæ deuia, recta pœnitentiæ amuſſe corrigamus. Si verò adniti debet peccator, vt verè debet, vt è peccatorum monumento diuinitùs adiutus, reſurgat, velim ſcire, quatenùs id illi exordiendum ſit, vt de fide informi gradatim ad formatam illam fidem, quæ ſola iuſtificat, aſcendat. Conuenit enim Catholicis, quod qui iuſtificari velit, neceſſariò mentem verterit, & ſtudia: vt qui hactenus gratia fuit indignus, nunc in ipſo bonorum operum ſudore dignus fiat. Aduerſarij fortè præter fidem nihil eſſe neceſſarium reſpondebunt. Sed quæ Catholici putent ad iuſtificationem facere, ſuperiùs ſatis explicatum eſt. Quæ autem tradit Catholica Eccleſia de iuſtificatione hominis, certa ſunt, ſolida ſunt, omniumque calculis approbata: & vna eſt omnium Catholicorum ſententia. Contrà, quæ Lutherana docet Eccleſia ambigua ſunt, lapſantia ſunt, pugnantia ſunt, & prorſus talia, quæ prius animos deſpondere faciant, quàm pauidas conſcientias erigant. Audiunt enim, qui mentem habent magis defecatam, ex ijs, quæ ex Apologia referuntur, quòd non ſufficiat ſola fides informis, ſcilicet ex propria animi motione, vel humana perſuaſione nata: ſed quod habere oporteat fidem charitate formatam, ſed viuam, ſed vniuerſis virtutum monilibus redimitam. Interim tamen ſubticent aduerſarij, quando Deus illam hominibus, & quibus infundat.

Ephes. 5.

Matth. 25.

Dubiũ apud Aduerſarios quãdo homines iuſtificentur.

Stat ergò fortiter quiſquis eccleſiaſticæ nititur doctrinæ, quæ pauidas, quæ lubricas hominum conſcientias certam in Deum fiduciam docet, quæ quibus, & quando Deus remiſſionem peccatorum per Chriſtum tribuat, ſine vllo fuco verborum ingerit. Tradit iſta doctrina in homine, quocunque modo peccet, niſi fortè in hæreſim laberetur, remanere fidem informem, qua ſuſtentatus & adiutus, magis Deo, & diuinis verbis, quàm vllius hominum placito, quàm ſuæ ipſius rationi & intelligentiæ, credat. Hac fide, ceu experrectus, compungitur, vt Deum timeat, vt ſperet, vt obſeruet, vt diligat, tametſi amor ille necdum abſolutus langueat. Hinc naſcitur proinde dolor, quòd Deum offenderit, hinc orat, obſecrat, lachrymatur, & nihil non agit, vt Deum, quantum in ſe eſt, reconciliet. Et iſtiuſmodi homini credunt Deum non defuturum, ſed charitatem infuſurum, quò fides illa informis, fiat formatior, qua incipiat iam Deum diligere ſuper omnia.

Homo quãdo Catholicè iuſtificetur.

Hic fortè curioſulus quiſpiam dixerit: qui ſciam certò quando ex mea aliquanta præparatione idoneus ſim, vt gratiam gratum facientem, id eſt, charitatem conſequar? num quando mea pœnitentia, gemitus, dolor, & lachrymæ impetrant gratiæ ſpiritus ſancti

Certitudo de gratia, quando & quomodo ſciatur.

Doctrina Eccleſiæ vetuſtiſſima. charitatiſque infuſionem? Ita planè. nam ipſa clementiſſima benignitas, ipſaq; benigniſſima clementia huius rei gratia ſalubris pœnitentiæ ſacramentum inſtituiſſe, ſine vlla ambiguitate creditur, vt qui à ſacerdote, vice Dei in eccleſia prędidente, abſolutionem peccatorum adeptus eſt, qui verè pœnitet, & peccata ſua ſacerdoti confeſſus eſt, ſemperque ſecum animo verſat, vt veterem vitam noua cóuerſatione corrigat, nullumque ponit obicem: illum, inquam, cenſet idoneum eccleſia orthodoxa, qui gratiam ſpiritus ſancti accipiat, cui donum charitatis diuinitùs infundatur. Hæc eſt illa vetus apoſtolica, eccleſiaſtica, priſcorum Patrum & Theologorum doctrina, authoritate Chriſti, longæuitate temporum, ſanguine martyrum, inculpata vita confeſſorum, puritateque virginum cófirmata, roborataque, adeò vt poſt tot hæreticorú phalanges inuictiſſima perſtiterit. Hęc eſt prædulcis illa ſuauiſſimaq; ambroſia, qua reficiuntur infirmi, qua eriguntur lubrici, qua ſuſtentantur ope indigi, &, quod Aduerſarij volunt, qua conſolantur pauidæ piorum hominum conſcientiæ. Hæc, inquam, eſt certa, & indubitata, germanaque Catholicorum doctrina, qua, qui nititur, ſecurus ſtat. Contrà, Aduerſariorum doctrina, quam de iuſtificatione tradunt, inuoluta eſt, ſibi non conſtans, & cum diuinis literis vbique pugnans, quæ pauidas conſcientias, non tam conſolatur, quàm deijcit: non tam ſanat, quàm vulnerat: non tam erigit, quàm in deſperationem adigit.

Ex ijs, quæ nobis hactenus dicta ſunt, arbitror perſpicuum eſſe cauſas, vt hanc recentem Aduerſarij doctrinam, vixdum antè viginti annos natam (niſi fortè ex cineribus Ioannis Huſs ſtatim prodiens, in nouum Lutherum ſeſe transfundit) Catholicæ eccleſiæ ignotam, multos decipientem, ſtatuerét, eos potiſſimum mouentes, eſſe infirmas & prorſus nullas. Nam quod iſti prætendunt multò melius facit Catholica & vetus doctrina, quã iſta adulterina, & languida. Nunc aliquot ſcripturarum authoritate, quas pro ſua libidine detorſerunt Aduerſarij, moliuntur, ſed incaſſum, ſtatuere, quod ſolà fides iuſtificet. Dicunt enim:

Offendit quoſdam particula, Sola, cum & Paulus dicat: Arbitramur hominem iuſtificari fide, non ex operibus. Item ad Epheſios, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Item Roman.3. Gratis iuſtificati, &c.

Sola, particula omitti debebat. Haud mirum, quòd offenduntur plurimi per excluſiuam illam particulam, Sola, quam iſti Paulo non debebant addere pro ſua temeritate. *Gal.5.* Sciunt quidem Catholici, ingenueque confitentur ex Paulo edocti, hominem fide iuſtificari, & ex nullis operibus legis abſque fide: neque ambigunt fidem donum Dei eſſe. At negant Paulo hominem ſola fide iuſtificari, præſertim quod ex eo audierint tantùm valere fidem, quæ per charitatem operatur. Quo clam inſinuat aliam eſſe, quæ operatur quidem, ſed non operatur per charitaté. *1. Petr.4.* De vtraque dictum eſt. Et beatus Petrus cui vna eſt cum Paulo auctoritas, charitatem dicit operire multitudinem peccatorú. & Myſtagogus ille beatum pronunciat, cuius tecta *Iacob.2.* ſunt peccata. & B. Iacobus, cuius etiam irrefragabilis eſt auctoritas, fidem ſine operibus condemnat. Quapropter non eſt, quod ſeſe *Opera legalia excluduntur à iuſtificatione.* de ſola fide titillent Aduerſarij. Sed neque Paulus omnia opera excludit à iuſtificatione, ſed tantùm opera legalia, quæ ad mortem Chriſti omnia mortificata ſunt & eneruata. Vel de operibus eorum intelligit, qui tantùm tribuebant ſuis viribus, vt ex ijs ſine gratia Dei, iuſtificari ſe crederent. Non excludit opera, quæ ex lege Chriſti tenentur tam iuſti, quàm peccatores facere: iſti vt iuſtificentur, illi vt iuſtificentur magis qualia ſunt, contritio, pœnitentia, oratio, eleemoſyna, ieiunia, & alia id genus, quæ iuſtificant peccatores. *Rom.2.* Hinc dicebat eiſdem Romanis: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Hoc Catholici nihil aliud eſſe confidunt, quàm ſi dixiſſet: Illi homines, qui ſecundum mandatum Chriſti prioris vitæ pœnitentes egenis ſubueniunt, qui nudos veſtiunt, qui peregrinos hoſpitio humaniter excipiunt, qui defunctis parentãt, qui orant, qui inedia carnem ſpiritui ſubiugant, & in ſumma, qui mente integra, fide firma, virtute robuſta parati ſunt voluntati diuinæ ad omnia obſequi, non qui ſola fide ſtulte ſtant, iuſti ſunt apud Deum: Sic verecúdo illi, & præ multitudine peccatorum oculos tollere non audenti publicano, & pectus *Luc.18.* percutienti, dicentique: Deus propitius eſto mihi peccatori, culpæ relaxantur, additurq; gratia, vt iuſtificatus domum abeat.

Videor mihi hic & alium dolum ſubodorare, cum fallendi ſtudio magis quàm docendi, ſuffurantur paſſim ex Paulo verba, quæ ſuo inſtituto aptius quadrant, alia interim intacta relinquunt. Vt hic doloſe citant Paulum non plus dicentem, quàm, Arbitramur hominem iuſtificari fide, non ex operibus. Addere debebant, quod huc ſpectat, Legis. Prima enim facie, cum hanc orationis particulam non explicant, videtur aperto Marte pro eis Paulus dimicare, quam ſi addidiſſent, retraheretur lector, remoraretur que vt apud ſe cogitaret, de qua lege Paulus ſic loqueretur, Chriſti, an Moyſi. Nam ſimpliciores, quibus non eſt euoluendi libros copia, mox arbitrantur viciſſe Aduerſarios, quando tam

apertè

Apertè audiunt Iuſtificari hominem ſine operibus. Si addidiſſent, haud ita citò crederẽt, idque non hoc loco tantùm, ſed alijs pleriſquemultis factitant, quaſi pudeat eos verborum Pauli. Certè non tædet nos neque verborum Pauli, neque aliorum patrum: ſed bona fide, ſicut Ipſa ſunt & ſonant, tradimus. Hæc ideò dixerim, quòd videam Aduerſarios ſcripturis nunc addere, nunc auferre pro ſua temeritate. Alia duo Pauli dicta, Catholicis nihil officiunt. At quod dicunt: Si diſplicet excluſiua Sola, tollant ex Paulo illas etiam excluſiuas, Gratis, Non ex operibus, Donum eſt. Verba ſunt nullius precij, cauillationes ſunt & ſophiſmata, quæ à Chriſtianis pectoribus in re tam ſeria eſſet debent aliena.

Paulus, inquiunt, *non tantùm de ceremonijs loquitur, ſed de tota lege. Allegat enim infra ex Decalogo: Non concupiſces. Et ſi opera moralia merentur remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, etiam nihil opus eſſet Chriſto & promiſſione: & ruerent omnia illa, quæ Paulus de promiſſione loquitur. Male enim ſcriberet ad Epheſios, gratis nos ſaluatos eſſe, & donum Dei eſſe, non ex operibus. Item Paulus allegat Abraham, allegat Dauidem. At hi de circumciſione habebant mandatum Dei. Itaque ſi vlla opera iuſtificabant, neceſſe erat, illa opera tunc, cum mandatum haberent, etiam iuſtificaſſe. Sed rectè docet Auguſtinus, Paulum de tota lege loqui: ſicut prolixè diſputat de ſpiritu & litera, vbi poſtremo ait: His igitur conſideratis, pertractatiſq́; pro viribus, quas dominus donare dignatur, colligimus, non iuſtificari hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Chriſti Ieſu.* *Auguſt. fal. citant.*

Quando falsò Auguſtinum teſtem citant Aduerſarij, committamus eidem hunc nodũ exoluendum, vtq́ue ſe ab iniuria contra Aduerſarios vindicet. Hic itaque beatus Pater iniuſtè erroris iuſimulatus, lib. de fide & operibus erroneum eſſe dicit, credere quod ad obtinendam ſalutem ſola fides ſufficiat, docetq́ue palam, hunc errorem vt pernicioſſimum toto conatu è fidelium mentibus eximendum eſſe, ne mala ſecuritate, propriam ſalutem perdant. Teſtatur item ibidem, hunc errorem ex ſubobſcuris Pauli ſententijs natum, quodq́ue aduerſus illum errorem Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi dirigere debeamus intentionem, quò aſſeramus fidem ſine operibus nihil valere. Nec in libro de ſpiritu & litera, vbi gratiam, vt iuſtum eſt, vehementer extollit, ſibi diſſimilis eſt: ſed quod in libr. de fide & operibus dixerat, hic affirmat apertè. Euidenter enim docet, per fidem informem impetrari gratiam iuſtificantem ſi modò petamus, ſi quæramus eam. Tradit etiam hic, quod iuſtorum operum merces ſit æterna vita. Quod hæc ita ſe habeant, vt dicimus, docebit manifeſtè liber iſte, modò cogitationem aliquantiſper à ſenſibus auoces: docebuntq́ue eiuſdem Auguſtini & ex eodem libro verba, quæ ſuo loco ad confortandum puſillos, & eos, quibus non ſunt iſta Auguſtini opera, adnotabimus. Idq́ue vel ob hoc præſertim fiet, vt videat Cæſarea Maieſtas, Illuſtriſſ. Principes, & priuatum vulgus quàm carptim, quàmq́ue fraudulenter iſti illum beatum Patrem allegent, vbique aduerſus eos iuſto pugnantem duello. *Auguſt. pugnat cum Luthero.* Hac ferè ephegeſi dicta Pauli in libr. de ſpiritu & litera explicat. Diſcernit primùm legem factorum à lege fidei. *Lex duplex.* Legem factorum Moyſi vocat legem, legem verò fidei, Chriſti vocat legem. Docet proinde legem fidei, non eſſe ſine præceptis, & non modò quæ credenda, ſed & quæ opere explere oporteat, tradere.

Hoc ſolum intereſſe inter legem factorum & legem fidei, quòd iſta credendo impetrat, quod illa minando imperat. Quomodo verò impetrat? Vtique quærendo, & petendo gratiam à Deo, à quo eſt, vt inquit Iacobus, omne datum optimum. *Iacob. 1.* Rurſum, quæret quis, quomodo petet gratiam à Deo, qui ſe primũ à peccatis auertere non ſtuduerit? Habet igitur fidei lex opera, quibus gratiam impetrat, qua adiutus homo legem Dei perfectè ſeruare & implere poteſt. An non & lex fidei per pœnitentiam & humilitatem, orationem & eleemoſynam, docet quærendam eſſe gratiã, qua iuſtificetur homo? Hoc nihil docet maniſeſtius, quod ſi negatum pergas, Euangelium Chriſti aut non legiſſe, aut non intellexiſſe conuinceris. Porrò ne putes Auguſtinum aliter habere quàm dicimus, audi quæ dicat: *Auguſt. de ſpi. & lit. cap 13.* Lex, inquit, factorum eſt ipſa quæ dicit: Non concupiſces: quia per illam cognitio peccati eſt. Volo igitur ſcire, ſi quis mihi dicere audeat, vtrum lex fidei non dicat: Non cõcupiſcas: ſi enim non dicit, quid cauſæ eſt, cur non in ea poſiti, ſecuri & impunè peccemus? Hoc enim & illi putauerunt Apoſtolum dicere, de quibus ait: Et ſicut dicunt nos quidã dicere; Faciamus mala, vt veniant bona, quorum iudicium iuſtum eſt. Si autem dicit etiam ipſa, Non concupiſces, ſicut tam multa præcepta Euangelica & apoſtolica teſtificari & clamare non ceſſant, quare lex factorum etiam ipſa non dicitur? Neque enim quia non habet opera veterum ſacramentorum, circũciſionis videlicet atque cæterorum, ideò non ſunt opera, quę habet in ſacramentis ſuis huic tempori congruis. Aut verò de operibus ſacramentorum quæſtio fuit, quando mentio legis ab hoc fiebat, quia per ipſam cognitio peccati eſt, & ideò ex ea nemo iuſtificatur: vnde non per illam excluſa eſt gloriatio, ſed per legem fidei ex qua iuſtus viuit. Sed nunquid per iſtam non fit cognitio peccati, cum & ipſa dicat, Non concupiſces? Quid igitur inter-

eſt? breniter dicam. Quod operum lex minando imperat hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit; Non concupiſces; iſta dicit; Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus dederit, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij dominum, & deprecatus ſum. Ipſa eſt ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis, actionisque gratiarum, vt cultor eius non in ſeipſo, ſed in illo glorietur, ac per hoc, lege operum dicit Deus: Fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideò enim iubet lex vt admoneat, quid faciat fides, hoc eſt, vt cui iubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat. Si autem cõtinuò poteſt & obedienter facit, debet etiam ſcire, quod donante poſſit. Hactenus ille.

Iacob 1. Verus Dei cultus.

Clarum eſt ex his Auguſtini dictis, iubere legem vt admoneat, quid faciat fides. Audis etiam fidem debere doctrinam Chriſti imitari, videlicet vt petat, vt quærat, vt pulſet. Quandoquidem quęrenti ſuppliciterque petenti, dat Deus gratiam, quam alio qui temerario & de ſola fide ſuperbienti denegaret. Vides ergò Auguſtinum opera nnn excludere, & bene ſcribere, cùm docet hominem non iuſtificari præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem IESV CHRISTI. Nemo enim præcepta implet, niſi qui prius credit. Et neceſſe eſt hanc fidem habere eum qui iuſtificari cupit, vt gratiam, qua adiutus, præcepta ſeruare poſſit, impetret. Quod verò ſine omni opere legis non iuſtificetur homo, dictum eſt nobis. Nam ſine dilectione Dei & proximi, quod vtique legis præceptum eſt, nemo ſaluatur. Sunt & alia legis opera, vt videlicet in egenos ſimus miſericordes, vt proximis, ſi quid fortè in nos deliquerunt, noxam indulgeamus, vt quod nobis oderimus fieri, alteri ne faciamus, ſine quibus omninò nemo iuſtificari poteſt. Quæ ſunt ergò illa opera, quæ ad iuſtificationem hominis non conducunt? Sanè ea, quæ non fiunt ex fide Chriſti, vtpotè ſi quis legis opera faciat, obſeruetque mandata ad amuſſim, & credat interim opera ſua ſine adiutorio & gratia DEI ſufficere ad iuſtitiam & ſalutem. Sic Abraham, ſic Dauid, & quotquot ex ſynagoga ſaluati ſunt, abſque operibus extra fidem Chriſti mediatoris factis duntaxat, iuſtificati ſunt: ſed non ſine operibus ex fide Chriſti factis. Opera ergò legis, quæ ſine gratia Dei per ſeipſa gratiam & ſalutem ſperant, velut ſuperflua & inania à Paulo reijciuntur: illa autem, quæ ex fide Ieſu Chriſti fiunt, minimè, ſed ſunt cum primis neceſſaria. Audi nunc an non eadem etiam Auguſtinus dixerit, & in eodem libro quem citant aduerſarij. Ecce,

Opera, quæ ſunt ad iuſtificationem neceſſaria.

Opera, quæ ad iuſtificationem nõ pertinent.

inquit, & præputium dixit iuſtificari ex fide, & circuncißionem per fidem, ſi tamen circuncißio iuſtitiam fidei teneat. Sic enim gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt, impetrando eam ex Deo, non ex ſemetipſis præſumendo. Iſrael verò perſequens legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus, id eſt, tanquam eam per ſemetipſos operantes, non in ſe credentes operari Deum. Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Ac per hoc offenderunt in lapidem offenſionis. Nã quid dixerit, quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus, apertiſſimè expoſuit dicens: Ignorantes enim Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Et adhuc dubitamus quæ ſint opera legis, quibus homo non iuſtificatur, ſi ea tamquam ſua crediderit ſine adiutorio & dono Dei, quod eſt ex fide Ieſu Chriſti. Et ſubdens, ſic concludit: Fide igitur Ieſu Chriſti impetramus ſalutem, & quantum in nobis inchoatur in re, & quantum in perficiendo expectatur in ſpe. Omnis enim qui inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Hæc ille.

Auguſt. de ſpi. & lit.

Philip. 2.

Neminem arbitror eſſe tàm craſſæ Mineruæ, qui non videat hæc pro nobis, nihil pro Aduerſarijs, facere. Sicut autem iſta nobis militant, ita omnia, quæ tam longa diſputatione abſoluit, ſi epilogizentur, nihil aduerſarijs conferunt. Sed agunt iſti ſemper pro ſua conſuetudine, vt quos non poſſunt veritate ipſa fallere, ſaltem aliquo veritatis fuco fallant. Licèt ergò Apoſtolus Romanis ſcribens de vniuerſa lege ſecundum Auguſtinũ loquatur, non tamen omnia legis opera iuſtificare negat, ſed illa tantum, quæ tali fiunt animo, vt ille, qui legem operatur in ſe confidens gratiam Dei non putet ſibi eſſe neceſſariam. Illa verò legis opera, quæ facit ex fide, qui operatur & poſtulat gratiam, qua operatur fortiter, ad iuſtificationem maximè ſunt neceſſaria. Ingenuè item confitentur Catholici, legem neminem iuſtificare, ſed quid faciendum ſit, oſtendere & oſtenſum debere hominem facere. Nam cognouiſſe rectam viuendi normam, & ſecundum eam vitam non inſtituiſſe, ſuperuacaneum eſt & damnabile. Nam, quod ait Chriſtus, Seruus ſciens voluntatem domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. Et Paulus, factores legis, non auditores iuſtos eſſe apud Deum declarat. Quomodo autem illi iuſti putãtur? Num quod ex ſuis viribus legem fecerũt? Minimè, ſed quod implorata diuina gratia pauperibus ſubuenerunt largiter, hoſpites exceperunt

Luc 12. Rom. 2.

perunt humaniter, nudos veſtierunt liberaliter, liberaliter ſecerunt omnia, quæ ad diuini nominis maieſtatem videbantur pertinere. Cōcludimus ergò, vt hac parte nos Aduerſarijs, imò Auguſt. accommodemus, non iuſtificari hominem pręceptis bonæ vitæ, niſi ea per fidem Ieſu Chriſti peragat. Sed adhuc nō deſiſtunt iſti Catholicis negotiū ſaceſſere. Dicunt enim:

Si opera ex fide facta promerentur iuſtificationem, ergo nos ſcriptura fallit, dicens: gratis dari iuſtitiam, vt cùm dicitur, Iuſtificati gratis. &, Donum Dei eſt, Nō ex operibus, ne quis glorietur.

Eandem ſæpe cantilenam præcinentibus, cogimur eandem ſæpe cantilenam accinere, vt malo nodo malus non deſit cuneus. Iuſtificat quidem Deus hominem gratis, requirit tamen opera ad iuſtificationem eius. Hoc forte reſponſum Aduerſarijs videbitur monſtruoſum, & nihil ad rem facere: ſed ſi patienter aures accommodauerint, dicent ipſi, niſi pertinaces eſſe velint, appoſitiſſimum eſſe. Optimo quidem iure gratis nos iuſtificare dicitur, qui citra vlla noſtra merita, ſed ex ſuperfluentiſſima bonitate illa nobis liberaliter tribuit, quibus iuſtificemur. Principio per fidem oculos mentis noſtræ, propulſatis procul infidelitatis nubibus illuminat, quo eum, vt par eſt, & quoad licet homini, agnoſcamus. Deinde timorem incutit, vt eius reuereamur potentiam. Tertio ſpe erigit, ne animos deſpondentes, deſperemus miſericordiam. Hæc ſumma Dei dona, vt à peccatis abſtineamus, vt ad Deum opem petituri curramus, vt noſtram infirmitatem pariter ac malitiam agnoſcamus, quodam modo nos perurgent. Poſt longam verò orationem exauditi; (id enim promiſit pertinaciter in oratione perdurantibus) conuertimus omnia ſtudia, omnia opera noſtra, omnes cogitatus, & nos ipſos denique totos ad ſeruitium Chriſti. Interim prioris vitæ maculas lachrymis, ſingultibusque abſtergimus, vt quemadmodum priuſquam crederemus, toto corpore, totaque anima diabolo eramus mancipati: ita iam manumiſſi toto corpore, totaque anima domino redemptori atque creatori fideliter ad ſuam voluntatem deſeruiamus. Duplici autem hoc ſubſidio indigemus, primū vt à peccatis reſurgamus, deinde vt quid agendum pœnitentibus, quidue fugiendum ſit, agnoſcamus. Vtrumque Dei donum eſt. Nam non ſumus ſufficientes, ait Apoſtolus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. &, Sine me, inquit Chriſtus, nihil poteſtis facere. Porrò ſi hæc Dei dona negligas, & ad priſtina vicia velut canis ad vomitum reuertaris, quis erit perditæ iuſtificationis tuæ auctor? Nunquid Deus? ſed ille te in ſortem filiorum Dei adſciuerat, ille tecum de denario diurno, vt in vinea domini laborares, cōuenerat: ſed tu recuſaſti operam, tu reſpuiſti ſeruitiū Dei, malens concupiſcentiæ & carni ancillari: tu deieciſti iugum Dei, vt diabolum haberes inſeſſorem. Nónne videntur tibi opera ad voluntatem Dei, & ex eius ope facta, aliquid ad iuſtificationem facere? Cur ex Chriſtianis multi per fidem in Chriſtum iuſtificati pereunt? Nimirum quia vocationi ſuæ & iuſtificationi per bona opera non reſponderūt. Cur ſaluantur multi? quòd diuinæ voluntati ſeſe per gratiam à Deo acceptam accommodauerunt. Vna vtrorumque vocatio, vnaque iuſtificatio, ſed non vna ſalutis portio. Iſti collaudabuntur operæ perfectæ, illi vituperabūtur neglectæ. Fides ergò ſine operibus mortua eſt, inquit Apoſtolus, qua voce, vt inquit Auguſtinus, nihil verius, nihil breuius, nihil vehementius dici potuit.

Deus quibus nos iuſtificet. — *Matt. 7.* — *Homo dupli ci eget ſubſi dio ad ſalutē* — *1. Cor. 3.* — *Ioan 15.* — *Negligentes iuſtificationē.* — *Aug. de fide & operib.*

Ii, qui operatur, inquiunt, *merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.*

Agnoſcamus planè hoc apoſtoli paradoxum, quo nihil verius eſſe poteſt, ſed nihil officit doctrinæ Catholicæ, imo expungit deſidem, vt magis bonis operibus inſiſtat. Tam bene operanti, vt opus ſit mercede dignum, meritum & merces laboris, ſit pretium operis. Profectò ei, qui ſic operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecūdum debitum. Et ad hunc ſenſum loquitur Paulus, confutat enim eos, qui ipſi opera ſua magnificabant, & ſola ad ſalutem conſequendā ſufficere malè confidebant. Cum verò alicui alienæ opis indigo opulētior quiſpiam commiſerationis affectu permotus ob exiguum opus magnum, imò operis rationem multis modis ſupergrediens donum pollicetur: cū dederit autem quod pollicitus eſt, non tam opus quàm hominis penuriam penſans, dat ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. Accipe & aliam huius dicti ephegeſim. Pone eſſe aliquot qui regi ob perpetratum facinus obnoxij, iuſſi ſint exulare, & in extrema paupertate viuere. Tandem rex eorum miſertus, iubet eos ad ſe venire, & commiſſi peccati veniam petere. Addit pro ſua clementia, ſe eis non tantum non nociturum, ſed in gratiam recepturum, imo paupertatem eorum multa rerum copia ſubleuaturum. Iſti ne ſi tantam boni principis non audiunt vocem, iuſtè in egeſtate & indignatione regis permanent? Cōtra, ſi obaudiant, faciantq; quod decet eos, qui ob peccatū rei ſunt, putas regem verbis ſuis re ipſa, quam promiſit, nō reſponſurū? Minimè, ſed ſi bonus vir erit, aget ſedulò, ne verbis facta diſcrepēt: non quod illi digni ſint, ſed quod principē deceat clementia. Applica hæc ſi videtur ad regis regū, domi-

Exegeſis Catholica verbi Pauli. — *Simile.* — *Alia exegeſis eorundem verborum.*

nique dominorum ſupremam maieſtatem, quæ vt eſt clemens, ita & iuſta eſt. Quod ſi adeat eam quis graui peccatorum pondere onuſtus, eum quidem ſi deſideret, exonerat, non

Deus quos audiat quos reprobet.

deſiderantem verò negligit. Quod illum faſce leuat, gratiæ eſt: quod iſtum contemnit, iuſtitiæ. Non merentur quidem illlus opera, vt tanta Maieſtas ſeſe peccatori, & tanto peccatori accommodet, ſed quia lachrymis, ieiunijs, inedia, eleemoſyna, & toto pectore inceſſanter petit, facit quod decet ſuam clementiam, beneficentiam, bonitatemque & largitatem. Et tamen quicquid facit, gratis facit. Quantula ſunt enim humana opera ad exuberantiſſimum illum omnium bonorũ fontem, vnde in homines idoneos defluit multa gratiarum abundantia? Hac ratione arbitror Chriſtiano lectori ſatisfactum.

Auguſtinus, dicunt, *expreſſè teſtatur hominem iuſtificari gratis, id eſt, nullis ſuorum operum præcedentibus meritis, alioqui gratia iam non eſſet gratia.*

Mendacij arguuntur aduerſarij.

Longè aliter atque iſti obijciunt vbiq; habet Auguſtinus. Et vehementer admiror, quod iſtos homines mendaciorum non pudet tàm apertorum. Auguſtin. itaque libr. de ſpi. & litera tametſi gratiam magnificet, operumque merita attenuet, docuit tamẽ vt antè paulò prægustatum eſt, per fidem informẽ quærendam eſſe & impetrandam iuſtificantẽ gratiam. Si autem, quod nemo negabit, quærere & orare actiones ſunt, relinquitur, opera præcedere iuſtificantem gratiam, quæ eam impetrent. Vt autem id magis eluceſcat, loquatur iterum idem Auguſtin. Iuſto, inquit, non eſt lex poſita, quæ tamen bona eſt, ſi quis

Auguſt. de ſpi. & lit. cap 10.

ea legitimè vtatur. Hęc duo Apoſtolus velut inter ſe contraria connectens, monet mouetque lectorem ad perſcrutandam quæſtionẽ atque ſoluendam. Quomodo enim bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur, ſi etiam, quod ſequitur, verum eſt, Sciens hoc, quia iuſto lex non eſt poſita? Nã quis legitimè vtitur lege, ni

Lex cur iniuſtis poſita.

ſi iuſtus? At ei non eſt poſita, ſed iniuſto. An & iniuſtus vt iuſtificetur, id eſt, iuſtus fiat, legitimè lege vti debet, qua tanquam pędagogo perducatur ad gratiam, per quam ſolam, quod lex iubet poſſit implere? per ipſam quippe iuſtificatur gratis, id eſt, nullis operũ ſuorum præcedentibus meritis. Alioqui gratia iam non eſt gratia, quandoquidem ideò datur, non quia bona opera ſecimus, ſed vt ea facere valeamus, id eſt, non quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſſimus. Ille enim dixit: Non veni legem ſoluere, ſed implere, de quo dictum eſt: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre ple-

Ioan. 1.

num gratia & veritate. Hæc eſt gloria, de qua dictum eſt: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et hæc eſt gratia de qua continue dicit: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Iniuſtus ergò legitimè lege vtitur, vt iuſtus fiat. Quod cùm factus fuerit, ea iam non vtitur tanquam vehiculo cum peruenerit, vel potius vt ſupradicta ſimilitudine apoſtoli vtar, tanquam prædagogo cùm eruditus fuerit. Quomodo enim iuſto non eſt lex poſita, ſi & iuſto eſt neceſſaria, non qua iuſtus ad iuſtificantem gratiam perducatur, ſed qua legitimè iam iuſtus vtatur? An forte, imò verò non fortè, ſed certè ſic legitime vtatur iam lege iuſtus, cum eam terrendis imponit iniuſtis, vt cum & in ipſis cœperit inolitæ concupiſcentiæ incentiuo prohibitionis & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad iuſtificãtem gratiam, & per donum ſpiritus ſuauitate iuſtitiæ delectari, pœnam literæ minantis euadant? Ita non erunt contraria, neque inter ſe duo iſta pugnabunt, vt etiam iuſtus bona lege legitimè vtatur, & tamen iuſto lex poſita non ſit, non enim ex ea iuſtificatus eſt, ſed ex lege fidei, qua credidit nullo modo poſſe ſuæ infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum iuberet, niſi diuina gratia ſubueniri. Hæc Auguſtin. Qui hæc ad viuum excuſſerit, deprehendet Auguſtinum iſtorum ora mendacijs nata, occludere. Non enim dicit expreſſè, imò neque ſuppreſſè, hominem iuſtificari gratis, nullis operum ſuorum præcedentibus meritis, ſed ſic dicit: Iniuſtus per legem tanquam per pædagogum perducitur ad gratiam, vt iuſtus fiat. Quam diu iniuſtus eſt, & ducitur, non eſt iuſtificatus, credit tamen, quamuis fide necdum formata. Cum peruenerit aũt iuſtificatur, & credit perfectè, & non ducitur amplius, ſed ſuaptè ſponte vt iam iuſtificatus, implet legem. Vides igitur ingenue lector, quàm fallaciter, quàm mendaciter iſti blaterones iſtum B. virum contendunt dicere, quæ nunquam cogitauit. Vide iterum Auguſtinum, nam inſtitutum eſt, Aduerſarios eius viri authoritate frangere.

Auguſt. de ſpi. & lit. cap 13.

Lege operum dicit Deus, inquit, fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes. Ideò enim iubet lex, vt admoneat, quid faciat fides, id eſt, vt cui iubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat.

Audis etiam peccatori per fidem aliquid operis obeundum eſſe, quo iuſtificãtem gratiam impetret. Quid verò obire debeat peccator, vt iuſtificantem gratiam accipiat, ſæpenumero dictum eſt. Animaduertant hic Cęſ. Maieſt. & alij illuſtriſſ. nobiliſſimique viri, ſi qui fortè Lutherana ſunt farina conſperſi, quàm fraudulenter, quàm callidè iſti ex Auguſtino paſſim ſurripuerint, quæ ſuum videbantur errorẽ protegere, relictis interim ijs, quæ ad naſum erant, quæq; eos rurſus erroris arguere poterant. Ideò non ſurreptitias,

ſed

ſed integras adnotauimus ſententias, vt ipſe per ſe lector iudicet, cui palma debeatur.

Paulus, (inquiunt) *dicit: Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Item Fides eſt ex auditu Et vel hinc argumentum duci poteſt, quod fides iuſtificet, quia ſi tantum ſit iuſtificatio per verbum, & verbum tantum fide apprehenditur, ſequitur quod fides iuſtificet.*

Verbi auditu nemo iuſtificatur. Dignum planè patella operculum. Magnū aliquod ſe putant Aduerſarij feciſſe, cùm tamen nihil fecerint, vtrunque enim tam probatio quam probatū non cōſtat. Vbi, amabò, vnquam lectum eſt, quod per verbum iuſtificetur peccator? Si per verbum Dei iuſtificātur homines, triumphat rurſum cum Apoſtolis Iudas, neque reprobati ſunt Iudæi, qui toties ipſum audierunt Chriſtum. Sed id abſit, vtrique enim damnati ſunt. Nā & plurimi, *Mat. 7.* qui Chriſtiani cēſentur, vbi in iudicio cœperit ille iudex detonare, audient: Diſcedite à me operarij iniquitatis, &c. quæ ſuperius docuimus. Perſuadere ſibi poſſunt Aduerſarij, quod ſola fide iuſtificētur, ſed niſi voluntatē patris fecerint, audiēt: Ite maledicti in ignem *Matth. 25.* æternum. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c. Sic improbato antecedēte neceſſum eſt & alia non cohærere. Dicunt præterea.

Conſequi remiſſionem peccatorum, eſt iuſtificari iuxta illud: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates.

Sola fide in Chriſtum non propter dilectionem aut opera, conſequimur remiſſionem peccatorum, etſi dilectio ſequitur.

Igitur fide iuſtificamur intelligendo iuſtificationem, ex iniuſto iuſtum effici.

Maiorem propoſitionem accipimus, Minorem verò vt hæreticā improbat ipſe Ioannes, *Matt. 6.* dicens: Qui non diligit, manet in morte, culpæ ſcilicet. Quemadmodum enim, (vt ſimilitudine vtamur euangelica,) nemo duobus dominis ex diametro pugnātibus ſeruire poteſt, ſed alterū diliget, alterum odio inſectabitur, ita nemo Deo ſimul placere & diſplicere, neque ab eo diligi, & odio haberi poteſt. *Nemo ſimul Deo placere & diſplicere poteſt.* Sed hoc imprudenter hic colligunt Aduerſarij. Qui à Deo accipit remiſsionem peccatorū, vtique à Deo diligitur, & acceptus eſt ei. Atqui hæc iuſtificatio, vtcunque credas, *Rom 3.* nunquā fit abſq; diuinæ gratiæ infuſione, dicente Apoſtolo: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, &: Gratia ſaluati eſtis per fidē. Qui ve- *Prou. 8.* rò Deum nō diligit, vicisſim neq; diligitur à Deo: Ego, inquit, diligētes me diligo, & iterū ipſe Chriſtus: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Vt Deus diligit eos, qui ſe diligunt, ita eos, qui charitate vacant, auerſatur, deteſtatur, odit. Et impoſſibile eſt, hominē Deo eodem tempore charū & odioſum eſſe. Quod ſi verum eſt, ſicut verum eſt, ſequitur fidē per dilectionē ſemper ſine dilectione nunquam iuſtificare. Sed hic obiter admonitum te velim amice lector, quod alicubi iſti contenderunt, fidem nunquā informem, id eſt, ſine charitate eſſe, hic rurſus ſui obliti, cùm oporteret mendaces ſemper eſſe memores, dicunt: etſi dilectio ſequitur, fidem ſcilicet. Sic autem euerſis pręmiſsis, neceſſe eſt etiam conſequentia non conſiſtere.

Ira Dei, inquiunt, *non poteſt placari, ſi opponamus noſtra opera. quia Chriſtus propoſitus eſt propiciator, vt propter ipſum, fiat nobis placatus pater.*

Chriſtus autem non apprehenditur tanquam mediator niſi fide.

Igitur ſola fide conſequimur remiſsionem peccatorū cum erigimus corda fiducia miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ.

Tametſi ſola fide cognoſcamus Chriſtum *Fide charitate formata fit remiſſio peccatorum.* mediatorem, redemptorem, propiciatorem, redemptionem tamen & propiciationem non niſi per fidem, quæ per charitatem operatur, conſequimur. *1. Ioan 4.* Neque ſola fides, ſed dilectio ex fide mediatorem Chriſtum apprehendit. Nam auctore Ioanne, Deus charitas eſt, & qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo. Præterea licet redemptorē per fidem ſolam agnoſcamus, ipſam tamen redēptionem (iterum dico) niſi per pœnitētiam accipimus. Quicquid verò accipimus, quicquid bene agimus eius munus eſt. Si eius munus eſt, quicquid bene agimus, non eſt, quod iſti dicant, iram Dei placari non poſſe, ſi opponamus opera noſtra, quæ non tam noſtra ſunt quàm Dei, qui nunquam non in creaturis ſuis operatur. *Deus operatur in hominibus, ſicut in alijs creaturis.* Igitur neq; hac parte Aduerſarij Catholicorum euicerint veritatem.

Rurſum, Paulus ait, inquiunt, *Per ipſum habemus acceſſum ad patrem per fidem. Igitur fide accipimus remiſſionem peccatorum.*

Pauli vocem vbique libenter accipimus, *Coloſ 3.* ſed hanc frigidam collectionem eorum, niſi aliter docuerint, contemnimus. Aliter enim edocti, fidei etiam charitatem connectimus, quæ eſt vinculum perfectionis. Iterum dicunt:

Petrus ſic ait: Huic oēs prophetæ teſtimoniū perhibēt, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Quia igitur omnes in Chriſtum credentes remiſſionem peccatorum per nomen, hoc eſt, propter eum accipiunt, ergo non propter noſtra merita, contritionem, attritionem, dilectionem, cultus, & opera.

Nemo eſt qui neget, per Chriſtum dari remiſſionem peccatorum, ſed controuerſia eſt, an ad ſolam fidem donetur. Hic enim idem Petrus, vt clauum clauo pellamus, aliud præter fidem cenſuit eſſe neceſſarium. Nam in actis Apoſtolicis etiam ſic dixit: Pœ- *Act 3.* nitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Et idem alibi: Vos autē miniſtra- *2. Pet. 1.* te in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiā,

Multa ad iuſtificationem neceſſaria.

in ſcientia abſtinentiam, patiētiam, pietatem, amorem fraternitatis, charitatem. Cui non præſto ſunt hæc, cæcus eſt. Ex iuſsione B. Patris Auguſtini non potui iſta non recitare aduerſus eos, qui ita fidei omnia tribuunt, vt etiam charitatem, eiuſque munia contendāt non eſſe neceſſaria.

Peccatorum remiſsio, inquiunt, *eſt res promiſſa propter Chriſtum, igitur non poteſt accipi niſi ſola fide. Ideò ex fide vt ſit firma promiſsio ſecundum gratiam. Si enim penderet res ex meritis noſtris, incerta, & inutilis eſſet promiſsio, quia nunquam conſtituere poſſemus, quando ſatis meriti eſſemus. Ideò Paulus ait: Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus.*

Prou. 21.

Hoc putant argumentum tam validum eſſe, tā efficax, vt nullo ariete euerti poſsit. Sed quod eſt tam forte munimen, quod ipſam veritatem ſubuertat? Certè non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt cōſilium aduerſus dominum. Remiſsio peccatorū eſt quidem propter Chriſtum, ſed ſola fide nemini contingit. Sed id toties dictum eſt, vt fortè aliquibus nauſeam pepererit. Neque ſatis firmiter ex ſola fide promiſsionem expectat, id eſt, remiſsionem peccatorū, qui Chriſto ſemel per baptiſmum inauthoratus eſt: & candidam illam veſtem, quam ibi induit, & male viuēdo exuit, non conſequitur niſi per pœnitentiam Nam quid deberent facere peccantes, inquit inuictus ille martyr Cyprianus, magiſteria diuina docuerunt, operationibus iuſtis Deo ſatisfieri, miſericordiæ meritis, peccata purgari, & apud Salomonem legimus: Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, &cæt. Neque enim promereri miſericordiam domini poterit, qui miſericors ipſe nō fuerit, aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precib⁹, qui ad precem pauperis nō fuerit humanus. Iam ſi quid habet hæc vna omnium ſententia impedimenti, expoſtulent etiam ipſi cum hoc ſacro pōtifice, qui hac fide robuſtus ceruicem lictori hilariter obtulit. Porrò remiſſio peccatorum nō pendet ſolum ex noſtris meritis, ſed neque ex ſola fide. Si ex noſtris meritis penderet, proculdubiò incerta eſſet & inutilis: quia nunquam conſtituere poſſemus, quando ſatis meriti eſſemus. Rurſus ſi ex ſola fide penderet, iterum hæſitandum eſſet, an fides cōplecteretur quę amplecti oportuit, præſertim cùm fidei non eſt annexa dilectio. Quomodo enim credas de eo grādia, cuius bonitatem charitate nō complecteris? Quomodo credes quod inimicus inimico benefaciat? Quamobrem cùm & hoc incertū ſit, profuerit vtraque connectere, charitatem fidei, fidemque charitati, & ſic ſecundum doctrinam Petri ſatagere, vt quiſque per bona opera certam faciat vocationem ſuam & electionem. Et ne quis putaret bona

Cyprianus ſer. de eleemoſy.
Eccl. 29.

Remiſsio peccatorū vnde pendeat.

2. Petr. 2.

opera ad iuſtificationem non pertinere, addit: Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus ad æternum regnum domini & ſaluatoris noſtri. Concluſit quidem Deus omnia ſub peccato, vt ex fide Ieſu Chriſti promiſsio detur credentibus, quæ promiſſio nulli contingit infideli. Sed cur omnia cōcluſit ſub peccato? Si retuliſſent ſe hic aduerſarij ad Catholicos ſcripturarum expoſitores, didiciſſent, ideò omnia concluſa eſſe ſub peccato, vt agnoſcerent homines ſeſe deliquiſſe, compellerenturque ad peccati veniam depoſcendam, & ad Chriſtum confugere, qui hanc poſſet præſtare. Detrahit meritum, ſed quibus? Qui ad Iudaicas reuerſi ſuperſtitiones, quas putabant etiam ad iuſtificationem pertinere. Et meritò quidem tollit eis de falſa bonorum operum opinione ſupercilium, qui ſuam volentes iuſtitiam conſtituere, iuſtitiæ Dei non erant ſubiecti. quibus dicebat: Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & ęgena elementa, quibus denuò iterum ſeruire vultis? item: Quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Quæ autem collatio eſt circunciſionis, & bonorum operum, quæ faciunt Chriſtiani?

Gala. 3.

Meritum quibus detrahatur.

Rom. 10.
Gala. 4.
Gala. 5.

In actis Apoſtolorum legis de Cornelio, quodam cohortis Italicæ centurione, quòd religioſus fuerit ac timens Deum cum omni domo ſua, quodque fecerit multas eleemoſynas plebi: ſed iſta gentilis adhuc fecit. Et hac ratione meruiſſe videtur, vt ad iuſtificationem reciperetur: ſic enim dixit ei angelus Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Si iſtius bona opera, quę fecit cùm adhuc expers eſſet Chriſtianæ fidei, meruerunt viſionem angelicam, & vt præſentarentur Deo, quanto magis grata ſunt Deo opera, quæ ex fide facit Chriſtianus? Quarę non eſt ſatis, vt ad remiſſionem peccatorū credas eam tibi per Chriſtum contingere, niſi opera tua fidem viuificent, quæ ſola mortua eſt. Iam cùm volūt diſputationis ſuę finem facere, vt ſimplicibus fidem faciant, iſta ſequentia ponūt paradoxa.

Act. 10.
Cornelius centurio quomodo alioqui gentilis meruit viſionem angeli.

Ei verò, qui non operatur, inquiunt, *credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratia Dei.*

Nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti & non ex operibus legis.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat.

Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. Qui credit in eum non iudicatur.

Notum ſit vobis viri fratres, quod per hunc vobis remiſsio peccatorum nuntiatur, & ab omnibus quibus

non

non potuiſtis in lege iuſtificari. In hoc autem omnis qui credit iuſtificatur.

Omnia iſta loca, & ſi quæ alia demonſtrari poſſunt, de fide loquuntur charitate formata, quam ſolam iuſtificare cum Paulo dicunt Catholici. Colligunt circum circa aduerſarij ea, quæ ſolam habent fidei nomenclaturam, ſed non aduertunt incommoda, quæ fides illa habeat, ſi non ſit charitate formata. Colligere quidē & nos poſſemus longum eorū catalogum, quæ operum præ ſe ferrent nomēclationem: ſed id ridiculum eſſet non minus, quàm illud eorum facinus. Neq; verò decet catholicos, ceu ſine cerebro, indiſcriminātim ſcripturis abuti. Quod iſti ſcripturarum loci, quos citant hic aduerſarij, & alij quotquot tādem adduci poſſunt, de fide charitate formata intelligi debeāt, neque ipſi Aduerſarij negare poſſunt. Nam ipſi dicunt fidem nunquā informem eſſe, id eſt, ſine charitate, quę nunquam non iuſtificat. Sed iſta ſæpenumero diximus. Allegant etiam alia nihil nobis, ſi nollent contendere, officientia, nempe iſta:

Fide purificans corda eorum. Iuſtus ex fide viuit. Notitia eius iuſtificabit multos. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, &c.

Spiritus ſanctus adit otioſa.

Quòd ex fide tantùm & notitia Chriſti nemo iuſtificetur ijdem ipſi docent, quādo aſſerunt fidem illam, de qua loquuti ſunt Apoſtoli, nō eſſe otioſam notitiam. Quamobrem ſi nō eſt otioſa notitia, operæpretium eſt aliquid eam operari, quo ſpiritus ſanctus qui in otioſos ſeſe nō ingerit, illapſus, vim ſuam explicet, vt fides cum charitate iuſtificare poſsit Quid verò informis illa fides facere debeat, vt ſpiritū ſanctum mereatur, otioſum fortè fuerit reſumere, propter vitilitigitores tamē dicimus, quod orare, quærere, pulſare oporteat: & quod qui ſedulò orādo, quęrēdo, pulſando, deſiderabundi eam efflagitant, volūtatis ſuę compotes fiant. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur, &: Voluntatem timentiū ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Hinc quoq; dictū eſſe, omnium eſt ſententia: Dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, his, qui credūt in nomine eius, &c. Poteſtas enim illa hominibus data, qua tā ardua poſſūt, voluntas eſt, & ingēs cupido, Deum promerendi per bona opera, quæ nō niſi ex fide eſt in Ieſum Chriſtū, tāetſi rudis ſit & informis.

Matt. 7. Pſal. 144. Ioan. 1.

Dedit eis poteſtatem &c. quomodo intelligatur.

Auſim dicere, ſi aduertiſſent Antagoniſtæ poſterioris ſententiæ incommodum, opinionem ſuam maximopere impediens, nunquam eam Catholicis obtruſiſſent. Id ego docebo, ita tamen vt lectori πάρεργον ſit. Non itaque ab re monuit apoſtolus, eis præcipuè datam poteſtatem filios Dei fieri, qui iam ex Deo nati filij Dei ſunt. Si autem iam filij Dei ſunt, quomodo datur eis poteſtas, vt filij Dei fiant? Quocirca notabis, vt te ab hoc abſoluas labyrintho, cum in fide Chriſti, qui pœnitet baptizatur, vtique Deo naſcitur, & filius Dei conſtituitur. Quod ſi poſt baptiſmum mortalibus ſeſe rurſum polluat maculis, ex filio Dei, filius ſit diaboli, dicente Ioanne, Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: & alibi de ſimilibus dicebat Chriſtus: Vos ex patre diabolo eſtis. Qui ſi per fidem licet informem, quam ſemper retinent, per pœnitentiam reuertantur ad deū, probè ſua poteſtate defuncti ſunt Huc ergò ſpectat illa poteſtas tibi diuinitus data, vt ſi quando fortè agitante diabolo pecces, protinùs adnitaris pœnitere peccati. Vide nunc quantum aduerſarijs profuerit, iſta contra veritatem Catholicam adnotaſſe.

1. Ioan 3. Ioan 8.

Capiuntur hic aduerſarij.

Iam ſi vellent ſibi ipſis conſtare, catholicæ ſententiæ haud multum refragarentur. Docent enim in Apologia, ſentiendum eſſe de Chriſto, quod penes ipſum quærenda ſit remiſsio peccatorū, quodq; eam à Chriſto quęrere, ſummus ſit cultus. Si ſola fide percipitur remiſsio peccatorū, vt ſupra docuerunt, quorſum opus eſt quærere? Si autē quærere oportet, quēadmodū hic catholicè confitentur, quomodo ſola fide percipitur? Sic ſolent parū in ſacra pagina eruditi, nūc iſtud nunc illud dicere, & infantiliter ſæpe offendere.

Falſo citatur Iſaias.

Demum illud: Iuſtus ex fide viuit, accipimus, ſed quod ex ſola fide iuſtificetur impius, minimè: & illud: Notitia eius iuſtificabit multos, neſcio quomodo diſtorqueant, vt ſuum ſtatuant errorē. Nam neq; Hieronymus neq; 70. neque ille, qui nuper multa Biblijs annotauit, huius tam ſingularis meminit interpretationis, quā forte Lutherus nemine iubente mūdo inuexit. Neq; nos Hebraici idiomatis tam ignari ſumus, quin videamus hic in Hebræo ſcriptum eſſe, Bedaatho iazdic zadic ebadi larabbim. Quod rectè interpretatus eſt Hieronymus: In ſciētia ſua iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos. Iſti vt ſtatuant ſuū errorem, data opera omittunt primùm Beth, quæ præpoſitionē (in) ſignificat, deinde zadic ebadi, id eſt, iuſtus ſeruus meus. An Lutherus ita hūc locū verterit, neſcio certè: iſti data opera corrumpunt prophetæ ſenſum, ne videatur ſciētia pro doctrina, ſed pro fide accipi debere, cùm tamen Hieronymus, & alij Catholici ſcripturarum expoſitores, hic ſcientiam prò doctrina concorditer acceperint. In re certè nihil eſſet periculi, etiamſi ita eſſent interpretati, cum omnia ad vnum ſcopum fidei, cui, vt iuſtificet charitatem annectimus, referantur, ſed deteſtamur iſtorum audaciam, qui pro ſua ipſorum libidine, fallendique animo omnia inuertunt. Citant quoque Aduerſarij in teſtimoniū B. Ambroſiū, quaſi ille eorū patrocinetur errori, ſic cuidā Irenęo per epi-

Ambroſius.

ſtolam dicentem: Subditus autẽ mundus eo per legem ſactus eſt, quia ex præſcripto legis omnes cõueniuntur, & ex operibus legis nemo iuſtificatur, id eſt, quia per legẽ peccatũ cognoſcitur, ſed cul pa nõ relaxatur: videbatur lex nocuiſſe, quæ omnes ſecerat peccatores: ſed veniẽs dominus Ieſus peccatũ omnibus, quod nemo poterat euitare donauit, & chyrographũ noſtrum ſui ſanguinis effuſione deleuit. Hoc eſt quod ait: ſuperabundauit peccatum per legem: ſuperabundauit autem gratia per Ieſum: quia poſtquã totus mundus ſubditus ſactus, totius mũdi peccatũ abſtulit: *Io. 1.* ſicut teſtificatus eſt Ioannes, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Et ideò nemo glorietur de operib⁹, quia nemo ſactis ſuis iuſtificatur, ſed qui iuſtus eſt, donatũ habet, quia poſt lauacrũ iuſtificatus eſt. Fides ergò eſt, quæ liberat per ſanguinẽ Chriſti, quia *Pſal. 31.* beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur. Ambroſium vnà cũ catholica ſua ſententia accipimus: ſed hanc malã alienamq́; iſtorum interpretationẽ nõ recipimus. Nam Ambroſius apertè loquitur de operibus legis Moſaicæ, vtpotè de circũciſione, ſacrificijs baptiſmis, & alijs per Chriſtũ iam dudũ abolitis, quæ iam ſeciſſe peccatũ eſt. Nõ excludit opera legis nouæ, quæ niſi ſacias, interibis. Nã vt auctor eſt Apoſtolus, qui non obediunt *2. Theſ. 1.* Euangelio, pœnas dabũt in interitu æternas. Dicit virtute paſsionis Chriſti virtutem dari, qua iuſtificentur homines, non efficacia operum, quæ precium eſſe nequeunt iuſtificãtis gratiæ, quæ, eam toto conatu perſequentibus gratis datur. Hinc dicit idem ſacer πρωτομύστης. Qui iuſtus eſt donatũ habet. Quomodo donatum habet niſi per fidem charitate operãtem? vnde ſubdit: fides eſt, quæ liberat *Ambroſius* per ſanguinẽ Chriſti. Quomodo liberat, niſi gratiã, quę iuſtificat, oratione, ieiunio & eleemoſyna impetret? Iuſtificat ergò fides abſq; operibus legis, quæ ita fiunt, vt qui ea ſacit, gratiã Chriſti nõ putet ſibi eſſe neceſſariã. Nõ iuſtificat autẽ ſine operibus ex fide ſactis, de quibus quid ſentiat Ambroſius, audiant: nam boc aperiet eorum ſenſum, quæ hic aduerſus veritatẽ obijciunt Aduerſarij, cum tamẽ ipſis magis, qui obiecerunt, repungnet. Sic itaque ait: Dicit ſcriptura, ſicut aqua extinguit ignẽ *Ambroſius ſerm. 30. qui eſt de eleemoſyna.* ita eleemoſyna extinguit peccata. Magna plane & cunctis ambienda ſententia, quæ hominibus iam penè mortuis, & peccatorũ ſuorũ *Eleemoſynarum magna virtus.* incendio areſactis, rediuiuum quoddã beneficium pollicetur, vt interueniẽte eleemoſyna, ſicut intermortuis, ſuccus reſrigeriũ areſcentibus infundatur, hoc eſt, vt miſeri homines, qui in mortẽ peccatis aruerant, ad vitam eleemoſynis reuiuiſcant, ſitq́; illis miſericordia ſons ſalutis, quibus auaritia ſuerat mortis incendium. Hactenus Ambroſius. Vidẽſne lector quàm lõgè aliter iſte atque illi ſentiat? vidẽſne quod illa quæ citarũt pro ſe Aduerſarij, pro ſe nihil faciãt, quodq́; de veteris, non de nouæ legis operibus intelligẽda ſint? Audi eundem iterum.

Ibidem. Emat, inquit, quodammodo ſibi peccator innocentiam, qui ſibi emerat aliquando peccatũ. Dicit enim dominus ad diſcipulos ſuos: Date eleemoſynam, & ecce omnia mũda ſunt vobis. Quamuis ergò pollutus, quãuis multis criminibus circunſeptus, ſi eleemoſynas ſeceris, innocens eſſe cœpiſti. Abſtergit enim eleemoſyna, quod auaritia polluebat: & maculam, quàm rem alienam diripiendo, contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergò quæ ſit miſericordiæ gratia, quæ vna & ſola virtus cunctorum eſt redemptio peccatorum.

Videant etiam hic, an putauerit Ambroſ. hominem ſine vllis operibus iuſtificari poſſe Eleemoſyna, inquit, ad vitã reuiuiſcant, eleemoſynà innocẽtiam emant, eleemoſyna peccata abſtergant. Nõnne tibi eleemoſyna opus eſſe videtur? Quod hic eleemoſynæ tribuit, idem alibi peccatorum cõfeſsioni aſcribit: Si vis iuſtificari, inquit, fatere delictum tuũ. Soluit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum. Aliud eſt eleemoſyna, aliud confeſsio, aliud fides: tantùm abeſt vt ex Ambroſio errorem ſuum muniant.

Rurſus Aduerſarij nihil non attentantes, vt ſententiam ſuam ſtatuant, abutuntur ver- *Pelagianos contra.* bis Auguſtini, quæ ſcripſit contra Pelagianos lib. de ſpir. & lit. ſic loquentis: Ideò quippe proponitur iuſtitia legis, quod qui fecerit eam, viuet in ea, vt cùm quiſque infirmitatem ſuam cognouerit, non per ſuas vires, neque per literam ipſius legis, quod fieri non poteſt: ſed per fidem concilians iuſtificatorem perueniat, & faciat, & viuat in ea. Opus rectum quod qui ſecerit, viuet in eo, non fit niſi in iuſtificato. Iuſtificatio autem ex fide impetratur.

Hęc Auguſtini verba non tam Catholicorum ſententiam, quod ſactum iri putant Aduerſarij, eneruant, quàm obfirmãt. Idem dices, quiſquis ea expenderis ad viuum. Nam illis loquitur, qui humanis viribus virtutẽ attribuebant efficiendæ ſalutis, vbi maximè gratiam cõmendare oportuit, ne id ſibi quiſquam arrogaret, quod in primis à Deo depẽdet. Porrò ſi iſtam totam Auguſtini diſputationem diſcendi, non ſallẽdi animo perlectitaſſent, ſanè reperiſſent idem quod docẽt nũc Catholici, nempe per fidem iuſtificantẽ gratiam quærẽdam eſſe. Quomodo verò vtiliter quæratur, dictum eſt. Nunc verò ſurtim excipiũt, quæ ſuo inſtituto prima ſacie videntur quadrare. Hoc mendacij genus tanto eſt deterius, quanto occultius. Mendacium eſſe dicet;

cet, quiſquis librum de ſpiritu & litera vel tenuiter euoluerit. Iam ſi velint pedibus ire in Auguſtini ſententiam, ilico arbitror propoſito excidered. Nam Catholicis & Auguſtino conuenit ſemper, opera plurimum valere ad iuſtificationem, ſine fide verò nihil. Sed vt audias quid de operibus ſentiat Auguſtinus, nunquam ſui non memor, non grauabor ex omnibus paucula deligere, vt fidem habeas verbis illius. Obteſtor autem Deum immortalem, me genuinum eius ſenſum eſſe imitatum. Sic igitur habet.

Auguſt. li. 83 q. 76. Opera quid iuſtis Aug. Arbitramur hominem iuſtificari per fidē ſine operibus. Non tamen ita intelligendum eſt, vt accepta fide, ſi vixerit, eum dicamus iuſtum, etiam ſi malè vixerit. Ideò exemplo Abrahæ & Apoſtolus Paulus vtitur, quia ſine operibus legis, quam non acceperat, per fidem iuſtificatus eſt. Et Iacobus quia fidem ipſius Abrahæ opera bona conſequuta eſſe demonſtrat, oſtendens quomodo intelligēdum ſit, quod Apoſtolus prædicauit. Nā qui putant iſtam Iacobi Apoſtoli ſententiam cōtrariam eſſe illi Pauli Apoſtoli ſententiæ, poſſunt arbitrari, etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium, quia dicit alio loco: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur: & alio loco: Sed fides quæ per charitatem operatur, & iterum: Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et per ordinem multa alia enumerat, quæ ipſi reluctarentur Paulo, ſi fidem putaret ſolam ad iuſtificationē eſſe ſufficientem. Et poſt hæc ſequitur:

Apoſtolus Paulus ſatis aperteque prædicat rectè viuendum omnibus, qui in Chriſto crediderunt, ne ad pœnas perueniant. Quod & ipſe dominus commemorat dicens: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, in-
Matt. 7. trabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt ipſe intrabit in regnum cœlorum. Hoc eſt quod hactenus docuerunt Catholici, videlicet ſolam fidem non ſufficere ad iuſtificationem, ſed præter eam requiri etiam bonam vitam, bona opera. Audi eundem denuò. Illud quoq; non video, cur Dominus dixerit: Si vis venire ad vitam, ſerua mandata. Et commemorauit ea, quæ ab bonos mores pertinēt: ſi etiam his non ſeruatis, ad vitam veniri poteſt per ſolam fidem, quæ ſine operibus mortua eſt.
Iacob. 2. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad ſiniſtram politurus eſt, dicet: Ite In ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius: quos non increpabit, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt? Nam profectò ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, vitam promittat æternam: propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis vtebantur, vt appareat eos illi dicturos: Domine, quando te vidimus illa & illa patienrem, & non miniſtrauimus tibi? qui in eum crediderant, ſed bona operari non curauerant, tanquam de ipſa fide mortua, ad vitam perueniretur æternam. An fortè ibunt in ignem æternum, qui opera miſericordiæ non fecerunt: & non ibunt, qui aliena rapuerunt? vel corrumpendo in ſe templum Dei, in ſeipſos immiſericordes fuerunt? Putas aliquid dici poſſe apertius,
quod Aduerſariorum ſententiam labefacta- *Auguſt. in præfatione.*
ret? Non arbitror. Audi eūdem etiam tertio: *Pſal. 3.*
nam idem Aduerſarios expugnabit pro Catholicis, quem ſibi illi tutorem delegerant.

Quid igitur fit, ſi ſe homo iuſtificauerit, & de iuſtitia ſua præſumpſerit? Cadit ſi conſiderans & cogitans infirmitatem ſuam, & præſumens de miſericordia Dei, neglexerit vitā ſuam mundare à peccatis ſuis, & ſe omni flagitiorum gurgite demerſerit, & ipſe cadit. Præſumptio de iuſtitia quaſi dextera eſt, & cogitatio iniquitatis peccatorum quaſi ſiniſtra eſt. Et poſt hæc cùm recitaſſet illud Pau-
li: Credidit Abraham Deo, & reputatum *Ibidem.*
eſt illi ad iuſtitiam, adiecit: Vides ergò quia ex fide non ex operibus iuſtificatus Abraham, faciam ergò quicquid volo, & ſi opera bona non habuero, & tantùm credidero in Deum, putabitur mihi ad iuſtitiam. Si dixit & decreuit lapſus demerſus eſt. Si adhuc cogitat & fluctuat; periclitatur. Hæc ille. Pone hic ex aduerſo ea, quę ſuperius attigimus aduerſariorum decreta, videlicet.

Semper ſtatuere debemus, quod ipſum placatum habeamus Deum, etiamſi indigni ſimus.

Et illud:

Semper ſtatuendum eſt, quòd fide propter Chriſtum iuſti reputemur.

Pone, inquā, iſta hic ex aduerſo, & vide quāto interuallo inuicem diſſideant, iſti & Auguſtinus. Iſte cadere dicit eos, qui ſe iuſtos neglecta pœnitentia pro peccatis, arbitrātur: illi ſemper ſtatuunt, quod Deum habeāt placatū, quodq; fide propter Chriſtum ſemper iuſti reputentur. Iſte hoc præſumptionē, illi putant eſſe virtutem. Cui iam potiſſimū manum dabis? Auguſtino an Aduerſarijs? Scio te malle Auguſtino cum Catholicis acquieſcere, quàm Aduerſariorum peregrinę incertæque, & ante centum annos cum Iohanne Huſs, cinefactæ doctrinæ ſubſcribere.

Ambroſius etiam putauit præſumptionem *Venia ſpes*
eſſe, ſi veniam quis ſperaret ſine pœnitentia. *ſine pœniten-*
Agendam inquit pœnitentiam, & tribuendā *tia præſump-*
veniam credere nos conuenit, vt veniam ta- *tio eſt.*
men tanquam ex fide ſperemus, non tanquā ex debito. Aliud enim eſt mereri, aliud præſumere. Tanquā ex ſyngrapha fides impetrat

præ-

præſumptio autẽ arroganti eſt proprior quã roganti. Prius ſolue debitum, vt quod ſperaueris, impetrare merearis. Hęc obiter ex Ambroſio recitauerim, vt videas, quàm belle inter ſeſe Auguſtinus & Ambroſius conueniãt Nam ſolus Auguſtinus cum aduerſarijs expoſtulare debebat de iniurijs, quibus illi eũ afficiunt. Audi igitur eum iam quarto.

Auguſt. de doctrina Chriſtiana cap. 13.

Fides, ſine operibus inanis ad iuſtificationem.

Idem de gratia & libero arbitrio ca. 7

Si nullum crimen, inquit, ſed ſola perfidia condemnatur, ergo ſecuri peccamus & liberè, & ſine cauſa. Sine cauſa dedit Deus mãdata iuſtitiæ, ſi ſola ſine iuſtitiæ operibus fides prodeſt. Vnde hic tam impius, tam ſceleſtus, tam perfidus ignorantiæ error irrepſerit, ſcire non poſſum, niſi forte ex illis, qui hoc exẽplo in lege veteri populum ſeducebãt. Vides Auguſtino errorem eſſe longe peſtilentiſſimum, quem iſti velut oraculum publicitus, priuatimque ſecuri prædicant. Nunc eũdem audi vel quinto, alio loco ſic docentem: Homines non intelligentes quod ait Apoſtolus: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, putauerunt eum dicere, ſufficere homini fidem, etiamſi male viuat, & bona opera non habeat. Quod abſit vt ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet in quodam loco: In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, mox addidit, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Poſtremo addam etiam tametſi laborioſum ſit, illud quod de hac re ſcribit Auguſtinus, libro de fide & operib9. Hic qui fidem habet Auguſtino eccleſiaſticam ſententiam defenſanti, hæc vt longiore filo deducta, non vt inutilia, aut ad rem nihil faciẽtia, prętерire poterit. Qui id nolet, Auguſtinũ ſe non noſtra legere certo credat: nã quod itẽ ſuperius, dicere me memini, inſtitutũ eſt huius viri authoritate Aduerſarios vt falſarios opprimere. Sic itaque ibi diſputat: Illud iam videamus inquit, quod excutiendũ eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutẽ ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſolã fidem ſufficere putauerint, benè autẽ viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam temporibus Apoſtolorũ, nõ intellectis quibuſdã ſubobſcuris ſententijs Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere: Faciamus mala, vt veniant bona: quia dixerat, Lex ſubintrauit vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Quod ideo verum eſt, quia legem accipientes homines, qui de ſuis viribus ſuperbiſſimè præſumebant, nec diuinum adiutorium vincẽdarum malarum concupiſcentiarum recta fide impetrantes, pluribus grauioribuſque delictis etiam lege præuaricata, onerati ſunt. Ac ſic magno reatu compellente confugerũt ad fidem, qua miſericordiam indulgentiæ merentur, & auxilium à Domino, qui fecit cœlum & terram: vt diffuſa per Spiritum ſanctũ charitate in cordibus ſuis, cũ dilectione contra ſeculi huius concupiſcentias iuberentur, ſecundum id, quod prædictum erat in Pſalmo: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. Cùm ergò dicit Apoſtolus, arbitrari ſe hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus legis: non hoc agit, vt pręcepta ac profeſſa fide, opera iuſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint: ſequuntur enim iuſtificatum. Vnde in præſenti opere non eſt latius diſputare, quia modò de hac quæſtione prolixum librum edidi, qui inſcribitur De ſpiritu & litera. Quoniam ergò hæc opinio tũc fuerat exorta, aliæ epiſtolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrẽ, planeque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt: Et, fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes trãſferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Vbi autem hęc fidelis charitas operatur ſine dubio bene viuitur: plenitudo enim legis, charitas. Vnde euidenter in ſecunda epiſtola Petrus, cùm ad vitæ & morum ſanctitatem hortaretur, mundumque iſtum tranſiturum prænuntiaret, cœlos verò nouos, & terram nouam expectari, quæ iuſtis inhabitanda traderetur, vt ex hoc attenderent, qualiter eos oporteret viuere, vt habitatione illa dignificerent, ſciens de Apoſtoli Pauli quibuſdam ſubobſcuris ſententijs, nonnullos iniquos accepiſſe occaſionem, vt tanquàm ſecuri de ſalute, quæ in fide eſt, benè viuere nõ curarent, commemorauit quædam ad intelligendum difficillima eſſe in epiſtolis eius, quæ homines peruerterent, ſicut alias ſcripturas ad ſuum interitum, cùm tamen & ille Apoſtolus de ſalute æterna, quæ niſi benè viuentibus non daretur, eadem ſentiret, quæ cæteri Apoſtoli. Sic itaque Petrus: His itaque inquit, hominibus pereuntibus, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes ad præſentiam diei domini, per quam cœli ardentes ſoluentur & elementa, ardore ignis decoquẽtur, nouos verò cœlos, & terram nouam ſecundum promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Quapropter chariſſimi hæc expectantes, ſatagite inuiolati, & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domini noſtri patientiam, ſalutem exiſtimate, ſicut & dili-

Rom. 5.

Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus, quomodo intelligatur.

1. Cor. 13.

Rom. 13.

2. Pet. 3.

dilectiſsimus frater noſter Paulus, ſecũdum eam, quæ data eſt illi, ſapientiam, ſcripſit vobis, vt & in omnibus epiſtolis, loquẽs in ijs de his, in quibus ſunt difficilia quædã intellectu quæ indocti & inſtabiles peruertunt, ſicut & ſcripturas cæteras, ad ſuum interitum. Vos igitur amantiſsimi, præſcientes cauete, ne in̄ falſorum errore ſeducti, decidatis à corroboratione veſtra: Creſcite verò in gratia & intellectu domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti. Iacobus autem vehemẽter infeſtus eſt eis, qui ſapiunt, fidem ſine operibus valere ad ſalutẽ, vt illos etiã dęmonibus compareт, dicẽs: Tu credis quoniam vnus eſt Deus, & facis bene: dæmones credunt, & cõtremiſcunt. Quid verius, breuius, vehementius dici potuit, cũ & in Euangelio legamus hoc dixiſſe dæmonia, cùm Chriſtũ filiũ Dei faterẽtur, & ab illo corriperentur, quod in Petri confeſsione laudatum eſt: Quid proderit, ait Iacobus, fratres mei, ſi dicat quis fidẽ ſe habere, opera autẽ nõ habeat? nũquid fides poterit ſaluare eũ? Dixit etiam: Quia fides ſine operibus mortua eſt. Quouſque igitur falluntur, qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicẽtur? Hactenus ipſe Auguſtinus omnẽ aduerſariæ partis ſtructuram pro nobis demolitus eſt. Ex his iã ſatis compertũ eſt erroneũ eſſe, quicquid hactenus de ſua ſpeciali fide cõcrepuerunt Aduerſarij, nẽpe fidẽ ſine operibus nihil valere ad ſalutem conſequendã. Deſinant ergò, ponãtque ſuę temeritatis modũ, non ampliùs illud malè intellectũ: Arbitramur hominẽ iuſtificari ſine operibus legis, aut alia id genus obſtrepant. Diſcant priùs ab Auguſtino, eiq; ſimilibus, reuoluantq; prius omnia quæ ſcripſit, quæq; docuit, quã errorem ſuũ ſeſe lancinantẽ in vulgus ſpargant, quã ſancto viro hęreſeos notã inurant. Quid dicent hic illuſtriſſimi Principes, quibus iſti verba dederũt, cũ audient longè aliter docuiſſe veteres, quã ab iſtis perſuaſi ſunt? Quid dicent, inquam, cùm ob oculos videant, hanc opinionẽ fidei ad ſalutẽ adipiſcendã inefficacis, rudibus hominũ auribus inſtillatam, iam dudũ ab orthodoxis recentioris Eccleſię Chriſti columinibus dãnatam eſſe? Quid dicent, cùm viderint iſtos errorem ſuum aſtutijs mendacijſq; protegere, inſontes mendacijs, quæ non docuerunt, onerare? Obteſtor itaque omnes bonos Principes, per ſacra Chriſtianæ religionis myſteria, vti ſeſe diſcendi ſtudio, poſt Apoſtolos, poſt Euangeliſtas referant ad ſacros Eccleſię Catholicæ doctores: Cyprianũ dico, Athanaſium, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, Chryſoſtomum, Origenem, Cyrillum, Bedam, & alios tã vetuſtiores quàm recentiores, qui idem docent, idem ſapiunt, idem damnant, quod nunc docent, ſapiunt, damnant Catholici. Et ſi nõ eſt otium, credant ſaltẽ ijs, qui Catholicam ſententiam, quam ex ipſo veritatis fonte exhauſerũt, toti mundo inuitis Aduerſariorũ dentibus euulgant, tam communitam, tam fortem, tam imperterritã, tamq; inexpugnabilem, vt ne inferorum portæ quidẽ eam euertere poſsint.

Appellantur omnes principes.

¶ Tam firmam, vt præter mendacia & ſcripturas turpiter detortas nihil habeãt aduerſarij, quod obijciant. Qui hoc velit pernoſcere, cõferat iſta (quę licèt ſimplici veritatis oratione humi repunt, ſed tamen Catholica) cum ijs, quibus glorioſe, ſed fallaciter, ſed mẽdaciter in Apologia ſuperbiunt, & deprehendet, quã impudenter iſti aduerſus veritatem, ceu de Gygis annulo glorientur. Nũc reliquũ eſt, vt etiam peruestigemus, quibus artibus, quibuſue technis catholicas veritates ſubruere conẽtur. Miraberis hic fraudes & dolos, quibus ipſam veritatem perfrictis frontibus adoriũtur. Et quia omnis Apologia mẽdacijs ſcatet & nugis, nemo fortè Catholicorum reſpõdit hactenus, quod rectè ſecum ſtatuant, apertis mendacijs, non eſſe reſpondendum. Ego verò reputans mecum hoc ſilentium malũ parere, & circumcirca promiſcuum vulgus, cui potiſsimùm ſubſcribat ſententiam vertere, non debui, imò non potui non reclamare, ne mea negligentia, torpore, ignauia, à caulis dominicis oues abducerentur. Ego, inquam, qui licet nouiſsimus ouilis diuini cuſtos, primus hanc obiui prouinciam, non deſperans fore, vt alij expergefacti cuſtodes, acrius lupos iſtos nocentiſsimos inſectentur? Audiamus itaque quid aduerſus Catholicos remurmurent. Dicunt enim.

Apologia cur nemo reſponderit.

Facile erit diluere ea, quæ aduerſarij obijciunt. Citãt enim dicta de lege & operibus, & omittunt dicta de promiſsionibus. Semel autem reſponderi ad omnes ſententias de lege poteſt, quòd lex non poteſt fieri ſine Chriſto, & ſi qua fiunt ciuilia opera ſine Chriſto, non placent Deo. Quare cum prædicantur opera, neceſſe eſt addere, quòd fides requiratur quòd propter fidem prædicentur, quòd ſint fructus & teſtimonia fidei.

Vide hic apertam calumniam, vide apertũ mendacium iſtorum, qui mẽdacium poſuerunt ſpem ſuam, putantque eo errorẽ ſuum defenſatum iri. Quis enim non videt, Catholicos ſemper promiſsionibus opera, & è diuerſo promiſsiones operibus cõiũgere? Hæc enim adeò inter ſe cohærent, vt vix ſeiungi poſsint. Cùm ergò docent opera, docent pariter & promiſsionem. Nam opus promiſsio neceſſariò ſequitur, modò illud ſine fide nõ fiat. Vis hoc videre? Conſtitue Catholicos docere illud: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, vides hic opus: neque tacent ibi, ſed addunt: propter retributionem, ecce promiſsionem. Et illud: Moyſes negauit ſe filium eſſe filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm tẽporalis pec-

Promiſsionẽ docent Catholici cum operibus.

Pſal. 118.

cati habere iucunditatem, maiores diuitias
æſtimans theſauro Aegyptiorum, impropeⷭ
rium Chriſti. Ecce opus hic quoque addunt:
Aſpiciebat enim in remunerationem, ecce
Matt. 4. promiſsionem: Cum docent: Pœnitentiã agi-
te, opus docent: cùm addũt, quod addi opor-
tet, Appropinquabit regnum cœlorum, pro-
miſsionem docent. Rurſus illud eſt operis
Matth. 5. doctrina: Beati qui patiũtur propter iuſtitiã:
quod ſequitur, quoniã ipſorũ eſt regnũ cœlo
rum, promiſsionis. Sic Beati miſericordes,
Ibidem. operũ eſt argumentum, quoniam ipſi miſeri
cordiam conſequentur, promiſsionum. Sed
Matth. 7. vide in iſtis promiſsionẽ ſimul & opera. Date
Matt. 19. & dabitur vobis: Dimittite, & dimittetur vo-
bis. Petite, & accipietis. Pulſate, & aperietur
Galat. 6. vobis. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.
Benefacientes non deficiamus, tẽpore enim
ſuo metemus non deficientes. Qui ſeminat in
benedictionibus, de benedictionibus & me-
2. Cor. 9. tet. Hilarẽ datorẽ diligit Deus. Gloria autem
Roma. 2. & honor, & pax, omni operanti bonũ: Iudæo
primum & Græco. Deficiet mihi prius char-
ta papyracea, quàm omnia enumerẽ, quę pro
Mendacij miſsionẽ habent operibus adnexam. Si hacte-
conuincuntur nus Catholici omiſerunt promiſsionẽ, vnde
ergò nata eſt in cordibus hominum ſpes fe-
licitatis æternæ, cur tantam gnauant operam
cur fruſtrà ſeſe ieiunijs & orationibus affli-
ctant? Nam vt iſti dicunt, necdum edocti ſunt
eſſe regnum Dei: aut ſi ſciunt, neſciunt tamẽ
promiſſum eſſe fidelibus. Quid hoc poſſet di
ci ineptius? Si verò non neſciunt, ęternam fe-
licitatem promiſſam eſſe ſibi, relinquitur id
eos à Catholicis doctoribus accepiſſe, & Ca-
tholicos iniuria ab iſtis mendaciter affectos
eſſe. Nolo hic iniuriã hanc, iniuria cõpenſare,
ne ab Aduerſarijs nullo nomine diſcrepẽ, tã-
etſi digni eſſent, quibus mẽdacitatis inurere-
tur nota. Vindictam refero omnẽ ad pias au-
res, nõ vt vlciſcantur, ſed vt caueãt deinceps,
ne mendacium ſententiæ ſubſcribant, ne hoc
doctrinæ intoxico inſcẽtur. Eſt enim & hoc
in iſtos quoddã vindicandi genus, nolle fal-
ſitati eorũ acquieſcere. Sed paulò antè haud
minus apertè Catholicos calumniati ſunt.

Sic enim dicunt: *Prædicant ſe legem implere, cùm hæc gloria propriè debeatur Chriſto. Et fiduciam propriorum operum opponunt iudicio Dei: dicunt enim ſe de condigno mereri gratiam, & vitam æternam.*

Legem Dei qui impleant Prędicant quidem, & quidem benè prędi-
cant, quod qui iuſtificati ſunt per gratiã Dei,
mandata eius impleant, legemq́; faciant. Qui
enim iuſtus eſt, charitatem habet, diligiturq́;
ei Deus ex toto corde. Qui verò Deũ diligit
& proximum, ſi tamen Paulo habenda ſit fi-
des, legem impleuit. Nam eo auctore, pleni-
tudo legis eſt dilectio. Quid eſt ergò incom-
modi, ſi dixero eum legem ſeruare, qui Deũ
ſuper omnia, & proximũ ſicut ſeipſum dili-
git, pręſertim cũ hoc non ex me, ſed ex Paulo
dicam? Cur Paulũ voco teſtem, cùm euidẽtiſ-
ſimum habeã ex Chriſto argumentũ? Si quis
diligit me, inquit, ſermonẽ meum ſeruabit:
perinde, atque diceret, legem obſeruat, quiſ-
quis Deũ diligit. Quid ergò hic periculi eſt? *Legem dum*
Neq; quicquam diuinæ derogatur gloriæ, ſi *Chriſtus, di-*
dicant: ſe fideles mandatis Chriſti paruiſſe. *cet homines*
Non enim ideò venit Chriſtus, vt ſolus legẽ *implere.*
impleat, nã voluit & ſuos fideles pediſſequos *Matt. 19.*
legi ſuæ obtemperare, dicens: Si vis ad vitam
ingredi, ſerua mãdata. Rurſus alibi obiurgat
quoſdam, vehementerq́; increpat, quòd pa-
rùm legi obtẽperauiſſent: Quid, inquit, voca-
tis me magiſter & domine, & non facitis quæ
dico? Eſt verò proprius atque peculiaris ſer-
uandæ implendæque legis modus ita Chri-
ſto vni ſeruatori noſtro appropriatus, vt nul
lus propriè hũc ſibi temerè arrogare audeat,
& ſi arroget, nihil tamen hic poſsit, nempe vt
imperfecta, & quæ omninò rudia ſunt, pror-
ſuſque ruſtica legis abroget, tollat, & vt iam
dudù mortua ſepeliat, ne ſit vlla earũ rerum
memoria. Ita inquã ei proprius & reſeruatus,
vt illis extinctis, nemini conceſſum ſit abſo-
lutiora ſtatuere, vmbras rerum veritate per-
mutare, vt nullus in hoc negocio ei poſsit
ſuffragari. Hinc de eo dicit ad Epheſios Apo- *Epheſ. 4.*
ſtolus Paulus, quòd deſcenderit primũ in in-
feriores partes terræ, & deinde aſcenderit ſu-
per omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Prior
illæ ſeruandæ legis modus, ſolis ijs, qui in ſa-
cramenta Euãgelij iurarunt, quique Chriſto
ſunt inauthorati, ita peculiaris eſt atque pro-
prius, vt nõ obſeruauiſſe, Chriſto ſit inimica-
tũ eſſe: obſeruauiſſe verò amicitię eſt. Hinc in
vniuerſum omnibus dicebat fidelibus: Vos *Ioan. 14.*
amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vo-
bis. Perinde atque diceret: Parum nomini ve-
ſtro reſponderitis, parũ fuerit nomine tenus
Chriſtianũ eſſe, & propter exiguum fidei lu-
men ſeſe amicum Dei appellare, niſi etiã hoc
reb⁹ ipſis & profeſsione teſtemini, q̃ audire
vultis. Qui ergo legi Chriſti ſic obtẽperant,
nullã planè Chriſto vnico ſeruatori noſtro
gloriã auferũt, ſed vt meritiſsimo deferunt.
At nunc inquiũt, fiduciam propriorũ ope- *Merita quo*
rum opponunt iudicio Dei. Hic breuiter, ſed *modo credãt*
apertè reſpondent Catholici: quod propter *Catholici.*
fidẽ, quã habẽt in Chriſtum, bonorum operũ
ſuorum mercedẽ ſperẽt. Perſuaſiſsimũ enim
eſt eis, quòd largiſsimus omnium bonorum
cõpenſator Chriſtus, ineſtimabile, & incom-
parabile promiſerit βραβεῖον his, qui bonis o-
peribus ad diuinæ maieſtatis æternam gloriã
indefatigabiliter inſiſtũt. Quod promiſit au-
tem, haud diffidunt eum copioſè præſtiturũ
qui facit voluntatẽ patris mei, inquit in Mat- *Matth. 7.*
thæo, ipſe intrabit regnũ cœlorum. Quis hic
Chriſto

Chriſto tam fideli domino credat? Si in hoc aliquid eſt periculi, quòd firmiter ſtant promiſsis diuinis, habent Chriſtum huius flagitij auctorem, qui multis ſermonibus hoc eis conſuluit, cum quo, ſi reprehenſione Catholici ob hoc digni ſunt, expoſtulare poſſunt. Ipſe pro nobis noſtram tueatur cauſam, qui conſuluit nobis, vt benè operantes, cōſtanter expectemus exantlati laboris cœleſtē fructū Sed quid vbique magis vrgēt Aduerſarij noſtri, quàm vt ſpe mentem in Deum erigamus, vtpote qui poſsit & velit ſolam fidem eorum multa mercede penſare? Spe inquā meritorū Chriſti volunt vt mentem erigamus, nā nihil omninò volunt nos de noſtro addere, ne vllam ſpem concipiamus de bono opere. Sed quàm feliciter ipſi expectent promiſsionem, ipſi interim viderint. Abſit verò vt bona operā ſua, (quod calumniantur Aduerſarij,) ſic iactitent, ſic euehant, vt ea putent mereri vitam æternam. Hoc enim impium eſſet. Sic verò efferunt, nō quia ex ſeſe ipſi, ſed à Deo per gratiam moti ea fecerint. Si enim ex nobis eſſent, quod nemo ſecum ſtatuit, ſuapte natura mala eſſent, & ſupplicio digna. Nunc verò, quia bona ſunt, alieno, id eſt, diuino ſuffragio, non poſſunt non bona eſſe, ideoq́; ex eo, qui fidem dedit, mercedē propoſitam expectant. Iā ſi iuſti animo hæſitarent, ſua bona opera non eſſe æterna mercede cōpenſanda, modò ab hoc ſtatu nō deuient, re ipſa declararent, ſe Chriſto diffidere. Quid ergò incōmoditatis habet iſta Catholicorū ſententia, ſi iſtiuſmodi bona opera iudicio Dei opponūt, non vt arrogent ſibi vitam æternam, ſed vt mercedē repoſcant iureiurando promiſſam?

Merita unde habeant quod bona ſunt.

Mendacij arguuntur.

Quod addunt Aduerſarij: Dicunt ſe de condigno mereri gratiam, & vitam æternā, apertum eſt mendaciū, impudens eſt calumnia. Hoc enim ſentire Pelagianū eſſe docuerunt. Subit hic animū meū ingēs ſuſpicio, quòd iſti aut nunquā Catholicorū legerint ſentētiam; aut ſi legerunt, data opera, excogitataq́; malitia ſuppreſſerunt, imò inuerterunt. Quis hoc non ſuſpicetur ex tam manifeſto mendacio? Quantum verò habeant iſta virium, docent ea, quæ ſuperiùs diſtinximus. Sed pergāt iam calumniari, qui ſunt calumnijs nati. Dicunt:

Aduerſarij noſtri ſunt ſuaues Theologi. Intuentur ſecundam tabulam & opera politica, primam nihil curāt quaſi non pertineat ad rē, aut certè tantū externos cultus requirunt. Illam æternā legem, & longè poſitā ſupra omniū creaturarū ſenſum atque intellectū: Diliges dominū Deum tuum ex toto corde, prorſus non conſiderāt.

Mendacij arguuntur.

Hæc vt falſiſsimè, ita impudentiſsimè Catholicis imponunt. Quàm enim diligenter primæ tabulæ præcepta intuiti ſint, docent vel ipſa eorum volumina, fidei, charitatis, & ſpei tractatibus pleniſsima. Docēt nihilominus eadem magna illa volumina internū cultum cum primis eſſe neceſſarium, externum quoq;, ſi fide vacet & dilectione, neminē ſaluare. Qui hęc Catholicos docuiſſe obſeruauerunt, ilicò mendacij arguent iſtos calumniatores magis, quàm Theologos: locutuleios potiùs, quàm doctores. An putant iſti ſe veritatem mendacio expugnare poſſe? An neſciunt, eum, qui mēdacijs nititur, iuxta ſacrū Salomonis apophthegma, ventū paſcere? Hoc autē inuēto mē dacitatis aſylo, in ſinū gaudēt, nā huc quoties auctoritate, quoties ſcripturis arctabuntur, refugiēt. Sed id nūc videamus.

Prou. 10.

Lex, (inquiunt,) non poteſt fieri ſine Chriſto, & ſi qua ſiunt ſeruilia opera ſine Chriſto, non placent Deo. Quare cùm prædicantur opera, neceſſe eſt addere, quod fides requiratur, & quod propter fidem prædicentur, & quod ſint fructus, & teſtimonia fidei.

Non video quibus iſta dicant, & cur dicāt. Nam hactenus Catholici docuerunt, adeò in benè operando fidem eſſe neceſſariā, vt nullum opus ſine ea valere putarent, neque renuerunt fidei fructum eſſe opera. Nū ob hoc quod opera requirunt fidem, ſuntq; fructus fidei, nihil valent opera miſericordiæ, nihil valet eleemoſynas conferre, alienis culpis indulgere, ſupplicare, & gratiam iuſtificantem quęrere? Sed ſuſpicari poteſt, eos dicere velle quòd omnia iſta, & quotquot tādē ſunt bona opera, fidē requirāt, & quòd ſint fidei fructus Igitur primū credere oportet, quā quicquā boni operis abſoluas. Et qui fidē habet, iā iuſtus eſt: & ob hoc nihil conducūt opera ad iuſtificationem, quęcunque etiam ſint illa. Haberet quidē iſta enumeratio aliquid neruorum, ſi omnia bona opera ex fide naſcerētur, charitate formata. Si fides informis diuinitùs homini ſubminiſtrata, omninò nihil eſſet, & ad nullas eum bonas operationes excitaret, prorſus ſtaret Aduerſariorum ſententia. Si hoc docuiſſent, aliquid ſtatuiſſe viderentur. Catholici verò docent, fidē informē eſſe donum Dei, quę nullo peccato, præterq̄ infidelitate, corrūpi poteſt. Ex hac informi fide Publicanus ille apud Lucā pœnitens, miſericordiamq́; deprecans conſequutus eſt, & iuſtificantem accepit gratiā. Et non ſolū iſte publicanus, vèrū multi etiā alij hac fide imbuti, pœnitendo iuſtificantē gratiā meruerunt. Si nemo alius quàm iuſtus, ſalubriter orat, fallit nos ipſa veritas, quæ orare voluit, etiam necdum iuſtificatos. Si nemo præterquā iuſtus, benè facit, fruſtrà laborant iſti, qui vt veniam conſequantur peccatorum, noctu dieque ſeſe ieiunijs, orationibus, gemitibus affligūt, in pauperes eleemoſynas conferunt, qui nudos veſtiunt, qui famelicos paſcunt. Et non vidēt hic monophtalmi, quantum incommodi habeat iſta ſententia. Sequitur enim, ſecundum iſtos, neminem poſſe iuſtificationem rectè

Fidem in omni bono opere neceſſariam eſſe.

Luc 18.

quærere, quàm iam iuſtificatum. Sed quid neceſſe eſt iuſtificato iuſtificationem quærere? Quærunt ergò vtiliter gratiam nondum iuſtificati. Si, quod iſti ſomniant, nunquã fides eſt ſine dilectione, ſequetur neceſſariò, peccatorem, qui charitatem non habet, credere & conſequenter iuſtificari non poſſe. Quid ergò? num iſti deſperandum erit? Num qui cecidit, non adijciet vt reſurgat? Cur ergò iſtiuſmodi expergiſcit Paulus, dicens: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus? Vbi eſt præclara illa conſolatio, qua pauidas, trepidanteſque demulcent conſcientias? Sanè hic prorſus elanguit. Hic dicent: Imò conabitur reſurgere per fidem, qua credit ſe propter Chriſtum in gratiã recipi: Quomodo poſſunt hæc ſibi cohærere? Qua fide credet ſe in gratiam recipi, quum ex fide informi, quam ipſi hiſtoricam vocãt, nemo iuſtificetur, & alia nihilominus, quæ per charitatem operatur, vacet? Si alia aliqua fide ſine charitate iuſtificatur, relinquitur, planè illam fidem informem eſſe, & ſine charitate ſalutem mereri. Quid hic dicent Momi iſti, quibus ſolùm ſua placent, qui in re tã manifeſta impingunt? Et dum volunt aliena carpere, ſua negligunt. Sic foris oculatæ, domi cæcæ ſunt Lamiæ.

Ephe.5.

Docemus, (inquiunt) operibus fidelium propoſita, & promiſſa eſſe præmia. Docemus bona opera meritoria eſſe, non remiſsionis peccatorum, gratiæ, aut iuſtificationis: hæc enim tantum fide conſequimur: ſed aliorum præmiorum corporalium & ſpiritualium in hac vita, & poſt hanc vitam.

Operà eſſe meritoria ipſi confitentur aduerſarij.

Benè habet, quòd qui bona opera tã aperto Marte impugnabant, nunc compulſi ea meritoria eſſe confitentur. Excipiunt tamen hic iuſtificationem, gratiam, aut remiſsioné peccatorum, quę, vt ipſi putant, ſola fide percipiuntur. Si de merito propriè dicto, id eſt, de merito condigni, loquuntur, tuebuntur etiam Catholici Aduerſariorũ partes. Ineptiores enim ſunt peccatores, quã vt de cõdigno gratiam iuſtificanté & remiſsioné peccatorum percipiant, quæ ex vnius Chriſti meritis miſericorditer profluunt: & nõ in quoſuis, ſed in eos, qui per bona opera ſeſe diuinæ gratiæ, vt ex Deo poſſunt, coaptant. Si verò de merito impropriè dicto, id eſt, de opere, quod hominem coaptat diuinę gratię, vt miſericorditer iuſtificantem gratiam percipiat. (Non eſt enim æquum, vt donum illud omnium excellentiſsimum accipiãt, qui animo ſunt pertinaci, qui gratiæ reluctãtur, qui obſtinati ſunt. Nam ſi non eſt negligenda Sapiẽtiæ authoritas, non transfert ſe ſpiritus ſanctus aliò, quàm in animas ſanctas, nec habitat in corpore ſubdito peccatis.) Si de hoc merito inquam, quo non de condigno, ſed de cõgruo meretur, vt iuſtificantem gratiam accipiat, vtcũque aduerſentur iſti merito, admittant tamen neceſſe eſt, imò reipſa neſcij tribuunt, quòd fides de congruo gratiam mereatur iuſtificantem. Id verò non eſt aliud, quàm quòd fides idoneũ faciat, atque coaptet peccatorem, vt gratiam illam cõſequatur. Quomodo verò idoneum faciat, non video, niſi quòd oſtendat peccatori, in quo verſetur vitæ diſcrimine, ſimulq́ue indicans nihil ſibi eſſe roboris, nihilq́ue iuſtarum viriũ, vt illud euadat, niſi gratia Chriſti adiuuetur. Hinc expergefacit, ſimulq́ue extimulat eum, vt ad orationem, ceu ad ſacram ancoram, qua adiutricem gratiam imploret, refugiat. Hęc verò gratia deſiderantibus datur, reluctantibus & inuitis iuſtè negatur. Conſtat igitur, iſta bona operà, quibus ſe peccator diuinæ gratiæ coaptat, de congruo mereri remiſsionem peccatorum, gratiam & iuſtificationem, ſecundum ſcripturas, & omnium veterũ ſententiam. Concedunt item hic, bona opera meritoria eſſe præmiorum ſpiritualium & corporalium in hac vita, & poſt hanc vitam. Si hoc largiuntur, iam ſuis ipſorũ verbis capti ſunt. Quæ ſunt illa ſpiritualia & corporalia præmia in hac vita, & poſt hanc vitam hominibus tribuenda? Sed agedũ de ſpiritualibus primùm diſſeramus. Iſta ſpiritualia bonorũ operum præmia, nihil aliud eſſe poſſunt, quã dona Dei, quibus vel percipitur, vel augmẽtatur gratia, idq́; potiſsimum in hac vita, vnicuique enim datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Poſt hanc vitam pro bonis operibus quæ poſsit fieri retributio, nõ video prępterquam æternæ glorię: nam in vinea Domini ad opus ſtrenuè vigilãtibus, denarius promittitur perpetuæ felicitatis. Sequitur ergo ex ipſis Aduerſariorum verbis, quod ipſi negatum, Catholici probatũ iri volebant, videlicet bona operà in hac vita gratiam, & poſt hanc vitam gloriam mereri. Neq́; poſſunt ipſi nobis alia ſpiritualia præmia, quæ in hac vita & poſt hanc vitam dantur, enumerare. Quod de corporalibus præmijs hic dicunt Aduerſarij, ſomniaſſe eos arbitror, aut certe graui eos lethargo, dum hæc ineptirent, fuiſſe conſopitos. Quæ enim in hac vita contingũt hominibus bona, omnibus communiter dãtur, tam bonis quàm malis: tam gratis quàm ingratis elementa miniſtrant, venti ſpirant, iniuſtis æquè ac iuſtis meſſes grandeſcunt, fructus matureſcunt, frondeſcunt nemora, exuberant pomis arbuſta, floreſcunt prata, & ſecundum ſententiam Chriſti, æqualiter Deus ſuper bonos & malos naſci facit diem, & lumen ſolis oriri, & cum imbribus terrã rigat, nemo à beneficijs eius excluditur. Dantur quidem iſta bene operantibus, ſed minutiora ſunt, quàm quæ talibus laboribus coæquẽtur, vtpote, quæ etiam iniquis non negantur.

Sapi.1.

Fides informis quid faciat.

1.Cor.12.

Bona temporalia omnibus indifferenter dãtur.

Si

Si iſta debentur ſolum bonis operibus, cur participāt etiam facinoroſi, cur cum ijs communicant impij? Si iſta debentur bonis operibus, cur non ſolis adminiſtrātur bene operantibus? Si ſolis iſta debentur bonis operibus, cur multi benè fideles, beneq́ue operoſi
Luc 16. in ſumma, omnium rerum penuria vitā exi-
Auguſt in gunt? cur Lazarus vlceribus plenus, egeſtate
comment. plenus, dolore plenus, fide tamen præcipua,
Pſal. patiētia inaudita, omnibus iſtis caruit? Sane qui pro tēporalibus rebus, quæ omnibus prę ſtò ſunt, Deū ſolū colit, quaſi, quod ait Auguſtinus, adhuc vt pecus eſt. At nunc temporali labore æterna cōparant homines bona. Corporaſia præmia poſt hāc vitā nulla ſunt, præter immortalitatē illā longe feliciſsimā, qua perfruentur quotquot regno cœleſti ſe non fecerint indignos. Dicunt ergo ipſi iterū, bona opera remiſſionem peccatorum, gratiā & iuſtificationem mereri. Nam qui hac perſruetur immortalitate, à peccatis abſolutus, gratus & iuſtificatus eſt. Hic rurſus obijciunt:

Gratia, qua iuſtificamur de condigno (inquiunt) non poteſt mereri, ergo nec æterna beatitudo, ea enim debetur iuſtificatis, ergo non meretur.

Gratiam iuſtificantem Citius exolueris hunc nodum, ſi expédas,
cur Deus det cur iuſtificantem gratiam peccatoribus Deus
homini. largiatur. Nam non dat ob aliam cauſam, quā
Apoc. 2. vt ſecundum præſcriptum mandatorum viuentes, regnum mereantur æternum, quod
Matt. 25. alioqui fideli ter ſibi miniſtrantibus pollicetur. Hinc dicit alicubi animæ fideli: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, & apud Math. dicit fideli illi œconomo: Supra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Cōtrà infideli illi ſeruulo, qui nō miſit manū ſuam ad fortia, ſed infrugi fuit & ocioſus, cœleſtis
Exemplum illa beatitudo negatur. Quemadmodū enim
adoptionis fi- ſi prædiues nullum habens bonorum ſuo-
liorum Dei. rum hæredem, pauperem quempiam ea lege vt ſibi ſemper fideliter ſeruiat, in filium adoptet; quod ſi deſit datæ fidei, iure hæreditatis ſpe priuatur: ita & nos non natura, ſed gratia filij Dei adoptitij ad fidem acciti ſumus, vt fideliter ei ſeruientes, perpetuæ, feliciſsimæq́ue hæreditatis efficiamur participes. Facilè igitur labaſcit e lumbis iſta Aduerſariorum collectio. Audi nunc quàm parū ſibi conſtēt, quàmq; vacillātis ſint animi. Perſuaſiſsimum eſt mihi, neſciuiſſe eos, dum hæc commentarentur, quid præcipue dicerent, quē ſentētiæ ſuæ ſtatum conſtituerent. Id vt plurimū ſolet vſu venire eis, qui ceu inter ſacrum & ſaxū conſtituti, vtrinque comprimuntur: hinc conſcientiæ oppugnatæ veritatis ſtimulo,
Conſcientia hinc rurſus Aduerſariorum apud omnes in-
aduerſariorū uiolata auctoritas, & quod magis vrget, am-
conſtringuntur biguus doctrinæ finis. Nam cū aliud ſtatuūt, cauēdum eſt, ne aliud non minus probabile ſubuertant. Audi itaque quid hic ſtatuant.

His (inquiunt) præconijs bonorum operum mouētur ad bene operandum. Interim etiam prædicatur doctrina pœnitentiæ aduerſus eos, qui male operantur, oſtenditur ira Dei, quam minatus eſt omnibus, qui non agunt pœnitentiam.

Confer iſta, quæ cumprimis dicit iſtius ſe- *Lutherus.*
ctæ coryphæus, lib. de cap. Babylo. Baptizatus etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolet credere. Et cū his, quæ ſuperiùs iſti nugati ſunt, ſcilicet, peccator ſemper ſtatuat, quod propter Chriſtum iuſtus reputatur, etiamſi indignus ſit, &: Credat tantum ſe per fidem in gra- *Capli ...*
tiam recipi. Si ſufficit ſolùm credere, ſi iuſtifi- *uerum ad-*
cat ſola fides, ſi cuilibet credenti iam peccata *uerſarij.*
ſunt remiſſa, quid opus eſt multis præconijs ad benè operandum admonere? Si ſola iuſtificat fides, inaniter prædicatur doctrina pœnitentiæ. Si ad ſolam fidem peccator Deo pacificatus eſt, quid neceſſe eſt ei minarum irarumq́ue fulgura intentare, vtpote per fidem iam reconciliato? Si verò quod nunc coacti confitentur, pœnitentiam agere debent, qui deliquerunt in Dcū, modò velint minas Dei, & irā euadere, cur hactenus docuerūt peccatore per ſolam fidem iuſtificatū eſſe. Obſeruabis hic etiā, Aduerſarios informem fidem, quā hactenus aduerſus Catholicos oppugnauerunt, ſuapte ſponte docere: nā docere ſuos cōfitentur pœnitentiā, & alia, quæ audis. Quā do verò ſuæ iſti obſequuntur doctrinæ, palā eſt, eos necdum iuſtificatos eſſe. Si autem iuſtificati non ſunt, & tamen pœnitent, neceſſe eſt eos fidem habere, qua iuſtitiam quærāt, & ſummo animi conatu eam perſequantur. Ea verò non poteſt eſſe charitate formata fides: Nam ſi formata eſſet charitate, iā Deo eſſent reconciliati, & neceſsitudine quadam ineffabili arctius cum eo deuincti. His autē qui tali *Ira Dei qui-*
charitatis vinculo Deo cohærēt, vt nō eſt lex *bus prædicā-*
poſita, ita legis minas, ſeu Dei iram malè op- *da.*
poſueris. Amplectuntur quidem Catholici hanc ceu è ſuis depromptam cellarijs ſententiam, ſed in Aduerſarijs πολύποδος νοῦν, vehementer deteſtantur. Et cur non oderint eam quando quàmplurimos vident priori ſentētiæ ſubſcribere, poſteriorem verò neſcire. Illa enim facilem promittit iuſtificationis normam, iſta laborioſam, & peractu difficilem. Adde quòd iſta iā poſterior vix paucifsimis quibuſque innotuit. Quotuſquiſq; enim eſt, cui hæc lecta eſt Apologia? Et quotquot legunt, maturè reſipiſcunt: nam qui eam cū iudicio legunt, omnia illa mala ter malis peiora ſecum reputant, iudicātq́ue iſtinc deriuaſſe. Sed reuertamur ad rem. Quando Catholici in confutatione Confeſsionis rectè dicerent, nullam fidem ſecundum Apoſtolū ſine dilectione iuſtificare, iſti auſi ſunt etiam idē do-

cere. Aiunt (nimirum putant Catholicos) hic locus Pauli requirit dilectionem, hanc requirimus & nos. Ruſus ſi dilectionem hic requirunt fidei annexam ad hominis iuſtificationem, perperàm docuerunt, ſolam fidem iuſtificare ſine dilectione: malè dixerunt, dilectionem fidem ſequi. Si enim fidem ſequitur dilectio, & ſi ſola iuſtificabat fides, oportebat interim dilectionem errabūdam exulare. Si cum fide, quod nunc aiūt, charitatem requirunt ad hominis iuſtificationem, non oportebat tantum in hoc vnico Chriſtianiſmi angulo tragœdiam excitare, quo factum eſt, vt apud exteros Chriſtianū nomen nunc peſsimè audiat. Nunc aliam ſtruunt calumniam. *Capiuntur iterum.*

Præpoſterè faciunt aduerſarij (dicunt) *hunc locum citantes, in quo Paulus docet de fructibus, alios plurimos omittunt, in quibus ordine diſputat de modo iuſtificationis. Ad hoc in alijs locis, qui de fide loquuntur, ſemper aſcribunt correctionem, quod intelligi debeat de fide formata. Hic nullam aſcribunt correctionem, quod etiam fide opus ſit ſentiente, quod reputemur iuſti propter Chriſtum propitiatorem. Ita aduerſarij excludunt Chriſtum à iuſtificatione, & tantum docent iuſtitiam legis.*

Præpoſterè ſemper, & vt ſe decet, faciunt iſti, qui Catholicos vbique mendacijs laceſſunt. Vnum locum dicunt Catholicos citare, cùm tamen ferè innumeros citent. Charitatē nō negant, imò publicitùs cōfitentur, fructū eſſe ſpiritus, tùm quia nobis à ſpiritu datur, tùm quia ſine ea ſpiritus hominis, fructum ſalutis non operetur. Cùm verò docent noſtri, nonnullos ſcripturarum locos, qui fidei nomenclaturā habent, de fide charitate formata loqui, non corrigunt eos, ſed Catholicū, genuinumq; eorum intellectū aperiunt. Cur verò iſti loco, quem ſic dixit Paulus, ſed fides, quæ per charitatē operatur, nullam correctionē adnotent, præcipua cauſa eſt, quòd iſte, & cū eo pariter omnes correctiſsimi ſunt, tametſi nonnulli, quod dicit Auguſtinus, ſubobſcuri ſint, quibus oportet luminis aliquid adhibere, vt viſum humani intellectus admittant. Hnc verò lumen extra vnam ſanctā Catholicam Eccleſiam non recipiunt. Aliunde plus caliginis quàm lucis eis accreſcere exploratū eſt. Admonuit quoque ſuperiùs Augu. quòd omnes loci, qui fidei titulo inſigniti ſunt, ad hanc formam explicentur, ne ſibijpſi Paulus alijſque apoſtolicis ſcripturis contradicere videatur. Si ergò eſt aliquid periculi, expoſtulare poſſunt, ſi libet cum Auguſtino, cum quo nos nuper malè expoſtulatum miſerūt. Præterea non ſtatim ſequitur, Catholicos Chriſtum excludere à iuſtificatione, quia nō addunt hic correctionem, quod opus ſit fide ſentiente, imò ex hoc ſequitur, ſemper Aduerſarios calumnias ſtruere, & nænijs offutijſque ſimplicium animos dementare. Hoc igitur labili, fluidoque iacto fundamento, ſic ſophiſticè ſuperſtruunt.

Galat. 5. Scriptura vni de interpretationem accipere debeā

Fatemur dilectionem eſſe neceſſariam, (Inquiunt) *ſicut neceſſarium eſt non furari. Non tamen ſequitur: Non furari eſt neceſſarium, Igitur non furari iuſtificat. Quia iuſtificatio non eſt certi operis approbatio, ſed totius perſonæ.*

Hanc cauillationem ſi diligentius perſpexeris, offendes pro Catholicis plurimū, pro Aduerſarijs nihil facere. Nā vt breuibus me abſoluam, quamuis non furari non iuſtificet tamen adeò ad iuſtificationē exigitur, vt vel nemo, quantumlibet credat, iuſtificetur, ſi rē furtò ablatam apud ſe retineat, ſeu rapiendi habeat animum. Vt autem eum hoc furandi propoſito, ita ſine charitate nemo, iuſtificatur. Imò ſi quod ipſi dicunt, iuſtificatio eſt totius perſonæ approbatio, ſine charitate nemo iuſtificatur. Neminem enim charitate vacuum Deus approbare poteſt. Sicut diligētes ſe diligit, ſic odientes odit. Vides igitur eos eodem laqueo, quem alij abſconderut comprehenſos eſſe. Audaciam tamen, & animum addit hæc excogitata cauillatio, ſed vt omnia alia, elumbis. Aiunt enim: Nec eſt iuſtificatio ſomnianda, amiſſo propitiatore Chriſto. Nō admittit res tā deplorata riſum, alioqui poſſet hic lector ridere. Non intelligunt iſti ſuaues Theologi, mediatorem Chriſtū per charitatem non tantùm à cordibus humanis nō *1. Ioan. 4.* exulare, ſed præſentiſsimum eſſe eis. Nónne Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet? Si per charitatem quiſq; manet in Deo, & viciſsim Deus in eo, quomodo etiā excluditur? Si verò exulat, ſi exclud[illegible]ur per charitatem, quomodo manet? An ſimul exulare, & manere poteſt? Quid hoc dici poſsit abſurdius? Quis hic non admiretur prudentium, ſcilicet, iſtorum hominum obcæcationem, qui audent vel ſole clariora tam pertinaciter negare? Hac verò eorum inſania permoti, cum noſtrates Theologi charitatem fidei adnectunt, vt poſsit iuſtificare, præſertim quòd maxima inter virtutes ſit charitas, ſitq; vinculum perfectionis, ſic ineptiunt.

Si dilectio (inquiunt) *efficit perfectos, nihil igitur opus eſt propitiatore Chriſto. Nam fides, tantum apprehendit propitiatorem Chriſtum. Hoc autem longiſſimè abeſt à ſententijs Pauli, qui nunquam patitur excludi propitiatorem Chriſtum.* *Paulo aperte reluctantur.*

Galat. 5.

Paulus dicit, dilectionem vinculū eſſe perfectionis, iſti negant. Paulus dicit, fidem, quæ per charitatem operatur, iuſtificare, iſti negant, & contendunt ſolam fidem ad hoc ſufficere. Quid faciemus, quando ſcripturis nolunt habere fidem? Si dilectio, inquiunt, efficit perfectos, nihil igitur opus eſt propitiatore Chriſto. Et Chriſto propitiatore, & fide, & dilectione, & tribus ſimul ad iuſtificationē opus eſt. Chriſtus propitiator eſt, atq; hominū

iuſti-

iuſtificator. Fides eſt, qua agnoſcit homo Chriſtum propitiatorem, quem agnoſcunt & dæmones, non vt propitiatorem, ſed vt ſui ſceleris vindicem. Charitas ſeu dilectio nota eſt, qua diſcernuntur fideles à dæmonibus, & rurſus fideles à ſe inuicem. Sunt enim fideles nonnulli, & non fideles: Fideles, nomine tenus: non fideles, quia dæmonibus ſimiles odiunt, qnem diligere oportuit. Nolo hic audire, quòd ego iſtos prior dæmonibus cõparauerim, nam iamdudum Auguſtinus ante ſe Iacobum Apoſtolum id feciſſe commemorat. At dicant hic, an poſſit quiſquam ſine Chriſto veram dilectionem habere? An non Ioannes ſtatim pronuntiauit Deum eſſe charitatem: & in charitate manẽtem, in Deo manere? Poteſtne quiſquam in Deo manere, qui non diligit, ſed qui odit? Nullum enim medium eſt inter dilectionem & odium authore Chriſto, apud Matth. dicente: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnũ odio habebit, & alterũ diliget. Vides hic inter odiſſe & dilexiſſe, nihil iuteruenire. Quomodo ergò iuſtificabitur, qui ipſũ odio inſectatur iuſtificatorẽ? Hoc ſanè ita natura cõparatum eſt, vt quem quis odit, de eo haud magna credat, imò vellet in inimico famam boni nominis extinctum iri. Et quod quidam dixit, quem odit, quiſque perire cupit. Auguſtinus quoque definiuit, nullum bonum apud eum eſſe, qui non diligit. Vbi nullum bonum eſt, ibi ſanè neque fides eſt, quæ ſola iuſtificet. Iam & fides & charitas ex vno fonte manant, vtraque de meritis Chriſti, connexæ quoque iuſtificant: vt illa non iuſtificat ſola, ita nec iſta. Vt autem magis intelligas, Aduerſarios diuerticulum quærere, audi quid nunc dicant: Certum eſt, Paulum de dilectione proximi loqui. Nihil refert, de qua dilectione loquatur Paulus, cum in ſcripturis cautum ſit, neminem Deũ rectè diligere poſſe, niſi proximum diligat: & è diuerſo, nemo diligit proximũ, niſi Deum diligat. Hoc mãdatum habemus à Deo, inquit Apoſtolus, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? &: Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. Dilectio igitur Dei, vna eſt cum ea, qua diligitur proximus. Hinc dicit Apoſtolus: Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Iſta duo præcepta, vt teſtatur Auguſtinus, ita ex alterutro connexa reperiũtur, vt nec dilectio Dei poſſit eſſe in homine, ſi non diligat proximum: nec dilectio proximi, ſi non diligat Deum. Et ideò aliquando alterum ſine altero, ſiue illud, ſiue alterum, pro plena doctrina inuenitur ſcriptura cõmemorare, vt etiã hoc modo intelligatur, alterum ſine altero eſſe nõ poſſe. Nihil ergò refert, ſiue de dilectione Dei, ſiue de dilectione proximi loquatnr Apoſtolus, quando tam arctiſſimè duo quaſi vnum cohærent. Pari arte putant ſententiam Petri deprauari poſſe, ne Catholicorum deſeruiat inſtituto, iſtã videlicet: Charitas operit multirudinem peccatorum:

Charitas nota eſt, qua diſcernuntur inter bonos & malos. — *1. Ioan. 4.* — *Matt. 6.* — *Quem quis odit, de eo magnũ credit.* — *Auguſt.* — *1. Ioan. 4.* — *Ibidem.* — *Gal. 5.* — *Dilectio Dei & proximi cohærent.* — *Aug. de fide & operibus.* — *1. Petr. 4.*

Conſtat & Petrum, inquiunt, *loqui de dilectione proximi.*

Huc ſpectant omnia, quæ iam de neceſſaria dilectionis Dei & proximi cohærentia dicta ſunt. Hoc fortè non ab re addidero, quod dicit Chryſoſt. Sicut rex in imagine ſua honoratur, ſic Deus in homine diligitur & oditur. Non poteſt hominẽ odiſſe, qui Deum amat, nec poteſt Deum amare, qui hominem odit. Ad hoc nunquàm eſt vera dilectio ſine ſpiritu ſancto, quia charitas, vt inquit Paulus, infunditur in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quemadmodum verò ſpiritus ſanctus, ſine mediatore Chriſto non datur, ita dilectio abſque Chriſti merito in cordibus noſtris non diffunditur. Quomodo negabimus per charitatẽ delicta operiri, imò hominẽ iuſtificari (ex charitate enim fides, nõ ex fide charitas metiẽda eſt) cũ conſtet, ſine ſpiritu ſancto nũquã verã charitatẽ infuſam, nunquam ſine charitate fidem formatam eſſe. Quamobrem neceſſe erit, vt admittant fidem, per charitatem iuſtificare, ſicut dicit Apoſtolus, fidẽ valere, quæ per charitatem operatur. Quod etiam vel ex peccati, quo peccator obnoxius eſt, natura, & charitatis energia doceri poteſt. Patres citra controuerſiam, charitatem ſæpenumerò ignem, peccatum verò frigus appellauerunt. Vt autem vi ignis frigus, ita calentis charitatis feruore, vniuerſus iniquitatis algor propellitur. Non potuiſſet ergò Petrus appoſitius dicere, quàm dixit. Porrò ſi non deficit frigus, niſi in ipſa ignis acceſſione, ſi non operiuntur peccata niſi per charitatem, relinquitur neminem iuſtificari, qui charitatem non habet. Iuſtificari enim nemo poteſt, niſi etiam à peccatis abſoluatur. Neceſſe ergò fuerit, vt ſimul fides & charitas operentur ad hominis iuſtificationem. Nunc extenuemus etiam alias malas artes, quibus ſcripturas Catholicis ſuffragantes labefactare, ſed incaſſum, moliuntur. Stat enim inuicta & ſemper inexpugnabilis ipſa veritas. D. Iacobi de fide ſine operibus dicta, quibus Catholici ſuã ſententiam ſtatuunt, ſic conantur eluere:

Chryſoſt. Nota. — *Rom. 5.* — *Fides ſine charitate non iuſtificat.* — *Gala. 5.* — *Simile.* — *Charitas in igne, peccatum in frigore ſignificat.*

Iacobi verba, inquiunt, *nihil habent incommodi, ſi non aſſuant aduerſarij ſuas opiniones de meritis operum. Sed vbicunque fit mentio operum, aduerſarij affingunt ſuas impias opiniones, quod per bona opera mereamur remiſſionem peccatorum, quòd bona opera*

Mendacium turpe. *ſint propiciatio ac precium, propter quod nobis Deus reconcilietur, quòd opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia, & propitiatore Chriſto.*

Mendacij arguuntur. Huiuſmodi mendacijs ineſcant bonos Principes, ac rudem populum, qui iſta, quod melius inſtructi non ſunt, ab eis ceu à Delphico oraculo excipiunt. Prætextu enim emendatioris à ſe inuentæ religionis, docent, non quæ vera ſunt (nam veritas, quæ vna eſt, in Catholica Eccleſia, perſeuerat) ſed quæ ſuum protegunt errorem, nulla neque ſcripturarum, neque decretorum patrum habita ratione. Quicunque noſtratium iſta Aduerſariorum legunt falſa commenta, tametſi eſsét nonnihil eis addicti, actutum reſipiſcunt, pœnitentque ſimulatque iſta dignoſcunt mendacia. Neque ego deſpero fore, vt & iſti boni Principes ſimul cum vulgo ad cor redeant, perſpectis tam apertis iſtorum in Catholicos calumnijs, quibus ſeipſos magis quàm Catholicos contaminant. Confidenter dicunt Catholicos ea docere, quæ nunquam vel docuerunt vel ſenſerunt, videlicet quòd bona opera ſint precium, propter quod Deus nobis reconcilietur. Hoc primum eſt mendacium. Secundum, quòd docuerint opera corã Deo propter ſuam bonitatem tam eſſe accepta, vt non egeant miſericordia, aut propiciatore Chriſto. Miſerendum ſanè eſt his, quibus hac falſiſſima perſuaſione imponitur. Neque tam apertis reſpondendum eſt mendacijs, quæ vel ſeipſa transfodiunt, vel reſponſione indigna ſunt. Sciunt enim omnes pij, rectè docuiſſe Catholicos, quatenus bona opera ad iuſtificationem pertineant, tametſi hæc noſtra à principio non lectitauerint. Triſariàm verò extenuant ſententiam Iacobi, ne Catholicis ad defenſionem ſuam ſit vſui. primùm in hunc modum.

Mendaciũ. *Hic locus,* inquiunt, *magis contra aduerſarios facit, quàm contra nos. Aduerſarij enim docent, hominem iuſtificari dilectione, & operibus. De fide, qua apprehendimus propiciatorem Chriſtum, nihil dicunt. Iacobus autem non ſubijcit pro fide dilectionem, ſed retinet fidem, ne propitiator Chriſtus excludatur in iuſtificatione.*

Iacob 2. Mendacij arguuntur. Diſpiciamus, an pro Aduerſarijs faciat Iacobi ſententia, ſed primùm arguamus eos mendacij. Nuſquam docent Catholici, hominem iuſtificari ſola dilectione, aut ſolis operibus, aut vtriſque ſimul: ſed fidem docuerũt eſſe neceſſariam. Nouerunt enim impoſſibile eſſe, quòd ſine fide quiſquam Deo placeat. Sed vt Iacobus, ita & ipſi fidem exigunt. Exigit verò Iacobus non illam mortuam aut ocioſam fidem, ſed per charitatem operãtem, qua poſſit homo iuſtificari. Talis eſt fidei & charitatis, qua alternè deuinciuntur, neceſſitudo, vt ſeparari à ſe inuicem non debeant, modò quenquam debeant iuſtificare. Poteſt itaque fides ſine dilectione eſſe, ſed dilectio ſine fide eſſe nequit. Huiuſmodi ſentiunt fidem eſſe debere, quæ iuſtificet: fidem verò informem negant ad iuſtificationem ſufficere. Quod quantumuis impugnent Aduerſarij, coguntur tamen vel inuiti concedere. Nã, ſi nolent ſuis verbis excidere, docuerunt fidẽ nunquam eſſe ſine charitate. Quod ſi nunquam ſine charitate eſt, (quod negant Catholici) ergò nunquam ſine charitate iuſtificat. Secundò Iacobi ſententiam aduerſus Catholicos ſic expediunt.

Res ipſa, inquiunt, *loquitur hic de operibus dici, quæ fidem ſequuntur, ſed oſtendunt fidem non eſſe mortuam, ſed viuam. Non igitur ſenſit Iacobus, nos per bona opera mereri remiſsionem peccatorum, & gratiam.*

Catholicè reſpondent hic noſtrates, fidem dupliciter opera ſequi: quòd alia ſequantur fidem informem, alia formatam. Illa inchoant iuſtificationem, iſta perfectiorem reddunt. De vtriſque hic diſſerit Iacobus, & vtrumque aſſeuerat. Sed id doceamus: Beatus iſte Apoſtolus, vt de humanis mentibus eriperet pernitioſam iſtam fiduciam, qua ſuperbiunt nunc multi, tanquam ex ea poſſint ſine operibus iuſtificari & ſaluari, confidenter pronuntiat ſuam, adeoque Apoſtolicam ſententiam, dicens: Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem nõ habeat? Nunquid fides poteſt ſaluare eum? Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, caleſcite, & ſaturemini, nõ dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit: ita & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Vides hic, Iacobo fidem ſine operibus ſaluare non poſſe, neque viuificare, quia ſola in ſemetipſa eſt mortua. Quod probat euidentiſſimè in dæmonibus, qui credunt & contremiſcunt. Credulitatem demonſtrant, cùm dicit vnus aliquis ex eis. Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Tremorem verò, quando adiurati per nomen Chriſti ab hominibus, quos poſſederũt, exeunt. Quod ſi ſine operibus non viuificat fides neque ſaluat, multò minus iuſtificat, quia iuſtificatio eſt ſpiritualis quædã renaſcẽtia, aut viuificatio, qua ſaluatur ſaltem in ſpe: quia iuſtis ſalus promiſſa debetur. Subiecit etiam opera, quæ cùm ex informi, tùm ex fide formata fieri poſſunt. Nã primùm loquitur de operibus miſericordiæ, quæ vt ex fide formata charitate iuſtus, ita ex fide informi ad diuini nominis maieſtatem peccator facere poteſt. Quæ ſic peccator facit, nonnihil coaptant eum, vt gratiam diuinitùs accipiat. Vnde nimirùm dictum eſt à Chriſto: Date eleemoſy-

Fidem opera quomodo ſequantur.

Iacob. 2.

Marc. 5. Opera fidem viuificant.

Iuſtificatio quid ſit.

Luc. 11.

moſy-

moſynam,& omnia munda ſunt vobis. Hinc ſuperiùs multa ſunt recenſita, quibus quintus Confeſſionis articulus eneruatus eſt. Subinde etiam commemorat opera, quæ ex fide formata fecit Abraham, inter quæ præſertim extollit præclarum illud facinus, quòd Deo obedierit, neglecta in vnicum filiū pietate.

Gen 22.

Hæc qui legit, quiq́ue mente ſecum pertractat, haud dubitat, Abrahamum fidem habuiſſe charitate formatam, qui tam promptè tam ſine cōtrouerſia dominicæ iuſſioni paruerit.

Abraham quam fidem habuerit.

Dicit autem eum ex operibus iuſtificatum eſſe, eò quòd ex operibus, per fidem factis, magis iuſtificatus ſit. Hinc ſignanter ſubnexuit Apoſtolus: Vides quoniam fides cooperatur operibus illius, & ex operibus conſummata eſt? Poſtremò ſubiunxit opera, quę ex fide informi fiant, dicēs: Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via eijciens?

Ioſue 2.

Hic dicent ſortè Aduerſarij, fidem ſimpliciter pro fidelitate, quē viri illi Rahabæ hac lege, vt eos nō proderet, & per feneſtram dimitteret, adſtrinxerunt accipi debere. Quibus è diuerſo reſpondebitur: Iacobum dixiſſe iuſtificatam, non ab internecione ſaluatam eſſe ratione operum. Hinc vt plurimum dicunt ſcripturarū expoſitores, eam tū Moyſi eſſe initiatā, cū viris iſtis hanc fidem faceret, & quòd hac fide meruerit, vt tā ſanctę cognationi insereretur. Neque nos, ſi multum obſtrepere velint Aduerſarij, eius ſumus animi, vt in re tā nullius momenti, velimus diu vehementerq́; velitare. Docuimus enim luce clarius, quid ſit, & quantum poſſit informis fides. Nunc tertiò ſententiam Iacobi ſic expoount.

Iacobus inquiunt, *paulò antè dixit de regeneratione, quod fiat per Euangelium. Sic ait: Volens genuit nos verbo veritatis, vt eſſemus primitiæ creaturarum eius: cùm dicit nos Euangelio renatos eſſe, docet quòd fide & nati, & iuſtificati ſumus. Non igitur ſenſit Iacobus nos per opera renaſci.*

Bella planè, & ſi Deo placet, pulchra collectio: Per Euangelium renati ſumus, ergò ſola fide abſque operibus renati ſumus: quaſi Euangelium præter fidem nihil doceat. Docet quidem fidem, docet quòd & per fidem peccator renaſcatur, ſed non per ſolam fidē. nam docet cum fide pœnitentiam: ſicut Chriſtus præcipuus Euangelij concionalis teſtatur, dicens: Pœnitemini, & credite Euangelio.

Marc 1.

Sed & hoc ſuperiùs vehementer inculcatum eſt. Docet proinde vnumquemque per baptiſmum regenerari debere: Niſi quis renatus fuerit, inquit apud Ioannem, ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Ioan. 3.
Rom. 6.

Hic autem regenerationis modus ad eos præſertim pertinet, qui ex Gentilitate conuerſi, CHRISTO credunt. Quando verò ſacrum baptiſmum, (quo Chriſto commorimur, & conſepelimur peccatis & mundo, reſurgimus verò in nouitatem vitæ, qua Deo viuimus) reiterari non poteſt, ſicut Chriſtus tantùm ſemel mortuus eſt, ne ſemper peccantibus, vndè reſurgerent, deeſſet, inſtituit ſacrum pœnitentiæ ſacramentum, præſentiſſimum peccati antidotum, vt qui priùs diabolo per concupiſcentias ancillabatur, iam Chriſto per nouam conuerſationem famuletur.

Baptiſmus reiterari nō poteſt.

Iuſtificationis ordinem ſuperiùs proſequuti ſumus affatim, hoc excepto, quòd de Confeſſione peccatorum nihil diximus, hoc tantùm obiter hic adnotauerimus de ea. Quando peccator cùm pœnitet, petit, quærit, pulſat, omniaq́ue, quæ poteſt ex inſtinctu diuino facit, adhuc animo ſecū hæſitat, vtrum iuſto labore gratiam quæſierit, vtrum exauditus ſit, & gratiam acceperit, iterum ſuccurrit piíſsimus dominus, vt fidei certitudine certiorem redderet eum, an gratiam receperit, mittit ad ſacerdotem ſacramenti ſui diſpenſatorem, & miniſtrum, vt peccata ſua confiteatur integrè cum magna animi contritione, accipiatq́ue ab eo abſolutionem, proponens deinceps pro arbitrio ſacerdotis, cui confeſſus eſt, vitam inſtituere, & facere, quæ ex perſona Dei iuſsit.

Confeſſio peccatorum.

Quod ſi in hoc corrigendæ vitæ propoſito, & animi humilitate perſtiterit, percupiens pro peccato ſuo ſatisfacere, quanquam id non poſsit plenè, accipit nimirum gratiam, accipit & charitatē, vt iuſtificari, vt à peccatis poſsit emaculari: & repentina mutatione ex filio diaboli renaſcitur filius Dei.

Appoſitiſsimè igitur dixit Iacobus omnia illa de fide ſine operib⁹, quæ quia mortua eſt, iuſtificare nō poteſt. Ideoq́; ſic conuenienter cōcluſit: Videtis quoniā ex operib⁹ iuſtificat, ſed oportet quod fidē opera comitētur.

Iacob 2.

Neq́; in hoc reſragatur Paulo, qui dicit ſe arbitrari hominē per fidē ſine operibus legis iuſtificari. Nam Paulus, quod in propatulo eſt, à iuſtificatione excludit opera legis, q̄ fiūt ante fidē & ideò nō ex fide, quæ Aug. lib. de ſpir. & lit. propriè dicit eſſe opera legis.

Rom 3.
Auguſtinus.

Non excludit autē opera, quę ex fide, licet informi fiūt, quę accipiendæ gratię prępara toria eſſe, ſæpe iam diximus. Arbitror nunc abunde explicatum eſſe, quam inſyncerè, quam fraudulenter iſti Iacobi verba tractauerint. Audi nunc aliam, quam eidem irrogant, iniuriam.

Hæc fides, (inquiunt,) *cum ſit noua vita, neceſſariò parit nouos motus & opera. Ideò Iacobus rectè negat nos tali fide iuſtificari, quæ eſt ſine operibus. Quod autem dicit nos iuſtificari fide & operibus, certè non dicit, nos per opera renaſci, neque hoc dicit, quod*

Chriſtus

Chriſtus partim ſit propitiator, partim opera noſtra ſint propitiatio. Neque deſcribit hic modum iuſtificationis, ſed deſcribit quales ſint iuſti, poſtquam iam ſunt iuſtificati & renati. Et iuſtificari ſignificat hic non ex impio fieri iuſtum, ſed vſu forenſi, iuſtum pronuntiari.

Hæc fides procul dubiò quæ charitatè formata eſt, qua poller iam iuſtificatus, cum ſit noua vita, parit nouos motus & opera. Ideò Iacobus rectè negat nos tali fide iuſtificari, vtpotè iam iuſtificatos, qui enim iuſtificatus eſt, non operitur vlterius iuſtificatorem, ſed operatur iam ex fide charitate formata voluntatem Dei, vt iuſtificetur magis. Qui enim iuſtus eſt, dicit in Apocalypſi angelus, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Si ſic intellexiſſent Aduerſarij, catholicè ſenſiſſent. Neque ſentiunt Catholici, quod per opera renaſcatur quiſquam, neque quod opera propitiatio ſint pro peccatis: ſed præparationes ſunt ad ſpiritualem renaſcentiam, ad iuſtificationem, ſed principia ſunt expectatæ propitiationis & ſalutis. Rurſus hic video non candorem animi iſtorum, ſed excogitatam malitiam, quando verba apoſtoli, ne Catholicorum roborent ſententiam, tam apertè deprauant. Iuſtificari, inquiunt, non ſignificat hic ex impio iuſtum fieri. ſed vſu forenſi, iuſtum pronuntiari, quaſi apoſtolo curæ eſſet, quis pronuntietur, & non magis quis apud Deum cenſeretur iuſtus.

Apoc. 22.

Iuſtificari quid ſit.

Sed ſic ſanè interpretari, imò corrumpere debebant, modò vellent ſuum errorem conſiſtere. Iacobus verò, quo errorem iſtorum multo nocentiſſimum comminueret, quem, vt copioſus eſt teſtis Auguſtinus, ex ſubobſcuris aliquot Pauli verbis, vnà cum iſtis iamdudum conceperunt, haud rectè intelligentes ea, quæ de legis operibus ille dixiſſet, hæc, quæ in manibus habemus, aduerſus eos iaculatus eſt. Si imitati eſſent iſti Catholicam Iacobi ſententiam, & genuinam Catholicorum interpretationem, nihil opus fuiſſet, nodum in ſcirpo quærere, nihil opus fuiſſet, incommodum quærere, vbi res per ſe clara eſt. Sed ſi hunc ſenſum eſſent imitati, parum feliciter ſuum ſtatuiſſent errorem; parum feliciter ſuis Galactophagis verba dediſſent. Sed proſequamur etiam alia. Citantur aduerſus nos,
„ (inquiunt,) & aliæ quædam ſententiæ de o-
„ peribus, ſcilicet: Remittite & remittetur vo-
„ bis. Frangè eſurienti panem tuum, & cæt.
„ Tunc inuocabis & dominus exaudiet. Pec-
„ cata tua eleemoſynis redime. Beati pauperes
„ ſpiritu, quoniam talium eſt regnum cœlo-
„ rum. Item, Beati miſericordes, quoniam ipſi
„ miſericordiam conſequentur. Hæ ſenten-
„ tiæ etiam nihil haberent incommodi, ſi ni-
„ hil affingerent aduerſarij. Duo enim conti-
„ nent: Alterum eſt prædicatio ſeu legis, ſeu
pœnitentiæ, quæ arguit malefacientes, & iu- »
bet benefacere: Alterum eſt promiſſio, quæ »
additur. »

Catholici nunquam inficiati ſunt, citra gratiam Dei neminem legem implere poſſe, imò liberè prædicant fidem cumprimis eſſe neceſſariam, peccatorem per Chriſtum habere acceſſum ad patrem. Sed fidem requirunt non otioſam ſed operantem, per quam, quæ decreuit faciant, vt digni ſint, quibus indulgentiam peccatorum, iuſtitiam, ſalutem tribuat Deus. Ex fide agunt homines pœnitentiam, ex fide largiuntur eleemoſynas, ex fide opitulantur oppreſſorum inopiæ, ex fide miſerentur proximorum, quatenus & ipſi à Deo hac ratione miſericordiam impetrent. Ex fide ignoſcunt in ſe peccantibus, vt viciſſim à Deo criminis abſoluantur. Ex fide iuſtificantem à Deo poſtulant gratiam, quam etiam fide accipiunt. Citra fidem, quantùm ad diuinam voluntatem, nihil prorſus agunt. Hortatur verò nos omnis ferè ſcriptura, vt gratiam quæramus & miſericordiam, quod fieri non poteſt, niſi per fidem informem. Qui fide charitate formata imbutus eſt, iam miſericordiam conſequutus eſt, neque neceſſe eſt ei miſericordiam aut gratiam quærere, quarum iam compos eſt. Neque alijs dici debuit, aut potuit, quàm necdum iuſtificatis. Iſaias dicit: Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo. & cætera, quæ ibi ſequuntur. Quibus iſta dicta ſunt, peccatoribus, an iuſtificatis? Non potuit iuſtificatis dici, quorum ſi ſanguine plenæ eſſent manus, ſi adhuc malis æſtuarent cogitationibus, ſi peruerſa agerent, iuſtorum nomine omninò eſſent indigni: Relinquitur itaque, peccatoribus dictum eſſe, & non quibuſuis peccatoribus, ſed his tantummodo, qui vnius DEI fidem haberent, id eſt, Iudæis. Relinquitur nihilominus contrà aduerſariorum ſententiam, peccatorem facere poſſe ſecundum legem bona opera, idque ex fide informi, quorum intuitu DEVS miſericordem animum ſuum flectens, tandem ſeſe miſerè afflictantium miſereri poſſit. Eliciuntur hic duo, quæ aduerſarij haud auſpicato hactenus impugnarunt: alterum quod informem fidem habeant peccatores: niſi enim crederent, manus ad orationem non extenderent, neque preces multiplicarent. Alterum quod peccator de congruo per exercitium boni operis mereatur remiſſionem peccatorum. Impium eſt

[illegible]

Iſaie 1.

enim

Deum quod peccator ex fide informi de congruo mereatur remiſſionem peccatorum.

enim credere, Deum promiſſionem, quam iureiurando peccatoribus per pœnitentiam ad cor reuerſis pollicitus eſt, retractare velle. Duo continent, inquiunt. Alterum prædicatio ſeu legis ſeu pœnitentiæ. Quibus prædicatur lex & pœnitentia? num iuſtis? Sed iſtis nõ eſt lex poſita, neque indigent pœnitentia. Prædicatur ergò peccatoribus. Fruſtra prædicaretur, ſi non crederent. Cur verò prædicatur eis lex & pœnitentia? num vt non faciant? Quorſum ergò opus erat prædicatione? cur inaniter perditur opera? Prædicatur haud dubiè vt faciant. Cum audiunt & cùm non faciunt, fideles nimirùm ſunt, tamen hac fide iuſtificati non ſunt. Excipiunt autem hac fide verbum Dei, quo arguuntur peccatorum, vt deinceps benefaciant. Ipſi ergò cum Catholicis ſentiunt, in peccatore remanere fidem informem, quod hactenus confidenter inficiati ſunt. Ex altero, quod in illis ſententijs contineri dicunt, idem elici poſſet. Hic tamen nefas fortè fuerit, ea quæ itidem ex altero aduerſus eos doceri poſſunt, præterijſſe. Non ita longè abhinc negabant Catholicos promiſſiones docere, hi neſcij aiunt. Citantur, inquiunt, aduerſus nos & aliæ ſententiæ, & cæt. Duo enim continent. alterum, eſt promiſſio. Si citantur aduerſus illos à Catholicis ſententiæ, quæ promiſſionem continent, quomodo non docetur apud eos promiſſio? Si autem docetur, cur tam impudenter mendax laxant os ſuum? Cur negant eos docere, quòd docent, ſed tantùm opera magnifacere? Sic non vident monoculi quæ loquantur.

Capiuntur aduerſarij.

Neq; aſſcriptum eſt, inquiunt, *peccata remitti ſine fide, aut opera propitiationem eſſe.*

Alijs modis eandem cantilenam ſæpe cantant. Recenti memoria tenes lector, huic dicterio reſponſum eſſe, quod Catholici nunquam ſenſerint ſine fide peccata remitti, & propitiationem eſſe, ſuauiter & ſine vlla fruge aduerſus ſalſas calũnias diſceptatur. Poſtremò vt etiam breuiter concluſioni eorum reſpondeatur, non excludũt Catholici Chriſtum à prædicatione pœnitentiæ. Nam docẽt pœnitẽtes, vt ad Chriſtum ceu ad ſacram ancoram confugientes, omnem ſpem in eo collocent, expectentque ab eo ſolo remiſſionem peccatorum: ſed vt interim tamen non negligant ea, quæ certò certius ei placent, quæque veræ pœnitentiæ aperta ſunt indicia, nempe orationem, ieiunium, lachrymas, ſingultus, miſericordiam. Si hoc eſt Chriſtum à prædicatione pœnitentiæ excludere, Iudicent omnes boni viri. Bene autem habet, quòd conditionaliter ſubindicant, Catholicos Chriſtum à prædicatione pœnitẽtiæ excludere, quia ſimul ſignificant eos hæc nunquã docuiſſe. Si docuiſſent, profectò durius eos tractaſſẽt, neque dixiſſent: Si excludãt aduerſarij à prædic. &c. ſed apertis tibijs proclamarẽt: Aduerſarij blaſphemi ſunt, quia excludunt Chriſti euangelium à prædicatione pœnitentiæ. Sed audi nunc, quod contra ſeipſos ſentiant.

Chriſtus pœnitentibus miſſionem aſylum.

Redimuntur autem peccata, inquiunt, *per pœnitẽtiam, id eſt, obligatio ſeu reatus tollitur, quia Deus ignoſcit agentibus pœnitentiam, ſicut Ezechiel. 18. ſcriptum eſt.*

Capiunt ipſi ſeſe aduerſarij.

Non video an manifeſtius poſſent aduerſus ſeſe pugnare. Nam quod hactenus aperto Marte impugnarunt, nunc aperto pectore ipſi prædicant. Si, quod nunc confidenter ipſi loquuntur, peccata per pœnitentiam redimuntur, ſi tollitur, pœnitentia, obligatio ſeu reatus peccati, ſi ignoſcit Deus agentibus pœnitentiam, ſequitur ſola fide in Chriſtum neminem iuſtificari, ſed vt pœnitentiam agat neceſſe eſt ei, qui cupit à peccatis abſolui. Pœnitentiam autem agere, nihil aliud eſt, quàm à priore male viuendi conſuetudine ſeſe abducere, orationibus, lachrymis, eleemoſynis, alijſque pijs exercitijs peccatorum remiſſionem quærere. Hęc autem omnia, & quotquot præterea ad pœnitentiam, pertinent, opera ſunt, & talia opera, quibus vt ipſi hic confitentur, peccata redimuntur, quibus obligatio, ſeu reatus tollitur, propter quæ Deus ignoſcit pœnitentibus. Iam ipſi ſuaptè ſponte dixerunt, Catholicorum ſententiam & doctrinam nihil habere incommodi, imò ſanam eſſe, & ſeu ad amuſſim euangelio correſpondere. Quorſum ſpectabat ergò tantam tragœdiam excitare? Cur vtrinque tamdiu inaniter velitatum eſt? Conferat autem prudẽs lector cum iſtis omnia illa, quæ ſuperius à nobis impugnata, & certè nunc expugnata ſunt, & videbit quàm fluxa, quàm incerta, quàm elumbis ſit iſtorum doctrina. Sed audiam aliam calumniam prioribus illis haud multum abſimilem.

Calumnia aduerſariorũ.

Aduerſarij noſtri, inquiunt, *vbiq; omiſſis promiſſionibus tantùm præcepta intuentur, & affingunt humanã opinionem, quod propter opera contingat remiſſio, cum hoc textus non dicat, ſed multo magis fidem requirat. Nam vbicunq; promiſſio eſt, fides ibi requiritur, nõ enim accipi poteſt promiſſio niſi fide.*

Hic reuertuntur ad conſuetum calumniãdi ſtudium. Non longè abhinc dictum eſt nobis, Catholicos omiſſis promiſſionibus nunquam pœnitentiam, ſeu opera docuiſſe, neq; quicquam, præterquàm quòd in Euangelio aut ſcripturis explicatur, docuiſſe. Nunquam docuerunt, quòd propter ſola opera abſque fide cõtingat remiſſio peccatorum, ſed apertè docuerunt, neminem velle aut poſſe vtiliter pœnitere, niſi idem etiam credat. Pœnitentiam enim fides neceſſariò præcedit. Nõ eſt ergò quod huiuſmodi calumnijs Catholicos laceſſant, de bona & ſana doctrina bene

meri-

Fidei, quãdo ſola ponitur in textu, adde opera, contra quãdo opera adde fidem.

meritos. Adde quod ſicut textus non ſemper opera, ſic nec fidem ſemper memorat, vt diſcas, quando opera ponit, fidem: quando fidẽ, opera intelligi debere, & alterum ſine altero non poſſe iuſtificare. Nõ negant etiam fidem promiſſionibus eſſe habendam, ſed negant eas ſola fide, ſine bono opere accipi poſſe. Nã otio torpere, & in ſinu manum geſtare, & nihilominus ſola fide promiſſionem expectare, præſumptio eſt, eaq; vaniſſima. Sed iam ipſi docuerunt opera ad iuſtificationem neceſſariò pertinere.

Teneamus igitur has regulas, inquiunt, *in omnibus encomijs operum, in prædicatione legis, quod lex non fiat ſine Chriſto. Ipſe inquit: Sine me nihil poteſtis facere. Item quod ſine fide eſt impoſsibile placere Deo. Certiſsimum eſt enim, quod doctrina legis non vult Euangelium tollere, non vult tollere propitiatorem Chriſtum. Et maledicti ſint Phariſæi aduerſarij noſtri, qui legem ita interpretantur, vt operibus tribuant gloriam Chriſti, videlicet quòd ſint propitiatio, quòd mereantur remiſsionẽ peccatorum.*

Non tam frequenter vnum idemq; mendacium iſti congeminarent, niſi in eis prorſus frons & verecundia perijſſent. Sæpe & vſque ad nauſeam ferè dictum eſt, Catholicos nunquam legem ita interpretatos eſſe, vt gloriam ſoli Chriſto debitam, operibus tribuant: neq; ſemel meminerunt, vt opera vocarent propitiationẽ. Sed hoc docuerunt, quod per opera ex fide facta mereantur à Chriſto remiſſionẽ peccatorum, à quo quicquid ſunt quicquid agunt, quidquid cogitant, ſuperefluenter acceperunt. Qui ſic docet, illéne gloriam operibus, an Chriſto tribuit? Qui ſic docet, illéne maledictus audire meruit? illéne hæreſeos turpem meretur notam? illéne Phariſæus audire dignus eſt? Hic rurſum ſpectent illuſtriſſimi Principes, omneſque boni viri non candorem, ſed animi iſtorum fuliginem, aut etiamnum tenebras, quibus obtenebrati, neque veritatem, neque Deum, neque ſeipſos agnoſcunt, ſed quæcunque primum in buccã venerint, quo Catholicos apud ſuos exoſos reddant, quo eorum fidem exinaniant, ſuamque ſtatuant, turpiter & inuerecundè effutiunt. Sanè qui pergit dicere quæ vult, quæ non vult, audiet. Temperabimus interim tamen à mẽdacijs, à conuitijs, a maledictis, ne vt Cretenſes dicamur cum Cretenſibus cretizaſſe.

Veritas vbi periclitetur. Opera vnde efficacia ſint.

Et quod iſtis vſu veniſſe, palàm eſt, inter mẽdacia, inter rixas, & ſcommata, ſæpenumero excidit veritas. Catholici doctores gloriam non operibus, ſed Chriſto qui humanis conatibus cooperatur, attribuunt. Sciunt enim opera hominum nihil habere meriti, niſi ex meritis & gratia Chriſti. Docent item, Chriſtum operibus bonis non cotemni, ſed honorari, idque potiſſimum cum Paulo dicente, & Coloſſenſes admonente: Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo patri per ipſum. &: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si verò, quod hic liquet, Deus bonis operibus honoratur & colitur, modò ea ex fide fiant, vel ſaltem informi, non eſt quòd iſti Catholicos maledicant, & condemnent in Deum impietatis. Nam quę ex fide charitate formata fiunt, de condigno merentur vitam æternam: iſta, quę ex fide informi fiunt, de congruo merentur gratiam. Quomodo ergò maledicũt Catholicos, quomodo inſultant vt Phariſæis, cùm tam iſta quàm illa ex fide cum Chriſto fiant, per quẽ habemus acceſſum ad Deum, & non per opera niſi ex fide & cum Chriſto propitiatore fiant. Nunc alio ſeſe confœdant mendacio, quo ſe Catholicos credebant contaminaturos.

Coloſ. 3. 1. Cor. 10.

Mendaciũ.

Quanquam, inquiunt, *Scholaſtici nihil omninò de fide in doctrina pœnitentiæ dixerunt: tamen arbitramur neminem aduerſariorum eſſe iam furioſum, vt neget abſolutionem, Euangelij vocem eſſe. Porrò abſolutio fide accipi debet, vt erigat perterrefactam conſcientiam.*

Argumentum mendax.

Quod Scholaſtici nihil omninò de fide in doctrina pœnitentiæ dicant, mendacium eſt manifeſtum. Docent enim quod pœnitentia non naſcatur niſi ex fide, neque omninò poteſt aliunde naſci. Suprà diximus, neminem verè pœnitere velle, qui fidei ſit expers. Porrò, cum, abſolutionem, euangelij vocem eſſe dicunt, quæ fide accipi debet, ſuam ipſorum neſcij ſententiam impugnant. Significant enim tantùm credendam eſſe abſolutionem. Sed ſi ſacramentum pœnitentiæ ita accipiendum eſt, vt peccatorum conſequamur remiſſionem, relinquitur peccatorem non ſola fide, ſed ſacramento ex fide accepto iuſtificari. Vbi eſt nunc acumen iſtorum? vbi mens? vbi ratio? Qui volunt omnia pro libidine ſua corrigere, ſeipſos non intelligunt, quòd non fit, niſi ex quorundam philautia, qui ſe putant vel ipſas ſacras Muſas eruditione anteire. Itaque doctrina pœnitentię, (inquiunt,) quia nõ ſolùm noua opera præcipit, ſed etiã promittit remiſſionem peccatorum, fidem requirit. non enim accipitur remiſſio peccarorum niſi fide. Semper enim in his locis de pœnitentia, intelligere oportet, quod non ſolum opera, ſed etiam fides requiratur. Verum eſt enim, quod in doctrina pœnitentiæ requiruntur opera, quia certè noua vita requiritur. Sed hic malè aſſuunt aduerſarij, quod talibus operibus mereamur remiſſionem peccatorum aut iuſtificationem.

Capiunt.

Pœnitentia ad iuſtificationem neceſſaria.

Quid neceſſe fuit, vt tot verbis, tot argumẽtis docerent in doctrina pœnitentiæ, non ſolùm opera, ſed & fidem neceſſariò requiri, cũ

hoc

hoc ex Catholicis nemo vnquam inficias ierit. At iam vt vides, vel nolentes coacti ſunt confiteri, non modo fidem, ſed & opera ad pœnitentiam pertinere. nam vt ipſi dicunt, & admodum Catholicè dicunt, noua vita requiritur: Quod ſi noua vita requiritur certum eſt veterem vt malam relinquendam eſſe. Iſta verò noua vita, vt feliciter tranſigatur, multa requirit. Primùm vt ſimulatque veterem exueris hominem, induas nouum qui ſecúdum Deum creatus eſt. Deinde vt peccata deteſtatus gratiam quæras, qua deinceps malum tibi ſuggerentibus inimicis fortiter reſiſtas. Si ergò ad remiſſionem peccatorum & iuſtificationem requiruntur opera, ſi requiritur pœnitentia, nemo ſola fide percipit remiſſionem peccatorum. Idem docuerunt Catholici, videlicet quòd non ſola fide, neque ſolis operibus, ſed vtriſque coniunctis, remiſſio peccatorum percipiatur. Quid igitur neceſſe fuit, iterum dico, tot tragœdias excitare, tot mendacijs Catholicorum famam falsò polluere? Arbitror planè vbi hæc ad manus Principum peruenerint, & vbi viderint iſtos ſolis mendacijs & calumnijs hanc tantam rem tractauiſſe, reconciliabuntur eis, quibus hactenus, vt inimiciſſimis, infenſi fuerunt. Non aſſuunt Catholici, quod talibus operibus mereamur remiſſionem peccatorum aut iuſtificationem, ſed docent idē quod iſti, videlicet quod per opera, quę ex fide fiunt, mereamur remiſſionem peccatorum de congruo, non vt iſti Catholicos falsò docere nugantur, de cōdigno. Quid autem interſit inter congruum & condignū, ſuprà affatim declaratum eſt. Hoc ſolum nō conuenit inter Catholicos & iſtos, quòd Catholici in peccatoribus fidem informem eſſe dicunt, iſti negant. Quomodo verò in peccatoribus fides informis ſit, qua pleraque multa bona opera, & quæ Deo placent, faciant, ſuperiùs multis ſcripturis oſtendimus. Superfluū fuerit huc omnia reuocare. Tantùm ſufficit, offutias & tricas quibus ſimplicibus imponunt oſtendiſſe.

Catholici quã non et aduerſarij diſſerant.

Chriſtus ſæpe annectit, inquiunt, *promiſſionem remiſſionis peccatorum bonis operibus, non quod velit bona opera propitiationem eſſe, ſequuntur enim reconciliationem, ſed propter duas cauſas. Altera eſt, quia neceſſario ſequi debent boni fructus. Altera cauſa eſt, quia opus nobis eſt habere externa ſigna tantæ promiſſionis, quia conſcientia pauida multiplici conſolatione opus habet.*

Cauillantur aduerſarij.

Hic iſti vt ferè vbique proponunt ſua figmenta, docentque ſua verba, Chriſtus, inquiunt, ſæpe annectit promiſſionem remiſſionis peccatorū bonis operibus, nō quod velit bona opera propitiationem eſſe. Hic cogunt Catholici Aduerſarios, vt ipſi ſponte dicant, an CHRISTVS promiſerit bonis operibus propitiationem an non. Si non promiſit, certant ipſi ſecum, dicunt enim hic, operibus promiſſionem, eſſe annexam. Si promiſit, ergò opera remiſſionem impetrāt peccatorū. & Catholice dicit Iacobus, quòd ex bonis operibus iuſtificetur homo, & non ex fide tantùm. Si verò facientibus opera, quibus Deus promiſit remiſſionem peccatorum, non propitiatur, fallit nos ipſa veritas Deus, & non eſt fidelis. Præterea non ſemper bona opera, quibus remiſſionem peccatorū annectit Deus, ſequuntur reconciliationem, ſed naturæ ordine antecedunt, alioqui inanis eſſet promiſſio. Nihil enim aliud eſt, quàm ſi Deus diceret, alicui iam iuſtificato, & remiſſionē peccatorum adepto: Fac hoc vel illud, & ſi feceris, remittam tibi peccata. Hic iam reſpondere poſſet ille: Iampridem remiſiſti mihi peccata credenti, & denuò cogis vt hoc vel illud faciam, vt remittantur peccata? Hæc iam exemplo tibi ſunto. His, qui pœnitent, quique ad Deum ſe conuertunt, pollicetur dominus veniam, pollicetur ſe orantes exauditurum, pulſantibus aperturum. Vides pœnitentiam pręcedere veniam, orationem exauditionem, pulſationem apertionem antecedere. Licèt enim nonnunquam tempore vno ſimul cauſæ ſint & effectus, tamen naturæ ordine cauſa præcedit effectum, vt pater & mater prolem. Sic licèt aliquando peccator ſimulatque orauerit exaudiatur, oratio tamē natura, imò frequentius etiamnum tempore antecedit exauditionem. Audit quidem Deus orantes, ſed non protinùs exaudit eos: neque pollicitus eſt ſe ſimulac orauerint homines, exauditurum, iuſſit autem vt crebro orarent fideles. Conſtat ergò, quod opera, quibus annectitur promiſſio remiſſionis peccatorum, non ſemper ſequātur reconciliationem, ſed vt plurimum antecedant. Si non antecederent, fruſtra promitteretur promiſſio peccatorum, cum ea iam data eſſet. At hic dicunt, quod propter duas cauſas opera ſequātur iuſtificatum, quodq; prior ſit bonorum fructuum neceſſaria conſequentia. Hic reſpondent Catholici, ſi bonorum operum fructus neceſſario ſequuntur iuſtificationem, ita quod iuſtificatus bonorum operum fructus non poſſit non proferre, inutile fuerit, iuſtificatum tot promiſſionibus, vt deinceps bene operetur, illectare. Profuerit verò peccatori, vt ſæpenumero bonorum cœleſtium dulcedinē ad agendum, quæ iuſſit Chriſtus, illectetur. Altera cauſa cur iuſtificatum ſequantur boni fructus, nulla eſt, vanaque adeò, vt illudi poſſit. Nam opera externa, iuſtificationis ſigna ſunt incertiſſima. Vt enim iuſtus, ita poteſt & iniuſtus orare vt mitis, ita poteſt & animo turbulentus ieiunare, eleemoſynas dare, & omnia externa opera facere.

Iacob. 2.

Opera ordine natura antecedunt reconciliationem.

cere. Humilibus & ſuperbis, inuidis & philadelphis, cōtinentibus & ſalacibus externa opera faciendi æqualis ſacta eſt poteſtas. Certiſſimum verò iuſtificationis ſignum, eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ, cùm, quod Apoſtol. (Rom. 8. 2. Cor. 1.) ait, ſpiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus. Hinc etiamnum idem alibi dicit: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Non igitur ſigni gratia tantùm, ſed & meriti allectantur tam iuſti quā peccatores, vt benè faciant, mereanturque illi, ex fide charitate formata, vt magis iuſtificentur iſti ex fide informi, de cō gruo mereantur gratiam, miſericordiam, & peccatorum remiſſionem.

Placent ign[illegible]leemoſynæ Deo (inquiunt) *quæ ſequuntur reconci[illegible]ionem, non quæ præcedunt.*

Luc. 11. Eleemoſynæ antè reconciliationē placent Deo.

Breuibus iſta abſolui poſſunt, vtpotè prorſus cōmentitia. Chriſtus dicit: Date eleemoſynā & ecce omnia munda ſunt vobis. Si tādiu immunda ſunt omnia & polluta, donec eleemoſynas faciant homines, vt tunc omnia mundētur, quid dicunt iſti, eleemoſynas tantum illas Deo placere, quæ reconciliationem ſequūtur, non quæ præcedunt? Ante eleemoſynā immunda ſunt quibuſdam omnia. Quando immundus eſt quiſquam, non poteſt etiam ſimul mūdus eſſe & per cōſequens neque iuſtificatus. Ideò præcepit Deus immundis, & nondum inſtificatis, vt facerent eleemoſynas, quibus poſſent omnes maculæ ablui, & omnis rubigo peccatorum abradi. Huc ſpectat & illud, quod Tobias docuit filium ſuum (Tob. 4.): Ex ſubſtantia tua, inquit, fac eleemoſynam. ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies domini, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat. Si non placent Deo eleemoſynæ, quæ precedunt reconciliationem, quid impoſuit CHRISTO, vt doceret eleemoſynam abluere immundos, & necdum iuſtificatos? Quid venit iſti ſancto ſeni in mentē, vt confidenter diceret filio, eleemoſyna ab omni peccato liberat, ſi eleemoſynæ, quæ precedunt propitiationem, Deo non placent? Nam qui reconciliatus eſt Deo, non habet peccatum, neque obnoxius eſt morti, vt per eleemoſynam liberetur. Habet autem peccator multa, à quibus eum eleemoſyna liberare poſſit. Rurſus audis Chriſtum confidēter dicentem: Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. (Mat. 10.) Quicunque, inquit, neminem excipit, neque reconciliatum, neque non reconciliatum, ſed quicūque dederit, non perdet mercedem ſuam. Quomodo non placent Deo eleemoſynæ, pro quibus DEVS beneficium refundet? Tam frigidæ ſunt omnes iſtorum obiectiones. Item alio loco promittit Deus miſericordiam his, qui aliorum miſerentur. (Mat. 5.) Conſtat reconciliatos miſericordiam iam conſequutos eſſe. Qui verò Deo per peccatum offenſo necdum reconciliatus eſt, indiget prorſus vt ſui miſereatur. Miſerebitur autem, quod hic audis, ſi fuerit in pauperes beneficus atque miſericors. Potuiſſet hæc quidem pluribus ſcripturarum argumentis deduci, ſed in re tam aperta, neminique non perueſtigata atq; probata, non eſt quod lectorem oneremus. Hoc tamen ſaltem non oſtendiſſe fortaſſè negligentiæ ſit, quod Cyprianus inuictiſſimus ille *ἀγωνίστης*, ſermone, quem de eleemoſyna ſcripſit, ſic concludit: (Cyprian. ſer. de eleemoſyna.) Præclara & diuina res fratres chariſſimi (de eleemoſyna loquitur) ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidiū, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati: res poſita in poteſtate facientis, res grandis & facilis, verum Dei munus, & maximum infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adiutus, præ ſe effert gratiam ſpiritualem, promeretur Chriſtum iudicem, cùm putat Deum debitorē. Ex his facilè colligis, tam reconciliatis, quàm non reconciliatis prodeſſe eleemoſynam, & Aduerſariorū collectionem elumbem eſſe & vanam.

Concedimus & hoc, inquiunt, *quòd eleemoſynæ mereantur multa beneficia Dei, mitigent pœnas, quòd mereantur, vt defendantur in periculis peccatorum & mortis.*

Vide nunc quam bellè hæc quadrent cum ijs, quæ nunc refellimus, videlicet quòd eleemoſynæ, quæ præcedunt reconciliationem, non placent Deo. Si ante reconciliationem eleemoſynæ Deo non placent, quomodo dicunt hic quod eleemoſynæ mereantur multa beneficia Dei? Si tales Deo non placent eleemoſynæ, quomodo merentur efficaciam defendendi in periculis peccatorum & mortis? Contrà ſi merentur multa beneficia Dei, mirum eſt ſanè, quod eædem Deo non placeant. (Pugnantia ſunt verba aduerſarij.) Secundum iſtorum opinionem, compenſat Deus beneficijs mala opera. Quid hoc dici poſſit abſurdius? Sed hic reſpondebunt fortaſsè, hæc ſe de iam iuſtificatis, de reconciliatis intelligere. Habet multum, vel hic ſenſus incommodi, Concedimus, inquiunt, & hoc, &c. Cur hoc non concedant, de quo nulla vnquam fuit controuerſia? de quo nūquam diſceptatum eſt? Omnes conſentiunt eleemoſynas reconciliatorū plurima beneficia mereri, mereri etiā vt à peccatorū periculis defendantur. Vides quod hæc vtcunque intelligant Aduerſarij, ſemper eis officiunt. Iam ſi multa beneficia merentur non reconcilia-

ciliatorum eleemoſynæ, cur non mereantur item gratiam qua iuſtificentur? Sic ſemper non vident iſti quæ loquantur.

Hactenus, dicunt, *recenſuimus præcipuos locos, quos aduerſarij contra nos citant, vt oſtendant quod fides non iuſtificet, & quod mereamur remiſsionem peccatorum & gratiam per opera noſtra ſed ſperamus nos pijs conſcientijs ſatis oſtendiſſe, quod hi loci non aduerſentur ſententiæ noſtræ.*

Recenſuerunt quidem multa, ſed non citra noſtram nauſeam, ſi tamen hoc recenſere eſt, & non magis veritatis ordinem interturbare, & prorſus confundere. Nauſeat autem, & non abre nauſeant, quotquot has nugas, has ſutellas, hæc mendacia, & hæc dicteria reuoluunt. Tam enim impudenter, tam fallaciter, & tam ineptè detorquent, imò deprauant ſcripturas, vt opinioni ſuæ quadrēt, vt videantur non peruestigandæ veritatis amore, ſed Catholicorū odio eas peruertiſſe, Quemadmodum verò hactenus rem ſuam mendacijs, vt ſæpe oſtendimus, peregerunt, ita etiamnum Epilogon duobus mendacijs defœdant. Catholici nunquam dixerunt; quod fides non iuſtificet, ſed defenderunt eam ſemper iuſtificare, quando ei adhærent bona opera. Hoc primum eſt mendacium. *Argumentum mendaciorum.* Secundum eſt, quod dixerint Catholici, hominem per opera ſua remiſſionem peccatorum & gratiam mereri poſſe. Hic vt de congruo peccatores mereantur gratiam & remiſſionem peccatorum, iterum fidei annectunt bona opera, vtpotè orationem, ieiunium, eleemoſynas, & alia miſericordiæ opera. Hoc ſentire, quod iſti eis falsò imponunt, Pelagianum eſſe definiuerunt. Præterea non admodum bene conſolatæ ſunt piæ conſcientiæ, quæ his impoſturis & mendacijs ineſcatæ ſunt, quæque neſciunt quid opponāt, aut quid doceant Catholici. Qui verò hæc legent, quibus vniuerſalis eccleſiæ ſententia aperitur, haud dubium niſi velint pertinaces eſſe, ſentiēt ſibi nugis, & verborum ſucis fallaciter impoſitum eſſe.

Nihil eſt verum. *Tota doctrina aduerſariorum*, inquiunt, *partim eſt à ratione humana ſumpta, partim eſt doctrina legis, non euangelij. Duos enim modos iuſtificationis tradunt, quorum alter eſt ſumptus à ratione, alter ex lege, non ex euangelio ſeu promiſsione de Chriſto. Prior modus iuſtificationis apud ipſos, quòd docent homines per bona opera mereri gratiam, tum de congruo, tum de condigno. Hic modus, eſt rationis doctrina. Quia ratio non videns immundiciem cordis, ſentit ſe ita placare Deum ſi bene operetur, & propterea ſubinde alia opera, alij cultus ab hominibus in magnis periculis excogitati ſunt aduſus terrores conſcientiæ.*

Cur hic nihil reſponſum. Hic nihil reſpondēt Catholici, ideò quòd hic nihil ſit veritatis, partim quòd omnibus iſtis mendacijs ſupra copioſè reſponſum eſt, quantumuis mendacia tam manifeſta nulla reſponſione digna. Sed obnixè precantur omnes bonos principes, iſtorum impudentium, mendaciumque hominum protectores, peſſimæque auctorum philoſophiæ Mœcenates per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti ſolius ſeruatoris noſtri obſecrant, vt cogant iſtos garrulos magis quàm Theologos, ne verbis ſuis ſacta non reſpondeant. Cogant, inquam, eos vt oſtendant vt doceant, qui ſint illi Pelagianæ hæreſeos aſſertores, quibus tam crebro obijciunt, quod docuerint, peccatorem ſuis operibus de condigno mereri gratiam iuſtificantem, vt infidelitatis ſuæ peruerſæque doctrinæ iuſtam dent pœnam. Quod ſi neminem oſtendere potuerint, ſubeant ipſi pœnam, quæ ſibi iure debetur, vt poſſint illuſtriſſimi Principes & nobiliſſimi viri, vnà cum alijs bonis viris, hæreſeos iſtius tenebris fortè aliquando implicati, Catholicam veritatem agnoſcere. Audi nunc iterum Aduerſarios.

Alter modus iuſtificationis, inquiunt, *traditur à Theologis, cum docent quod iuſti ſimus per quendam habitum à Deo infuſum, qui eſt dilectio. Et quod hoc habitu [illegible] mus & foris faciamus legem Dei. Et quod illa impletio legis ſit digna gratia & vita æterna. Hæc doctrina planè eſt doctrina legis, verum eſt enim, quod lex inquit: Diliges dominum Deum tuum, & cæt. Diliges proximum tuum, &c. Dilectio igitur eſt impletio legis, facilè eſt autem iudicium homini Chriſtiano de vtroque modo, quia vterque modus excludit Chriſtum, ideò reprehendendi ſunt.*

Bene docent Catholici, quod poſtquam fidei acceſſerit dilectio, incipiat homo Deum diligere, & mandata eius obſeruare, & ſic per ordinem vbi legem impleuit, dilectionis illa operatio meretur iuſtificationem, & vitam æternam. Nam auctore CHRISTO hoc docent, qui ſic ait apud Ioannem: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vides hic dilectionem, vides legis impletionem, quæ, vt in propatulo eſt, naſcitur ex dilectione. *Dilectionis operatio meretur vitam æternam. Io. 14.* Vis etiam videre iuſtificationem & vitam æternam? Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem, &c. Iam quis neget eum eſſe iuſtificatum, quem pater diligit, quemque idem pater cum filio inhabitat? Aduerte igitur primum in homine eſſe fidē, quam ſequitur dilectio, quæ tamen non neceſſariò ſequitur. Sed cùm ſequitur, operatur legem, id eſt, mandata Chriſti. Obſeruantibus verò mandata Chriſti promittitur tum hic, tum alibi vita æterna. Alibi: Qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnū cœlorum. Quid ergò *Mat. 7.*

nugantur iſti, quod Chriſtum excludant, qui docent dilectionem eſſe impletionem legis? Non excludunt Chriſtum, non excludunt Deum, verùm arctiſſima quadam neceſſitudine ei adhærent, ſicut dicit Ioan. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Rectè igitur docent Catholici, quod abſque dilectione, nemo conſequatur remiſſionem peccatorum. Vt enim inter ſe non conueniunt, ſimul amicum eſſe & inimicum, ſimul Deo placere & diſplicere, iuſtum eſſe & iniuſtum: ita repugnat, vt quiſpiam per fidem ſine charitate iuſtificetur, aut quod charitas ſequatur iuſtificationem, aut quòd filius Dei quis ſit, prius quam diligat Deum. Theologi quando docent, ad iuſtificationem hominis dilectionem pertinere, non excludunt inde fidem, imò decernunt eam in primis eſſe neceſſariam, quia nunquam eſt vera dilectio ſine vera fide. Inuiſa enim diligere poſſumus, incognita nequaquam. Deus autem ſatis agnoſci non poteſt niſi per fidem. Requirunt ergò fidem, ſed fidem per charitatem operantem, quam & Apoſtolus amplexatur. Quod ſi hanc non requirunt Aduerſarij, non video quid requirant. Ipſi enim dicunt fidem ſine dilectione, veram fidem non eſſe, ſed hiſtoricam, qua nemo iuſtificetur. Concluduntur ergò Aduerſarij ſua ipſorum ſententia, vt neceſſariò dicant eam ſolùm fidē iuſtificare, quæ per charitatem operatur.

1. Ioan. 4.

Quis hic non videat, quàm parum iſti ſeſe intelligant. Aiunt fidem, ſed non informem illam fidem, ſed viuam, ſed efficacem, ad iuſtificationem hominis pertinere, qua iuſtificetur: deinde iuſtificatum ſequi charitatem. Arbitror nulla duo magis poſſe inter ſe pugnare. Sed cur excludunt hinc charitatem? Non ob aliud planè, quam vt ſolam fidem ſine charitate tam præclarum facinus perpetraſſe demonſtrent. Si fidei charitatem coniungerent, viderentur, quod cum primis cauent, legem docuiſſe neglecto euangelio, quaſi euangelium non doceat etiam charitatem ad iuſtificationem facere. Quod verò iſta ſit eorum ſententia, colliges facilè ex his, quæ Catholicis nequiter improperant. O ingenia, ó inſaniam. Num ille Euangelium deſerit, qui charitatem prædicat? Quid perinde inculcat euangelium atque charitatem, totius legis, veteris & nouæ ſinem & plenitudinem? Quemadmodum autem charitas totius legis plenitudo eſt, ita fidei, ſpei, & omnium virtutum vita eſt, qua ſine, nulla opera, nulla virtus, tametſi omnes ſimul eliquaueris, peccatorem aut iuſtificant, aut viuificant. Stat enim firma Ioan. ſententia: Qui non diligit, manet in morte. & iſta Pauli: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et alibi dicit fidem, quæ per charitatem operatur, potentem eſſe. Et rurſus alio loco anathemate deuincit eũ, qui ita credit Chriſto, vt ipſum interim non diligat. Vtinam aperirent hic oculos, his malis artibus ſeducti Principes, intuerenturque penitius iſtorum fraudes & dolos, haud dubiè deteſtata eorũ vafricie, manum denuò Catholicæ eccleſiæ porrigerent, redderetur q; tandem eccleſiæ pax, iam dudum vehemẽter ab omnibus deſiderata.

Capiuntur aduerſarij ſuis ipſorum verbis.

1. Ioan. 3.
1. Cor. 13.
Gal. 5.
1. Cor. 16.

Nam quod aduerſarij cauillantur, inquiunt, multos impios, ac diabolos etiam credere: ſæpe iam diximus nos de fide in Chriſtum, hoc eſt, de fide remiſſionis peccatorum, de fide, quæ vera, & ex corde aſſentitur promiſſioni gratiæ, loqui. Hæc non fit ſine magno agone in cordibus humanis. Et homines ſani facile poſſunt iudicare illam fidem, quæ credit nos à Deo reſpici, nobis ignoſci, nos exaudiri: rem eſſe ſupra naturam. Nam humanus animus per ſeſe nihil tale de Deo ſtatuit. Itaque neque in impijs, neque in diabolo hæc fides eſt, de qua loquimur.

Oedipo hic opus habent Catholici, qui diuinet, quam fidem iſti putent iuſtificare. Neque enim hiſtoricam illam fidem, neque informem, neque charitate formatam fidem iuſtificare contendunt, ſed aſſuunt etiam neſcio quòd nouum genus fidei, verè, vt ipſi ineptiunt, iuſtificantis. Et tamen eam appellãt, quæ in Chriſtum credat, quæ credat remiſſionem peccatorum, quæ verè & ex corde aſſentiatur promiſſioni gratiæ, quæ in impijs eſſe nequit, neque in dæmonibus: & cum hæc dicunt nunquam peccatum eſſe mortale: ſed hoc ſuprà dixerunt. Dixerunt etiam ſuprà, fidem iuſtificantem eſſe eam, quæ aſſentitur promiſſioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſſio peccatorum & iuſtificatio, modò ſit aliquis, qui velit accipere. Hęc omnia iſtius prodigioſæ fidei monilia, tribuunt Catholici fidei charitate formatæ. Colligunt verò ex his omnibus aduerſarij noſtri, quòd quiſquis aſſentitur diuinæ promiſſioni, remiſſionem peccatorum gratis propter CHRISTVM offerenti, & vult eam ſaltem accipere, dicto citiùs fit ſuæ voluntatis compos. Pone iam Epicurum quempiam, nomine tenus Chriſtianum, qui Chriſto credit, verè & corde diuinis promiſſis aſſentitur, credit & remiſſionem peccatorum, & proinde petit, vt ſibi remittantur peccata. Nam hæc credunt omnes peccatores infirmitate magis, quàm peruerſitate delinquentes, & interrogati hoc liberè confitebuntur. Num hac ſola fide iuſtificantur, qui cum hac fide odium, rancorem, in corde retinent? Minimè, quia alioqui idem homo iuſtus eſſet & iniuſtus. Requiritur ergò alia, quàm infor-

Nouum fidei genus ab aduerſ. excogitatum.

ñls illa fides, quæ eſt fides charitate formata ad iuſtificationem impij.

Cultus Euangelij (inquiunt *) eſt accipere bona à Deo, econtrà cultus legis eſt bona noſtra Deo offerre, & exhibere. Nihil autem poſſumus Deo offerre, niſi antea reconciliati, & renati. Plurimum autem affert conſolationis hic locus, quod cultus in euangelio præcipuus, velle à Deo accipere remiſſionem peccatorum, gratiam & iuſtitiam. Aduerſarij de obedientia erga legem dicunt, non dicunt de obſeruantia erga euangelium.*

Prodigioſa eſt iſta Theologia, & vix pauciſſimis quibuſque intellecta. Audiunt quidem vocem, quid verò velit, ignorant. Si dixiſſent apertè, nihil magis ad Euangelij culturam pertinere, quàm velle accipere bona à Deo, intelligi potuiſſent etiam à rudioribus. Nam iſta ſententia obſcura eſt, tametſi non ſit omninò falſa. Qui iam Chriſto credunt, & credulitatis ſuæ aperta habent indicia, qui fidem habẽt charitate formatam, qui eam iuſtis operibus adornant, haud iniquè coluerint Deum, ſi expectent bona à Deo. Fruſtra verò expectat, ſi, quod iſti vrgent, ſola fide ſtet. Cultus legis eſt, (ſicut legem ſuprà intelligi debere docuimus) vt iuſti operentur bene, propter æternam retributionem: iniuſti, vt ex informi fide de congruo accipiant remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem. Poſſumus autem hoc modo Deo aliquid offerre, priuſquàm reconciliati & à peccato renati ſimus. Si vellent Aduerſarij fidem informem eſſe in peccatore, confiteri, quod alioqui dicere ſunt coacti, iam ſublata eſſet totius controuerſiæ anſa. Sed tam pertinaces ſunt, vt nolint cedere. Sic igitur ego intelligo cultum euangelij, & cultum legis, neque admittẽt Catholici, vt puto, alium intellectum.

Ioan. 6. Iam non video, quid apud Ioannem de hoc cultu Chriſtus dixerit. Nam audio hic viſionem filij, & in filium fidem, nihil audio de cultu euangelij. Et hunc locum Catholici ſic ferè exponunt, vt ſit voluntas patris, qui miſit filium ſuum Ieſum Chriſtum redẽptorem & ſeruatorem omnium, quod omnis, qui videt filium ſuum mundo corde, nã ſic potiſſimùm videtur, & credit in eum fide, ſcilicet charitate formata, habeat vitam æternam. Hic eſt genuinus ſententiæ illius intellectus, neque poſſunt Aduerſarij alium aſſignare, niſi fortè (Credere) torqueãt ad ſolam ſuam fidem. Sed vide hic mi candide lector, quàm bellè hic ratiocinentur: Pater dicit, inquiunt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite: ergò præcipuus cultus eſt in Euangelio, velle accipere à Deo remiſſionem peccatorum, gratiam & iuſtitiam. Nunquid non eſt hæc pulchra collectio, qua fidem ſuám ſolam muniant? imò aries eſt, idemqne fortis, quo eam Catholici funditùs euertant. Nam pater, vt fidem faceret circunſtanti populo, Ieſum Chriſtũ eſſe filium ſuum naturalem, hac voce ſeſe declarauit. Et nõ ſolum fidem eis fecit, verumetiã imperauit, vt verbis filij ſui ꝓpopera reſponderent. Nam audiuiſſe ſolum, & non feciſſe, temerauiſſe eſt. Quid verò loquutus ſit, breuis ſermo non explicuerit. Raro apertè ſui fidem docuit, (niſi quod omnia opera ferè eius inuolutius eum eſſe Deum exprimebãt) frequentiſſimè verò manifeſtè explicauit, quid facere oporteret ſuos fideles. Docuit inquam ſuos, vt ſi remiſſionem peccatorum accipere vellent, pœniterent primùm prioris vitæ in peccatis exactæ, iuſtiſque operibus vniuerſas vitiorum maculas eluerent. Hinc diximus, eum à pœnitentia ceu à re ſaluberrima prædicationem auſpicatum eſſe, vt tu diſcas, non ſimulatque credideris, etiam peccatum remiſſum eſſe, ſed quod oporteat etiamnum acceptam fidem bonis operibus & fructibus adornare. Nam vt nonnulla tradidit euangelica præcepta, addidit: Omnis qui audit verba hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificauit, &c. &: Seruus ſciens voluntatem domini ſui, & nõ faciens, &c. Huic perpendiculo debebant aduerſarij doctrinam ſuam coæquare, ſi vellent eam ſtabilem eſſe. Iam quando vni deferunt, alteri derogant, tametſi nuſquam legatur in Euangelio, quo hactenus vtitur Catholica eccleſia, quod iſti ingerunt, videlicet quod omnes, qui credunt ſe in gratiam recipi propter Chriſtum, remiſſionem peccatorum, gratiam iuſtificãtem, & vitam æternam conſequuntur, citra vllum aliud negotium, grauiter peccant in ſcripturas. Quando ergò hoc docent, ſuum, non Chriſti docent Euangelium. Chriſti enim Euangelium & fidem, & opera: iſtorum verò Euangelium, tantùm fidem habet ſine operibus. Iſtorum Euangelium à lege Dei ſecretum eſt, Euangelium Chriſti, ipſiſſima lex Dei eſt, de quo in Ieremia ſcriptum eſt: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hoc eſt Euangelium verum, quod à Prophetis prænuntiatum, per Chriſtum & apoſtolos toti mundo euulgatum, & in nos ceu per viuos canales deriuatum, hactenus inuitis multorum hæreticorũ dentibus, in Catholica eccleſia perdurauit. Sed hæc fortè plus ſatis dixero.

Matt. 3. — Matth. 7. — Luc. 12. — Iere. 31. — [illegible]

Tota eccleſia confitetur (inquiunt,) *quod vita æterna per miſericordiam contingat. Sic enim inquit D.*

Auguſtinus, de gratia, & lib. arbit. Cum quidem loquimur de operibus ſanctorum poſt iuſtificationē factis, nō meritis noſtris, Deus nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducit. Et lib. 9. Confeſſ. Væ hominum, vitæ quantumcunq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Et Cyprianus in enarratione orationis dominicæ: Ne quis ſibi, quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur peccare quotidiè, dum quotidiè pro peccatis iubetur orare. Sed res nota eſt, & habet plurima & clariſſima teſtimonia in ſcriptura, & in eccleſiaſticis Patribus, qui omnes vno ore prædicant, nos etiam ſi habeamus bona opera, tamen in illis bonis operibus miſericordia indigere. Hanc miſericordiam intuens fides, erigit & conſolatur nos. Quare aduerſarij malè docent, cum ita efferunt merita, vt nihil addant de hac fide, apprehendente miſericordiam.

Miſericordia egent omnes homines.

Potuiſſent hic Aduerſarij labori parcere. Nam & Catholici omnes dicunt, ſe miſericordia diuina egere & fide, quæ quærat eam. Controuerſia eſt, an, & quomodo eam quærere debeamus. Certe Chriſtus docet, quod eis, qui proximorum miſerentur, miſereatur viciſſim Deus. De his, inquam controuerſia eſt, & bene docuit Auguſtinus, & bene etiamnum docuit Cyprianus, quod omnes miſericordia indigeamus. Docuerunt nihilominus ijdem ſancti Patres, & præter eos omnes orthodoxi ſcriptores, quod in tantùm Deus miſericordiæ noſtræ in omnes delectetur affectu, vt miſericordiam ſuam ſit ſolis miſericordibus præſtiturus.

Hilarius. Argumentum mendacij.

Hinc dicit Hilarius: Eſt quidem ex bonitate Dei miſericordia, ſed promerenda eſt hæc à nobis ſtudio innocenti, vt in nos reſpiciat. Mendacium eſt quod iſti aiunt, Catholicos ita efferre merita, vt nihil addant de hac fide miſericordiam apprehendente. Nam docét, quod qui verè fidelis eſt, quique bene credit Chriſto, nullam faciat miſericordiam, quin ſemper in Deum fidem cum ſpe gercipiendiæ erigat. Credunt enim dicenti Chriſto:

Matth. 5.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Nolunt ſola fide miſericordiam expectare, neque falſa ſpe ſeſe fallere, ſed addunt fidei etiam bona opera miſericordiæ, vt miſericordiam viciſſim à DEO accipiant. Hic igitur nihil agunt Aduerſarij, niſi quòd ſeſe noua mendacij nota contaminant. Et non ſolùm docent, qua fide quis miſericordiam apprehendat, ſed docent, & iuſtis & impijs miſericordiam eſſe neceſſariam: his, vt ab impietate ad pietatē redeant: illis, vt in ſua innocentia perdurent. Non eſt otium vt referam omnia, quæ Catholici prædicant miſericordiæ encomia: hoc loco dixiſſe ſufficiat, Catholicos ita de miſericordia diuina non præſumere, vt interim ipſi miſericordiæ in pauperes obliuiſcantur. Sic enim præſumpſiſſe, temeritatis eſt.

Ex his, inquiunt, iudicare candidus lector poteſt, nos maximè requirere bona opera, ſiquidem hanc fidem decemus in pœnitentia exiſtere, & debere ſubinde creſcere in pœnitentia. Et in his rebus perfectionem Chriſtianam & ſpiritualem ponimus: ſimul creſcant pœnitentia & fides in pœnitentia.

Hanc ſententiam à Catholica eccleſia mutuati ſunt: agnoſcunt enim pœnitentiam & alia bona cum fide requiri, in quibus Chriſtiana & ſpiritualis perfectio verè cōſiſtit, modò ſimul creſcant, pœnitentia in fide, & fides in pœnitentia. Idem docuerunt & docent Catholici, ſicut toto hoc tractatu oſtenſum eſt, videlicet ſolam fidem abſque operibus ad iuſtificationem & ſalutem non ſufficere, ſed pœnitentiam cum fide, fidem cum pœnitentia addi oportere. Fidem, inquam, non ocioſam, ſed operantem, ſed bonorum operum fructum per charitatem proferentem. Si hæc ergò prius docuiſſent, non fuiſſet data tam diurnæ velitationis anſa. Si, inquam, hoc prius docuiſſent, omnia alia quæ huc ſpectabant, ad hanc amuſſim metiri potuiſſent. Sed difficilè eſt, imò prorſus impoſſibile, ſuperiora cum his coæquare, niſi vellent omninò ſcripturam pertinace tortura frangere. Quomodo enim poterunt iſta conuenire: Sola fides ſufficit ad ſalutem. &, Nos maximè requirimus opera? Nemo enim non videt ex diametro iſta pugnare. Nunc deinceps admittunt bona opera, meritum verò ij confidenter ſubtrahunt.

Aduerſarij docent pugnantia.

Sed hic, inquiunt, reclamant aduerſarij, vitam æternam vocari mercedem, quare neceſſe ſit, eam de condigno mereri per bona opera. Breuiter & planè reſpondemus: Paulus ad Romanos ſexto, vitam æternam donum appellat, quia donata iuſtitia propter Chriſtum ſimul efficimur filij Dei, & cohæredes Chriſti, ſicut ait Ioannes. Et Auguſtinus, inquit, & hunc ſequuti multi alij dixerunt: Dona ſua coronat Deus in nobis. Alibi verò ſcriptum eſt: Merces veſtra copioſa erit in cœlis. Hæc ſi videntur aduerſarijs pugnare, ipſi expediant. Sed parum æqui iudices. nam doni vocabulum omittunt, omittunt & fontes totius negotij, & excerpunt vocabulum mercedis idq; acerbiſſimè interpretantur, non ſolū contra naturam, ſed etiam contra ſermonis cōſuetudinem. Hic ratiocinantur, quia merces nominatur, ideò opera noſtra ſunt eiuſmodi, quæ debeant eſſe precium, pro quo debetur vita æterna. Sunt igitur digna gratia & vita æterna, nec indigent miſericordia, aut mediatore Chriſto, aut fide.

Præteriri poterant iſta vt meræ calumniæ. ſed ne per ea quiſquam incautus capiatur, breuiter abſoluentur. Idem Paulus, qui vitam æternam donum eſſe ait, eandem etiamnum eſſe mercedem non negauit. Vnuſquiſque, inquit, mercedem ſuam accipiet, ſecūdū ſuum laborem. Et Chriſtus vitam æternam vocauit mercedē, idq; multis in locis. Primū

Vita æterna merces eſt laborum ſuorum.

1. Cor. 3.

citarunt

Matt 5. Matth 20. Luc 6. Ioan. 4.

citarunt Aduerſarij ex Matth. Secundus eſt apud eundem: Voca operarios & da eis mercedem: & apud Lucam eſt tertius: Ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis: & apud Ioãnem: Qui metit, mercedem accipit, & cógregat fructum in vitam æternam, vt ſimul gaudeant, & qui ſeminat, & qui metit. Rurſus Paulus non negauit vitam æternam mercedem dici. Si volens euangelizauero, mercedem accipio. Et in can. ſecunda Ioan. Videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis. Prætereo prophetas, prætereo Sapientes, qui omnes vitam æternam appellant mercedem. Si quid habet incommodi mercedis nomenclatura, expoſtulent cum Christo, cum apoſtolis & cum alijs, qui vitam æternam mercedem appellarunt. Et vbicunque veræ mercedis mẽtionem faciunt, ibi addunt etiam operis nomenclaturam. Sed neque Catholici ita vitam æternam mercedem nominant, vt donũ eſſe negent, ſed confidenter aſſerunt & donum eſſe & mercedem, fortè pro perſonarum qualitate. Iuſtis mercedem eſſe inſinuant, vt magis magiſq; ſe exerceant in bonis operibus ad æternam diuinę Maieſtatis gloriã. Peccatoribus verò vocant donũ, ne grauitate criminũ adacti, animos deſpõdeant, ſed meminerin: Chriſtũ pro peccatis totius mundi paſſum & mortuũ. Qua verborũ ſuauitate deliniti, incipiant pœnitentię iugo ſeſe ſubijcere. Donum etiã vocãt, ne quis ſuperſtitioſulus putaret, ſe ex ſolis ſuis meritis vitã æternã mereri poſſe.

1 Cor 9. 2 Ioan. 1.

Vita æterna donum eſt & merces, pro qualitate perſonarum.

Catholici, qui diuinis promiſsis tenacius inhærent, bona opera, quæ ex fide fiunt charitate formata, perpetuam gloriã de condigno mereri negare non poſſunt, cũ tot habeãt ſuæ ſententiæ Coryphęos. Diſtinguunt verò ſic inter mercedem & dona ſeu munera, vt merces iuſto operi debeatur, & retinuiſſe, iniuſtitiæ ſit. Munera verò ſeu dona ſint, quæ ex mera liberalitate donãtur. Merces requirit meritum, ꝙ ſi non præceſſerit, nõ merces eſt, ſed donum quod præſtatur. Et ipſa veritas teſtatur, cœleſtia regna vt mercedem dari ſeruis fideliter operãtibus. Id iam docuimus, hoc eſt enim iuſti iudicis inſigne, vt vnicuiq; ſecundum opera ſua mercedem reddat. Iam quemadmodum criminoſi, iuſtè & de condigno malis ſuis operibus merẽtur dãnari ꝑpetuò, ita iuſti, iuſtè & de cõdigno merentur æterna gloria remunerari perpetuò. Hoc intereſt ꝙ impij ſuaptè malitia iuſtè pereũt, iuſti non ex ſua ipſorum virtute, ſed diuinitus adiuti ſalui fiũt. Homo pro ſua imbecillitate peccare poteſt, vt bene operetur, ex diuina gratia eſt, per quam meritoriè operari, & gloriam mereri poteſt. Non tamen ſine miſericordia, non ſine propitiatore Chriſto, nõ ſine fide, quod iſti contumelioſe in aduerſarios iaculantur. Nam tametſi de condigno iuſtus mereatur gloriã, ex Dei tamen dono & Chriſti meritis ſaluatur. Niſi enim Deus propter Chriſtum gratiam ei daret, nihil omninò mereri poſſet. Idem docuit Auguſtinus: Apoſtolus Paulus, inquit, quem inuenimus ſine vllis meritis bonis, imò cum multis meritis malis gratiã Dei conſequutũ, reddentis bona pro malis, ſuá iã propinquante paſsione, ſcribens ad Timotheum, iſta vtique iam merita ſua bona commemorat, vt poſt pauca merita conſequatur coronam, qui poſt multa mala merita, conſequutus eſt gratiam. Denique ſupereſt, inquit, mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi dominus in die illa iuſtꝰ iudex. Cui redderet coronam iuſtus iudex, ſi nõ donaſſet gratiam miſericors pater? Et quomodo eſſet iſta corona iuſtitiæ, niſi præceſsiſſet gratia, quæ iuſtificat impium? Quomodo iſta debita redderẽtur, niſi prius illa gratuita donarentur? Hactenus Auguſtinus. Qui cum Auguſtino docet, ille ne miſericordiã, Chriſtum & fidem à iuſtificatione excludit? Nihil minus. Deſinãt ergò Catholicos iniquis calũnijs laceſſere, ne & ipſi audiant, quæ nolint.

Donum & merces quomodo differunt.

Matt 20.

Auguſt. de gratia & libero arbitrio

2. Tim. 4.

Scimus ea, (inquiunt,) *quæ diximus, conſentanea eſſe ſcripturis tam propheticis quàm apoſtolicis, ſanctis patribus Ambroſio, Auguſt. & pleriſq; alijs, & vniuerſæ eccleſię Chriſti, quæ certe confitetur Chriſtum eſſe propitiatorem, & iuſtificatorem.*

Quàm conſentanea ſint, quæ de fide ſola ſine operibus dixerũt, propheticis & apoſtolicis ſcripturis, ſanctis Patribus Ambroſio, Auguſtino & alijs, vniuerſæ eccleſię, haud ita paucis expoſitum eſt, vt poſt hac ſperẽ, neminem fore, qui eorum ſubſcribat ſentẽtię, pręſertim cùm videat eos totum negotiũ meris mẽdacijs, nulla vel veritatis ſpecie peregiſſe. Quam verò eccleſiã vniuerſam nominet, interrogare poſſet aliquis. Qui hoc interrogat, ſciat eos de vniuerſa ſua eccleſia dicere (ſi tamen eccleſia dici debent hæreticorum cõciliabula) Nam eccleſia, quam Catholici vnam ſolam agnoſcunt, Catholicę cognomẽ habet, quæ quidem Chriſtum eſſe propitiatorem & iuſtificatorem confitetur, ſed nõ recipit doctrinam iſtorum, qui fidem ſine operibus iuſtificare contendunt, ſed fidei opera, operibúſque fidem, vt iuſtificare poſsint, annectit. Adulterina illa eccleſia ita fidem iuſtificare contendit, vt tamen opera hinc reijcere trepidet. Hoc dicet, quiſquis eorum commenta ad viuum excuſſerit.

Theologos conſtat, (inquiunt) *plura ex Philoſophia admiſiſſe doctrinæ Chriſtianæ, quàm ſatis erat. Nam auctoritas horum videri debet tãta, vt nuſquàm diſſentire à diſputationibus eorum liceat, cùm multi manifeſti errores apud eos reperiantur, vt quod poſſumus ex puris naturalibus Deum ſupra omnia diligere.*

A mendacijs telam exorditi ſunt, mẽdacijs

pertexuerunt, mendacijs præſcindere debēt, modò iuſtè, vt eos decet, velint ἐπιλέγειν. Quòd nihil ex Philoſophia admiſcuerint doctrinæ Chriſtianæ, palam eſt. Si quid Philoſophi noſtræ fortè doctrinæ ſimile tradunt, à nobis mutuati ſunt. Quare debebant Philoſophos, non Catholicos accuſare. Neque debebant temerè doctrinam, ab vniuerſa Catholica Eccleſia receptam, omnium calculis probatam, inuertere ſine iudicio eorum, qui Catholicæ Eccleſiæ præſunt, apud quos ſolos eſt auctoritas definiendi, ſi quid fortè Euangelicis ac apoſtolicis ſcripturis parū videretur quadrare. Si quid habebant quæſtionis, nō ad Vuittenbergam, vbi ſolus definit, quæ vult Lutherus, ſed vel ad Vbiorum Coloniam, vel ad Pariſiorum Lutetiam, vel alicubi, vbi doctrina Chriſtiana hactenus integra perdurat, referre debebant. Quòd hic nugantur apud Catholicos reperiri, poſſe hominem ex puris naturalibus Deum ſupra omnia diligere, mēdacium eſt. Nam hoc, vt ſuprà docuimus, Catholici, vt Pelagianum dogma exprobrant. Iam audi & alia mendacia.

Philoſophi multa à nobis mutuati ſunt

Theologi (inquiunt) *& monachi, docuerunt remiſsionē peccatorū, gratiā & iuſtitiā per noſtra opera, & nouos cultus quærere, qui obſcurauerunt Chriſti officium, & ex Chriſto non propiciatorem & iuſtificatorē ſed tantùm legiſlatorem fecerunt.*

Calumnia.

Vetus eſt iſta calumnia iſtorum, qui quoad poſſunt, moliuntur, vt ſua doctrina obtineat, & res Chriſtiana prorſus peſſum eat. Theologi & Monachi, vt breuiter dicam, docuerunt, vt per fidem ad benè operandum mouentem, imò & operantem, homines ſalutem & iuſtificationē quærerent, quo Chriſti officium abſolutius, atq; iſti, expreſſerūt. Nam ſi crederent tantùm Chriſtū propitiatorem eſſe & iuſtificatorem, & hac fiducia ſalutem expectarent, non peterent, neque implorarent gratiam, quam alioqui implorare & petere coguntur. Vide nunc, qui magis officiū Chriſti obſcurent, Aduerſarij, an Theologi & Monachi. Catholici Chriſtū & iuſtificatorem, & propiciatorem, & legiſlatorē eſſe dicunt, nam hæc ei ſcriptura attribuit. Quòd iuſtificator & propitiator ſit apud Aduerſarios iam obtinuit, tamen per irriſionem dicunt, quòd Catholici eum vocent, & faciant legiſlatorem. Faciunt quidem eum legiſlatorem, non ex ſe, ſed ex ſpiritu ſancto: Ego dominus Deus tuus, inquit in perſona Chriſti ſpiritus ſanctus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulans, vtinam attendiſſes mandata mea, & iterum: Dominus enim iudex noſter, dominus legifer noſter, dominus rex noſter: ipſe ſaluabit nos. Vides igitur Chriſtum & legiſlatorem eſſe, quod deridēt in nobis Aduerſarij.

Eſaia 48.

Eſaia 33.

Itaque non perturbet pias mentes (inquiunt) *multitudo aduerſariorum, qui noſtram doctrinam improbant. Facilè enim iudicari de ſpiritu eorum poteſt, quia in quibuſdam articulis, adeò perſpicuam, & manifeſtam veritatem damnarunt, vt palam appareat eorum impietas. Nam & bulla Leonis decimi damnauit articulum maximè neceſſarium, quem omnes Chriſtiani teneant & credant, videlicet non eſſe confidendum, quòd ſimus abſoluti propter noſtram contritionem, ſed propter verbum Chriſti: Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Et nunc in hoc conuentu auctores confutationis damnauerunt apertis verbis hoc, quòd fidem diximus partē eſſe pœnitentiæ.*

Catholici haud multò impari conſolatione ſuorum demulcent animos, ne fortè deſpondeant animos, ſi audiant hanc inſanam doctrinam vel in Haſsia, vel in Saxoniæ altera parte, vel alibi totius Chriſtiani orbis exiguo angulo graſſari, ſed vt primùm meminerint, Chriſtum dicere venturos eſſe tales, qui Eccleſiam ſuam aperto Marte impeterent. Deinde, dixiſſe Apoſtolū, quòd oporteat hæreſes eſſe, vt manifeſti fiant, qui probati ſunt. Poſtremò, ſi perſecutiones ab eis patiantur, rememorent dictum eſſe à Chriſto: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Nam in hoc eſt omnis Lutherani Euangelij vis, vt quos non poſſunt veritate vincere, gladio ſaltem, vel tormento, vel mēdacijs ſuperent. Non recenſebo hic quæ verbera, quas iniurias pertulerint, qui huic noluerūt acquieſcere aut ſubſcribere Euāgelio. Hinc facilè dignoſci poteſt, quo ſpiritu ferātur hoc Euangelio imbuti, qui non tantùm ora non cōcludunt, ſed ne manibus quidem imperant. Sed quid mirum, cùm tales arbores, tales deceant fructus. Rectè quidem Leo decimus, Pontifex Max. falſitatem iſtorum ſententiæ damnauit. Enimuerò pœniteant peccatores, vel non pœniteant; credant, vel non credant, ſtat perpetuò inuiolabilis Chriſti ſententia: Quodcunque ligaueritis ſuper terram, &c. Veruntamen ob eam ſolam non iuſtificatur peccator, niſi ſimul cum pœnitētia abſolutionem accipiat. Qualitercunq; ſeſe habeant homines, verbum Chriſti perpetua ſoliditate inuitis quorūcunque Aduerſariorum dētibus perſiſtit. In verbis Chriſti nulla eſt variatio, ſed in homine mutationem eſſe, operæprecium eſt. Quòd ſi propter verbum Chriſti, abſq; vlla noſtra opera iuſtificamur, planè quiſquis eam credit verā eſſe, etſi in adulterio, aut alio quouis peſsimo crimine viuat, iuſtus eſt. Vides ergò iure damnatam eſſe ſententiam iſtorum multò pernitioſiſsimam. Fidem verò Catholici ea ratione partem eſſe pœnitentiæ non negant, quod arbitrentur ſine vera fide fructuoſam eſſe pœnitentiam, qua iuſtificari poſſit

Quomodo piæ mentes apud Catholicos ſoleantur.

1. Cor. 11.

Matt. 5.

Lutherani Euangelij vis.

Matt. 18.

Fides non eſt pars pœnitentiæ.

poſsit homo: abſit enim hoc: ſed quod ſciunt eam vt omnium bonarum actionum, ita & pœnitentiæ initium eſſe & cauſam. Haud ita multum conueniet, ſi cauſam poſueris effectus partem. Quemadmodum enim pater filij cauſa eſt, non eſt tamen pars filij: ita fides, etiamnum pœnitentię cauſa, non tamen pars eſt. Sed de hoc ſuo loco plura dicentur.

Hactenus ergò ſatis ſuperq; declaratum ſit, ſolam fidem ſine operibus, & ſine charitate non ſufficere, ſed requiri pœnitentiam, conuerſionem, & gratiam ſpiritus ſancti, quę bonis operibus, ex fide ſactis, impetrantur, & de congruo merentur. Expoſitum eſt nihilominus, bona opera ex fide ad laudem Dei facta, non eſſe inutilia, ſed talia prorſus, quę iuſtificationé & ſaluté mereantur de congruo. Si verò ea ſaciat, qui iã iuſtificatus eſt, de condigno meretur vitam æternam. Ex quibus omnibus facilè colligi poteſt, iuſtificationis modum, quem Catholici tradunt, ex ipſiſsimis ſcripturarum ſontibus, multò ſacillimũ, multoque certiſsimum eſſe & dignum, quem omnes homines apprehendant. Aduerſariorum verò iuſtificationis modum, labyrinthũ magis quàm ordinem, ab omnibus explodẽdum, & ceu malorum lernam ſugiendũ eſſe.

Quarti, Quinti, & Sexti Articulorum, Ioannis Cochlæi diſcuſsio.

ISti tres Articuli, quales habentur in Confeſsione (non quæ nuper variata & excuſa eſt, ſed quæ Ceſ. Maieſt. Auguſtæ exhibita fuit) facilè poſſent concordari, ſi nõ obſtaret contendendi, ac friuolè diſputandi auiditas & pertinacia. Quemadmodũ concordati fuerunt Auguſtæ in ſeptenorum colloquio, in hæc ſanè verba: Iuſtificatio, ſeu remiſsio peccatorum fit per gratiam gratum facienté, & fidem formaliter, per verbum verò & ſacramenta inſtrumẽtaliter. Nequaq́ igitur neceſſarium fuiſſet, in Apologia tam prolixam (vtpote pluſquàm 40. folijs) diſputationem hac de re, nempe de iuſtificatione, ſcribere aut inſtituere. Nemo enim Catholicorum negat hominem iuſtificari fide. Iuſtificari autem ſola fide, (ſicut aſſerit Apologia) nõ atteſtatur ſcriptura, neque vllum Concilium, neq; vlla ſanctorum Patrum authoritas. Quin potius contrarium expreſſe docet S. Iacobus, vbi ait Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Et S. Auguſt. contra hoc, de ſola fide, ſcandaloſum dogma, integro diſputat libro, quem de fide & operibus inſcripſit, vbi ſic ait: Videamus iam illud, quod excutiendũ eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, benè auté viuere, & bonis operibus viã Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententijs Apoſtoli Pauli, hoc eum quidã arbitrati ſunt dicere: Faciamus mala, vt veniant bona. Cùm ergò dicit Apoſtolus, Arbitrari ſe iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: non hoc agit, vt percepta ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiãſi legis opera nõ præceſſerint: ſequuntur enim iuſtificatũ, non præcedunt iuſtificandũ. Quoniã ergò hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ, Petri, Ioãnis, Iacobi, Iudæ, cõtra eã maximè dirigũt intentioné. vt vehementer aſtruãt fidé ſine operibus nihil prodeſſe: ſic etiã ipſe Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deũ creditur, ſed eam ſalubrem planè dicit, quam Euangelicã definiuit cuius opera ex dilectione procedũt. Et fides (inquit) quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt mõtes transſeram, charitatem autem non habeã nihil ſum. Iacobus autem vehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus valere ad ſalutem, vt illos etiam dæmonibus comparet, dicens: Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. Quid verius, breuius, vehementius dici potuit? Dicit etiam, quia fides ſine operibus mortua eſt. Quouſque igitur ſalluntur, qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicentur? Hæc Auguſtinus. Ex quibus ſanè perſpicuum eſt, dogma hoc de ſola fide multò plus mali & ſcandali, & peperiſſe olim, & parere nunc, quàm ædificationis, aut boni. Non placet igitur nobis tam crebrò repetita verborum aſperitas, qua proſcindũtur quidam Theologi, qui iuſſu Cæſaris ad eorum Confeſsionem reſponderunt. Quandoquidem Cæſar ipſe ſimul cum omnibus Imperij Principibus & Statibus antiquæ & Catholicę fidei, eorum reſponſionem comprobauerunt in publico receſſu, vbi & dogma iſtud de ſola fide reiecerunt, ac diſertè interdixerunt, ne p̃dicetur, aut doceatur amplius. Si ergò propter hoc dogma tanquam iniquè reprobatum, maledicendum aut expoſtulãdũ eſſet, non ſolùm cõtra paucos illos Theologos, quos Dogmatiſtę iſti pro peculiaribus habent aduerſarijs (cùm tamé generaliter totus orbis Catholicorũ in hoc eis aduerſetur) quam contra Cæſarem, & plurimos Imperij Principes ac ſtatus, quinimò & contra S. Auguſt. atque etiam cnntra Apoſtolos, Paulum, Petrum, Iacobum, &c. conqueri, expoſtulare, aut conuiciari poſſent, quia hi omnes dogma hoc iam olim damnauerunt.

Deinde non probamus impudens calumniandi ſtudiũ, quo tã multa falſo imputãtur illis

[*Falſum & ſcandaloſum dogma de ſola fide.* — *Iacob. 2.* — *Aug. de fide & ope. ca. 14*]

[*Falſa opinio de fide.* — *Galat. 5.* — *1. Cor. 13.* — *Iacob 2.* — *Dogma Lutheri generaliter damnatum.* — *Maligna calumnia.*]

illis Theologis, illud præſertim, quod per ſeſe inuidioſiſsimè queritur Apologia, illos negare, quòd fides iuſtificet, vbi, data opera, omittit hanc vocē, ſola, de qua vna eſt tota iſta contentio. Theologi enim illi nequaq̄ negāt fidem iuſtificare, ſed negant ſolam fidem iuſtificare. Nimis igitur inuidioſe in eos ait Philippus: Qui negāt fidem iuſtificare, nihil niſi legem, abolito Euangelio, & abolito Chriſto docent. Item aduerſarij noſtri ſimpliciter abolent gratuitam promiſsionem, cùm negant, q̄ fides iuſtificet, &c. Vana eſt igitur tot ex ſcripturis locorum allegatio de fide, cùm nullus illorum locorum loquatur, aut teſtetur de ſola fide, de qua eſt ipſa principalis q̄ſtio, & contentio. Oēs enim Theologi, quantumuis Orthodoxi & Catholici, vltrò concedūt, hominem iuſtificari fide. Nullus enim dicit aut concedit, ſola fide iuſtificari hominem, tùm quia ſcandaloſa eſt ea ꝓpoſitio ad populū, tùm etiā, quia eſt ſimpliciter falſa. Nā & alia multa, quæ fides non ſunt, ad iuſtificationem conferunt. *Scandaloſa propoſitio.* Certè q̄ ſcandaloſa ſit iſta propoſitio, ne Philippus quidem ipſe aut Lutherus negare poteſt. Ambo enim hoc iāpridem atteſtati ſunt ante annos duodecim in viſitatione Saxonica Lutherus teuthonicè, Philippus latinè, in hæc ſanè verba: Paſtores debent exemplum Chriſti ſequi, qui quoniā pœnitentiam & remiſsionem peccatorū docuit, debent & iſta paſtores tradere Eccleſijs. Nunc vulgare eſt, vociferari de fide, & tamen intelligi, quid ſit fides, non poteſt, niſi prædicata pœnitentia. Planè vinum nouū in vtres veteres infundunt, qui fidem ſine pœnitētia, ſine doctrina timoris Dei, ſine doctrina legis prędicant, & ad carnalem quandam ſecuritatem aſſueſaciunt vulgus. Ea ſecuritas eſt deterior, quàm omnes errores anteà ſub Papa fuerunt. Hoc genus concionatorū deſcribit Hieremias, & vituperat eos, qui dicunt, pax pax, & nō eſt pax. *Iere. 6.* Hæc Philippus olim, q̄ nūc tā prolixè de ſola fide contendit, cùm probè ſciat, quantò remiſsior ad omne opus bonū factus ſit inde vniuerſus ſectarum populus. *Multa ſunt quæ iuſtificāt*

Quia autem ea propoſitio ſit etiam falſa ſimpliciter, ex ſacris literis facilè probatur. Nam & alijs multis rebus, quæ non ſunt fides adſcribitur iuſtificatio, & quidem longè potius, iuſtiuſque quàm fidei. In primis Deo, & eius gratiæ atque miſericordiæ Chriſto item mediatori ac redemptori, & eius morti ac reſurrectioni. Sacramentis præterea, præſertim Baptiſmo & Pœnitentiæ. Spei item, & charitati. Bonis deniq; operibus religioſæ pietatis & conuerſationis, vt timori Dei, oratinnibus eleemoſynis, &c. De Deo inqnam, ait Eſaias: Iuxta eſt, qui iuſtificat me. *Eſaie 50.* Et Paulus: Quos vocauit, hos & iuſtificauit. *Rom. 8.* Item: Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? *Rom. 3.* De gratia teſtatur idē Apoſtolus dicens: Iuſtificati gratis per gratiā ipſius. De miſericordia ait Pſalmiſta: In miſericordia tua viuifica me: *Pſal. 118.* & Daniel: Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciē tuam ſed in miſerationibus tuis multis. *Dan. 9.* De Chriſto ait Ioānes in ſua Canonica: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, *1. Ioan. 2.* & Paulus: Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: item: Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propiciatorē Deus per fidē in ſanguine ipſius. Rurſus de morte eius ait idem Apoſtolus: Recōciliati ſumus Deo per mortem filij eius. *Rom. 5.* Et de eius reſurrectione ait idem Paulus: Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. *Rom. 4.* Item de Baptiſmo ait idem Apoſtolus: Et hæc quidem aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis: *1. Cor. 6.* & Petrus: Quod & nos ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma. *1. Pet. 3.* De pœnitentia teſtatur ipſe dominus dicens: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. *Luc. 13.* De Spe ait Paulus: Spe ſalui facti ſumus. *Rom. 8.* Item: Spes non confundit. De charitate ait Sapiens: Vniuerſa delicta operit charitas. *Prou. 10.* Et Iacobus, atque etiam Petrus: Charitas operit multitudinem peccatorum. *Iacob. 4. 1. Pet. 4.* De timore domini ait Eccleſiaſticus: Timor domini expellit peccatum, *Eccl.* item: Religioſitas cuſtodit, & iuſtificat cor. De oratione, eleemoſyna, & ieiunio, longum foret omnia ſcripturæ teſtimonia referre, ſufficiant igitur breuitatis gratia, duo aut tria. Certè Tobias ait: Bona eſt oratio cum ieiunio. *Tob. 12.* Et Angelus ad Cornelium: Orationes tuæ, atque eleemoſynæ tuæ aſcendernnt in memoriam in conſpectu Dei. *Act. 10.* Item Daniel ad Regē Babylonis: Peccata tna eleemoſynis redime. *Dan. 4.* Iacobus denique ait: Mnltum valet deprecatio iuſti aſsidua. *Iacob. 5.* Simpliciter igitur falſum eſt quòd ſola fides iuſtificet. Nam & alia multa ad iuſtificationem concurrunt aut conducunt, aut etiam neceſſaria ſunt. Cæterùm ſi abeſſet diſſentiendi, aut contradicendi ſtudium, facillimè poſsit ſedari ac tolli ſcandaloſa hæc de ſola fide contentio. *Contentio inutilis & perniciosa.* Orthodoxi enim omnes admittunt & credunt, hominem iuſtificari fide, non ſanè qualibet, ſed ea, quæ per dilectionem operatur, vt Paulus docet. *Gala. 5.* Quare ſuperfluum eſt, friuolumq́; & inutile, ac minimè neceſſariū, imò ſcandaloſum, perniciosumq; & dānabile, tam prolixè ac pertinaciter contendere de ſola fide, cōtrà Cæſaris edictum, contra Imperialē receſſum contra ſcripturas, contra ſanctos Patres, contra totā eccleſiam, in graue populorum ſcandalum, cū grauiſsimo denique peccato ſchiſmatis, quod ſanè tantū eſt, teſte Cypriano; vt ne ſanguine quidem dilui queat. *Cypria. de ſimplici. prælatorum.* Quòd ſi exactius diſcutiēdum ſit reprobū dogma illud

de

de ſola fide, facilè probari poteſt, quod impli
Implicatio contradictionis.
cet contradictioné, & deſtruat ſeipſum. Proteſtantium nanque cócionatores nó intelligunt, per fidem qualitatem aliquam nudam, & otioſam & ſolitariam, atque informem, ſed veſtitam & decoratam ſpe & charitate, actiuã & efficacem bonorum operũ, vt non ſit ſola, aut ſolitaris, ſeu monacha (vt quidam eos deridet) ſed ſit ſubnixa & comitata alijs virtutibus, & bonis operibus, ſi debeat iuſtificare. Quomodo igitur ſola fides iuſtificat, cùm ſo-
Iacob. 2.
la non ſit? Si enim ſola eſt, mortua eſt, (vt ait Iacobus) in ſemetipſa, & iuſtificare aut viuificare nequaquam poteſt. Eſſet igitur ſola, & non ſola, iuſtificaret & non iuſtificaret.

Quòd autem Apologia negat, dilectionem
Charitas iuſtificat.
& opera iuſtificare, contradicit ſacræ ſcripturæ, & verbo Dei. Ait enim prædilectus Chri-
1. Io. 3. & 4.
1. Cor. 13.
ſti diſcipulus Ioannes: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, item: Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Et vas electionis Paulus: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, non agit perperam, item:
Rom 13.
Qui diligit proximum, legem impleuit. Ple-
Luc. 11.
nitudo ergò legis eſt dilectio. Et ipſe Chriſtus in Euãgelio: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quinimò S. Augu. contra Pelagium ſcribens in libro de natura & gratia, auſus eſt dicere ſic: Per ſpiritum ſanctum infunditur charitas in cordibus noſtris, qua vna iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt. Ipſa eſt enim veriſsima, pleniſsima, perfectiſsimaque iuſtitia. Hæc, & id genus mul-
Auguſti. de laudibus charitatis.
ta de charitate contra Pelagium Auguſtinus qui & in alio libro inter alia multa ſic ait: Charitas eſt ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutũ, virtus pugnantium, palma victorum, arma ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorũ, præmium perfectorum, ſine qua nullus deo complacuit, fructuoſa in pœnitentibus, &c.

Calumnia in Catholicos.
Scripturæ ergò loca, quæ prolixè allegat Apologia, nihil faciunt aut teſtantur contra charitatem pro ſola fide. Et iniquè accuſat Orthodoxos de merito & de bonis operibus Nemo enim Catholicorum dicit, vt illa falſo queritur de nobis, quod ſine Chriſto, aut ſine fide, mereamur aut aſſequamur iuſtificationem, aut remiſsionem peccatorũ per merita
Ioan. 15. & 16.
aut opera noſtra, ſcimus enim Chriſtũ dixiſſe: Sine me nihil poteſtis facere, &: Nemo ve-
2. Cor. 3.
Heb. 11.
nit ad me, niſi pater meus traxerit eũ. Et Paulum: Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, &: Impoſsibile eſt ſine fide placere Deo. Meræ igitur ſunt impoſturæ & calumniæ, quibus decipitur populus ſimplex, quãdo queritur per multa folia Philippus, cótumeliam fieri Chriſto, & eius me-
ritis, ſi non admittatur hæc de ſola fide do-
Contumelia in Christum.
ctrina. Quinimò per hanc nouam doctrinam maxima fit contumelia Chriſto, tùm quia per eam ſcinditur nefario ſchiſmate corpus eius, quod eſt Eccleſia, tùm quia contra omnem ſcripturam ſpoliat Chriſtum vero iudicio, & cæcum ex eo iudicem facit. Etenim vtriuſq; teſtamenti ſcriptura teſtatur ac docet, Chriſtum dominum reddere vnicuique iuxta o-
Pſal 61.
pera eius. Noua autem doctrina iſta docet
Matth. 16.
impudentem, falſamque & temerariã quandam fiduciam, & nouam fidem, qua ſola iuſtificetur homo, dũmodò credat ſibi remitti peccata propter Chriſtum. Sic enim docet in Babylone ſua Lutherus, quòd homo Chriſtianus, ſiue baptizatus tã diues ſit, vt etiã volens non poſsit perdere ſalutẽ ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere, quia nulla peccata poſsint eum damnare, niſi ſola incredulitas. Cætera (inquit) omnia, ſi redeat, vel ſtet fides in promiſsioné diuinam baptizato factã, in momento abſorbentur per eandem
Philip. in ennarationibus ſuper Ioannẽ.
fidem. Sic & Philippus turpiſsimè ſimul & falſiſsimè exponens tùm Euangeliũ Ioannis, tùm epiſtolas Pauli, docet, nullo operũ reſpectu credendum eſſe in Chriſtũ. Et Iudæos & Græcos oẽs ſub peccato eſſe, id eſt, Neminem neq; bona opera ſaluãt, neq; dãnant mala, ſed ſaluat fides, dãnat incredulitas. Regnũ Chriſti (inquit) iuſtificare ſpiritu, & ſaluare credétes, nullo, vel bonorũ, vel malorũ operũ reſpectu. Ité: Sicut Euangelio ſola fides iuſtitia eſt, vt ſcilicet ſi omnia omniũ peccata feceris, tamẽ credis miſerere tui patrẽ ꝓpter Chriſtũ ſaluus ſis. Ita è cõtra Euangelio ſola incredu-
litas peccatum eſt, &c. Vidimus auté nõ ſine
Nouum Euangelium antiquo contrarium.
multo dolore & gemitu, quales iã ſupra viginti annos fructus tulerit hoc nouum Euãgeliũ. In antiquo autẽ Euangelio iudicat dñs
Matt. 25.
Ioan 14.
ſecundũ opera, dicens ad bonos: Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare. Ad malos verò: Eſu-
Act. 1.
riui, & nó dediſtis mihi manducare. Nõ ſufficit igitur ſola fides, q̃ nihil aliud eſt, q̃ impudens fiducia, ſed requiritur vera fides, q̃ per dilectioné operatur. Verè enim in Chriſtum credere, eſt mandata eius ſeruare, quia & ipſe cœpit facere, & docere. Valeat igitur, & in malam crucem abeat ſola fides, & redeat vera fides, per dilectioné operans, qua iuſtificati ac ſaluati ſunt ſancti Patres, & maiores noſtri. Vellemus & eam ab eis omiſſam eſſe iniuriã,
Neſcit homo ſe placere Deo.
qua non ſolùm ſuos (vt putant) aduerſarios, ſed etiam S. Hieronymum reprehendunt & accuſant Proteſtantium Concionatores, ex eo, quod noſtri dicunt, hominem non eſſe certum, nec certò ſcire aut credere, quod ſit in gratia Dei, & placeat Deo. De hoc enim habemus certam & expreſſam ſcripturam in Eccleſiaſte, quia neſcit homo, vtrum o-
Eccl 9.
dio, an amore dignus ſit. Et in Iob: Verebar
Iob 9.
omnia

Pſal.18. omnia opera mea. Item. Verè ſcio, quòd non iuſtificetur homo cópoſitus Deo. Et in Pſalmiſta: Delicta quis intelligit? Ab occultis *Prou.28.* meis munda me,&ab alienis parce ſeruo tuo. Denique in Prouerbijs rectè dicitur: Beatus homo, qui ſemper eſt pauidꝰ. Et adhuc apertius ait Apoſtolus: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quamuis verò hæc ita habeant, ſintque veriſsima, falſum *1.Cor.4.* tamen eſt, quòd nos Catholici doceamus, ho- *Calumnia.* minem dubitare de miſericordia aut de promiſsione Dei. Scimus quidem, & firmiſsimè credimus, tùm imméſam eſſe Dei miſericordiã, tùm certiſsimas eſſe promiſsiones Chriſti, ſed non oportet nos credere, quod ſimus miſericordia Dei, & promiſsionibus Chriſti *Pſal.15.* digni, quia multus & varius eſt defectus ex parte noſtri. Iuxta illud Dauidicum: Multiplicatæ ſunt infirmitates corũ. Ideò petimus beatam Virginem, & cæteros Sanctos orare pro nobis, vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. Non docemus item de bonitate & clementia Dei dubitare, nec de efficacia, & virtute ſacramentorum, & clauium Petri, ſed hortamur homines ſemper eſſe in timore Dei, & nihil de ſe præſumere, nec ſe dignos & gratos deo ſuperbè aut temerè iudicare, quia ait Ioannes: Si dixerimus quòd peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in no- *1.Ioan.1.* bis nõ eſt. Sic Daniel ait ad Nabuchodonoſor *Dan.4.* Regem: Conſilium meum rex placeat tibi. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Sic & Iohel Propheta ait: Quis ſcit, ſi cõuertatur, & ignoſcat Deus *Iohel.2.* Et hoc idem habet quoque Ionas propheta. *Ionæ 3.* Sic & Petrus dixit Simoni mago: Pœnitẽtiam *Act.8.* itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

Epilogus de iuſtificatione Et per hæc reſponſum ſit etiam ad 20. articulum Confeſsionis, qui eſt de fide & operibus. In ſumma non dicimus quòd ſola fides iuſtificet, nec dicimus: Opera ſine fide, aut opera ſola iuſtificant, nec dicimus opera noſtra eſſe meritoria remiſsionis peccatorũ, ſine Chriſto, aut ſine Sacramentis. Dicimus tamen bona opera, quæ præcedunt iuſtificationem diſponere, promouere, multumque cõducere ad propitiationem, placationemque Dei, & peccatorum remiſsionem per gratiã & virtutem ſacramentorum conſequendam, non tamen ſine Chriſto, aut ſine fide, vt nobis falſo imputat Apologia. In qua ſanè nimis atrox, & à manſuetudine Chriſtiana, Euangelicaque doctrina longè aliena in Catholicos iſta profertur calumnia, verius quàm ſententia. Maledicti ſint (inquit) Phariſæi aduerſarij noſtri, qui legem ita interpretantur, vt operibus tribuant gloriã Chriſti, videlicet, quòd ſint propiciatio, quòd mereantur remiſsionẽ peccatorum. Nuſquàm autẽ ſic dicimus nos. Quod vt nobis credatur operæprecium fuerit S. Thomam Aquinatem (quem ipſimet *S. Thomas in prima ſecundæ q.109. arti.5. & 6.* inter Scholaſticos Theologos pro præcipuo habent) in teſtem ſanæ doctrinæ noſtræ producere. Eius itaq; verba ſunt hæc: Homo per ſua naturalia nõ poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt virtus gratiæ. Et ideò ſine gratia non poteſt homo mereri vitam æternã. Item: Homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendũ, niſi per auxilium gratuitum Dei interiùs mouentis. Nihil enim poteſt facere homo, niſi à Deo moueatur, ſecundum illud Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et Ideò, cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundũ quod eſt motus à Deo. Hominis quidẽ eſt præparare animum, Prouerb.16. quia hoc facit per liberum arbitrium, ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei mouentis, & ad ſe attrahentis. Homo igitur nullo modo poteſt ſurgere à peccato per ſeipſum ſine auxilio gratiæ. Hæc & id genus multa S. Tho. de gratia, ſine qua opera meritoria facere non poſſumus.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo ſexto iudicium.

QVi nolit nodum, quod dicitur, in ſcirpo quærere, ſed potiùs candidè iudicare, etiam in hoc ſexto Articulo in magnis ſudoribus inueniet methodum bonæ concordiæ. Iam autem ſæpè teſtati ſumus, nos nolle aduerſariorũ traducere antilogias, ſed multò magis examinare, quid hic, quid iam confiteantur. Confitẽtur itaque Chriſtianos debere bonos fructus fidei, quæ eſt per charitatem efficax, parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo facere, & hoc ideò, quia ſic ſit voluntas Dei, non vt per ea opera iuſtificationẽ mereamur, &c. Loquuntur autẽ aduerſarij de bonis operibus eorũ, qui iã iuſtificati ſunt, qui vtique ambulare debẽt vocatione ſua dignè, & meminiſſe ſe electos, antequã quicquam vel boni, vel mali operati ſint, ante mũdi conſtitutionem, vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu Dei. Cumque eſſemus mortui peccatis, & delictis noſtris, in quibus aliquando ambulauimus, ſecundum ſeculũ mundi huius, Deus, qui diues eſt miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſaluati ſumus: ſpe nimirũ: Spe enim ſalui facti *Rom 8.* ſumus, ſed re ipſa ſalui facti erimus, cùm Chriſtus vita noſtra apparuerit: ſi modò per bona opera vocationem noſtrã certam fecerimus. Præparauit enim Deus bona opera, vt in his ambulemus. Et voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra.

noſtra. Et voluntas Dei eſt, vt bene facientes obmuteſcere faciamus imprudẽtium hominum ignorantiam. Et Paulus ait: Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit volũtas Dei. Iam, opinor, etiã voluntas Dei eſt, vt beneſacientes, non dubitemus laborẽ noſtrũ fore non caſum, vt credamus etiã eũ, qui calicem aquæ frigidæ, pro Chriſti nomine expoſuerit, nõ perditurum mercedem ſuam: & vnũquemq; recepturũ mercedem ſecũdum ſuum laborem, quãdo vnuſquiſque cogetur ante tribunal Chriſti referre, quæ per corpꝰ ſuum geſſit. Pietas enim ad omnia valet, promiſsionẽ habens vitæ præſentis & futuræ. Sic enim Paulus Timoth. ſcripſit: Et volũtas Dei eſt, vt firmiter credamus, & confidamus omnia bona opera noſtra, quantũuis imperfecta deo per Chriſti fore gratiſsima, illũq; coronaturũ dona & opera ſua in nobis: quoniã ex nobis ipſis ſerui inutiles ſumus, nec ſufficimꝰ quicq̃ vel cogitare boni ex nobis tãquam ex nobis. Si ergò Aduerſarij intelligũt, hoc modo bona opera fieri propter volũtatem Dei, hoc eſt, quoniã ipſe velit, ac ſic fieri præcipiat & quod teſtetur ſe noſtra imperfectione nõ offendi, ſed eã potiùs gratis condonare, non quia filij Adã nati ſumus, ſed quia filij Dei regenerati ſumus: & q̃ illa opera magis ſpiritus ſancti, q̃ noſtra ſunt opera. Omnia enim ſanctorũ opera, ſicut Lutherus ipſe alibi docet, ſunt opera Chriſti, in eis regnãtis: Si eo inquã modo intelligũt bona opera propter, volũtatẽ Dei fieri, nihil repugnauerimus. Nec arbitror quẽquã tã ſtolidũ, qui dicere auſit, opera noſtra coram Deo, propter ſuam ipſorum bonitatẽ, & ex ſui natura accepta eſſe, nec ipſa egere miſericordia, & propitiatore Chriſto, quod ipſum tamẽ nõ veretur Apologia Scholaſticis impingere: nec tamẽ ex tãto Scholaſticorum numero vnicũ producere voluit, quẽ eius impietatis plærunq; inſimulat, vnde Philippus vanitatis ſuſpicionẽ vix effugere poteſt. Certè Thomas, Petrus, Richardus, Antiſiodoren. & alij innumeri lõgè melius ſuper hac re diſſeruerũt, quã vt tantæ impietatis ab aliquo inſimulari queant. Et qui differẽtiam meriti congrui, quæ vocant, & condigni poſuerunt, nõ omninò toto cœlo erraſſe putãdi ſunt: Hac ſiquidẽ partitione ſatis arguũt, vnde profluxus ille meritorũ ſit, quæ operibus & promiſſa ſunt, & ex pacto ſiue promiſsione debentur. Et multò magis reſpexerunt (de Scholaſticis loquimur) ad euentũ meritorũ, quam ad cauſam, vt ita loquar, meritorũ: hoc eſt, reſpexerunt magis ad promiſsionẽ, quam ad debitũ, vel valorem operum. Hoc ipſum, quod iam diximus, haud dubiè ſuboluit Philippo, cuius in Apologia hæc ſunt verba: Si diceremus, inquit, vitam æternam dici mercedem, quia debetur iuſtificatis propter promiſsionẽ, nihil abſurdi diceremus. Sũt enim ordinata inter ſe hæc dona, ſicut & Auguſt. dicit: Dona ſua Deus coronat in nobis. Sed ſcriptura vitã æternam vocat mercedem, nõ quia propter opera debeatur, ſed quia compenſet afflictiones & opera: etſi propter aliã cauſam contingit. Et cætera in hunc ſenſum Philippus, quibus paulò pòſt ſubijcit alia, q̃bus planè fatetur opera noſtra eſſe meritoria præmiorũ corporalium & ſpiritualium, quæ redduntur tùm in hac vita, tùm poſt hanc vitam. Hæc ille. Quis obſecro huic ſentẽtiæ hactenus repugnauit? facilè vinces aduerſarios, quos tales tibi finxeris. Loquimur & nos ex promiſsione Chriſti, cuius ſermones teſtãtur bonis operibus repoſitã eſſe mercedem. Niſi forſan aduerſarij contẽdendi libidine moti, agnoſcunt mercedẽ & meritũ, nolunt tamen vt hæc à nobis expectentur, aut illa à Deo requiramus. Sic enim in ſequentibus articulis agnoſcunt Diuorũ pro nobis interceſsionẽ, vt nihilo ſeciùs contra inuocationem rixẽtur quaſi ſcilicet nobis pudor ſit, aut piaculũ rogare à Diuis, quod his honos eſt, nobis præſtare. Sed hæc aliàs. Ad meritorũ diſputationem reuertimus. Legimus apud Apoſt. Stipendiũ peccati mors: gratia verò, vita ęterna. At apud eundẽ legimus, Certamẽ bonũ certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c. Legimus laborẽ noſtrum nõ fore inanẽ: Legimus Deum in promiſsis ſuis eſſe fidelem ac veracem. Sed hęc ad nauſeã vſque exaggerare quid opus eſt? Hactenus nos, quos Põtificios vocant, loquuti ſumus S. ſcripturæ verbis, & parænesſes ad bona opera, promiſsione meritorũ ac mercedis promiſſæ quaſi acuimus: & hoc ob negligentiores, qui ſpe mercedis alliciendi fuerant, ad dignã Chriſtianis cõuerſationẽ. Diximus cũ Azaria illo (in quẽ Spiritus ſanctus deſcenderat) ad noſtros ſpiritu Iſraelitas, quibus adhuc pugnandũ eſt. Vos ergò cõfortamini, & nõ diſſoluãtur manus veſtrę, erit enim merces operi veſtro. Statuimus in medio Chriſtũ ſeruatorẽ noſtrũ dicentem: Merces mea, mecũ eſt. Et: Venite ad me oẽs, q̃ laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Noſtræ ſentẽtiæ adſtipulatur & eadem docet Bucerus ex Chryſ. & Ambr. in Rom. 5. Et niſi me fallũt omnia, talibus exhortationibus plꝰ pfecimus, q̃ Lutherus ſuis cõſuetis & impijs hyperbolis, vt hæc eſt in Ionã ſuũ, cap. 1. Exẽplum, inquit, habemus in Iona, vt rectè diſcamus vim miſericordiæ, & gratiæ Dei, ne noſtris meritis fidamꝰ, aut demeritis terreamur & ſciamus neque in peccatis nos dãnari, neq; bonis operibus ſaluari. Et in eiſdẽ cõmentarijs idem dicit: Opera noſtra nihil ſunt, nihil valẽt coram Deo, ſed Deus vult vt credamus ſola miſericordia & gratuita bonitate, abſ-

Deus ſua dona & opera ſua coronat.

2. Tim. 4.

Matt. 11.

Pag. 239.

que meritis & operibus noſtris nos ſaluari & iuſtificari. Hactenus Lutherus, verbis, noſtro quidem ſeculo, ſatis blandiuſculis. His ſubijciemus Catholicum antidotum ex D. Hilario, qui inter alia in Pſal. 142. ſcribit: Habet hoc quidem iuſtitia verecundiæ, vt quicquid aliud ſibi beatitudinis ſperat, id pro magnificentia Dei potiùs, quia Deo beata, & æterna, & bona tribuere ſit dignum, quam pro merito ſuo poſtulet: ſed tamen præferens honorẽ & miſericordiam Dei, merendi quoq; id per ſe nõ excluſit officiũ. Nam cùm viuificandus ſit (Propheta) viuificandus tamen eſt in ęquitate: quia æquum ſit, vitam retribui ſtipendijs ſanctitatis. Hactenus ille. Et quidem in ſuperioribus dixerat: Cõpetens illa humanæ verecundiæ profeſsio eſt, vt quod per ſpiritum Dei in terram rectam deducendus ſit, id nõ meriti ſui eſſe arroget, neq; per ſatisfactionẽ pij obſequij id ſibi poſtulet, &c. Tamẽ poſteà docet etiam vitam æternam meritis noſtris dari, & hoc ideò, quia miſericordia domini non ſit indiſcreti vel cõfuſi iudicij, &c. Et in Pſal. 129. idem Hilarius ſcribit: Ille quidem (Propheta) vt perſectus operarius à cuſtodia matutina, vſque ad noctem ſperauit. Sed ad ſpem omne tẽpus eſt liberum, & mercedem non operis, ſed miſericordię, vndecimę horę operarij cõſequentur. Hæc quidẽ ille, qui ex Catholicis nõ habet vllũ contradictorẽ. Quis enim nõ videt, q̃ prudenter, q̃ piè, quã omnia in loco? Sic prędicat miſericordiã, vt neminẽ ad torporem deijciat: Sic prædicat meritũ, vt neminem ad arrogantiam ſtimulet. Et hæc quidẽ ſufficere poſſent, ꝓ examinatione huiꝰ articuli. Verũ Apologia nuſquã non traducit diligentes potiùs & ſtudioſos, quàm curioſos Scholaſticos, videor mihi operępretiũ facturus, ſi horum appoſuero ſententiã de meritis quam nec impiè, nec temerè tractauerunt in ſcholis ſuis. Meritum ſicut etiã ſuprà admonuimus, Scholaſtici ſecant in meritũ cõgrui, & in meritũ condigni. Meritũ condigni illis vocatur actus à voluntate elicitus ad pręmiũ alicui, ſecundũ debitum iuſtitiæ retribuendum. Cõſiſtit autẽ iuſtitia illa in quadã proportione meriti ad præmiũ, & æqualitate, vel ex natura ipſius, vel ex ordinatione, vel ex pacto & conuentione. Meritũ autem de congruo, eſt actus liberè elicitus, acceptatus ad aliquid retribuendũ non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſola acceptãtis liberalitate. Hactenꝰ illi apud Petrũ Lombardũ, lib. 1. diſt. 17. quæſtione 3. & lib. 2. diſt. 27. quæſt. 3. In his quid impietatis ſit, aut diſpereã, non video: maximè cùm illi vbique arguant, & teſtentur dignitatem operum, aut horũ meritum non pendere ex interna, & naturali bonitate, ſed ex gratia cooperante, & gratuita acceptione diuina (Sic enim Scholaſtici loquuntur) qua ab æterno

Quid meritũ condigni.

Quid meritũ congrui.

voluit, actum ſic elicitum, dignum eſſe tali præmio. Et ad hoc allegant D. Auguſtinum ſic dicentem: Cùm coronat Deus merita noſtra, nihil aliud coronat, quam dona ſua. Quæ autem in ſacris literis contradicere videntur præmiſsis, ſatis grauiter & eruditè diſſoluũt ac diluunt. Scripturas illas putà, quæ meritis in ſpeciẽ pugnare vidẽtur: Nõ ſunt condignę paſsiones huius tẽporis &c. Quaſi pãnus mẽſtruatæ, omnes iuſtitiæ noſtræ. Cum feceritis omnia, &c. dicite ſerui inutiles ſumus. Has, inquam, & ſimiles ſcripturæ ſententias docent intelligendas cõtra dignitatem operũ, quantum ad ſeipſa, nõ quantũ ad pactum & acceptionem Dei. Et hucuſque Scholaſtici. Quod ſi alicuius animum libido inceſsit cornicum, quod dicitur, oculos configere, ſuo relinquitur iudicio. Addo, Obſcurum non eſſe, quod noſtri multis in locis publicè & ſcripſerint, & verbo docuerunt, quis debeat eſſe pręcipuus operariorũ ſcopus: ita ſcilicet, vt noſtra opera potiùs gratiarũ actio, quàm quædam inter Deum & homines commutatio dicenda ſint. An ne vnquã auditũ eſt à noſtris, Deũ diligẽdum eſſe propter ſemetipſum, proximũ verò propter Deum? Huic adiecta illa partitio etiam de timore caſto & ſeruili, quã D. Aug. non ſemel tãtum ſuis popularibus ſermonibus, & tractantibus immiſcet. Diximus cum Nazianzeno illo Antiſtite, Operare bonum, quoniam bonum eſt patri obedire: nam hoc ipſum merces tibi erit, vt patri gratificeris. Et ibid. Propter bona opera tibi haud applaude nec immoderatè attollaris, &c. Et ſermo ille B. Bernardi de Annũciatione B. Mariæ virginis in omniũ manibus verſatur, in quo multa præclara de bonis operibus, & eorũ meritis. Nos paucula quædã excerpere iuuat. Neceſſe eſt, inquit, primò omnium credere, quod remiſsionẽ peccatorum habere nõ poſsis, niſi ꝑ indulgentiam Dei: deinde, ꝙ nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe: poſtremò quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa, &c. Et paulò pòſt: De operibus verò bonis certum eſt omninò, quod nemo hæc habeat à ſemetipſo. Nam ſi ſtare non potuit natura adhuc integra, quantò minus poterit per ſeipſam reſurgere iam corrupta? Et rurſum: Neque talia ſunt hominũ merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deꝰ iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret, &c. Sed hæc ſuffecerint, quę etiã ſatis teſtãtur, quænam fuerit hactenus doctrina in Eccleſia noſtra Catholica de bonis operibus, & horũ meritis, vt non neceſſe fuerit Philippũ plauſtra conuiciorum in vniuerſam iacere Eccleſiam. Nota etiam eſt ſentẽtia D. Chryſ. dicẽtis Sanctorum animæ in Deo, qui dedit, magis quã de donis gaudent. Nõ enim ipſum ꝓpter

Ad Sixtum epiſt. 105. Vide Aug. in Pſalm 100. & in Ioan. tract. 3.

Orat. 8 ...

Homil. 7.

ipſius dona, ſed hæc propter illum diligunr. Et ibidem. Si quid boni ſecerimus, non gaudeamus propter regna cœlorum, ſed quoniã rem, cœlorum Regi gratã, geſsimus. Et alibi: Maior erit merces, ſi bonũ nõ ſpe præmij ſeceris. Quid enim opus eſt de mercede verba facere, pręmiumque operis curioſe ſpectare? Mercenarij magis eſt hoc, quàm grati & ingenui ſamuli. Oportebat enim omnia propter Chriſtum facere, nõ propter mercedẽ. Vide, ô bone, qualis ab initio, & in hunc vſq; fuerit Eccleſiæ doctrina, & deſine poſthac nouis illis Apoſtolis tã temerè credere, maximè cùm de ſua doctrina tã vanè gloriẽtur, & Eccleſiæ noſtræ doctrinam tam crudeliter inſectãtur. Sed quid tandẽ dicemus? Quid opus eſt lõga diſputatione in re luce clariore? Apologia ipſa ſatetur, (id quod & paulò antè attigimꝰ,) opera noſtra bona, verè eſſe meritoria, tum corporalium, tùm ſpiritualium pręmiorum, quę redduntur tũ in hac vita, tũ poſt hanc vitam: & tamẽ ea ipſa negat mereri remiſsionẽ peccatorum, qua ſola accepta, nõ poteſt non patere aditus ad vitam æternam. Et nihil, niſi nõ remiſſa peccata, nos vita æterna excludũt. Audire oportet ex Schola Philippi Sarceriũ

Luc 14. illũ, & videre vtrũ nobiſcũ ſentiat. Vitã æternã eſſe recompenſationem bonorum operũ, non ex proprio debito, ſed quia Chriſtus ꝓmiſit recõpenſationem miſericordiæ, & charitatis operibus. Hęc ille. Poſſem hic receptui canere, ꝙ quidẽ ad merita operũ attinet, niſi putarẽ etiam in rẽ noſtrã facere, ſi Butzerus hoc loco, hac de re audiatur. Bona opera cauſas eſſe beneficiorum Dei, cũ id paſsim Deus in ſcripturis teſtetur: nõ poteſt ambigi. Et iterum: Scriptura nuſquam nõ bonis operibus mercedẽ promittit. Et paulò pòſt: Omninò igitur probè facta cauſæ ſunt, vt Deus nobis beneſaciat, ſed non primæ, nec per ſe, verùm ſecundariæ, & id etiam ex vltronea beneuolentia Dei. Et rurſum idem: Proinde indubitatum fuerit, inquit, apud Sanctos, quæ piè, recteque ſaciunt homines, cauſas eſſe cur illis Deus, præterea beneficia ſua conſerat, meritaque rectè vocari, ita vt merces vocatur id, ꝙ Deus illis rependit, &c. Et hactenus quidẽ ille, qui ſi benè dicit, vt certè non malè dicit, hoc maximè in loco, nõ video qui poſsit quiſquã Scholaſticos alicuius impietatis inſimulare.

Prima ſecundæ 114. Et D. Thomas Aquinas, (quẽ penè prætermieram) ſatetur totum ꝙ eſt hominis bonũ, eſſe à Deo, nec poſſe illum mereri quicquã vltra id, ꝙ Deus ex vltronea bonitate per ſe decreuit bonis operibus rependere, ad quæ tãtùm ipſe nos excitat & mouet, eaque perficit, &c. Hæc Thomę ſententia ſic placuit Butzero, vt eam ipſam reſponſioni ſuæ ad Epiſcopum Abrîmen. inſeruerit. Hęc igitur ſunt, quę habuimꝰ ſuper Sexto hoc Cõfeſsionis Articulo.

Alfonſi Virueſii Philippicæ, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, & Octaua, ſuper Articulis quarto, quinto & ſexto.

QVartum, quintum & ſexum Articulos Cõfeſsionis veſtrę Philippus ſimul colligit in Apologia, quibus addere poſſet & vigeſimum, quoniam eandem rem continet, nempe iuſtificationis noſtræ cauſas & originem. In illorũ expoſitione multa dicit, quæ nobis magnoperè probantur, verùm ne quis illud obijceret, οὐδὲν πρὸς ἔπος, vetus ꝓuerbiũ Scholaſticos theologos fingit neſcire, quid ſit fides, quid iuſtitia, quid meritum, quid gratia, & cætera id genus: fingit neſcire, quibus operibus obtemperetur legi, ſed exiſtimare ſola externa operatione, quicquid in lege ꝑſcriptum, effici. Fingit illos credere, quod ꝓprijs viribus ſine gratia poſsint Deum ſuper omnia diligere: fingit denique iuſtitia rationis reputare ſe iuſtos ſine gratia coram Deo. *Aſſingit ſcholaſticis doctoribus falſa multa.* Vbi non poſſum mihi temperare, quin illum ſtomacho tantiſper commoto conueniam: Obſecro bone vir, qui fieri potuit, vt theologi, qui Confeſsionem expenderunt, iſta docerent aut crederẽt, cùm ſubſcripſerint duodenigeſimo articulo Cõfeſsionis, in quo dicitur, quòd humana voluntas nõ habeat vim ſine ſpiritu ſancto efficiendæ iuſtitiæ Dei, ſeu iuſtitiæ ſpiritualis? Fortè dices te per aduerſarios (hoc enim verbo vteris) intelligere, nõ tantùm illos, ſed & omnes gymnaſticos theologos. At vnde ſcis (rogo) quid gymnaſtici theologi credant? Ex illorum ſotaſſe libris. Atqui oportebat in re tanti momenti, illorũ etiam verba referri. Alioqui quis tibi, ſanus modò ſit, fidem adhibeat, nullis teſtibus, aut teſtimonijs tam ſacrilega crimina tuis fratribus impingenti? An ne dubitas illos, quales quales, Chriſtianos tamen eſſe, & euangeliũ, vt nunquam domi ſuæ legerint, in templis ſaltem audiuiſſe? Quod ſi audierunt, & Latinè vtcũque ſciunt, qui poſſunt ignorare multoties Chriſtum obiurgaſſe Phariſæos & ſcribas, quod ad externam duntaxat operũ perfectionem exiſtimarent ſe lege teneri? Fortaſſe tam ſtupidos illos facies, vt nec iſta vnquam audiuiſſe, vel ſi audierint, minimè intellexiſſe credas, quippe quibus deeſt ſpiritus ille Lutheri, ſine quo hactenus nemo intellexit ſcripturas. Attamen ſi ita eſt, qua de cauſa (vide vt te dictorum incõſtantia prodas) tantùm laboris inſumunt ad probandũ, quod illos fingis adſtruere, poſſe ſcilicet hominem ſolius naturæ viribus Deũ ſuper omnia diligere? Nã huiuſmodi dilectio eſt opus internum, nempe ſolius voluntatis, quæ eſt intimus animi effectus. Quid igitur opus eſt huiuſcemodi dilectione ijs, qui, vt tu dicis, exiſtimant ſe ad externa tãtùm & ciuilia opera

lege teneri? Vides, in quas te ſalebras ſcribẽdi præcipitatio & ignorantia eorum, de quibus diſſeris, conijciat. Nihil enim deterius ſuſpicari eſt animus, quanquam non video, qui potueris imprudẽtia labi, qui dicas te nõ temerè, ſed conſultò, & aliorum adhibito iudicio hanc Apologiam inſtituiſſe. Cæterùm Philippi lapſibus prætermiſsis, veſtram ô Germani, clamo, poſtulo, obſecrò, oro, ploro, atque imploro fidem, non leuiſsima de re, vt quondã ille, ſed vt in grauiſsima pietatis cauſa, & totius humanę ſalutis ſumma, vos ęquos & integros ac liberos præbeatis: memineritis antiquę veſtrę ingenuitatis, Chriſtianę libertatis, quam tantoperè prædicare ſoletis & extollere, in quã ſi vocauit vos Chriſtus, nolite fieri ſerui hominũ. Lutherus homo eſt, Philippus homo eſt, quandiu vos libertatis prætextu faſcinant, non dominum excutitis, ſed dominos mutatis. Quanquàm non illorum nunc agitur cauſa, ſed veritatis, quam ſolam regnare, vincere & triumphare de tenebrarum & erroris principe decet, qui mẽdax eſt, & pater mendacij, nec ille tantùm, ſed & omnis homo mendax. *Ioan 8.* Quamobrem quantũ authoritatis hominibus, quibus non eſt à Chriſto conceſſum, tribuitur, tantum diuinæ veritati decedit, quæ ſola nec falli poteſt nec fallere. Non tam auctoritas in diſputãdo, ait Cicero, quàm rationis momenta quærenda ſunt. Quòd ſi de rebus humanis ac cæteris Philoſophiæ placitis differenti nõ eſt maior habenda fides, quàm pondus argumẽtationis exegerit, quãtò minus fidendũ eſt homini de rebus diuinis differenti, niſi illius, de quo loquitur, nos coegerit teſtimonio? Deũ nemo vidit vnquam, ſed vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe annũciauit nobis. Et quemadmodum nemo ſcit hominum, quæ ſunt in homine, ita & quæ Dei ſunt, nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Applaudit interim (vt reor) Philippus, vt qui ſcripturæ ſacræ teſtimonijs, quibus vſus eſt, maximè fidat ad confirmandum hominem non operibus, ſed ſola fide iuſtificari. Hoc enim diſcriminis eſt inter Lutheranam & Catholicam ſententiam, quòd Lutherus & eius interpres Philippus ſola fide, nullis meritis, nullis operibus, hominem iuſtificari cõtendunt, hoc eſt, quòd habere fidem, eſt hominem eſſe iuſtum, & vita æterna dignum, adeoque bona opera ab hominibus quidem fieri iuſtis, nõ facere homines iuſtos, nullam iuſtitiæ eſſe partem, nullum ius homini ad felicitatẽ tribuere, vt quæ nullius ſint meriti apud Deũ, qui vt ſola fide iuſtificat ſine operibus, ita ſola gratia ſine meritis ſaluat credẽtem. *Lutherus & Philip. ſola fide, nullis meritis, nullis operibus, contendunt hominem iuſtificari.* Eccleſia verò fatetur nullis nos meritis aut operibus præcedentibus, quibus iuſtitiã meriti ſimus, iuſtificari: ſed ſolius eſſe fidei, iuſtificationem vt cauſam, vel tempore, vel natura præcedere: hominem verò non ſola fide iuſtum fieri, ſed etiam diuinæ legis obſeruatione, charitate præſertim, quæ vniuerſa bona opera gignit & cõplectitur, ita quòd iuſtitia hominis non ſola ſit fides, ſed etiam charitas, quam quidem iuſtitiã nemo poteſt vllis pręcedentibus operibus promereri, ſed gratis per Chriſtũ homini datur, tametſi cõtingat hominem ſe ad eius ſuſceptionẽ diſponere quibuſdam operibus præcedẽtibus, eiſdem tamen non ſine Chriſti gratia perpetratis, vt omnia demum referenda ſunt gratiæ, à qua habemus, quòd bonis operibus gloriam mereamur. *Eccleſiæ ſententia de iuſtificatione.* Hæc ſumma eſt totius cõtrouerſiæ, hæc totius diſputationis huius & aliquot ſequentium argumentum, in quo ſibi nõ diſceptare videtur Philippus, ſed triũphare, ita geſtit, effertur, extollitur, quòd loca quædã habeat pro ſua doctrina, quæ ſpecie prima verborum imperitos & ſcripturarum ſanctarum præcipuè rudes mouere poſsint ad exiſtimandum ſe ſola fide, quod carnales maximè cupiunt & libentiſsimè credũt, fore beatos. Sed priuſquàm ad huiuſmodi locorũ veram intelligentiam accedamus, fidei & operum diſcrimen vel perſunctoriè nobis eſt attingendum. *Fidei & operum diſcrimen. Fides interdum annumeratur operibus.* Fides interdum annumeratur operibus. Chriſtus exponens ꝙ præceperat: Operamini nõ cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternã, ait: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit. Vnde qui dicunt, nos non meritis noſtris aut operibus iuſtificari, ſed fide, mea quidem ſentẽtia, ſuas voces ignorant, niſi quatenus fidem ab operibus ſeparent, apertioribus verbis exponãt, quandoquidem fides ipſa, tametſi Dei nobis dono contingat, vt opus noſtrum eſt, ita meritum eſſe noſtrum negari nequit, niſi ab eo, qui omne prorſus meritum nobis ademerit. Quis autem adimat, niſi qui mercedẽ toties à Chriſto promiſſam, oſtentatam, oblatã non intellexerit? *Meritum noſtrum quæ merces.* Verùm non in hoc ſenſu nunc opus accipimus, niſi quatenus à fide diſtinguitur, ita vt idem ſit nobis fides, quod philoſophis eſt theoria, opus verò, quod illis eſt praxis: quarum altera eſt in intellectu, altera in affectu, nempe voluntate, cuius aut motu, aut imperio operamur. *Opus accipimus, quatenus à fide diſtinguitur. Philippus.* Nam ſi vtrunque (quod Philippus contendit) voluntati dederimus, intellectui, fide ſubtracta, quid supereſt, quo in huius mundi caligine illuſtretur, adeoque dirigatur & perficiatur? Qua de re inferius. Primo itaque & proprijſsime opus erit charitas, & poſt illam cæteræ affectiones, quæ obtẽperant charitati. *Charitas primò, & propriè, opus; & cæteræ affectiones quæ ei obtemperant.* Teſtãtur hoc Pauli verba dicentis: quoſdam, qui legem non habuerant, ipſos ſibi fuiſſe legem, oſtendentes opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Porrò legis opus charitas eſt, vt & finẽ eſſe legis alibi Paulus exponit: hæc cùm verè ineſt, opere in

eſſe

eſſe dicitur. Diligamus, inquit Ioannes Apoſtolus, non verbo & lingua, ſed opere & veritate. Eſt tertium genus bonorum operum, nam de illis duntaxat loquimur, quę prorſus opera ſunt externa, vt ieiunium, vt eleemoſyna, & cętera, quibus aut iuuamus proximum, aut carnis moderamur affectus, aut pietatē & obedientiam extima quapiam exercitatione præſtamus. Horum rectitudo à charitate pēdet, quam legis finē dicit Apoſtolus: finis verò in moralibus (quod ſapienter animaduerſum eſt à Philoſophis) eandem mouendi vim habet, quam principiū in naturalibus: vnde & charitas cæterorum omniū miniſterio vtitur, dùm iuſtificat, id quod inferiùs latius explicabitur.

Charitas iuſtificat.
Cauſa efficiens iuſtificationis noſtræ prima eſt Chriſtus.
Cauſæ ſecundariæ.
Quæritur hic de cauſa formali iuſtificationis.

Sanè quoties charitatem iuſtificare dicimus, haud eſt accipienda tanquā cauſa efficiens humanæ iuſtitię. Eſt enim Chriſtus cauſa prima efficiens. Et iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos. Sunt & cauſæ aliæ efficientes, ſed ſecundariæ, diuina gratia, & humana interdum voluntas, quibus, tametſi alia ratione, adijcienda ſunt ſacramenta. De nulla iſtarum cauſarum modò diſquirimus, ſed de cauſa formali, hoc eſt, de ea re, vel ijs rebus, quas dùm habemus, iuſti ſumus, quandiu non habemus, iniuſti. Sicut cùm quæritur, quid calefaciat, non adæquatè reſpondetur per cauſam efficientem, nempe ignem nam poſſunt & alia multa caleſacere, ſed per formalem, quæ eſt calor. Quo in genere quęſtionis hęc exempli gratia proponatur: Quid ſcilicet ſit illud, quo Paulus eſt homo. Verè reſpondebitur, humanitas, ſed non completè, ſupereſt enim adhuc quærendum, qua in re, aut quibus in rebus humanitatis ſita ſit ratio, huc enim ſpectabat prior quæſtio. Quòd ſi reſponderis, animalitate & rationalitate (nempe quòd homo animal ſit rationale) & verè & complete reſpondiſti, ſed penè ſuperfluum, nam ſatis erat dixiſſe rationalitate, quòd homo ratione differat à brutis, quibus cum habet commune eſſe animal, & rationalitas animalitatem præſupponit, ſine qua non poteſt eſſe, nec intelligi quidem. Ad eundem igitur modum cùm quæritur, quid ſit illud, quo Paulus eſt iuſtus, non ſatis eſt reſpondiſſe, iuſtitia. Eſt nanque vitioſa reſponſio, quæ ambiguitatis, qua quæſitum eſt, cauſas non tollit. Eſt ergò reſpondendum explicatione rerum, in quibus ſita eſt ipſa iuſtitia. Hæ ſunt fides & charitas, quas qui habet, iuſtus eſt, qui non habet, iniuſtus. Itaque fide & charitate, ſi dixeris, non modò perfectè reſpondiſti, ſed propemodùm ſuperfluè. Charitas enim eſt, non fides, qua iuſti differunt ab iniquis, quos ſæpè contingit habere fidem.

Non ſola fides iuſtificat.

Declarat hoc Paulus dicens: Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Charitas ergò fidem perficit, cui aduenit vt ſpecies generi, vt vita corpori, vt forma materię, aut ſi mauis, vltimæ diſpoſitioni. Idcircò non poteſt ſine illa, vel quæ illi ſuccedat euidenti cognitione inueniri, magis quàm rationalitas (quod modò diximus) ſine animalitate, aut vita ſine viuente.

Philippus.
Charitas & eius opera, præcipuè ac maximè hominem iuſtū efficiunt.
Loquitur Chriſtus de iuſtitia, quæ pertinet ad ingreſſum regni cælorū, & cæt.
Niſi abundauerit, & cæt.

Et quoniam nō de fide, ſed de charitate & eius operibus, quam Philippus à iuſtificatione ſecludit, propoſita eſt nobis difficultas, hoc illi damus, quòd fides iuſtificet, ſed non ſola: hoc verò, quòd charitas & eius opera, quibus lex adimpletur, ſi nō ſola, certè præcipuè ac maximè hominem iuſtum efficiat, imò ipſa ſit plena & perfecta iuſtitia, id ſupereſt nobis per ſacras literas adſtruendum. Niſi abundauerit (inquit Chriſtus) iuſtitia veſtra pluſquàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Hic non de ciuili, aut quauis alia iuſtitia incipit nos inſtruere, ſed de ea, quę pertinet ad ingreſſum regni cœlorum, cuius abundantiam non fidei, ſed legis operibus tribuit, modò legitimè ſeruentur: quod Scribarum & Phariſæorum hypocriſis nunquā eſt aſſequuta. Notus eſt locus & eius exēpla, quibus Chriſtus veram iuſtitiam exponit, & à Phariſaica diſcernit, ideò non eſt opus recēſeri prolixius. Addit tamen inferius: Attēdite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Quam iuſtitiam, in quies? Nempè eleemoſynas, ieiunia, preces, & id genus alia, quæ ibidem enumerantur.

Philippus.

Hanc tamen ideò noſtram appellari dicit Philippus, quod non ſit iuſtitia fidei, ſed legis, quam Apoſtolus nō probat. Quid ego audio? Apoſtolo Chriſti nō probatur, quod Chriſtus ipſe tantopere nobis commēdat, & cauet, vt legitimè fiat? Probantur (inquit) à Chriſto & eius apoſtolis bona opera, eſtq́; in illis ſita ratio quædā humanæ iuſtitię, quę tamen iuſtificare hominē non valet, ſed ſola fidei iuſtitia, de qua ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiā. Et illud: Iuſtus ex fide ſua viuit. Et illud Apoſtoli: Arbitramur hominē iuſtificari per fidem ſine operibus legis. *Rom. 4.* Cōgerant hic, ſi velint, totius ſcripturæ teſtimonia, quibus fidei iuſtitia tribuitur, nā de eis poſtea videbimus. Vtcunque tamen ſe habeat fides ad iuſtitiam id tamen ab illis quæro, ſitne fidei iuſtitia eadem ipſa, quam Chriſtus exigit Phariſaica ſuperiorē, pro qua regni cœlorū ingreſſum eſt pollicitus, an ab illa diuerſa? Quod ſi eādem eſſe dixerint, cùm hanc efficiant opera illa, quæ Chriſtus de eadem differens enumerauit, neceſſe eſt illos fateri, quod res eſt, hominem ſcilicet fide ſimul & operibus effici iuſtum, nec alterā ſine alteris ei ſufficere ad iuſtitiam. Si verò negēt, habeant illi ſibi ſua cōmenta iuſtitiæ, mihi ſufficit illa iuſtitia, pro

qua Chriſt⁹ Ieſus vitã promiſit æternã, & quã
iudicaturus exiget, cuius etiam deſertoribus
mortẽ cõminatur æternam. Si vis, inquit, ad
vitam Ingredi, ſerua mandata. Et alibi, enu-
meratis decalogi præceptis: Hoc fac, inquit,
& viues. Et pauperum pronunciat eſſe regnũ
cœlorum, in quod diuites difficilè ſint in-
greſſuri. Vnde oritur & illud: Facite vobis
amicos de mammona iniquitatis, vt cùm de-
feceritis in via, recipiant vos in æterna taber-
nacula. Alioqui nec fornicarij, nec idolis ſer-
uientes, neque adulteri, nec molles, nec maſ-
culorum concubitores, neque fures, neque
auari, neque ebrioſi, nec maledici, neque
rapaces, vt Apoſtolus ait, etiam ſi fidem ha-
buerint, qua montes transferant, regnũ Dei
non poſsidebunt. Huius rei cauſam prędixe-
rat, quod ſcilicet iniqui regnum Dei non ſint
Iniquitas. adepturi. Iniquitas eſt ergò legis tranſgreſ-
Aequitas. ſio, & eiuſdem obſeruatio æquitas. Iam æqui-
tatem quis vnquam ſegregauit à iuſtitia? De-
nique Hieremias Dei oculos apertos eſſe pro
dit ſuper omnes vias filiorum Adam, vt red-
dat vnicuique ſecundum vias ſuas, & ſecun-
dum fructum adinuentionum eius. Et Chri-
ſtum redditurum vnicuique ſecundum ope-
Matt. 25. ra ſua pronunciat Apoſtolus, quod idipſum
Chriſtus ipſe pollicitus fuerat. Adde, quod
iudicij formam & iudicandorum diſcrimen
exponens & merita, nunquam fidei, ſed ope-
rum ſemper meminit. Pro quibus, Venite,
inquit, benedicti patris mei, percipite regnũ,
quod paratum eſt vobis ab initio mũdi. Hos
eoſdem, quorum enumerauit operã (tam-
etſi non ſine fide, quam in pronominibus,
Mihi & Meis, ſignificaſſe videtur) iuſtos ap-
Iuſtitia Lu- pellat, dicens: Ibunt iuſti in vitam æternam.
theranorum. Eat ergo Lutherus, eat Philippus, & aliam ſi-
bi fingant iuſtitiam, ignauam, nulla exigen-
tem opera, nec ſetentem quidem præ zelo-
typia, nobis ſufficit illa, cuius commertio pro
paupertate regnum, pro luctu gaudium, pro
manſuetudine dominiũm, pro cordis mun-
ditia diuinam ſtuitionem, denique pro elee-
moſynis, ieiunijs, precibus, modò legitimè
fiant, pater meus, qui videt in abſcõdito, red-
Matt. 6. det mihi. Niſi fortè dubitamus de Chriſti
verbis, qui hæc omnia, quæ de ſcripturis ſan-
ctis protulimus, cùm frequenter alias, tum
Matthæi 5. & 6. cap. prodit & promittit. Agè
tamen, quo res faciliùs intelligi queat, iuſti-
tiam ipſam, de qua loquimur, certis limiti-
Iuſtitia Euan- bus diſſiniamus. Quid eſt euangelica iuſtitia,
gelica, nõ eſt niſi æqua proportio meritorum ad præmia?
mercenaria, Dicent hanc eſſe mercenariam, non liberam,
quæ non ex nec euangelio dignam iuſtitiam. Atqui mer-
mercede, ſed cenariam non faciunt opera nec merces, ſed
affectu operã- animus operantis, nec eſt à mercede prorſus
tis penſatur alienum, quod ipſi docent de fide, quæ vt
vel cenſetur. promiſsis innititur, ita rerum, quæ promiſſa
ſunt, auiditate & expectatione maximè Inci-
tatur. Sed bene ſe res habet, quod mercedis
affectus nunquam euangelio damnatur, quin
illum in nobis frequentiſsimis oſtentationi-
bus, pollicitationibus, & pactionibus identi-
dem excitat. Pactus eſt pater ille familias cũ
operarijs ſe, quod iuſtum foret, illis eſſe da-
turum. Et finito opere: Voca, inquit, opera-
rios, & redde illis mercedem. Rurſus dicent, *Merces.*
nullo modo poſſe inueniri adæquationẽ hu- *Obiectio.*
mani operis ad diuinam retributionem, cùm
finiti ad infinitũ nulla ſit proportio. Nos ve- *Solutio.*
rò haud ita cõferimus humana merita diui-
næ mercedi, vt opera noſtra per ſeſe cuiuſuis
põderis aut precij eſſe credam⁹, aut ſi ſunt, nõ
modò finiti, verũ & perexigui ſecimus: infini
tã autẽ vim quandã & efficaciã cõmunicatam
illis exiſtimamus à Chriſto, cui ſumus inſiti ꝑ
fidẽ, & à quo ꝑ charitatẽ tãdiu agimur, quãdiu
rectè quicquã operamur. Nec enim fidem ex- *Excludi à iu-*
cludimus à iuſtificatione, quemadmodũ illi *ſtificatione.*
charitatẽ & eius opera: ſed vtrique virtuti iu-
ſtitiam noſtrã acceptã ferimus, vt ſcriptura, ꝙ
nunc hac, nunc illa hominem iuſtificari pro-
nunciat, ſingulis ſuis locis veriſsima conſtet.
Vnde, ſicut ſuperius diximus, etiã ſi ethnicus
aut paganus quiſpiã eadem opera æque per-
fecta faceret, atq; fiunt ab egregijs fide & pie-
tate catholicis, haud propterea vita illi debe-
retur æterna, quæ tamen Chriſtiano, modò
fidei & charitati nõ deſit, iure conuentionis
euãgelicæ debetur. Siquidẽ bona opera ꝑter
hoc, quod à fide proficiſcuntur & charitate,
ſunt velut chirographum, ꝙ niſi fidei autho-
ritate firmetur, nullius eſt ponderis apud
Deũ, qui ſola gratuita ſponſione fide debitor
eandemq; ratam habet, Chriſti Ieſu nomine
per fidem intercedente, cuius meritis iuſtè
redditur, quicquid miſericorditer fuit ho-
mini promiſſum, vt miſericordiam & iudi-
cium ſimul cantare, non minus frequens ſit,
quàm familiare prophetis. Iuſtè, inquã, red-
ditur, ꝙ fuerat vltro promiſſum, ſi fidẽ & cha
ritatem habeas ergo promittentem, quia co- *1. Cor. 1.*
ronã vitæ promiſit Deus diligẽtibus ſe: & eſt
etiam inefficax ꝓmiſsio, niſi adſit in exigẽdo
cõditio, quæ interceſſerat in ꝓmittendo. Ita-
que quicquid in nomine Chriſti ꝑ fidẽ petie-
rimus, non niſi charitate intercedente ſumus
accepturi, quoniã fides per dilectionem, ait *Similitudo*
Paulus, operatur. Et ſi habuerimus fidẽ, qua *perpulchra &*
vel montes valeamus auellere, nihil nobis *accõmoda ad*
ſine charitate prodeſt. Iam quæ pronũciatur *exprimendã*
nihil ſine charitate prodeſſe, qui poterit ob- *vtcunq; ſpe-*
ſecro ſine illa iuſtificare? Quo res, per ſe qui- *ciem Chri-*
dem non admodũ difficilis, dilucidior fiat & *ſtianæ Rei-*
intellectu facilior, operæ preciũ erit ſimilitu- *pub. &c.*
dinẽ afferre nõ prorſus ineptã. Fingamus eſſe *& ad oſten-*
regnum aliquod, cuius princeps gratuito lar *dendum fidẽ*
giatur vniuerſa ciuiũ vſib⁹ neceſſaria, ita tamẽ *inutilem eſſe*
ſine operibus
&c.

vt

vt ne ciues ſegnitie torpeſcant, non eis arma, ſed ferrum aut calybem, non panes, ſed frumentum, non denique pecunias, ſed æs dun taxat, ex quo poſſint fieri, donet: ita vt nó minus prouidus ſit in ſuis ciuibus omnium rerum commertio & ſedulitate exercendis, quàm munificus in ditandis. Hinc ſi fruſtulũ æris mercatori pro re quapiam, quæ in eius taberna proſtet venalis, obtuleris, iura te derideat, atque reſpondeat, ſuas merces non lapidibus aut metallo venire, ſed pecunijs: quod ſi tantundem æris principis ſigillo publico percuſſum produxeris, faciet tibi pro rata collatione valoris, mercandi copiam, quicquid volueris. Nihil eſt in rebus humanis, quod diuinas vſquequaque poſſit imitari, & ad exemplar, quod aiunt, exprimere: quando nec mente quidem eas homo valet, quandiu mortalis eſt, aſſequi: tantùm abeſt, vt vllis aut verbis aut rerum ſimilitudinibus queant explicari. In hac tamen, quam modo deſcripſimus, ſimilitudine, relucet vtcunque ſpecies quædam Chriſtianæ Reip. cuius caput & princeps eſt Chriſtus, qui dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem, vt Paulus ait, prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, ſecundum cuius menſuram vnicuiq; noſtrum data eſt gratia. Hanc oportet non ineſſe nobis rudem & inertẽ, ſed ſedulam & officioſam, quo poſſimus eiuſdem Pauli verba dicere: *1. Cor. 15.* Gratia Dei ſum id, quod ſum, gratia tamen eius in me vacua non fuit. Alioqui princeps ille paterfamilias, qui ſuos domeſticos non fert, nec ſocordia, nec ſegnitie torpere, cum vſuris exiget, quod in eccleſiæ vſus & commertia diſtribuerat. Nam ſeruus deſidioſus & iners audit: Serue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam? Quantum ergò, vt ſimilitudinis vim oſtendamus, diſcriminis eſt in humana Repub. inter informem materiam, vilem alioqui, & eãdem in nũmos conflatam, tantùm in Chriſtiana hierarchia intereſt inter opera illa, quę mortaliter bona dicuntur, & eadem fidei & gratiæ charactere ſignata. Illa princeps non agnoſcit, nec eius promi: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Hæc verò probat, & eorum quoque commertio ampliora promittit: quoniam qui fidelis eſt in modico, ſu- *Mat. 25.* pra multa conſtituitur. Adde etiam, ſi vis, in collatione, quod ſicut in humana Rep. nihil tibi prodeſſet principis ſigillũ per tabernas oſtentando circunferre abſque metallo, cui impreſſum efficit nũmos, nec ſi metallum ſine principis charactere oſtentes, quicquam proficias: ita in Chriſti hierarchia æque propemodũ inutilis eſt fides ſine operibus, atq; opera ſine fide. Vtraque vero ſimul precioſi numiſmatis inſtar habent, quo euãgelica nobis cõparãda eſt margarita, hoc eſt, æterna felicitas, cuius cõmertio Chriſtus ſimile prædicat regnum cœlorum. Et in Apocalypſi ſuadet nobis emere ab eo aurum ignitũ, quod eſt diuinæ fruitionis amore flagrantem ſapiẽtiam, qualis in æterna felicitate poſſidetur à iuſtis, operibus & fide mereri. In huiuſmodi commertio ſita eſt ratio iuſtitiæ noſtræ, quæ Dei miſericordiã minimè ſecludit, quinimo eidẽ prorſus innititur, & in ea perpetuò verſatur, quippe quod fateamur, Dei eſſe gratuita munera bona quæcunque, ſiue naturę ſint, ſiue gratiæ quæ poſſidet homo, quibus ſi legitimè fuerit vſus, & etiam munus hoc DEI eſſe crediderit, ampliora ſibi multò compara bit. Nam exiguis bonis, cuiuſmodi ſunt quan tumuis perfecta noſtra opera, ingentia mere bitur præmia, atque adeò re ipſa verum experietur eſſe, quod de Chriſtiana iuſtitia propoſuimus, quod ſcilicet non à ſola fide, aut à ſolis operibus pẽdeat, ſed ab vtriſq; per Chriſtum Ieſum, cuius & pollicitis fidimus credẽtes, & meritis innitimur operantes, vt miſericordiam illi & iudicium (quod ait Propheta) cum peruenerit ad nos, in via immaculata cantare poſſimus. Porro ea, qua modo vſi ſumus, collatio (ne interim Aduerſarij naſum adducto ſupercilio producant) haud omninò commẽtum eſt noſtrum, ſed robur & virtutem accipit à Chriſti parabolis & doctrina, qui decem milium talentorum debitorem facit eum, qui decalogum fuerat peccando tranſgreſſus. Et numiſmatis ſymbolo vtens, admonet reddenda eſſe, quæ ſunt Cęſaris, Cęſari, & quæ ſunt Dei, Deo: Hoc eſt, vtrique iuxta ſui characteris notam pendẽdum eſſe tributum. Quingentorum præterea denariorũ debito plura, quinquaginta verò pauciora peccata Lucas ſignificauit. Cum itaque quas res iuſtitiam ſeruãdo perficimus, earundem debitores tranſgregiendo fiamus, apparet iuſtitiam noſtrã hoc eſſe, vt per bona opera inſcripta fide, charitate ſignata, mercedem cõparemus illam, quam CHRISTVS ſtrenuè pietatem colentibus pollicetur dicens: Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Cuius obſecro rei merces? Non ſ:dei tantùm, ſed paupertatis, manſuetudinis, luctus, piæ æmulationis, miſericordiæ, puritatis, patientiæ, & quæ omnia complectitur charitas. Nam charitas patiens eſt, benigna, modeſta, comis, cæteraque omnia (vt eſt in Galatis Pauli videre) præſtãs, quibus demum enarratis Chriſtus copioſam pollicitus eſt mercedem. Quod ſi Aduer-

Iuſtitia noſtra tamen non maximè miſericordia Dei.

Probat ſimilitudinem ſuã ſcripturis.

Iuſtitia noſtra.

ſarij hanc iuſtitiam, quod commutatoria videatur & mercenaria, omninò non probat, proſerant nobis aliam, quæ citra bonorum laborem poſſit homini contingere. Iuſtitia fidei nos obtundent? Atqui nos fidem à iuſtitia non excludimus, ſed nomen iuſtitiæ, ſi non ſit prorſus inane, oportet vt paritatem quandam ſecum afferat, adæquationemq́ue rei alterius ad alteram ſignificet. Dicant igitur mihi, quæ ſint illa duo, quorum alterum iuſtitia coæquatur, vt iuſti fiamus, iuſtum vnà Deum erga nos ſentiamus. Satis ſcio, nihil eos poſſe proſerre, niſi meritum & præmiũ, quorum æquatio ſpecie quidem prima videtur iniqua (nempe quod meritum res humana ſit, adeoq; finita, præmium verò diuina & æterna) niſi merita noſtra infinitatem quãdam (vt paulò antè diximus) ſortirentur à Chriſto, cuius membra fide ſumus, in quo viuimus charitate, vt bonorum operum ſructus, non iam palmitis expendantur menſura, ſed vitis æſtimentur immenſitate. Qui manet in me & ego in eo, ait CHRISTVS, hic ſert ſructum multum. Hoc (dicendum eſt enim ſæpius, quod ſubinde negatur) non ſola fides nobis præſtat, ſed etiam charitas. Quoniam qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Fortaſsè tamen Philippus, vt eſt cæteris acutior, commertij iuſtitiam; quod politica videatur & ciuilis, diuturna contentione pertæſus, alteram nobis proponet, qua non merita noſtra, quæ nulla eſſe vult, ad præmium, ſed mens ipſa referatur ad Deum, ſitq́ue in hac relatione iuſtitiæ adæquatio quædam quaſi continentis ad cõtentum. In hoc enim, vt Auguſtinus ait, homo ſactus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, vt eius capax ſit, & particeps eſſe poſſit. Hæc eſt originalis iuſtitia, inquiet, quam primorum parentum ſcelere amiſſam, Chriſtus nobis demum vſqueadeò perſectè reſtituit, vt non modò adæquatio fiat animæ ad Chriſtum, verùm & intima vnio, ac penè dixerim, identitas: quoniam qui adhæret domino, vnus ſpiritus eſt: Hanc adhæſionem, ſecundum quam, vt idem Apoſtolus ait, in eandem imaginem transſormamur à claritate in claritatem, tanquàm à domini ſpiritu, ſola fide Philippus fieri contendet, vel propter Apoſtoli verba, quibus dicit CHRISTVM habitare per fidem in cordibus noſtris. Cæterùm, vt donemus ei hanc eſſe iuſtitiam, qua animus vt habitaculum Deo tanquàm habitatori conſertur, qui probat illi alteri collationi, quam inter humana òpera & diuinam eſſe mercedem oſtendimus, non ineſſe iuſtitiam cùm illam tam multis ſanctarum ſcripturarum locis adſtruxerimus? Sit præterea illa Dei capacitas & adhæſio, noſtra omninò iuſtitia, nulla ſanè alia, ſi vult, iuſti fiamus: num ſtatim dabimus ei, hanc à ſola fide pendere, nec vllo prorſus modo illi opus eſſe charitate? Prædicat Paulus habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Nũ per ſolam fidem? Mihi ita videtur, inquies. Atqui Ioannes ex aduerſo prædicat habitare per charitatem. Si diligimus inuicem, Deus, inquit, in nobis manet, & charitas eius in nobis perſecta eſt. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, & cæt. Quid ergò dicemus, pugnant aduerſum ſe inuicem Paulus & Ioannes? Pugnant omninò, ſi per excluſionem illos exponas. Sed ſi Paulus non excludat charitatem ab animo, quem Chriſtus inhabitat, nec Ioannes fidem, idem prorſus vterque ſentit, idem prædicat, idem docet, nempe ad hoc, vt Chriſtus humanam habitet mentem, opus eſſe fide & charitate, atque adeò ſi hæc inhabitatio iuſtificatio noſtra eſt, neutram ſine altera poſſe iuſtificare. Quid quod Philippus nihil horum, etiamſi maximè velit, inficiari valet, niſi penitùs ſibi contradicat? Verba enim eius ſic habent: Porrò iuſtitia in ſcripturis continet non tantùm ſecundam tabulam decalogi, ſed primam quoque, quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Et paulò infra: Id teſtatur, inquit, ſcriptura, cùm dicit hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum. Quod quid eſt aliud, niſi in homine hanc ſapientiam & iuſtitiam effigiatam eſſe, quæ Deum apprehenderet, & cæt. Hic iuſtitiam; quam imaginis propemodum amiſſæ reſtitutionem eſſe, veriſſimè docet, non tantùm ad fidem retulit, ſed ad cætera etiam pietatis & iuſtitiæ opera, quæ vtraque legis tabula præcipiuntur, quorum amorem, Dei timorem, & fiduciam diſertè nominat. Quo magis admiror, cùm ſemel in hanc veritatem inciderit, ſiue eam diſputanti, & per varia ſcripturarum loca diſcurrenti, res ipſa ſuggeſſerit: qui potuerit adduci, vt ſi non ſententiæ varietate, ſpecie ſaltem verborum & contentionis libidine ab illa receſſerit. Defendit enim mordicùs, & pedibus manibusque conatur, confirmare Lutheri dogma, quo nos ſola fide iuſtificari comminiſcitur, ita vt non ſemel charitatem diſertè ac ſuo nomine à iuſtificatione ſecluſerit. Quòd ſi iuſtitia noſtra DEI quodam modo complexus eſt & apprehenſio, vt Philippus modò ſignificauit, qua apprehenſione mens vnita Deo, immanensq́ue illi & eundem manentem in ſe habens, configuratur ei, & in priſtinam imaginis dignitatem reſtituitur, qua fronte negabit hanc iuſtitiam, charitate maximè fieri, cùm præter legis tabulas, quas ipſe pro veritate produxit,

Chriſtus

Marginal notes: Iuſtitia nomen. — Io. 15. — 1. Ioan. 4. — 1. Cor. 6. — Chriſtus habitat nobis per fidem & charitatem. — Philippi verba — Iuſtitia noſtra ſecundũ Philippum.

Ioan.14. Chriſtus Ieſus dicat : Si quis diligit me, ſer-
monem meum ſeruabit, & pater meus dili-
get eum , & ad eum veniemus , & manſio-
nem apud eum faciemus? Vides vt ſimilitu-
dinis ratio, quam inter contentum ,& eum
qui continet, neceſſe eſt intercedere, fide in-
Iuſtificari, et peccata remitti, idem ſunt. choata charitate perficiatur , quæ verè ho-
minem iuſtificat, hoc eſt, Deo , cuius partici-
pationi cõditus eſt, quodammodo coæquat,
ita vt Ioannes apoſtolus fidentiſſimè prædi-
cet, quod qui manet in charitate, in Deo ma-
net & Deus in eo. Philippus cum iuſtificatio-
nis nomine parum ſibi conſtare , & à ſeipſo
vinci ſibi videatur , ſpecialem facit diffi-
cultatem de peccatorum remiſſione , di-
cens non poſſe nobis operibus noſtris con-
tingere, ſed fide. Veruntamen hæc difficul-
tas non indiget, opinor, noua lucubratione,
cum remitti nobis peccata nihil aliud ſit , at-
que iuſtificari , ideoq́ue eiſdem omninò re-
bus, & iuſtitiam CHRISTI induimus, &
noſtras iniquitates exuimus : quemadmo-
dum eadem qualitate & eiſdem principijs
naturalibus illam gignentibus, & frigus re-
mittitur, & augeſcit calor. Niſi fortè nouo
commento velit Philippus eſſe medium ali-
quem hominis ſtatum, in quo nec iuſtus ſit
nec iniuſtus . Sed nihil eſt, quod minus il-
lum dicturum exiſtimem . Scit enim ſemel
nos ex iniuſtis effici iuſtos, quemadmodum
& aer eadem alteratione , qua lumen reci-
pit, tenebras deponit . Fit igitur homo iu-
ſtus ex iniuſto , atque adeò eiſdem rebus,
quibus iniquitatem depellit , iuſtitia do-
natur , nempe fide & charitate, vt non ſit
opus , iuſtificatione expoſita, remiſſionis
peccatorum demum cauſas inquirere .
Quod idipſum, etſi perſpicuis hactenus de-
monſtratum eſt teſtimonijs, aliud tamen a-
pertiſſimum non grauabor adijcere . Ver-
Luc.7. ba ſunt Chriſti Ieſu de peccatrice fœmina
iam iuſtificata: Dimiſſa ſunt ei peccata mul-
ta, quoniam dilexit multum. Quo in loco
non fide tantùm, ſed dilectione, quæ opus
eſt, & cæterorum omnium operum prin-
ceps, huic fœminæ ſunt dimiſſa peccata: nec
intima tantum dilectione hunc ſibi fauorem
promeruit , verùm & alijs quibuſdam, tum
internis, tum externis operibus . Nam fle-
uit primum , ſciens quod cor contritum &
humiliatum Deus non deſpiciet: procidit ad
CHRISTI pedes , extimè profeſſa pudo-
ris affectum, quem intimè ſentiebat , nec ta-
Luc.12. men animum in tam ingentis anguſtiæ acer-
bitate deſpondit , ſed fiducia diuinæ man-
ſuetudinis, cuius ſpecimen multis argumen-
Rom.6. tis dederat Chriſtus , à tanti mœroris con-
ſternatione excepta, auſa eſt Ieſu pedes attin-
gere, profluuio lachrymarũ abluere, abſter-
gere capillitio, & vnguento fouere. Inuaſe-
rat nimirum fortiſſimus ille gigas volunta-
tis arcem , quæ cæteris affectionibus celſior
eminet, atque adeò imperat , & iam vniuerſa
hoſtis vaſa abducebantur in prædam: vt quẽ-
admodum ſerui erant iniquitati ad iniquita-
tem , de cætero iuſtitiæ ad ſanctificationem
inſeruirent. Quod etſi infirmum adhuc A-
poſtolus cenſeat, & quaſi euangelici roboris
inchoationem: gradum tamen huic feliciſſi-
mæ fecit peccatrici ad omnium delictorum
veniam promerendam , quam ſimulatque
diligere incepit, cœpit etiam poſſidere. Non
ergò ſine fide dimittuntur peccata, quando-
quidem fides tua te ſaluam fecit , demum
Chriſtus mulieri dixit . Verùm nec ſola di-
mittuntur fide , quinimò tota dimittendi
ratio confertur in charitatem , quod ipſa
verborum CHRISTI phraſis & ordo, et-
iamſi aduertere nolis, oſtentat. Accuſanti
enim Phariſæo, quod à peccatrice ſe patere-
tur attingi : Quinimò non iam peccatrix
eſt , cui peccatorum debitum condonatur
(ait Chriſtus) idq́ue non leui diuinæ ſenten-
tiæ mutatione, ſed grauiſſimis cauſis, nempè
pudore, lachrymis, obſequio, & quæ om-
nium maxima eſt, dilectione. Nam dimiſſa
ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit mul-
tum.

*Philippica V. De Philippi rationibus pro ſo-
lius fidei iuſtificatione.*

NON vos exiſtimo viri Germani, tam
præfractis ad reſiſtendum veritati eſſe
mentibus, quin animos veſtros, quas
attulimus ex ſacris literis, rationes commo-
uerint. Sed obſtabunt interim aliæ validio-
res, vt vobis videntur, à Luthero, cæteriſ-
q́ue complicibus eius , ac nunc demum à
Philippo luculentiùs inſtructæ, quibus ne-
ceſſe eſt, vt noſtra iam ſententia, tum expo-
ſita, tum confirmata, reſpondeamus. Qua in
re haud opinor illum vſqueadeò eſſe moro-
ſum, vt hic velit inutiles quæſtiones ingere-
re , quibus diſquiritur , præcedátne chari-
tas peccatorum remiſſionem , an remiſſio
peccatorum charitatem præueniat? Nam ſi
propterea dixerit, peccata nobis non dile-
ctione & pietate remitti, quod dimiſſio na-
turæ ſaltem ordine prior eſſe debeat chari-
tatis infuſione. Si hoc, inquam, dixerit, ob-
ijciam illi Lutheranæ fidei dogma, quo fides
nihilo magis poteſt remiſſionem peccato-
rum præcedere, quàm charitas. Cùm enim
iuxta Lutheri commentum nulla fides pec-
catum mortale vnà ſecum ineſſe animo fe-
rat, eodem Philippus argumento, quod de
charitate fecerit, cogetur ad confitendũ, non
poſſe nobis fide, quã peccatorũ remiſſio pręce-
dit, eadem peccata dimitti, niſi contrà, quã
ratio

ratio ipſa nos admonet, daremus cauſam, ſuo effectu eſſe poſteriorem. Philoſophorũ ſunt huiuſcemodi quæſtiones, qui ancipiti difficultate vrgentur ad diſquirendum, vtra ſit prior in generationibus, pręcedentis formę, quam vocant terminum à quo, deſtructio, an ſuccedentis introductio, quæ terminus ad quem appellatur. Nam ſi forma, quæ faceſſit, non corrumpitur formaliter niſi per ſucceſſuram, oportet hanc prius gigni quàm excludatur illa. Rurſum verò cũ hæc nõ poſſit, niſi inſit materiæ, ſubſiſtere, neceſſe eſt, quando vtranque materia (quod omnes philoſophi conſentiunt) haud capit, præcedentem prius corrumpi, quàm hæc inducatur. Philoſophorum, inquam, hæ ſunt anxietudines, & inextricabiles labyrinthi, quibus intellectum non tam illuminant, quàm tenebris offundunt. Philippus theologus eſt, haud ſanè de ſophiſtis vel triuialibus magiſtris noſtris,

Ironia.

quorum plenus eſt mundus, ſed de ijs, qui ab ipſo ſcripturarum ſanctarum aluco, non ab hominum ciſternis diſſipatis (quod ait Propheta) cœleſtis philoſophiæ oracula mundo propinant: idcircò ſophiſmata omnia miſſa facit, lucidiſſimè proponit, & perquàm ſolerter argumentatur.

Hiere. 2.

Philippi argumentum vel verba.

Imprudentiſſimè, inquit, ſcribitur ab aduerſarijs, quod homines rei æternæ iræ, mereantur remiſſionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cum impoſſibile ſit diligere DEVM, niſi prius fide apprehendatur remiſſio peccatorum. Non enim poteſt cor, verè ſentiens Deum iraſci, diligere Deum, niſi oſtendatur placatus. Donec terret, & videtur nos abijcere in æternam mortem, non poteſt ſe erigere natura humana, vt diligat iratum, iudicantem & punientem. Facilè eſt ocioſis fingere iſta ſomnia de dilectione, quod reus peccati mortalis poſſit Deum diligere ſuper omnia, quia non ſentiunt, quid ſit ira aut iudicium Dei. At in agone conſcientiæ & in acie experitur conſcientia vanitatem illarum ſpeculationum philoſophicarum. Paulus ait: Lex iram operatur. Non dicit per legem mereri homines remiſſionem peccatorum. Lex enim ſemper accuſat conſcientias & perterrefacit. Non igitur iuſtificat, quia conſcientia perterrefacta lege, fugit iudicium Dei. Errant igitur, qui per legem, per opera ſua mereri ſe remiſſionem peccatorũ confidũt, &c. En doctoris veſtri verba Germani, quæ vt libere dicam, plus habẽt fumi quàm ignis, non enim cauſam elucidant, ſed magis confundunt & obſcurant: tentabo tamen vtcunque, quod dicere ille conatur, in lucem, quo poſſim illi reſpondere, proferre. Duo nobis, vt video, obijciuntur à Philippo, nam cætera quæ recenſuimus, quæque prætermiſimus, pleraque omnia, magnifica ſunt & ſpecioſa verba, quibus inſtar Helici ſententias inuoluit. Alterum ergò eorum, quæ damnat & arguit, eſt, quod aſſeramus hominem reum peccati mortalis Deum ſuper omnia poſſe diligere: alterum quod operibus legis exiſtimemus nos peccatorum mereri remiſſionem.

Dicit nos aſſerere, hominem reum peccati mortalis, Deum ſuper omnia diligere poſſe, quod tamen non probat.

Prius ſi negemus, oporteret illum nouam edere Apologiam, ad probandum hoc & id genus alia, quæ in hac tam facilè dicit, quam difficilè probaret. Neq; enim quod vnus aut alter theologus comminiſcitur, ſtatim eſt omnibus imputandum, aut catholicis omnibus, quaſi communis ſit omnium doctrina, obtrectandum. Quanquàm ſi de potentia abſolutè loquamur, nemini debet eſſe dubium, quin reus peccati mortalis poſſit Deum ſuper omnia diligere. Quid enim obſtat? Idipſum peccatum. At fac illum ita eſſe præteriti reum, vt tamen nunc demum non ſit actu peccans. Dices hoc eſſe impoſſibile. Quid ego audio? Nunquam poteſt non peccare, qui ſemel peccauit? Nunquam vacabit, nunquam ceſſabit, ſemper aliqnid faciet, & quodcunque fecerit, dixerit, cogitauerit, erit peccatum, etiam ſi cogitet ſe malè vixiſſe, atque ei eſſe de cætero aliter viuendum? Quid ſi comedat, cum ei maximè fuerit opus? Dices fortaſsis illum peccare, quòd abutatur Dei muneribus, alendo eum, qui indignus eſt vita, nedum victu. Sinat ergò ſe mori fame, ne comedendo peccet, licet enim omittere, quod committendo peccamus. Dices illum non peccare opere comedendo, ſed cogitatione, ad ea fortè attendendo, quæ nõ decet, vel omittendo cogitare, quæ debet. Atqui fieri poteſt, vt tanta illum fames vrgeat, atque adeò multum eſuriat, vt non poſſit tunc temporis, niſi de reficienda vita cogitare. Ad hunc modum poſſem de eleemoſynis quærere, quæ multi peccati mortalis rei liberaliter confetunt, ea tantùm ratione, vt ſubueniant indigenti, idque propter CHRISTVM, alioqui minimè daturi. Nunquid etiam in hoc peccant? Melius ergò erit, ab huiuſmodi operibus omninò ceſſare. Quis hoc dicat? Quis admittat hypotheſim, vnde hæc & id genus alia non ferenda colliguntur? Poteſt igitur reus peccati mortalis non peccare mortaliter: tum quid quæſo obſtat ei, quo minus poſſit Deum ſuper omnia diligere? Reatus ille peccati mortalis, qui quandiu peccatum à Deo nõ dimittitur, ſemper adeſt, etiam prętereunte peccato. Atqui reatus ille, & quicquid admiſſo peccato remanet in animo, aut habitus eſt, aut relatio, quæ nec agit quicquam, nec impedimento eſt agere molienti: habitus verò etſi impediat, & retardet ab operibus è regione diuerſis, non tam prorſus impedit, quin ſi maior conatus adhibeatur, contrarijs ope-

operibus reſiſtamus habitui. Habitus namq; habitui tantùm, actus verò actui repugnat. Quare nemini dubium eſſe debet, quin auarus poſſit vel ſemel, reluctãte etiam ingenio, liberaliter largiri, & ignauus fortiter dimicare, præſertim ſi adſit cauſa, quæ auaritiam pro tempore aut ignauiam ſuperet. Ecquænam cauſa, inquies, ineſſe queat homini peccatori, qua ſuperet habitum illum vincientẽ, eneruantem, & conſternantem voluntatem humanam, cum ne libera quidem & integra ſuis viribus poſſit Deum ſuper omnia diligere? Qua cauſa? Rectè interrogas. Gratia, haud illa ſane, quæ nos efficit gratos, ſed quæ gratis à Deo collata, adiuuat infirmitatem noſtram ad quædam opera, ad quæ vires humanæ nec integræ quidem valerent. An eſt qui neſciat, Chriſtianus modò ſit, duplicem eſſe gratiam: alteram gratum facientem, qua peccata nobis dimittuntur: alteram quam gratis datam appellamus? Harum prior amicitia quædam eſt, qua Deo reconciliamur, idcircò reatum peccati mortalis prorſus excludit ab anima: poſterior minimè, cum facultas tantùm ſit gratis homini collata, ad faciendum ea, quæ alioqui perfeciſſe nequiret: de qua gratia Apoſtolus haud infrequentius loquitur, quàm de priore. Iam quis dubitet, earum alteram ſine altera Deum nobis poſſe dare, cum poſteriorem ſine priore ſæpiſſimè dederit? Niſi fortè dicamus, poſſe Deum hominis peccato etiam immanẽtis, intellectum illuſtrare prophetico lumine, ad intuenda & contemplanda ea, quæ nunquã ſuis viribus attigiſſet, & non poſſe accendere voluntatem, ad amandum quæ ſuis viribus non potuiſſet amare. Imò ego credo, quoties peccator orat, ieiunat, indigentibus ſubuenit, aut quicquid huiuſcemodi facit, Chriſti gratiam illi adeſſe, non quæ Deo gratum omninò reddit, ſed quæ gratis duntaxat immerentem iuuet, & ad alteram, quæ verè gratia eſt, gradum illi faciat. Nemo enim poteſt dicere dominus Ieſus (vt Paulus ait) niſi in ſpiritu ſancto, hoc eſt, niſi inſit ei gratia hæc, de qua ibidem Apoſtolus diſſerit. Poſſet ergò diligere DEVM eadem, velit tantummodò CHRISTVS, quæ deſunt, vires animo ſuppeditare: quando nihil aliud obſtat, quibus Deum ſuper omnia diligat. An quia non fit, negabimus fieri poſſe? philoſophica ſunt hæc, quæ de potentia ſiue Dei, ſiue noſtra nunquam ad actum proceſſura diſputamus, & fortaſſis inutilia: non tamen poſſunt non incidere differentibus, aut non reſponderi proteruis. Philippo videntur ſomnia ocioſe conficta, idcircò grauioribus argumentis negocium nobis exhibet, allegans experientiam, quam conſcientia in agone & in acie experitur. Si experimentis agendum eſt, innumerabiles poſſum producere teſtes pios iuxta atque catholicos, qui nihil ſunt hactenus experti eorum, quæ Lutherus & Philippus de cõſcientiæ terroribus & pacatione, eis in iuſtificatione ſuccedente docent. Fatentur viri ſancti experiri ſe viciſſitudines quaſdam diuinæ conſolationis, nunc aduentanti animę, nunc eidem ſeſe ſubtrahentis. Quales deſcribuntur in Canticis Salomonis. Sed hæc omnia non vt iuſtificent, fiunt, quin potius iuſtificatis & amicis Dei eueniunt. Cæterùm terrores illi conſcientiæ, communes ſunt bonis & malis, & frequentius accidunt melioribus. Scriptura ſancta beatum prædicat hominem, qui ſemper eſt pauidus: Si ſimplex, inquit, fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. E conuerſo autem conſcientiæ pacatio non modò in malis, verùm & in deploratiſſimis quibuſque mentibus hos terrores, ſi quãdo illis accidunt, ſolet excipere. Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant. Quamobrem experientijs prætermiſſis, ex quibus vnoquoque proprium proferente aut confingente experimentum, interminabilis oriretur contentio, ad ſcripturarum ſanctarum trutinam Philippi rationes expendamus. Impoſſibile eſt, inquit, Deum diligere, niſi fide apprehendatur remiſſio peccatorum. Hoc eſt primum mediũ, quod aſſumit ad improbandum doctrinam theologorum de charitate & eius effectu, qui eſt remiſſio peccatorum: quod tamen medium nõ probat per ſcripturas, ſed vult ſibi ſimpliciter proponenti credi, niſi fortè præcedentis ſuppoſitionis probatio eſt id, quod ſequitur: Non enim poteſt cor verè ſentiens DEVM iraſci, diligere Deum, niſi oſtendatur placatus, & cæt. Sed ne hoc quidem probat per ſcripturas, tantùm confidit experimentis. Poſſemus nos quidem iure conuentionis argumentationem redargutione repellere. Nam ſi Deum iratum non poteſt homo diligere, quod charitatis eſt, nec irato ſe committere audebit, aut comminanti ſe credere, quod fidei eſſe dicunt. Qua ratione igitur charitate non remittuntur peccata, quia non poteſt contingere peccatori, eadem nec fide remittentur, cui nullus eſt locus inter peccata. Videtis, vt eiſdem ſemper difficultatibus, quas nobis facit, teneatur Philippus. Maioris enim multò difficultatis eſt, irato fidere & comminanti, quàm diligere offendentem in nobis, quod iure ſuccenſeat. Adde, quod Philippus, cùm dicit: Nõ poteſt ſe erigere natura, vt diligat iratum, ſignificat naturam erigere ſe poſſe, vt placatum diligat, quo quid poteſt imprudentius dici aut credi? Erigit ſe, qui ceciderat, aut quoquo modo iacebat, natura autẽ, nec communis omnium hominũ, poſteaquã tota corruit, nec vniuſcuiuſq; noſtrum,

Gratia duplex.

1. Cor. 12.

Prou. 28.

Philippi verba.

ſtrum,ſi ſemel peccando ceciderit, non ſe poteſt erigere,etiam ſi millies diuinæ miſericordiæ oſtẽtatione inuitetur , niſi ab eodem,qui nos inuitat,vna ſubleuetur. Dominus enim ſoluit compeditos , illuminat cæcos, erigit eliſos, diligit iuſtos. Natura ergò noſtra ſine ſpeciali Dei gratia illa , quam ſuperiùs attigimus,nec ſi grandiſſima fide ſibi millies perſuadeat Deum placatum , eum ſuper omnia diligere poterit , quoniam ſine me, inquit Chriſtus, nihil poteſtis facere. Si verò gratia illa ſaltem præueniens,adſit,quæ mentem erigat , poterit diligere etiam iratum , quemadmodum filius diligit bonum ac beneficũ patrem, ſibi meritò ſuccenſentem. Inſtabit Philippus & dicet : Quomodo poteſt diligere,quem timet iudicantem, declinat comminantem,fugit exterrentem? Hæc omnia auerſionem efficiunt, cui neceſſariò repugnat cõuerſio, quæ dilectione fieri conſueuit. Horſum , ni fallor , procedere poteſt vniuerſa Philippi collectio,quæ non ſcripturis innititur , ſed philoſophica collatione affectionũ, quæ ſecum in animo viciſſim pugnare videntur,& aliæ alijs impedimento eſſe, ne extent. Sed ſi phyſice agendum eſt , facilè reſpondebimus, pugnare fortaſſe motus illos & affectiones,ſed non ſemper. Nam quod ſine cunctatione dicendum eſt,dilectioni odium , timori fiducia, deſiderium fugæ , aut ſi malis, faſtiditioni opponitur,& ita reſiſtit,vt eidem animo de eadem omninò re non poſſint ineſſe:pugnent tamen (eſto) motus illi timoris & terroris cum dilectione : verùm ea lege, vt ab eodem prorſus obiecto proficiſcantur ,&, quod addi non ineptè ſolet,ſub eadem ratione . Alioqui vt non pugnant ſectionis timor, & amor chirurgi,ita nec amor boni iudicis & pœnæ metus vſque adeò pugnabunt, vt ſe viciſſim excludant ab animo.Sed hæc philoſophica & propemodum ſophiſtica miſſa faciamus,accedat ſcripturarum lumen,quo pellatur omnis ambiguitas . Frequens eſt apud prophetas , apud apoſtolos , apud ipſum etiã Chriſtum exhortatio ad conuerſionem peccatorum , in qua non illis proponitur Deus placatus aut propicius, ſed iratus & comminabundus. Clamauit Ionas & dixit : Adhuc quadraginta dies , & Niniue ſubuertetur , & crediderunt in domino , & prædicauerunt ieiunium,& veſtiti ſunt ſaccis, & c. Exclamat Eſaias: Væ genti peccatrici,populo graui iniquitate,ſemini nequam,filijs ſceleratis,dereliquerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael,abalienati ſunt retrorſum.Super quo percutiam vos vltra , addentes præuaricationem , &c. Inſtant tamen ſancti Dei præcones,vt conuertamur ad Deum, tametſi interminãtem & iratum:quia ſi fuerint, inquit, peccata veſtra vt coccinum , quaſi nix dealbabuntur , & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus,velut lana alba erunt. Et repente loquar aduerſus gentem , ait dominus per Prophetam,& aduerſus regnum,vt eradicem , & deſtruam , & diſperdam illud. Mox tamen addit : Si pœnitentiam fecerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam,agam & ego pœnitentiam ſuper malo , quod cogitaui,vt facerem ei. Et: Iratus eſt dominus ſuper patres veſtros iracundia , & dices ad eos: Hæc dicit dominus exercituum, conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. His omnibus locis & alijs huiuſcemodi , qui paſſim etiam non quærentibus in ſacris literis occurrunt , ad Deum , qui nobis iratus exterrenis, & acerbiſſima quæque interminans proponitur,conuerti præcipimur . Quod ſi (vt Philippus ait)eſt impoſſibile,fruſtra non potentibus facere,tantopere ſuaderetur vt faciant. Iam conuerti,humanæ voluntati quid aliud eſt,quam quæ prius neglexerat , eadem ipſa diligere ? Quamobrem vt auerſio Dei contemptus & neglectus fuerat , ita conuerſio eiuſdem dilectio eſt. Conuerſa eſt itaque Niniue ad Deum , qui minabundus eius euerſionem prædicari præcẽperat , nec ſolùm conuerſa eſt animo (vt & hoc attingamus) ſed prædicauit ieiunium , ſaccos induit , vt videre eſſet populum vniuerſum,impietate damnata , quaſi nouæ vitæ candidatum & diuinæ miſericordiæ petitorem agere.Et vidit Deus opera eorum (ait Propheta) quia conuerſi ſunt de via ſua mala,& miſertus eſt,&c. Non ſatis illi fuerat,vidiſſe fidem,cum crediderũt niſi & opera videret, vt miſereretur:quia conuerſionem adhuc expectabat , quæ fide inchoata aliorum cum operum tum affectuum mutatione erat conſummanda . Nam & huc ſpectat,quod Iſrael admonetur,vt conuertatur,ſi velit ad ſe Deum conuertere. Hoc eſt, vt amet,ſi velit amari . Quod ſi obiecerit fortaſsè Philippus illud:Non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quia ipſe prior dilexit nos : Omnia hæc patent in conuerſione peccatoris. Nam prius amatur ab illo,qui admonet, ſatagit,proſpicit, vrget , vt conuertatur:alioqui non vocaret , niſi diligeret , cuius vocationi diligendo etiam reſpondemus,quia diligendo conuertimur . Eſtque conuerſio hæc noſtra,eius,qui nos amauerat,redamatio, & qui nos vocauerat,inuocatio, vt ignoſcat peccare iam deſinentibus , qui peccantes dignatus fuerat non modò vocare,verùm & reuocare. Hic amor contingere poteſt etiam peccati mortalis reo , cuiuſmodi ſunt omnes, qui à Deo vocantur vt reſipiſcant,ſed mox,vt ſic amat,deſinit eſſe reus. Nec obſtat ei,quod ſciens ſe æterna morte damnatum , verè ſentit Deum ſibi iratum,terrentem, & comminantem,qualem Propheta propoſuit Niniuitis.

Nam

Psal.145.

Ionæ 3.

Zach.1.

Conuerti quid ſit.

Zach.1.

Nam ſimul poteſt illum conſiderare placabi-
lem, manſuetum, pium, propiciabilem, miſe-
ricordem, præſtabilem ſuper malitiam: quæ
conſideratio mouere poteſt affectum ad amã
dum & fidendum ei, qui tam facilis eſt ad ig-
noſcendum. Id quod ſignificare videntur cõ
Ionæ 3. uertentium ſe Niniuitarum verba: Quis ſcit,
inquiunt, ſi conuertatur & ignoſcat Deus? Si-
mul ergò timebit iratum, & placabilem dili-
get: verebitur vnà iudicij ſeueritatem, & con-
donandi facilitatem amplectetur. Adeſt e-
nim ei gratia illa præueniens, quæ huiuſmo-
di conſcientijs nunquam non adeſt, modò ſi-
bi quiſque non deſit, donec conuerſione hac
voluntas proueh atur ad charitatẽ illam, qua
peccata demum vniuerſa fugentur, audiatq;
dimiſſa ſibi peccata multa, quoniam dilexit
Luc. 7. multum. His gradibus conuerſa eſt Niniue,
atque eiſdem prouecta eſt illa peccatrix fœ-
mina, quæ merita eſt, vt non modò internè,
verùm externè huiuſmodi ſententiam de ſe
à Chriſto prolatam audiret: id quod in pro-
cliui eſt intelligere vnicuique conuerſionis
eius progreſſum & incrementa conſiderãti.
Timebat enim & amabat, quæ flebat & acce-
debat, verebatur ſeueritatem iudicij, quæ re-
tro ſtabat ſecus pedes, ſed clementiæ cõcepe-
rat ſpem, quæ nõ ceſſabat officijs ſibi prome-
reri CHRISTVM, vt tandem patronum
experiretur, quem timuerat iudicem, quod
& aſſequuta eſt. Volens enim Chriſtus illam
oſtendere, non iam peccatricẽ eſſe, ſed iuſtã,
vniuerſa commemorat, quibus à propria ini-
quitate ad CHRISTI iuſtitiam conſequen
dam peruenerat: atque interim tacite Phari-
ſæum quaſi per reconuentionem Chriſtus
accuſat, & peccatorem oſtendit, quod nihil
eorum feciſſet, ſine quibus nemo peccatorũ
remiſſionem adipiſcitur. Omnes igitur eo-
dem, quo felix illa mulier aſſequuta eſt, ordi-
ne, peccatorum remiſſionem aſſequimur, ti-
mendo ſcilicet & fidendo, tremendo & amã-
do. Quæ viciſſitudines affectionum, imò non
viciſſitudines, ſed ſymphatię, quomodo que-
unt vni animæ accidere, & animæ quæ pecca-
torum condonationem nõdum eſt aſſequu-
ta? Sed ijs mediantibus aſſequitur, tametſi
gratis propter Chriſtum, qui omnia hæc de-
creuit prius donare, quàm peccata cõdonet,
vt minoribus donis mereamur maiora: quo-
modo, inquam, vni conſcientiæ, eidemq́ue
peccato nondum exutæ, tam multi, tam va-
rij, tam diuerſi, & (vt videntur) aduerſi af-
Hiere. 17. fectus poſſint ineſſe, nouit ille, qui per Hie-
remiam dicit, ſe prauum cor hominis & im-
perſcrutabile cognoſcere, ſcrutans cor, & p-
bans renes, qui dat vnicuique iuxta viam ſu-
am, & iuxta fructum adinuentionum ſua-
rum. Nobis verò ſatis eſt oſtendiſſe, quę quo-
tidie pœnitentes experimur, CHRISTO
IESV ſeruatori noſtro, Luthero etiam in-
uito, probari. Quod idipſum per ſcripturas
obiter & perſunctorie demonſtrauimus,
multa enim alia ſunt, quæ conſulto, ne proli-
xior eſſem, prætermiſi. Ea verò, quæ ſumus
hactenùs perſequuti, non modò probant,
quòd conſcientia peccati mortalis rea poſſit,
Chriſti gratia præuenta, dilectionem Dei ſu-
per omnia inchoare, verùm quod inchoatio-
ne hac proueh atur ad perfectiorem charita-
tis gradum, qui animam iuſtificans, peccatũ
prorſus excludat. Supereſt tamen aliud ar- *Dicit nos exiſtimare quod operibus legis peccatorum mereamur remiſſionem.*
gumentum, quo rurſus hæc omnia oppu-
gnantur: Lex, inquit, iram operatur, ait Pau-
lus, non ergò per legem merentur homines
peccatorum remiſſionem. Et rurſus eandem
feriens incudem, lex ſemper accuſat conſci-
entias, & perterreſacit, non ergo iuſtificat.
Tandem propoſitum colligens ait: Errant i-
gitur, qui per legem, per opera ſua, mereri
ſe remiſſionem peccatorum confidunt. To-
tius argumentationis baſis eſt Pauli teſtimo-
nium: idipſum verò tametſi de litera legis
interpretetur Auguſtinus, & nos intelligi
poſſe non negemus, non tamen de morali le-
ge decalogo contenta, ſed de Moſaica pro-
nunciat Paulus. Hoc apertiùs eſt quartum ca-
put epiſtolæ ad Romanos, vnde petita ſunt
verba, legenti, modò vel Latinè intelligat,
quàm vt indigeat admonitione. Ibi enim
Paulus ſuccenſet fiduciæ Iudæorum, quam
habebant de cæremonijs. Summam omnium
cæremoniarum legalium, quæ fuerat circun-
ciſio, atque adeò totam illam legem confert
cum fide Abrahæ. Cæterùm nos non de lege
illa, cuius indoles cœpit in Abraham patri-
archa, quando circunciſus eſt cum tota do-
mo ſua, promulgata eſt autem per Moyſen, *Quæ lex iuſtificet.*
loquimur, cùm de iuſtificatione diſſerimus:
ſed de geminæ charitatis lege, eademq́ue nõ
litera duntaxat tradita, ſed ſpiritu inſcripta
fidelibus, à cuius duobus præceptis (vt Chri-
ſtus ait) vniuerſa lex pendet & prophetæ.
Nam de litera legis etiam moralis (vt ſemel
pluribus ſcripturarum locis reſpondeam)
confitemur, quod non iuſtificet, nec iuſtifi-
care quidem poſſit aut potuerit. Non enim
lex charitatem, quam præcipit, confert, ſed
vetat cupiditatem, quam nobis non adimit
virtute, quin auget quodammodo prohibi-
tione. Idcircò Paulus legem dicit infirmari *Rom. 8.*
per carnem, cui vt ſubueniret Deus, filium
ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati,
de peccato damnauit peccatum in carne, vt
iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui
non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſe-
cundum ſpiritum. Hic vides legem iuſtifi-
care, ſi impleatur in nobis, quam ſi tranſ-
grediaris, condemnat. Quod verò implea-
tur, non valet ipſa præſtare ſine fide illius;

cuius meritis innixi multa perficimus, quæ per ſolam legem efficere non poteramus. Infirmatur enim per carnem in infidelibus, cũ tamen in credentibus, modò velint periculum facere, ſpiritale robur adipiſcatur à Chriſto. In hòc itaque verſatur tota Pauli controuerſia aduerſus Iudæos, quos vbique, maximè tamen in epiſtolis ad Galatas & ad Romanos, ad fidem non modò allicit, verum & validiſſimis cogit argumentis, oſtendens legem Moſaicam, quatenus cæremonialis erat, mortuam eſſe: quatenus verò moralis, inualidam & imbecillem, niſi adſit ei fides, quæ illi vim conferat ad iuſtificandum. Vnde cùm viſus ſibi eſſet hanc legem plus nimio laceſſiſſe, ita obijcit ſibi: Legem ergò deſtruimus per fidem? Sequitur tamen mox correctio: Abſit, ſed legem ſtatuimus. Quomodo verò per fidem ſtatuitur lex, niſi hoc, quod adijciuntur eidem vires, ſine quibus ſeruari nunquam potuit, ſeruata autem ſeruatores ſuos ſeruat & iuſtificat, ſicut neglecta deſertores condemnat. Nam ipſa ex ſeſe indifferens eſt ad iuſtificandum aut condemnandum, ſecundum quod vel ſeruatur vel contemnitur: niſi quod cùm omnes obliget, infideles damnare quidem poteſt, nõ autem ſeruare, etiam ſi ſeruaretur ab eis: fideles vero tranſgreſſores damnat, niſi reſipiſcant, & ad eandem reuertantur, obedientes autem iuſtificat per CHRISTVM, cuius gratia adimpletur in illis, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Videtis igitur ô Germani, vt nobis, qui per fidem & legis obſeruationem, hoc eſt, fide & charitate dicimus hominem iuſtificari, eidẽque peccata dimitti, quod idem eſt, vniuerſa ſcriptura concordet. Illis verò, qui per ſolam fidem hæc fieri docent, nec minima quidem ſcripturę pars conſtare queat, id quod hactenus monſtratum eſt, & apertius infra monſtrabitur. Nunc ad primam Philippi collectionem: Lex, inquit, iram operatur, non ergò iuſtificat. De lege Moſaica, de qua Paulus ibi loquitur, & antecedens fateor & conſequens, tametſi collectio non ſit admodum apta, non nego. De lege charitatis, qua de ſuſcepta nobis eſt controuerſia, dico quod neglecta operatur iram: ſeruata verò iuſtificat, & à peccatis emundat, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Et fœminæ illi, quæ ſe inhoneſtè optauerat nobilitare peccatis, dimiſſa pronunciantur peccata multa, quoniam ſtudio commutato, & alio tranſlatis affectibus, dilexit multum. De beneficentia, autem, qua non verbo & lingua, ſed opere & veritate charitas exhibetur, ſcriptum eſt, quod talibus hoſtijs promereamur Deum. Et rurſus de eleemoſyna, qua omnis beneficentia complectitur, & charitatis opus ſolenni conſuetudine appellatur: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Cui concordat illud Chriſti: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Ecquis ergò neget charitatem iuſtificare, quæ operit, quæ remittit peccata, quæ DEVM nobis reddit propicium, quæ peccatum extinguit, atque nos ab eodem emundat? Sed dixerit quiſpiam: Quid igitur (ſi charitas iuſtificat) relinquimus fidei, quid gratiæ, quid Chriſto, cuius vnius meritis & gratia, quotquot fuere ſancti, ſeruatos ſeſe prædicant, & qui modo ſunt catholici, ſeruatum iri confidunt? Multum profectò. Quid verò multùm? Imò hæc omnia Chriſto Ieſu accepta referimus, ſine cuius gratia charitatem nemo poſſet habere: ſine cuius meritis, habita etiam & præſtita, ſi fingatur, non ſufficeret ad conſequutionem æternæ vitæ: quoniam cùm fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis ſerui ſumus inutiles, niſi opera noſtra fiant in CHRISTO, à quo, velutà radice fructus, ingentem vim & quaſi valorem infinitum accipiunt, in illis duntaxat, qui ſibi alias & ſuis operibus diffiſi, quicquid boni ſeſe aut eſſe, aut feciſſe videri poſſunt, id totum in CHRISTI vnius fauore, gratia & beneficio ponunt. In hac perſuaſione, non agnita modò, ſed penitùs mente recepta, & animo inſita, vniuerſa fidei ratio verſatur, quæ adiuncta operibus iuſtificat, vt oſtenſum eſt paulò antè. Etenim finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Hoc eſt, lex non iuſtificat, niſi per Chriſtum, qui eſt eius finis, non in quo deficit, ſed in quo perficitur & adimpletur. Hactenus de prima Philippi argumentatione. Proxima aſſumit, legem accuſare ſemper, & perterreſacere conſcientias, quod tamen in ſcripturis non habetur, quin potius Dauid aliunde animo conſternatus, ad legis memoriam erigitur, & vires reſumit: Niſi quod lex, (inquit,) tua, meditatio mea eſt, tum fortè periſſem in humilitate mea, in æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, & cæt. Quam modo legem appellauit, eandem mox iuſtificationem eſſe declarat, alioqui non erigeret, niſi iuſtificaret, quod tamen perficere non poteſt ſine Chriſto. Hoc idem apertius oſtendit: Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? quia apud te propiciatio eſt & propter legem tuam ſuſtinui te domine. Suſtinuit anima mea in verbo eius, & cæt. Videtis legem non accuſare conſcientiam, nec terrere, quin potius leuare atque reficere, modo adſit propitiatio: hoc eſt, Chriſtus, quem propitiationem pro peccatis noſtris eſſe prædicat Ioannes. Aſſuturum autem ſe in lege meditantibus, verſantibus,

Rom.3. — *Ad primam collectionem Philippi.* — *Charitate & eius operibus remittuntur peccata.* — *Luc.17.* — *Ad ſecund.* — *Pſal.118.* — *1.Ioan.2.*

bus, laborantibus pollicitus eſt frequenter
in ſcripturis, non modò vt adiuuet operan-
tes, verùm vt deficientes reficiat, labantes e-
rigat, quoniam apud dominum greſſus ho-
minis dirigetur, & viam eius volet; cùm ceci-
derit, non collidetur, quia dominus ſuppo-
nit manum ſuam. Et alibi: Prouidebam, in-
quit, dominum in conſpectu meo ſemper,
quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.
Et vt hæc de obſeruaptibus legem, ita de cô-
temnentibus econtrariò. Non eſt Deus in cô
Iſai. 58. ſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in om-
ni tempore. Eſaias verò ad omnes, enumera-
tis operibus, quibus legi Dei eſt obtemperã-
dum: Tunc inuocabis, inquit, & dominus ex-
audiet, clamabis & dicet : Ecce adſum: quia
miſericors ſum dominus Deus tuus. Non igi-
tur miſericordiam Dei erga nos prouocat ſo-
la fides, ſed opera illa, quæ recenſuerat, quæq́;
ſubiungit: Si abſtuleris de medio tui catenã,
& deſieris extendere digitum, & loqui quod
non prodeſt, cum effuderis eſurienti animã
tuam, & animam afflictam repleueris, & cæt.
His ergò & alijs huiuſcemodi promiſſioni-
bus confiſa mens, tametſi fragilitatis ſuæ con-
ſcia, ſuſtinet in verbo domini propter legem
eius & propitiationem, quorum alterum ſi-
ne altero nihil efficit. Nam Iudæis non pro-
deſt lex, quam ſine Chriſto ſeruare minimè
poſſunt, nec deficientes habent, vnde refici-
antur: mali verò Chriſtiani, etiam ſi habeant
CHRISTVM, cui inſiti ſunt per fidem, ſi-
ne legis obſeruatione, hoc eſt, ſine charitate,
fiunt vt membra arida & inutilia, & quaſi pal-
mites non ferentes fructum, quos pater agri-
cola tandem ſuccidet, & in ignem mittet &
ardebunt. Vtroſque hoc loco perſtringit
ſcriptura. Illis non prodeſt lex, quia non ma-
nent in Chriſto, in quo ſi quis non manſerit,
mittetur foras: his non prodeſt Chriſtus etiã
per fidem agnitus, quia omnem palmitem in
eo non ferentem fructum ſuſtollit pater, qui
fructum afferentem purgat, vt fructum plus
afferat: hunc lex non accuſat, non perterreſa-
cit, quin potius niſi lex domini eſſet medita-
Pſal. 129. tio eius, periſſet, quod Propheta dixerat, in
humilitate ſua. Cæterùm quia apud Deum
propitiatio eſt, & propter legem eius ſuſti-
net dominum. Suſtinet, inquam, in verbo e-
lus, illo nempe, quo, vt paulò antè diximus, i-
dentidem pollicetur affuturum ſe gnauiter
laborantibus, cum vt adiuuet, tum vt (iuxta
alium Prophetam) quicquid humana fuerit
imbecillitate confractum, alliget, quod infir-
mum fuerit, conſolidet; quod pingue & for-
te, cuſtodiat: & ita (quod ait Paulus) nihil
damnationis ſit ijs, qui ſunt in CHRISTO
IESV per fidem, qui non ſecundum car-
nem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum per
charitatem, quorum virtutum neutra ſine
altera prodeſt. Et quoniam magna miſeri-
cordia Domini eſt propiciatio illius conuer-
tentibus ad ſe, vt Sapiens ait, hoc eſt, à legis Eccl. 17.
tranſgreſſione ad eiuſdem obſeruationem
reſpicientibus, idcircò prouidè vtrunque po
ſuit Propheta: Quia apud te, inquit, propi-
tiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te
domine. Admonent me & locus & verba Philippus
Dauidis, vt Philippicam ſimplicitatem in ci- verbum Dei
tandis ſcripturis attingam. Citat enim hunc graui afficit
pſalmum pro fide, ſed fide non admodum iniuria.
integra, nec veritus eſt verbum Dei, de quo
ſubinde ſe iactat, tam graui afficere iniuria, vt
bona illud ſui parte, & ſine qua non poteſt
intelligi, mutilaret. Huc, inquit, pertinent
(nempe ad fidem & peccatorum remiſſionẽ)
illæ crebræ repetitiones miſericordiæ & fi-
dei in pſalmis & prophetis, vt hic: Si iniquita-
tes obſeruaueris domine, domine quis ſuſti-
nebit? Hic confitetur peccata, nec allegat me-
rita ſua. Addit: Quia apud te propiciatio eſt.
Hic erigit ſe fiducia miſericordiæ Dei. Et ci-
tat promiſſionem : Suſtinuit anima mea in
verbo eius, ſperauit anima mea in domino,
id eſt, quia promiſiſti remiſſionem peccato-
rum, hac tua promiſſione ſuſtentor. Adeſte
animis obſecro viri Germani, & Philippi nõ
modò doctoris veſtri, verùm & patroni ver-
ba, quibus veſtram tuetur Confeſſionem, ſi
placet, expendamus. Productis propheticis
aliquot verbis : Hic, inquit, confitetur pec-
cata, nec allegat merita ſua. Quid ſi mox alle-
get in verbis, quæ tu prætermittis? quãquàm
bona opera nemo ferè ſanctorum merita ſua
vnquam appellauit, ſed Dei munera, tunc
præſertim cùm miſericordiam implorat, vbi
potius illi commemoranda eſt, qua vndique
ſepti & propemodum obruti ſumus miſeria.
Sed rurſus Philippum audiamus. Addit:
Quia apud te propiciatio eſt. Hic erigit ſe fi-
ducia miſericordiæ. An non pudet, ita mu-
tila, trunca, ſine vllo ſenſu prophetica verba
dimittere? Quid ſibi vult hoc: Quia apud
te propitiatio eſt, niſi aliud addas? Vnde ſcis
conſcientias his verbis erectum iri? Vbi eſt
verbum fiduciæ aut erectionis? Vis credo
ſubintelligi. Quid ſi aliquis ſcripturarum o-
mninò rudis addat: Deſperaui prorſus adipiſ-
ſci, quod à me tam longè ſepoſitum abdidi-
ſti? Nam & Iob difficilem inuentu ſapienti- Iob 28.
am eſſe dicit, quod illam Deus apud ſeſe re-
poſitam habeat. Num huiuſmodi animam
erigere truncus ille verborum fiducia miſe-
ricordiæ valebit? Exiſtimaſti fortaſsè ne-
minem forè, qui neſciret, quibus Propheta
verbis fiduciæ clauſerit erectionem. Atqui
ijdem, quotquot Prophetæ verba memine-
rint, animaduertent vna te arte ac dolo ma-
lo legis mentionem, qua ſe Dauid erectum
prædicat, prætermiſiſſe, decreuiſſeque po-

tiùs ad Propheticum conniuere lumen, quã Lutheri dogma ſemel ſuſceptum deſerere. Næ tu illi ſtrenuum præſtas te militem, quando nec ſpiritus ſancti oraculo, in quod tute nemine admonente incideras, cedere voluiſti. Dauid enim diſertè pronuntiat, ſe miſericordiæ fiducia propter legem domini & propitiationem, quæ apud illum eſt, ſuſtentari, qua in re, quia ſuperiùs expoſita eſt, non eſt nunc opus diutiùs immorari, quin poſteaquam ſcripturæ ſacræ teſtimonia, quæ Philippus produxit in Apologia, examinare cœpimus, præſtabit & illa, quæ in Confeſſione veſtra citantur, ordine repetere.

Philippica VI. De teſtimonijs in Confeſſione pro iuſtitia fidei contentis.

Gen. 27. PRincipiò, quandoquidem in Confeſſione veſtra Germani, ita vocem agnoſcimus Iacob, vt ſubeſſe non ignoremus manus Eſau, eſt operæprecium animaduertere, quòd Philippus non Eccleſiæ communem doctrinam, ſed iuſtitiam rationis in Apologia ſibi proponit oppugnandam, vt dùm vos à noſtra confutatione defendit, eò videatur euiciſſe, quòd aduerſarium ſibi facit imbecillem & intermem, in quo nos omnes ſuperatos eſſe, vult credi: nec deſunt illi (ſi diuis placet) qui credant. Quaſi nos ratione ſola hominem iuſtificari, vnquam arbitrati ſimus, cuius nec vmbra quidem dogmati vſquam inuenitur apud Teologos. Vtuntur quidem rationis nomine, à Latinorum omnium optimis quibuſque recepto, ſed eo naturæ tantùm lumen ſignificant, malignum ſanè illud & ineſſicax, niſi gratia ſubleuetur: quo tamen lumine ſemper animus gliſcit, & geſtit ad meliora, id quod Ariſtoteles dixit ad optima deprecari, haud tamen Ariſtotelis verbis innitimur, ſed Pauli doctrina, qui mentem in ſe agnoſcit diuinæ legi vltrò conſentientem & inſeruientem, quam etiam ad Galatas ſpiritum à carne per omnia diſſentientem appellat. Nemo eſt enim quantolibet peccatorum pondere prægrauatus, qui non intima quadam animi energia reuocetur à turpitudine: à qua tamen haud noſtrarum eſt virium prorſus recedere, niſi adſit Chriſti gratia, quæ rationem fruſtrà conantem & adnitentem erigat & perficiat. Illud igitur, quicquid eſt, animi noſtri, cui turpitudo, etiam cùm maximè delectat, non probatur, quodque vel in medijs facinoribus ad honeſtum prouocat, ſollicitat, conſpirat, idipſum Paulo dicitur mens, à Theologis verò nunc mens, nunc ratio nuncupatur, quam ſub vtroque nomine Cicero deſcribit, cuius verba ſunt: Humanus animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, niſi cum ipſo

Ratio, nobis natura tantū lumen ſignificat.

Mens vel ratio ꝗ̃ ſit natura vit.

Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. Hic igitur ſi excultus, & ſi eius acies ita curata eſt, vt ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id eſt, abſoluta ratio, quæ eſt idẽ quod virtus. Explicauit Cicero, quicquid natura præſtare poteſt, imò quod à Deo naturę pręſtitum eſt etiam lapſæ, tametſi cultus hic animi & curatio non eſt naturæ, ſed gratiæ: non dubito tamen, quin Apoſtolus Paulus eius verba reciperet, quando alia haud diſſimilia ex Arato probat & citat: ex quibus colligit Act. 17. non debere nos DEI munus tam ingens & ſublime fictitijs ſubmittere numinibus, ſed vni & viuenti Deo, cuius verò non modò figmentum, vt cæteræ res, verùm & genus quodammodo ſumus. Philippus igitur aduerſus hanc ſiue rationem, ſiue mentem, ſiue naturæ vim acriter inſurgens, vt ſit quod nemine repugnante poſſit expugnare, fingit ſibi monſtra, quæ vincat, & magnum (quod prouerbium habet) emortuo hoſti vulnus infligit. Nos verò haſce omnes Philippicas in vmbras & inania, impreſſiones, excurſiones, ouationes etiam ſi velit, & triumphos, æquis ſanè oculis ſpectamus, quinimò quod inſoleſcentem naturam tanta felicitate protriuerit atque proſtrauerit, victoriam illi gratulamur, nulla nos tantæ gloriæ inuidentia vrit. Magis nunc veſtræ acies Germani, & teſtimoniorum ſtructę copiæ ſollicitos reddunt, haud enim vnum aut alterum fruſtratim locum pro fidei iuſtificatione aduerſus opera noſtra profertis, ſed primo ſtatim congreſſu tota Pauli ad Romanos epiſtola producitur, quæ nos tertio præſertim & quarto capite, velut gemino ariete proſternat. Sed nos quarto capiti paulò antè reſpondimus, & nunc demùm reſpondemus, non ibi de lege morali, quæ & naturalis eſt, agi: ſed de lege cæremoniali, quæ peculiariter ſolis eſt data Iudæis, de qua tertio etiam capite incipit diſſerere. Declarant hoc Ambroſij verba, quibus Rom. 3. illud: Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, exponit in hunc modum: Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quòd iuſtificetur credens, nulla faciens opera legis, id eſt, ſine circuncisione, aut neomenijs, aut veneratione ſabbathi. Et paulò ſuperius illud exponens: Nunc verò ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtimonium habens à lege, & Prophetis. Apertum eſt, inquit, quia iuſtitia Dei ſine lege apparuit: ſed ſine lege ſabbati & circuncisionis & neomeniæ & vindictæ, non tamen ſine ſacramento diuinitatis Dei, & cæt. Diſtinxerat Ambroſius ſuperiori periodo legem in tres partes, quarum prima de ſacramento diuinitatis ſit: proxima, quæ congruat legi naturæ: tertia, quàm Paulus vocat legem factorum, id eſt, ſabbata, neomeniæ, circunciſio & cæt. Harum

Reſpondet ad ſex pene quas Philippus citat.

Philippica 7.

partium prima, Dei timorem, fiduciam, dilectionem & cætera continet, quæ Philippus retulit ad priorem legis tabulam. Secunda pars continet, quicquid poſteriore legis tabula interdicitur. Tertia verò, quicquid cęremoniarum Moyſe docente, obſeruatum eſt à Iudæis. Quoties igitur Paulus legem à iuſtificatione ſecludit, Ambroſius de hoc tertio legis genere conſtanter interpretatur, quod & legem ſactorum Paulum ſequutus appellauit, vt reliquas duas partes ad legem fidei referret. Bimembris eſt enim Pauli diuiſio, cùm legem ſactorum ſeparat à lege fidei, alioqui ineſſicax eſſet collectio, qua iuſtificationem legi ſactorum negat, vt transferat in legem fidei. *Lex fidei.* Dicitur autem lex fidei, non ipſa fides, ſed ea rerum doctrina atque præſcriptio, quarum obſeruationi promiſſa eſt æterna ſelicitas. Hæ ſunt, non fides tantùm (vt demonſtrauimus hactenus, & ſumus etiam inferiùs confirmaturi) verùm & charitas, hoc eſt, Dei & proximi dilectio. Iam vt promiſſionem non amplectimur niſi fide, ita quod promiſſum eſt, niſi ijs rebus, quibus promittitur, aſſequi non valemus. Hæc de Ambroſij doctrina & interprotationibus prolixiùs, quod hic præcæteris Patribus à Philippo & Lutheranis fermè omnibus pro ſua doctrina citatur, tametſi ſcio Auguſtinum aliter legem ſactorum à lege fidei diſtinguere: nempe vt lex ſactorum decalogi ſit litera, per quam peccatum agnoſcitur: lex verò fidei, vis perficiendi decalogum, per quam peccatum vitatur. Vtriusque legis auctor eſt Deus, qui & decalogum dedit per Moyſen, quo peccatum agnoſcamus, & gratiam per CHRISTVM, qua vitemus. Nobis tamen nihil obeſt hæc diuerſitas expoſitionum, nec eſt perinde magna. Nam & Ambroſius hanc expoſitionem, quam Auguſtinus de ſpiritu & litera copioſiſſimè tractat, aliquoties in his Pauli commentarijs attingit. Quanquam ad intelligendum, quæ ſit Pauli ſententia, dùm legem vtroq; capite, tertio videlicet & quarto ſeparat à iuſtificatione, non eſt opus interprete, ſed prudente lectore. Cùm enim Paulus capite tertio dixiſſet nos per fidem ſine operibus legis eſſe iuſtiſicandos, vt oſtenderet, cuius legis opera excludebat, adiunxit: Nunquid Iudæorum tantùm Deus? Imò & gentium, ac ſi dicat: Si operibus legis opus eſſet ad iuſtitiam, ſolos Iudæos Deus iuſtificare decreuiſſet, quibus ſolis dedit legem circuncisionis & cæremoniarum. Hic nihil obſcurè videtis, qua de lege Paulus diſſerat, cùm legem à iuſtificatione ſecludit, nempe de lege non naturali, tametſi nec illa ſine gratia iuſtificet, quæ communis eſt cunctis hominibus, ſed de Moſaica. Alioqui nullius eſſet ponderis collectio, qua infert homines non iuſtificari operibus legis, ex eo quòd Deus non ſolorum ſit Iudæorum, hoc eſt, non ſolos velit iuſtificare Iudæos, verùm & gentes, quæ alteri legi, morali ſcilicet, ſunt naturaliter obnoxiæ, tametſi nec ea iuſtiſicare valeat ſine fide. Pendet enim hæc, quam Ambroſius fecit mediã legem, à prima vt primæ virtus pendet à gratia, gratia verò à Chriſti IESV meritis, vt omnia demùm illi accepta *1. Cor. 1.* referantur, qui factus eſt nobis ſapientia & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in domino glorietur. Vt hanc igitur legem, quæ fide non eleuatur, ſed robur nanciſcitur & vim, quæque haud vni tantùm populo, ſed vniuerſis eſt gentibus impoſita, non ſeparet à iuſtificatione, aduerſæ partis hypotheſim, quam ſibi propoſuerat, interrogatione correxit dicens: Imò & gentium. *Rom. 2.* Quarum, inquies, gentium? Nempe illarum, quæ legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Duarum etiam hic legum meminit Apoſtolus, quarum alteram dicit gentes non habuiſſe, alteram naturaliter fecisse, non quia ſolius naturæ viribus legem implebant, ſed quia nullo Deus externo pædagogo vſus fuerat ad illos, vt ad Iudæos vſus eſt Moyſe, ſed natura duce, recta ſequebantur, quæ tamen aſſequi non valebant niſi per gratiam, experti illud: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Quod etſi de Chriſti aduentu ſecundum carnem ſit copioſius promiſſum, per eundem tamen eſt ab initio præſtitum electis, quos pater benedixit in omni benedictione in cœleſtibus in *Ephe. 1.* CHRISTO, ſicut elegit illos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Ex his enim fuere omnes, quos Apoſtolus pronuntiat habuiſſe opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, quo iuſtiſicabantur, non humana iuſtitia aut politica, ſed iuſtitia illa, quam exiget Chriſtus in *Rom. 2.* die, inquit, cùm iudicabit Deus occulta hominum ſecundum euangelium meum per CHRISTVM IESVM. Ab hoc itaque ſecundo capite Paulus de duabus incipit diſſerere legibus, oſtendens neutram iuſtificare poſſe: alterã hoc eſt, cæremonialé, quia inutilis eſt: alteram, quod impoſſibilis præſtitu, niſi adſit fides, quæ priorem infirmat, poſteriorem confirmat, & ſibi peculiariter vendicat, efficiens vt eius iuſtificatio impleatur in ijs, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, in quibus eò lex fidei appellatur, quòd promiſſiones contineat, quibus fides excitatur & innititur, quodque non poſſit ſine fide præſtare, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Hæc eſt nimirùm lex, qua humana excluditur gloriatio, quandoquidem ea oſtenditur homini, quàm im-

becillis fuerit & infirmus, cui tanto leuamine opus fuit ad perficiendum, quod quandiu non feciſſet, tandiu ab hominis dignitate & natura quodammodò deficiebat. Nam Eccl. vlt. Deum timere, & eius obſeruare mandata, eſſe hominem pronuntiat Eccleſiaſtes. Excluſa eſt, inquit, Paulus, gloriatio tua: per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei. Legem factorum vocat cæremoniarum preſcriptionem, quia cùm externa tantùm opera præcepiſſet, efficiebatur etiã à filijs diffidẽtiæ: legem verò fidei moralem vocat, quia non poteſt niſi à fidelibus perfici, iuxta id, quod ſuperius citauimus, quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus filium ſuum, & cæt. vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Non ergò iuſtificat Deus per legem illam factorum, alioqui Iudæos tantùm (vt Paulus legitimè infert) iuſtificaret, & tantùm Iudæorum eſſet Deus, ſed per hanc legem fidei, hoc eſt, quæ ſine fide præſtari non poteſt, atque adeò nec ſola iuſtificare, id quod Apoſtolus Paulus ſuperiùs expoſuerat, obijciens Iudæis legis transgreſſionem ex Pſalm. 13. quem gentibus vniuerſis, ſpecialiter tamen Iudæis, quibus ſcriptus eſt, tribuit. Ob id nanque non potuerunt per legem ſine fide iuſtificari, quia non valuerunt eam ſine fide ſeruare: accedente verò fide iuſtificatio legis (vt idem ait) impletur in illis, qui nõ ſecundũ carnẽ ambulãt, ꝗ ſuggerit concupiſcẽtia, ſed ſecundũ ſpiritũ ꝗ lex ipſa præſcribit. Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt, ideò iuſtificare non poteſt, niſi eos quibus dicitur: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamẽ ſpiritus Chriſti habitat in vobis. Apoſtolus ergò Paulus tertio capite ad Romanos, quod veſtra Confeſſio citat (nam quarto de ſola lege Moſaica loquitur) hoc agit, vt doceat Iudæos nunquam fuiſſe iuſtificatos per ſolam legem, etiam moralem, quia nunquam ſola contulit, vt virtus fieret, ſed vt agnoſceretur peccatũ: qua tamen, ſi ſeruare potuiſſent, iuſtificarentur, vt iuſtificati ſunt, qui per fidem CHRISTI etiam inter illos ſeruarent, fide ſupplẽte, quod operi defuit, & ita vtroque iuſtificante. Confirmat hoc etiam Apoſtolus col- Rom 3. lectione, quam facit ex Pſalmo 13. ad probandum, quod lex nunquàm Iudæos iuſtificauerit, quo in loco nullum legis defectum propoſuit ad colligendum, ſed communem omnium hominum, Iudæorum tamen præcipuè, præuaricationem. Quòd ſi lex, etiam ſeruata, non iuſtificaret, haud opus erat Paulo ad ſuadendum Iudæis, vt fidei iuſtitiam quærerent, legis transgreſſionem illis opponere, ſed infirmitatem, quam haberet etiam ſeruata: vt ab ea, quæ ſeruare non poterat, cùm maximè ſeruaretur, deſciſſerent ad fidem Chriſti. Atqui non hoc Apoſtolus cupiebat, ſed vt viribus ſuis, quibus legem adimplere non poterant, diffiſi, ad fidei gratiam conuerſi, cùm admiſſæ præuaricationis condonatione, tùm nouo ſpiritus robore, iuſtificationem legis adipiſcerentur in Chriſto, quam in ipſa lege non valuerant. Sanè quod multus eſt in exprobrãda lege, Iudæorum arrogantiam retundit, quoniam legis fiducia, quam ſibi vnam ſufficere credebant, maximo illis erat impedimento, ne Chriſti fidem amplecterentur. Interim tamen nihilo minus ad bona opera illos adhortatur, & à peccando compeſcit, pronuncians illos duntaxat à peccatis iuſtificari, qui CHRISTO commorientes ita deſtruunt corpus peccati, vt vltrà peccato non ſeruiant. Quo in loco eſt illud obſeruatione digniſſimum, quod ita Paulus mortificationem noſtram Chriſti morti connectit in iuſtificatione, quemadmodũ Chriſtus ipſe ſæpiſſimè cruces noſtras ſuæ cruci præcipit adiungi, dicens: Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et aliàs multa in hanc ſententiam. Quid aliud eſt, vnumquemq; noſtrum crucem ſuam tollere poſt Chriſtum, quàm ipſi fidei bona opera, quibus efficiendis detrectante natura, & cupiditate etiam reluctãte, acerbiſſimè cruciamur, adiungere? Si ſola fides ſufficeret ad iuſtitiam, ſufficeret & ſola crux Chriſti, quæ fidei noſtræ myſterium continet, vt ſanguinis eius teſtatur conſecratio. Nunc cùm etiam noſtræ cruces poſtulentur, nullus relictus eſt ambiguitati locus, quin opus ſit etiam operibus noſtris, vt iuſtificemur. Cū fide poſtulantur vltra cruces à Iuſto. Iam verba, quæ in eodem capite tertio Paulus Apoſtolus citat: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: non magis adſtruunt iuſtitiam fidei, quàm operum. Rom. 3. Quod idipſum vel ex hoc efficitur perſpicuum, quod eiſdem verbis vtitur Iacobus ad probandam iuſtitiã operum, quibus Paulus ad iuſtitiam fidei confirmandam, imò ſpiritus ſanctus per vtrũque Apoſtolum vtranque iuſtitiæ rationem voluit eodẽ teſtimonio explicari, vt vel hoc appareat, quod neutra ſine altera iuſtificet. Verba Iacobi Apoſtoli ſunt: Vis autem ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus ocioſa eſt? Abrahã pater noſter nõne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Videtis, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, & ſuppleta eſt ſcriptura dicens, Gẽ. 15. Credidit Abrahã Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiã, & amicus Dei appellatus eſt. Hæc de Abrahæ teſtimonio & exẽplo Iacobus. Pòſt quæ additur collectio, nam cãdem cauſam agebat, qua de nos diſputamus. Videtis, quoniã ex operibꝰ iuſtificatur homo

& non

& nõ ex fide tantũ. Iacob. 2. En apoſtolica definitio quæſtionis, vſqueadeò aperta, vt nec excogitari qu dẽ poſsit apertior. Et sũt (ſi diuis placet) qui cũ hic Iacobi Apoſtoli ſententiæ nõ cedat, quin mediũ illi digitũ ꝓpemodũ oſtẽdãt. Chriſtianos tamẽ & Apoſtolicę doctrinę aſſertores ſeſe audeãt appellare, ita vt ꝑ ſe cæteros ꝓ ſeſquihæreticis habeãt. Mihi ſanè religio eſſet, poſt tã euidẽs ſpiritus ſancti teſtimoniũ, quo ab eodẽ ſunt verba illa Geneſeos explicata, à quo fuerãt olim cunctis fidelibus in exẽplũ ꝓpoſita, nouũ illis addere cõmentũ. Idcircò apoſtolicæ expoſitionis luce cõtẽti, ad alia progrediamur. Teſtimonio, ꝙ citatis ex Lucæ decimoſeptimo capite, cũ ſuperiꝰ ſit reſpõſum, nõ eſſet opꝰ nũc denuo reſpõdere. Sumus enim oẽs ſerui inutiles, cũ fecerimus omnia, q̃ ꝑcepta ſunt nobis, quia Deꝰ bonorũ noſtroru nõ indiget, vt ex illis aliquod ei ꝓueniat emolumẽtu. Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut q̃d de manu tua accipiet? Dixi dño, Deus meus es tu, qm̃ bonorũ meorũ nõ eges. Sumꝰ etiã inutiles, quia nihil poteſt homo ita mereri õpere, vt ideo reddatur, ꝙ ſola ratione boni operis deberetur. Quis enim vnquã pro eius rei, quam debuerat, ſolutione præmium poſtulauit? Sumus autem omnes pietatis, atque adeò cuiuſuis boni operis quadãtenus debitores. Idcircò Chriſtus adiungit: Quod debuimus facere, fecimus. Eſt huius expoſitionis, tametſi per ſe nihil difficilis, auctor Ambroſius, cuius verba in commentarijs epiſtolæ ad Romanos, cap. 4. commentariorum verò 10. hæc ſunt: Abſolutum eſt, ei qui legi factorum, id eſt, Moyſi ſubiectus eſt, aut naturali, non imputari meritũ ad mercedem, ut gloriam habeat apud Deum. Debitor eſt enim facere legem, quia neceſsitas impoſita eſt per legem, vt, velit, nolit, faciat legem, ne dãnetur, &c. Hęc Ambroſij ſunt, quę idcircò allegamus, ꝙ eius ꝑcipuè verbis & auctoritate nos grauat Philippus: quanq̃, vt ingenuè dicã, nõ video, qui cõſtare poſsint Ambroſio quæ mox de fide ſubiũgit: Nã ad eundẽ modũ poſſumus dicere, fidẽ noſtrã eſſe inualidã ad hoc, vt eius meritũ imputetur ad mercedẽ ꝙ opus noſtrũ ſit, idq́; maximè debitũ, & quo Deus minimè indiget. Attingit Philippꝰ hãc obiectionẽ, nihil eſt enim, ꝙ eiꝰ ſolertiã effugiat, occurrit tamẽ illi dicens: Fidẽ iuſtificare nõ ꝓpter ſe, ſed ꝓpter veritatẽ promittentis, quia iuſtè exigitur ꝓmiſſum, ſi fides ſit habita ꝓmiſsioni; atq; adeò fides ſola facit, vt ego iuſtè repetã, ꝙ tu mihi ſponte ꝓmiſeris. Hæc argumẽti aut redargutionis sũma eſt, & maxima fidei vis. Quod quidẽ argumẽtũ Philippꝰ Pauli Apoſtoli eſſe dicit, idẽque varijs verbis ſubinde multiplicat & repetit, addens ꝙ nec excogitari nec fingi quicquã poſsit, quo euerti queat. Ego vero idipſum vehemẽter ꝓbo.

Cæterũ ob eandẽ cauſam etiã cõtendo, charitatẽ & eius opera ſimul cũ fide iuſtificare, ꝙ mercedis iuſtificatio innitatur promiſsioni. Hoc Philippi verbũ eſt, ꝙ bene & ſapiẽter ab eo dictũ eſt dudũ. Quare cũ ratio debiti, atq; adeò iuſtitiæ oriatur à ꝓmiſsione, ſi ego tibi cras ad me venturo talẽtum auri mea ſponte ꝓmiſero, nũquã auferes aurũ, etiã ſi mihi fidẽ habueris, niſi cõſtituto inter ꝓmittẽdũ tẽpore aduenias, nec ſola tibi fides habẽdi aurum ius conferet, ſed tempeſtiuus etiam aduẽtus, cuius interpoſita conditione fuerat à me facta promiſsio. Nequit igitur homo promiſſam mercedem aſſequi, niſi promittendi cauſa & promiſsionis conditio intercedat. Promiſsionis diuinæ cauſas continet fides, conditiones pręſtat charitas. Promiſit enim deus *Iacob. 1.*
coronam vitæ diligentibus ſe. Et Paulus patientia nobis opus eſſe dicit, vt voluntatem Dei facientes, reportemus promiſsionem. Nempe quod, vt alibi pronunciat, pietas promiſsiones habeat vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Pietatem verò, tametſi res per ſe ſit aperta charitatẽ & eius opera eodẽ loco interꝑtatur Ambroſius. Demũ q̃renti, quanã ratione ęternã vitã aſſequi poſſet, Chriſtus ipſe reſpõdit: Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata. Hoc eſt *Matt 19.*
enim in ſumma pietatẽ colere. His alijſq́; innumerabilibus penè locis, q̃ paſsim ſcriptura ipſa vltrò legẽtibus offert, quibuſq́; ſemꝑ eſt opus adiunctũ ꝓmiſsioni, eccleſia admonita ſic orat: Vt mereamur aſſeq ꝙ promittis, fac nos amare, ꝙ præcipis. Hãc precationẽ apud Norimbergam doctrinæ veſtræ vrbẽ, ne interim à vobis poſsit contemni, memini me, dum ſacris ſolennibus intereſſem, die dominico audiuiſſe. Cùm igitur dilectio mãdatorum Dei, quę ſumma legis obſeruatio eſt, vobis etiam ſolemni precatione prædicantibus promiſsionem Dei aſſequatur, conſtat, eiſdẽ promiſsionibus inniti bonorũ operum merita, quibus & fidei merita innituntur, adeoq́ue hominem fide & charitate, ſaltẽ quæ bonorum operum radix eſt, iuſtificari, hoc eſt, dignũ fieri mercede, quæ ſola miſericordia, nullis pręcedentibus meritis, fuerat illi promiſſa. Citantur tamen Ambroſij verba quæ- *Ambroſius.*
dam, quibus dicit, conſtitutum eſſe à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere, ſola fide gratis accipiens remiſsionẽ peccatorum. Quid ni dicat Ambroſius, quod in Paulo eiſdẽ penè verbis, quibus ipſe vſus eſt, legerat, tametſi excluſione Paulus nunquã fuerit vſus? Cæterũ quomodo, aut qua de lege quibuſue operibus intelligẽdus ſit, declarãt hæc eius verba, q̃ ex cõmẽtarijs epiſt. ad Rõ. paulò antè citauimus. Quanquam eſt etiã aliàs veriſsimum, conſtitutum eſſe à Deo, vt qui credit in Chriſtũ, ſaluus ſit ſine opere, quia nullum opus noſtrum ante Dei conſtitutionẽ &

ſalutis promiſsionem meritum eſt aut præ-
ceſsit,ſed gratis nos Deus elegit, vocauit ad
fidem,iuſtificauit per fidem,hoc eſt, nullo a-
lio noſtro merito præcedente iuſtificationé
(quod Ambroſius excluſione ſignificauit)
non tamen,quòd iuſtitia noſtra, ſiue iuſtifi-
catio ſola ſit fides,ſed etiam charitas, vt mul-
tis demonſtratum eſt argumentis, quã iuſti-
tiam nemo potuit mereri, ſed gratis illa do-
Ephes.1. namur propter Chriſtum,in quo (vt Paulus
ait)elegit nos pater ante mundi conſtitutio-
nem,atque ideò anteà q̃ huiuſmodi dilectio-
né mereremur, vt eſſemus ſancti & immacu-
lati in conſpectu eius in charitate . Et infrà:
Gratificauit nos in dilecto filio ſuo , in quo
habemus redemptionem ꝑ ſanguinem eius,
& remiſsioné peccatorum , ſecundũ diuitias
gratiæ eius . Semper Apoſtolus opera fidei
adiungit.Nam etſi electi ſumus ſine operibus
noſtris,ad hoc tamé elegit,vt operemur, & ſi
promiſit ſine operibus noſtris , non tamé ꝓ-
mittit,niſi operantibus , modò poſsint actu,
alioqui habitus ipſe virtutũ , fides præſertim
& charitas,ſufficit ſacramento renatis.Elegit
nos,inquit,vt eſſemus ſancti & immaculati in
conſpectu eius in charitate . Quod idipſum
etiam ſi præſtiterimus, nihilo ſeciùs gratuitò
ſeruamur , quia nullus vnquam promiſſam
tibi ſalutem promeruerat,ſed omnibus Chri
ſtus,in quo habemus redemptionem per ſan
guinem eius,in remiſsionem peccatorum,ſe-
cundum diuitias gratiæ eius.Gratię deputa-
retur ſalus,ſi tantùm eſſet promiſſa gratuitò:
nunc autem diuitias gratiæ nobis proponit
Apoſtolus,quoniam abundauit gratia, non
modò in gratuita promiſsione, verùm & in
ſanguinis Chriſti inuentione,quę miſericors
promiſsio iuſtificat:idq́; miſericorditer etiã,
quãdo nec promiſsionem,nec ſanguinis, qua
iuſtificaremur,interpoſitionem vllus fuerit
Rom 3. vnquam promeritus . Sua etenim ſponte li-
beraliter & gratuitò pater filium propoſuit
propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius
ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.Quem ſi nõ pro-
poſuiſſet,miſericordiam ſuam promittendo
ſanè exhibuiſſet: nunc autem miſericordia
promiſsionis, & veritas exhibitionis obuia-
uerunt ſibi,fidei nimirùm amplexu,charita-
tis autem eſt, ꝙ iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.
Sed hæc omnia in Chriſto,quem,cùm pecca-
tum non noſſet, pro nobis pater fecit pecca-
tum , vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.
Haud itaque propoſito noſtro de fide & ope
ribus magis obſtant Ambroſij verba, quàm
multa,quæ Prophetę & Apoſtoli diſſerũt,de
gratuita per Chriſtum iuſtificatione. Huic
Act.10. enim (vt Petrus ait) omnes Prophetæ teſti-
monium perhibent,remiſsionem peccatorũ
accipere per nomen eius omnes,qui credun
in eũ.Quod idipſum quomodo intelligendũ
ſit,quamq́ue ab operum excluſione, pro qua
laborat Philippus,ſit alienũ,res ipſa , oppor-
tunitas & occaſio,qua ꝓlatum eſt ab Apoſto-
lo Petro,dubitare non permittit . Eſt enim
hæc ſententia de Cornelij cẽturionis cõuer-
ſione profecta: Ecce, inquit Cornelius, vir Ibidem.
ſtetit ante mę in veſte candida,& ait: Corneli
exaudita eſt oratio tua , & eleemoſynæ tuæ
cõmemoratæ ſunt in cõſpectu Dei, &c. Qui-
bus Petrus adiecit:In veritate cõperi,quia nõ
eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni
gente,qui timet eũ,& operatur iuſtitiã,accep
tus eſt illi. Timere,fidei eſt,tametſi nondum
abſolutæ,ſignificatio . Non ergò ſolis timẽti-
bus,vt non ſolis credentibus, Deus prædica-
tur acceptus , ſed timentibus & operantibus
iuſtitiam, hoc eſt,ea præſtantibus, quæ præ-
ſtabat Cornelius,de quo iſta dicuntur:Acce-
ptus,inquit,eſt illi.Et addit promiſsiones hu
ius acceptionis & iuſtificationis.Quia verbũ,
inquit,miſit Deus filijs Iſrael,annuncians pacé
per Ieſum Chriſtum.Hic eſt omnium domi-
nus. Verbum igitur , quod miſſum eſt filijs
Iſrael,hoc eſt,gratuita promiſsio diuinæ pro
pitiationis per Chriſtum, ad omnes ſpectat,
cùm omnium ipſe ſit dominus . Ad omnes,
inquam,qui timent Deum, & operãtur iuſti-
tiam,qua per fidem & opera iuſtificãtur, Dei
nimirùm promiſsione à nobis fide ſuſcepta,
& operibus quaſi in noſtram facultaté aſcita.
Mihi religio videretur, Apoſtolo Petro, ſe-
metipſum rebus ipſis & exemplis explicanti,
quicquam lõgioris expoſitionis adijcere, id-
circò ad alia feſtinemus. Citantur & in vige- Ioan.14.
ſimo capite Confeſsionis veſtræ verba Chri-
ſti:Ego ſum via, veritas & vita, ex quibus, ad-
iecto etiam quod Chriſtus eſt mediator & ꝓ-
pitiator,colligitis eum,qui ſe confidit operi-
bus mereri gratiam , adſpernari Chriſti me-
ritum & gratiam,& quęrere ſine Chriſto hu-
manis viribus viam ad Deum.Nos verò,quã-
tum humanis viribus,quantum noſtris ope-
ribus tribuamus,& quã ſine Chriſto nos ſer-
uatum iri credamus, nemini erit obſcurum,
modò quæ hactenus diximus , vel oſcitanter
legat.Iniquùm eſt tamen,vno duntaxat nós
vrgeri teſtimonio , cùm de eadem re plura
extent,quæ ſimul collata ſeſe viciſsim expo-
nunt,& cauſæ totius difficultatem excludũt.
Quamobrem iſti , quod pro fide à vobis ad-
ductum eſt,addamus & illud, quod eiſdem
Chriſtus dicit: Arcta eſt via, quæ ducit ad vi- Matt.7.
tam. Tropus nanque viæ ita conuenit Chri-
ſto,à quo vti rectiſsimo tramite nunquam eſt
diſcedendum,vt nihilò minus competat legi
mandatorum eius,cui debemus eò vigilãtius
quò arctior eſt & difficilior, inſiſtere.Nõ de-
clinabitis neque ad dexteram, neque ad ſini-
ſtram,ſed per viam,quam præcipit dominus
deus veſter,ambulabitis,vt viuatis.Citatur &
illud

Epheſ.2. illud Pauli ad Epheſ. Gratia eſtis ſaluati per fidem,& hoc non ex vobis.Dei enim donum eſt,nó ex operibus.Et quod ad Rom.dicitur Iuſtificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum.Quæ tamen nihil pugnant cótra nos, qui gratiam cófitemur, ſine qua ſcimus nihil boni fieri à nobis: confitemur etiã, vt modò expoſuimus, non ꝓpter noſtra bona opera, ſed gratis ꝓmiſſam nobis eſſe ſaluté propter Chriſtum,cuius donũ eſt, nó ſolùm promiſſio,verùm & fides,qua credimus: gratia,qua promiſsioni bonis operibus ſatisfacimus: & opera, quibus fide intercedéte iuſtificamur. Non enim ignauis,vt ſuperiùs dictum eſt, & ocioſis,ſed operantibus,animo ſaltem,ſi corporis viribus aut facultatibus nequeant,promiſſum eſt Chriſti regnum. Vnuſquiſq; igitur noſtrum Chriſto hæc omnia refert accepta,adeoque cum Paulo dicit: Gratia Dei ſum id,quod ſum, vtinam & cum eodé poſsimus dicere:Et gratia eius in me vacua nó fuit, ſed gratia eius in me manet.Alioqui etiamſi habuerimus fidem,quæ montes transferat, nihil nobis proderit. Plus itaque multò nos Chriſto tribuimus,quàm veſtri doctores.Illi Chriſto æternam felicitatem ferunt acceptã, quam fide ſe conſequuturos exiſtimãt,etiam ſine operibus,ꝙ tanta ſit præſumptio, quãta temeritas,viderint alij.Nos verò, quod vocati ſumus,quod electos nos eſſe cõfidimus, quod horum pignus, promiſsiones eius habemus,quod eius ſolius gratia datum ſit nobis, vt crederemus promittenti, quod per hanc fidem gradus eſt nobis factus ad charitatis perfectionem, quod charitatem conſequuti ſumus,qua eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, non propria mundicia, quam nec infans vnius diei habet, ſed charitatis,quam ipſe nobis contulit,beneficio: denique quod fide & charitate iuſtificati ſumus gratis per gratiam ipſius, ſine quo nihil horũ præſtare poſſemus, nec pręſtitum quicquam ad beatè viuendum prodeſſet. Omnia hæc, inquam,Chriſti dona eſſe fatemur, non ex nobis.Quis enim prior dedit illi, vt retribueretur ei? Acceptis tamen hiſce muneribus, cooperatores eius efficimur, iuxta Pauli doctrinam,qui & præcipit nobis, cum metu & tremore noſtram ſalutem operari,cùm tamẽ mox adijciat: Deus eſt enim,qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Huic nimirùm magiſtro,qui fidem operibus connectere, qui vniuerſa contemperare nouit, qui ita omnia in Dei gloriam vult cedere,vt noſtris tamen operibus æternæ vitæ conſequutionem quadantenus tribuat,ſecuriùs credimus, quàm Lutheri aut Philippi doctrinæ,qui omnia neſcio cui fidei, quam hactenus explicare non potuerunt, tribuentes,ſine noſtris operibus ęternam felicitatem

Chriſto plus tribuimus nos, quàm aduerſarij.

Philip.2.

ignauis promittunt & deſidioſis. Etenim quantumlibet vos illis in veſtra Confeſsione patrocinemini,& dicatis falſo accuſari, quòd bona opera prohibeatis,quantumuis eorum adhortationes ad benè operandum literis & verbis extollatis, meritò tamen audietis, quod de Epicuro prodidit Poſsidonius: Re quidem tollere Deos, oratione tantùm relinquere, idque inuidiæ deteſtandæ gratia. Nam quemadmodum Epicuro, numina deſcribere ocioſa,ignaua, nihil curantia, nihil agentia,nihil prouidentia, deſtruxiſſe potiùs fuit,quã adſtruxiſſe: ita veſtris doctoribus,bona opera inutilia facere,nihil gratię, nihil acceptionis, nihil meriti apud Deũ illis tribuere,re quidem prorſus contemnere eſt, licèt ea,inuidiæ tantũ deteſtandæ gratia,verbis & oratione commendent.Cuius per Deũ manus non continuò labaſcunt, cuius vis nó emoritur,cuius non langueſcit animus, vt audierit nullam Deo eſſe curam humanorũ operum,quicquid, ſiue boni operis ſit, ſiue mali,homines perpetrauerint: æquè cõtemnere,modò pertinaciter credant, ſe fore ſeruandos,quando non poteſt fallere, qui pollicitus eſt ita credétibus Chriſtus Ieſus? A page,inquies,imò curat maximè deus,quid homines faciant.Hoc facile eſt dictu. Sed quam rogo curã exiſtimabimus eſſe Deo de noſtris operibus,quando nullis ea dignatus eſt afficere præmijs,nulla mercede proſequi? Quid ſupereſt,hac perſuaſione recepta,niſi vt illud ex Epicuri gymnaſijs depromptum verſetur in ore cunctorum: Nemo memoriã habebit operum noſtrorum. Coronemus nos roſis, antequã marceſcant,nullũ pratum ſit, ꝙ non pertrãſeat luxuria noſtra. Vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ,quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra,&c.Dicetis fortaſſe, Philippũ aſſeuerare,fidei deberi æterna pręmia, operibus temporalia.Præclaram verò diſtributionem, ſi in hoc mundo tantũ in Chriſto ſperantes ſumus (ait Paulus, qui ſe non plus omnibus credidiſſe, ſed plus omnibus laboraſſe prædicat) miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.Quid obſecro Deus in hoc mũdo poteſt dare ijs,quibus omnia cõtemnere, abdicare,deſpicere perſuadet? Chriſtus de ęterna felicitate conſultus: Si vis,inquit,ad vitam ingredi,ſerua mandata. Mandatorum igitur obſeruationi,nó temporale præmium,ſed ęterna retributio debetur.Cuius mercedis ꝓmiſsione toties Chriſti & Apoſtolorum eius doctrina nos excitat, non ad credédum tantùm, verùm ad ea, quæ recta ſunt & honeſta, peragenda.Atqui doctores veſtri non vſque adeò carnales ſunt,vt pro mercede etiã æterna benefacere velint.Exiſtimant .n.nihil eſſe virtute pręclarius,nihil amabilius,nec quicq̃ eſſe tã excellens,quod mouere poſsit animũ, quem

Opera iſti commendant aduerſarij.

Matth.19.

quem ipſius honeſti ſpecies & pulchritudo
non mouerit. Ad hæc, tam perfectos ſe eſſe
profitentur, ac cæteros omnes eſſe volunt, vt
ſatis illis ad benè viuendum ſit, voluntatem
Dei noſſe, abſque eo ꝙ mercedis oſtentatio-
ne ducantur. Et ipſi quidem tales ſe fingunt,
Pſal.118. & credi volunt. Ego verò vehementer admi-
ror, ꝙ perfectiores ſint Propheta, qui incli-
nauit cor ſuum ad faciendas iuſtificationes
domini in æternum propter retributionem:
Apoſtolis ac cæteris fidelibus, quos mercede
tamen propoſita, Chriſtus cõtinet in officio
Luc.12. pietatis. Nolite, inquit, timere puſillus grex,
quia complacuit patri veſtro, dare vobis reg-
num. Ad hoc pertinet illud: Vnicuique vir-
tuti beatitudinis decus proponitur, præmiũ
adijcitur, vt facilius ab illis, quos in mõte ſo-
lus euangelicæ perfectionis culmen docebat
Chriſtus, expeterentur. Allicit enim nomen
beatitudinis, cuius rem omnes homines
naturaliter appetunt, & præmiorum tam
larga promiſsio, cuius vis animũ erigit ad ca-
peſſendum tædium & laborem, quem legis
diuinæ cuſtodia ſecũ affert, vtpote quę carnis
cõmodis & voluptatibus iniquitatũ omniũ
ac ſcelerum fomẽtis aduerſatur. Facile eſt ijs,
qui ceſſationis & ignauiæ cauſam ſuſceperũt,
vtpote rerum cùm humanarũ tùm diuinarũ
ignaris hæc omnia contẽnere (quanq̃ Philip-
pum in hęc paradoxa nõ tam ex animi ſentẽ-
tia, quàm neceſsitate defendẽdi ſemel ſuſce-
ptum dogma incidiſſe reor) ſed Chriſtus, qui
figmentũ ſuum nouit, euangelici cultus ope-
rarios ſpe mercedis cõducit ad vineam. Pau-
lus atiam Apoſtolus, præmiorũ oſtentatione
diſcipulos ſuos allicit ad benefaciendũ, dicẽs:
Bonũ facientes non deficiamus, tẽpore enim
ſuo metemus non deficientes. Id ꝙ momen-
2.Cor.4. taneum eſt & leue tribulationis noſtrę, ſupra
modum in ſublimitate æternũ gloriæ põdus
operatur in nobis, non contemplantibus no-
bis, quæ vidẽtur, ſed quę nõ vidẽtur. Apoſto-
lus Chriſti: Apoſtolus verò? Chriſtus ipſe
ſubleuandos, alliciendos, inuitandos duxit
primos Eccleſię fideles, ex quibus martyrum
examina ꝓdierunt, pollicitis, ne propter in-
gentem laborem, quẽ abſoluta pietas incutit
capeſſentibus, à virtute deficerent. Et noſtri
temporis Euangeliſtæ vſqueadeò illorũ cõ-
ſtantiam ſuperarunt, vt mercedis nomen fa-
ſtidiant, & fide tantùm ſibi debitam beatitu-
dinem exiſtimantes, cætera præſtẽt gratuitò.
Sit ita ſanè, illi, quos tantùm non Chriſtos fe-
ciſtis, quos æquus amauit Iupiter, & ardens
euexit ad æthera virtus, perfectiores ſint Pro
phetis, Apoſtolis, & Martyribꝰ: certè vulgus,
vt à voluendo dicitur, natura inconſtans eſt
& infirmus, atq; adeò affectibus cæcaq; cupi-
dine ducitur, nihil pernicioſiꝰ doceri poteſt,
quàm quòd ſola illis ſufficiat fides, ad æternę
felicitatis conſequutionem, quòd bona ope-
ra nihili Deus in præmiorum collatione pẽ-
dat, ꝙ diuinæ legis obſeruatio inutilis ſit &
æternitatis expers: deniq; quòd nihil poſsint
homines bonis operibus mereri apud Deũ,
cui etſi opera noſtra placeant, illũ tamen mi-
nimè placant, aut promerentur nobis. Qui
poterit animus, ingenitæ cupiditatis morbo
& peccatorum põdere colliſus, praua impli-
citus conſuetudine, corpori demùm, quod
iuxta Sapientem aggrauat animam, immer- Sap.9.
ſus, poſtremò perſuaſionibus iſtis imbutus,
ad virtutẽ excitari, expediri, roborari? Fide,
inquies, cuius fructus eſt virtus. & ſpiritu ſan
cto, qui adiuuat infirmitatẽ noſtrã. Specioſa
verba, & dictu facillima. Atqui ſpiritus ſancti
motibus non oẽs obtemperant, lege mẽbro-
rum ſpiritui repugnante, & hominis volũta-
tẽ in tranſuerſum agẽte. Alioqui nemo ſemel
iuſtificatus peccaret mortaliter. Et omnes fi-
dem ſe habere credunt, & tamen non omnes
ſtudioſè viuunt. Quinimò quod ait Flaccus:

Quemuis è media erue turba:
Aut ob auaritiam, aut miſera ambitione la-
borat.
Hic nuptarũ inſanit amoribus, hic puellarũ
Hunc capit argẽti ſplẽdor, ſtupet alius ære.
Hic mutat merces ſurgẽte à ſole ad eũ, quo
Veſpertina tepet regio, quin ꝑ mala ꝑceps
Fertur vti puluis collectus turbine, &c.

Quis hæc vitia in Ethnicis olim taxata, in
Chriſtianis aliquot hodiè non deprehendit?
Vbi non ſcinditur incertum ſtudia in cõtra-
ria vulgus? Vbi non furit, ac ſæuit animis ig-
nobile vulgus? Vbi nõ ſcortatur, ludit, potat,
& per ſingula flagitiorum genera diſſoluitur
vulgus ignauum? Fortaſsis in Germania. Oẽs
tamen, etiam ſi media in fęce vulgi ſordeſcãt,
fidem habere ſe iactãt. Quid ni? cùm ſe Chri-
ſtianos exiſtiment, nihilq; nouerint de Stoi-
ca fide Lutheri, à quo tantùm didicerũt per-
tinaciter credere ſe felicitatem ęternam aſſe-
quuturos, etiã ſi omnium ſcelerum libidine
ſubinde ſordeſcãt, etſi veluti canes ad vomi-
tum identidem reuertantur, modò nũquam
illis deſit iſta fides, qua ſe credant incunctan-
ter hæc omnia adipiſci per Chriſtũ, cuius tãta
fuit erga genus humanũ clementia, vt poſt-
quàm ſemel opus conſummauit, quod dedit
illi pater, quo nobis meritus eſt beatitudinẽ,
tam merendi cura, quàm bonorum operum
labore leuauerit in ſe credituros. Hęc eſt phi
loſophia Lutheri, quã vt verbis ac literis ne-
gare conetur, rerũ tamen, quas nũc inuoluit,
nunc euoluit, ſumma extorquebit ab inuito.
Nec poteſt diſsimulare doctrinã, quã in Ger-
manorum ſuorũ cùm verbis, tùm moribus
cogetur agnoſcere, quo & nobis etiam cõni-
uentibus paſsim protruditur experimẽto, &
ipſe non ſemel queſtus eſt, corruptiores ſe

d[illegible]m ex [illegible] ..nanoru mores,
[illegible] [illegible]erunt, q fuerant
[illegible] [illegible]uod vocat. Eſt
tamen vn[illegible] [illegible]axima vtilitas, quę ab
h[illegible]noua[illegible] [illegible]ut certè verborũ nouita-
te exoritur. Quænam? inquies. Quod quan-
quàm hæc doctrina contemnitur ab imperi-
tis, tamen experiuntur pię ac pauidę conſcié-
tiæ, plurimum eam cóſolationis afferre. Ag-
noſcitis credo, viri Germani, Cõfeſsionis ve-
ſtræ verba, quibus addit Philippus in Apolo- *Philippus.*
gia: Proinde non patiantur ſe bonæ mentes
depelli ab hac ſententia, quòd tantùm fide
accipiamus remiſsionem ꝓpter Chriſtum. In
hac habent certam & firmam conſolationem
aduerſus peccati terrores, & aduerſus æternã
mortem, & aduerſus omnes portas inferorũ.
Miror, ꝙ nõ addidit, aduerſus virtutũ etiam
labores, aduerſus tædium reſipiſcédi, aduer-
ſus pœnitentiæ dolores. Quid enim opus eſt
omnibus iſtis, vbi ſola fide peccatorũ remiſ-
ſionem & iuſtificationem fuerit aſſequutus?
Quid autem ni afferat doctrina iſta conſola-
tionem pijs conſcientijs, q̃ etiam impijs blan-
ditur & indulget? Nam quis nõ ſibi in medijs
quoque facinoribus applaudat, cũ memine-
rit, nihil ſe felicitatis amiſiſſe in bonorũ ope-
rum omiſsione, nihil admiſiſſe diſpendij in
malorũ deſignatione, quando in promptu
eſt illi fides, qua cõtentiſsimè credens ſe fore
ſeruãdum, felicitatem à Deo etiã extorquere
poſsit? Adde, ꝙ non ſolũ docentur bona ope-
ra ad beatitudinis cóſequutioné nihil ꝓdeſſe
vt contemptui ſint ſceleſtis & ignauis, verùm
& nulla eſſe in hominibus quantùlibet iuſtis
bona opera, auſus eſt aſſeuerare Lutherꝰ. Eiꝰ
eſt enim illa ſententia: In omni opere bono
iuſtus peccat, cui additur & alia: Nullum eſſe
videlicet peccatum veniale, ſed omnia mor-
talia, niſi Deus delectum quendam faceret in
condonando. Quid igitur ſupereſt, hac per-
ſuaſione recepta, niſi vt omnes, abiecta omni
ſpe cuiuſquam boni operis faciendi, ſeſe vo-
luptatibus dedant, ſceleribus immergant, &
inter hæc turpiſsimus quiſq; ganeo aut ſicariꝰ
æqualem ſe meritis Petro exiſtimet & Paulo,
quos putat nullũ habuiſſe meritũ, nec habere
quidem potuiſſe, quando omnia illorũ facta,
dicta, cogitata, peccata erant, non lenia, ſed ca
pitalia? Et interim (ſi diuis placet) grandi ſu-
percilio & intolerabili arrogantia occinitur
nobis, Lutherum & eius dogmatis prædica-
tores, quorũ hæ ſunt præcipuæ de moribus
hominum aſſertiones, doctrinam euangelicã
labãtem, imò & iam dudùm ætate collapſam,
erexiſſe, quodq; vtiliter docuerint de omni-
bus vitæ generibus & officijs, q̃ genera vitæ,
q̃ opera in qualibet vocatione Deo placeant.
Quomodo verò placere poſſunt, qui nunquã
non peccant? Quaſi neſciamus, quibus libris
& concionibus hæc docere ſe prædicãt, in eiſ-
dem docuiſſe nullum hominis opus eſſe Deo
gratum, omnes ſanctos fuiſſe impios, blaſ-
phemos, idololatras, etiam maxima cùm pol-
lere ſanctitate videbantur, & id genus alia.
Quibus nihil peſtilentius tradi, nihil con-
ſternandis piorum animis, impiorum verò
extollendis & indurandis accommodatiùs
doceri potuit. Ite nunc, & bonorum operum
doctrinam ad nauſeam vſque iactate, prædi-
cate veſtrorũ conciones, ſermones extollite:
quandiu ita docuerint, quemadmodũ hacte-
nus docuerunt, ſemper à me audient: Re qui-
dem vniuerſa bona opera prorſus extingue-
re, etiam ſi oratione, idq́; ad vitandã dũtaxat
inuidiam, probare videantur. Veruntamen
nõ omnino eſt inutilis iſta doctrina. Obſcu-
rat enim & extenuat humanam gloriam, qua
nihil eſt homini pernicioſius, diuinã extollit
qua nihil ſalubrius. Porrò autem quaſi nõ ſa-
tis conſternatur omnis gloria, quæ homini
poſsit obrepere, dũ docetur, nihil humanas
vires ſine Deo valere, nec eſſe quidem, etiam
cùm maximè ad virtutem fuerit homo con-
nixus, aut quaſi poſt hanc perſuaſioné quic-
quam homini ſuperſit, de quo poſsit gloriam
aucupari. Gloria verò diuina quid eſt, in quo
magis eniteat, quàm in homine vſqueadeò
prouehendo, vt natura conditus tam fragili
& imbecilli, gratuitis muneribus fiat quodã- *Philip. 4.*
modò omnipotens? Omnia poſſum (ait Pau-
lus) in eo, qui me confortat. Quinimò vnus
Lutherus Chriſti gloriæ omninò detrahere
mihi videtur, qué negat etiam in electis quic-
quam operis, quod nõ ſit peccatum, efficere
poſſe, aut ſi poteſt, velle. Ex his enim alterum
ſine controuerſia colligitur ex illa ſententia,
quod in omni opere bono iuſtus peccat. Hęc
incommoda, etſi diſsimulari nequeant, eò fe-
renda fortaſsis ducet Philippus, quòd ex illis
vnum idemq́ue maximum commodum vi-
demur conſequuti. Nam catholici admoniti
(vt in Confeſsione veſtra dicitis) nõ perinde
prædicãt inutilia opera, vt olim. Prætereà in-
cipiunt fidei mentionem facere, de qua olim
mirum erat ſilentium, &c. Nequeo Hiſpanus
& Germaniam hactenus nunquam ingreſſus
ſcire, quid Germani concionatores ante Lu-
theri dogmata exorta docuerint. Certè apud
Hiſpanos, Gallos & Italos, nunquam fides &
gratia diuiſa eſt ab operibus bonis, quando-
quidem ſine vtraque, bona non eſſent, nõ ta-
men dubito, quin multa ſint admixta con-
cionibus ſacris à fidei ſimplicitate & euange-
licis moribus aliena, hęc tamen nõ à cóciona-
toribus, ſed à negociatoribus, qui nunquam
in Eccleſia defuerunt, ambulantes, vt Paulus
inquit, in aſtutia humanæ ſapientiæ, & verbũ
Dei adulterantes, hoc eſt, Chriſti doctrina ad
propria commoda abutentes, & nõ Chriſto,
ſed

ſed ſibi filios ex ea gignentes, à quibus etiam peculiariter coli gloriantur, dicentibus: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego
1.Cor.1. verò Cephæ. Nec deſunt etiam quidam alij, qui ex contentione Chriſtū annunciant non ſyncerè, exiſtimantes, vt Paulus ait, preſſurā ſe ſuſcitare vinculis bonorum, eorum ſcilicet qui, cùm omnia diligentibus Deum cedāt in bonum, alienis erroribus admoniti, medium tenere nituntur: Hoc eſt, ita veritatis euangelicæ viam inſiſtere, vt nec ad dexteram ſuperſtitionis, nec ad leuam impietatis deflectant. Quamobrem libenter admittimus, & æquanimiter ferimus, quod in Confeſsione dicitur, cœpiſſe nos poſt Lutheri doctrinam docere fidem, & ab anilibus fabulis deſtitiſſe. Verùm vt à nobis hoc factum eſt, abſque totius eccleſiæ offenſione, quis dubitet, eadem ratione à vobis ſine totius orbis Chriſtiani ſcandalo & commotione fieri potuiſſe? Quāquam ego anteà multò quàm ſcirem, quid Lutherus prædicabat, aut quicquā eius præter nomen & hæreſis notam audirem, quæcunque de fide & operibus, de naturæ imbecillitate & operum diffidentia nunc ſcribo, docueram multis annis in Hiſpania, idque citra Eccleſiæ ſcandalum aut offenſionē, quæ doctrinam ſuam agnoſcebat, probabat, & vt fidelium mentibus olim impreſſam amplectebatur. Idipſum tamen, quod dicendū hic ſiet, non abſque inſectatione improba quorundam, qui ſua intereſſe putabāt, multa quę à me dicebantur, præteriri, quędam ſecus ex-
Rom.8. poni. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

Philippica VII. Quæ ijs argumentationibus reſpondet, quas ad Confeſsionem in Apologia adiecit Philippus.

HActenus expoſuimus ſcripturarum loca, quæ in Confeſsione veſtra Germanicitantur, & ita expoſuimus, vt cæteris omnibus, quæ poſſent afferri, mea quidem ſententia, ſatisfeciſſe videamur. Nulla enim alia producuntur in Apologia, quę ſint efficaciora, ſed eadem inculcantur, atque identidem occinitur nobis fides, promiſsio, verbū Dei, quib' ſanè rebus nos omnia debere fatemur. Sed vt promiſsio & verbum Dei non apprehenditur ſine fide, ita nec ſine labore, cui promiſſa eſt requies, nec ſine bonis operibus, quib' promiſſa eſt merces, aut certè ſine charitate, cui vitæ corona promittitur. Quinimò vt contendit Philippus, fidei vim oriri à promiſsionibus & verbo Dei, ita verbi Dei virtus à noſtris quodammodò pēdet operibus. Noſtris enim meritis, vt Ambroſius inquit ad Irenæum, verbum Dei nobis aut viuit, aut moritur. Nam ſi bona ſtudia atque opera noſtra ſint, viuit atque operatur in nobis Dei verbum: ſi tenebroſæ cogitationes, operationeſque noſtræ ſint, occidit nobis ſol iuſtitiæ. Hæc Ambroſius. Promiſsionis igitur verbū fide ſanè concipitur, non tamen ſola fide, ſed charitate viuit, per quā fides ipſa, iners alioqui & propemodum inutilis, ea quæ promiſſa ſunt, operatur. Vt hanc veritatem, quam Philippus.
tota ſcriptura ſacra à capite ad calcem vſque prædicat, obſcuret Philippus, multis vtitur verborum inuolucris, & ſolius fidei partes amplexus, depingit nobis modum, quo ſit ſufficiens ad iuſtificandum, & ſpiritum ſanctum promerendum, qui modus etſi illi & pijs omnibus, vt dicit, planus ſit & perſpicuus mihi certè hactenus non plenè intelligitur. Inſultat præterea nobis, quòd non, vt ille, ſpiritus ſancti motus in numerato habeam'. Dicit, nunquam poſſe nos dicere, quomodo ſpiritus ſanctus detur, & quaſi ab improbantibus modum, quem ipſe deſcripſerat, alterū quærit apertiorem. Cui nos, ſi, quæ ſuperiùs de iuſtificatione & gratia dicta ſunt, non ſufficiunt, breuiùs reſpondemus: Spiritus, vbi Ioan.3.
vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis, vnde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt de ſpiritu. Eſt enim ſibilus auræ tenuis, qui operientibus præ nimio præcedentis vitæ pudore vultum aduenit, ſi tamen illam reſipiſcēdo poſuerint. Hoc eſt enim euidentiſsimum ſignum aduentus eius. Porrò cùm adeſt, non tantùm fidem, ſed & charitatem efficit, vt vtraq; iuſtificet. Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritū ſanctum, qui datus eſt nobis. Iā charitas opus legis eſt, vt ſuperiùs diximus, imò & legis corpus, quare non ſola fide, ſed etiam charitatis lege ſpiritus ſanctus iuſtificat: Poſt dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hæc verò iuſtificatio noui teſtamenti eſt, quam Paulus ad Hebræos, eodem teſtimonio vſus, diſtinguit à veteri, cuius dicit iuſtificationes fuiſſe culturę, & ſanctum ſeculare, hempe tabernaculum, candelabra, menſam propoſitionis, &c. Philippus (vt verborum Philippus.
eius ſeriem in diſputatione ſeruemus) quò verbis ſaltem aliquid addat in Apologia, cùm rerum nihil prætermiſerit Cōfeſsio, ait peccatorum remiſsionem & iuſtificationē idem eſſe, probat teſtimonio Prophetę: Beati, quo- Pſal.31.
rum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. Quantam vim habeat probatio, iudicent alij. Nobis in re minimè dubia nullis opus eſt teſtimonijs. Ille ſua probatione contentus irridet Theologos, qui vt dicit, diſputant frigidiſsimè, an ſit vna duntaxat mutatio, an duæ: interim ipſe, vt eſt callidus, ſed parùm ſibi conſtans, præcedenti periodo, nulla fermè linea interpoſita, dixerat remiſsionem peccatorum præ-
cedere

cedere iuſtificationem, quod quomodo poſſit eſſe, ſi ſunt idem, viderint eius aſſectatores. Nos quid hac de re ſentiamus, ſuperiùs expoſuimus. Ex hac itaque, vt ita loquar, identitate tanquàm ſibi conceſſa, ſic argumẽtatur:

Ratiocinatio Philippi.

Remiſsio peccatorum & iuſtificatio ſunt idẽ: & ſola fide ſine charitate & operibus bonis, quamuis ſint fidei fructus, conſequimur peccatorum remiſsionem: ergò ſola fide ſine charitate & operibus iuſtificamur. Et addit, intelligendo iuſtificationem, ex iniuſto fieri iuſtum. Quibus verbis declarat, nos non ita ſola fide iuſtificari, vt ſola fides iuſtificationem præceſſerit aut promeruerit, ſed ita, vt iuſtificatio noſtra ſola ſit fides, qua ſola ex iniuſtis iuſti ſimus. Hoc nimirum eſt, quod totius diſputationis controuerſiam habet. Sũt in huius argumentationis antecedente duæ partes, quas maiorem & minorem dialecticis appellat nominibus. Maior eſt, peccatorum remiſsionem & iuſtificationem eſſe idem. Minor, peccata ſola fide ſine charitate & quibuſuis operibus bonis dimitti. Ex his legitima collectione inſert cõcluſionem, perinde veram atque ſuit hypotheſis: nempe quòd ſola fide ſine charitate & eius operibus iuſtificemur. Antecedentis priorem partem non probat, quia neminem dubitaturum exiſtimat, quamuis ipſe maximam dubitandi cauſam paulò antè, remiſsionem peccatorũ priorem faciens iuſtificatione, præbuerit. Poſteriorem ita exponit & probat: Expoſitionem prius audite, nam bona fide eius verba tranſſcribam. In remiſsione, inqt, peccatorũ oportet in cordibus vinci terrores peccati, & mortis æternæ. Sicut Paulus teſtatur dicens: Aculeus mortis peccatum eſt, pœna verò peccati lex. Gratia aũt Deo, qui dat nobis victoriam per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ. Id eſt, peccatũ ꝑterreſacit conſcientias, id fit ꝑ legẽ, ꝙ oſtendit iram Dei aduerſus peccatum, ſed vincimus per Chriſtũ. Quomodo? Fide, cùm erigimus nos fiducia ꝓmiſſæ miſericordiæ ꝑ Chriſtum. Habetis expoſitionem minoris vſqueadeò lucidam & perſpicuam, vt non plus ex toto libro, atq; ex illa poſsitis intelligere. Vobis ô Germani non dubito, quin facilius ſit intellectu, vtpote verſatis in eius & Lutheri doctrina, quibuſq; notæ iamdudùm ſuere illorum phraſes atque periphraſes. Mihi verò, cùm gymnaſticus ſim & ſophiſta, apertior erat minor ꝓpoſitio, priuſq̃ exponeretur. Siquidem de expoſitione hoc tãtùm intelligo (ſi quicquam habet intellectu dignum) quod cùm lex damnet, & iram operetur, oportet nos aduerſus illam fortiter inſurgere, & concepta fiducia, miſericordiæ Dei, quæ ſaluat, quicquid lex ſuerit in nobis operata, prorſus abijcere, hoc eſt, quod difficulter quidem & hallucinando (quæ mea eſt hebetudo) potui ex verbis expoſitionis colligere. Quod ſi verũ eſt, nulli ſunt iuſtificatiores, vt ita loquar, quàm adulteri, homicidæ, ſures, ſacrilegi, qui omnes egregiè inſurgunt aduerſus legem: quin & plurimi eorum fiducia miſericordiæ Dei & promiſsionum abutentes (nihil enim illis tam verſatur in ore) firmiſsimè credũt ſe fore ſeruandos, & erunt fortaſsis: ſed ſi fidei adiecerint legis obſeruationẽ, hoc eſt, Dei & proximi dilectionẽ, alioqui dæmones credũt & contremiſcũt. *Iacob. 2.* Sed iam Minoris expoſitione dimiſſa, ad probationẽ accedamus: nã hoc opus hic labor eſt, in quo ſumma totius controuerſiæ ſtatuitur, Philippo aſſeuerante, ſolam fidem ſufficere ad peccatorũ remiſsionẽ *Philippus.* nobis verò charitatem vt neceſſariã addentibus, vel ꝓpter id; ꝙ Chriſtus ait: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hac in re qui vicerit, cauſam obtinuit. Adeſte igitur animis viri Germani, adeſte inquã, omnes obſecro, quibus cordi eſt Chriſtiana philoſophia, & huc oẽs ingenij neruos intendite. Nam hactenus loquuti ſunt Principes & populi, q Lutherano dogmati nomẽ dederũt quorũ nulla aut peruulgaris ſolet eſſe ſapiẽtia: nũc ſolus loquitur Philippus, & loquitur myſteria de arcanis Lutheri theſauris exprõpta. Nos verò nihil aduerſus ea nouum, nihil reconditum, & nunc demum poſt tot ſeculorum volumina reuelatum proferemus, ſed ſimplicem veritatem, ſacris tantùm literis innixam. Vtrorumq; iudices omnes viri boni, atque adeò eccleſiæ membra ſunt. Duobus medijs innititur tota Philippicæ argumentationis energia: alterum ſumit à ratione mediatoris & ꝓpitiatoris, qui eſt Chriſtus Ieſus: alterũ à ratione ꝓpiciationis, ꝙ tamẽ in idem recidit, nec eſt aliud q̃ prioris repetitio & explicatio, qua res nõ dilucidior, ſed prolixior fiat. Idcircò nos vnà reſponſione vtriuſq; vim declinabimus, nam mediationis rationem inſetiùs repetemus. Ex priori itaque medio, vt non ſolũ ſe theologum, verũ & dialecticum oſtendat, argumentis primo colligit, deinde multis collectionem teſtimonijs confirmat. Collectionem ad hũc modum exorditur. Sic igitur probamus minorẽ: Ira Dei non poteſt *Collectio Philip.* placari, ſi opponam⁹ noſtra opera, quia Chriſtus propoſitus eſt propitiator, vt propter ipſum fiat nobis placatus pater. Chriſtus autem non apprehenditur tanquam mediator, niſi fide. Igitur ſola fide conſequimur remiſſionem peccatorum. Hæc ſumma collectionis eſt, ipſius Philippi verbis propoſita, ad cuius examen dialecticos omnes & rhetores appello, vt mecum expendant huius argumentationis vim, an ſcilicet quicquam efficiat eorum, quæ colligẽda propoſuerat, & an periodi finis aptè reddat, quæ pollicita ſunt principia. Dicet verborum has eſſe nugas, ſe

ſeriò & de rebus grauiſsimis argumentari, & ideò res potiùs quàm verba eſſe metiendas. Ego verò qui poſſum res niſi verbis intelligere, aut verba niſi verbis refellere? nec aduerſus tantum dialecticum, qui per gradus procedit, & maiorem ſeiungit à minori, quas dialecticis nominibus appellat, ſcio niſi dialecticè agere. Per dialecticæ ergò certiſsimas regulas reſpondeo in argumento, ſi ad aliquem ordinem redigatur, committi fallaciã conſequentis: nam vt diſpoſitum eſt à Philippo, nulla reſponſione videtur eſſe dignum. Cæterùm eſto, quòd in forma non peccaſſet, animaduertam, an defecerit in materia, hoc eſt, vtrum vera ſint omnia, quæ proponũtur ad colligendum: quod ſi non ſunt, poterit concluſio eſſe falſa, etiam cum optimè collegerit in argumento. Ira Dei non poteſt, inquit, placari, ſi opponamus noſtra opera, &c.

Operibus nostris placatur ira Dei.

Si noſtra vocat ea, quæ nos ſine peculiari Chriſti gratia perpetramus, quæ ſunt ꝓpriiſſimè noſtra, verum eſt pronunciatum: ſi verò opera noſtra intelligat illa etiam, quæ nos Chriſti gratia adiuti facimus, falſum & vanũ. Nam hæc poſſunt iræ Dei opponi, quandoquidem in illis, tametſi humana opera negare non poſſunt, quatenùs tamen bona ſunt, opponitur Chriſtus, in quo iuſti manent, & quem tamdiu manentem in ſe habent, quandiu bonorum operum retulerint fructus. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructũ multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.

Simile.

Quemadmodum igitur ſi iudicis iræ oppoſueris diploma tua manu confectũ, ſubſcriptum tamen principis manu & eius ſigillo firmatum, non tuum, ſed principis opus iudici oppoſuiſti: ita & viri iuſti, non modo noui, verùm & veteris teſtamenti, quibus fide & experimentis nota erat Chriſti tametſi venturi virtus, humana opera auſi ſunt opponere iræ Dei, vt hic: Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius, & hic: Memento domine, inquit Ezechias, quod ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim. Et Hieremias: Attende domine ad me, & audi voces aduerſariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderũt foueam animæ meæ? Recordare quod ſteterim in cõſpectu tuo, vt loquerer ꝓ eis bonum, & vt auerterem indignationẽ tuam ab eis. Rurſus Dauid: Dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in cõfractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos. Et multa id genus, quę in ſacris literis extant, quæ etſi myſticè dicta ſint de Chriſto, veriſsimè tamen ijs, de quibus dicta ſunt, euenerunt per Chriſtum, vt ex illorum apparet hiſtorijs. Denique Dauid, Nabuchodonoſor, Niniuitæ, Petrus apoſtolus, Maria

Psal.131.

Psal.150.

Magdalena, & alij multi, quorum pœnitentia deſcribitur in ſacris literis, lachrimas, eleemoſynas, preces, ieiunia opponebãt irę Dei. Quid autem mirum, ſi homines irato Deo humana oppoſuerint opera, cum ipſe Deus Sodomæ & cæteris ciuitatibus iratus, pollicitus ſit fore, vt vel propter decem iuſtos ciuitatem non euerteret? Quin & ſeruata eſt Segor ciuitas, ad quam Loth iuſtus confugerat, idq; propter Abraham. Cùm enim ſubuerteret dominus (ait ſcriptura) ciuitates [illegible]onis illius, recordatus eſt Abrahæ, & liberauit Loth de ſubuerſione vrbium, in quibus habitauerat. Vanũ eſt igitur, quod prior pars antecedentis propoſuerat, nõ poſſe ſcilicet nos humana opera iræ Dei opponere, oppoſuerunt enim multi cùm ſua tùm aliena. Eſt etiã falſum, quod in minore dicitur, nẽpe quod Chriſtus non apprehenditur tanquam mediator, niſi per fidem. Mediatorem enim fides & deſiderium apprehendunt, quod idipſum etiam exemplo monſtremus. Si qua in rebus humanis controuerſia tranſigenda eſt mediatore, oportet vt diſsidentium vterque velit controuerſiam finire, nec velit, modò verum ſtatuat, intra ſe quicquam reijcere eorum, quæ mediator & interpres iudicauerat alterutri neceſſaria ad litem dirimendã. Hæc omnia voluntatis opera ſunt, quibus accedat neceſſe eſt fides, qua vterq; fidat illi, quẽ ſibi delegerint mediatorem, & credant tam bonum eſſe iudicem, tam æquum & iuſtum, vt neutrum ſit grauaturus. Hæc notiſsima ſunt experimento, ex quibus cõſtat, quod mediatorem non ſola fides apprehendit, ſed fides & amor finiendi litem, & propoſitum vnà exequẽdi, quicquid mediator iudicauerit neceſſarium. Quod cum ita ſit, facilè colligitur, iuſtificationem mediatoris, fide, & eorũ, qui iuſtificandi ſunt operibus obtineri, & non ſola fide, quod Philippus conatus eſt adſtruxiſſe. Dicet tamen ea, quæ nos fidei addidimus, neceſſaria eſſe, vbi mediator nõ eſt per ſe ſufficiens ad leniendum alterum illorum, quos reconciliat, nec ad placandum, vt ignoſcat alteri, à quo eſt offenſus, Chriſtus autem mediator Dei & hominum, à patre nobis propoſitus, non ab hominibus electus, potens eſt in eo, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, & eis qui tẽtãtur, auxiliari: idq;, vt ait Paulus, vt repropitiaret delicta populi. *Heb.2.* Idcircò non eſt opus ad huiuſmodi reconciliationem operibus noſtris aut electione. Verùm ais: Non fuit opus noſtris operibus, vt ipſe pro nobis intercederet, aut mediator fieret põtifex, quẽadmodum opus eſt inter homines, vt quem mediatorem aut arbitrum opponere in cauſa volueris, bonis antea operibus præuenias, & illum promerearis officiis: nec eſt etiam opus, vt illum prece aut precio ad interceden

dum

dum inuites, quod fieri ſolet inter homines, nihil horum opus fuit nobis, vt Chriſtus pro nobis, non ſolùm mediator, verùm & propiciator intercederet. Quis enim prior dedit illi, vt retribuatur ei? Quis ſibi talem potuit ꝓmeruiſſe mediatorem? Quis illum vel prece vel affectu ſaltem interpellaſſet ad intercedendum pro nobis, niſi Deus illum vltrò ꝓpoſuiſſet, vt ait Paulus, propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtẽſionem iuſtitiæ ſuæ? Totũm hoc, iuxta eundem Paulum, donum Dei eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Pulchrè Apoſtolus iuſtificationem noſtram creationem appellauit, quia ſicut nemo mereri potuit, vt crearetur, nemo præuenire valuit officio creatoré: ita nemo potuit mereri vt iuſtificaretur, hoc eſt, nemo propiciatorem officio præuenire, ſed ipſe ſua ſponte propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, dignat° eſt cauſãm noſtram agere apud patrem (cuius etiam voluntate fiebat) iuxta iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nõſtrum daturum ſe nobis. Nec ſemel duntaxat Chriſtus hoc fecit, abſit enim, vt hoc tantum crimen, quod Philippus aduerſus nos comminiſcitur, agnoſcamus. Semel quidem pro peccatis noſtris mortuus eſt, at quotidiè interpellat pro nobis. Eſt.n. propitiatio ꝓ peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Veruntamen cũ eius reconciliatio, cõuerſio & iuſtificatio noſtra ſit, ut Philippus non negabit, non reconciliat niſi conuertamur: tametſi gratiæ ſit eius, quod conuertimur: non reconciliat niſi volentes, quamuis ipſe dederit, vt velimus. Iã conuerti non tantùm credere eſt, quoniam auerſio nõ tantùm eſt incredulitas, ſed (quod vos optimè confeſsi eſtis) peccatum, quo voluntas malnrum non adiuuante Deo auertit ſe ab eo. Ad eundem modum iuſtificatio nõ eſt tantùm fides, ſicut nec iniuſtitia tãtùm eſt infidelitas, ſed omnis iniquitas, qund & ipſa ratio nominis præ ſe fert. Intercedit ergo mediator noſter pro iis, quorum nulla opera p̄ceſſerunt, vt reconciliarẽtur, quique nõ priores dilexerant, vt redamarentur: ſed eius interceſsio facit, vt amemus, & hac maximè ratione reconciliatio dicitur. Conciliatio enim mutuus voluntatum ſolet eſſe complexus. Hæc noſtra conuerſio eſt, hæc noſtra iuſtificatio, hoc eſt, ex iniuſtis fieri iuſtos, ex inimicis amicos. An audebit Philippus iuſtificationem ſeiũgere ab amicitia? An erit, qui neget, nihil aliud nobis eſſe iuſtificari, quàm ex inimicis amicos fieri? Porrò amicitia non fidei tantùm, ſed præcipuè charitatis eſt, à qua, ſola nominis varietate, diſcernitur. Quamobrem vt iuſtificatio ſine amicitia, ita ſine charitate fieri nequit: charitatem verò affectus continet, opera præſtant. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Et iterum: Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Quod ſi Philippus velit, vt ea quæ libera oratione digeſta ſunt, nos quoq; dialecticè colligamus, & argumentationis noſtræ (quod ipſe fecit) maiorem diſtinguamus à minore, facilè (vt ille per idẽtitatem remiſsionis peccatorum & iuſtificationis conatus eſt iuſtificationem ſoli fidei nequicquam tribuere) nos ab eo, quod iuſtificatio & reconciliatio ſunt idem, iuſtificationem ſine charitate fieri non poſſe demonſtrabimus. Sit autem hæc argumentorum diſpoſitio: Iuſtificatio & reconciliatio ſunt idem: & reconciliatio non poteſt fieri ſine dilectione: ergo nec iuſtificatio. Maior nota eſt: minorem probo à diffinitione ad diffinitum. Eſt enim reconciliatio mutuę dilectionis reſtitutio, vt conciliari cuiquam, eſt illum mutuo diligere. Nunc rurſus colligo: Iuſtificatio nõ poteſt eſſe ſine dilectione: & dilectio & charitas ſunt idem: nõ ergò poteſt eſſe ſine charitate. Maior eſt præcedenti argumentatione probata: minor ſimplici vocum ſignificatione nota. Iã vt maniſeſtiùs appareat, nos oppoſitum Philippicę aſſertionis demonſtraſſe, tertia nobis eſt repetenda collectio: Iuſtificatio nõ poteſt fieri ſine charitate, ergo non fit ſola fide, ꝙ Philippus demonſtrandum propoſuerat. Hæc pueriliter Philippi dialecticæ data ſint. Nunc ad ea, quę grauiori ſtylo ex ſacris literis deduximus, hoc addamus: Quod etſi potuit Chriſtus ꝓ ijs, qui iniuſti fuerant, intercedere, atq; adeò hac illos ratione beneficio præueniſſe, nõ tamen poteſt iniuſtos, quandiu ſunt iniuſti, iuſtificare: ſed oportet vt ille conferat iuſtitiam, ipſi verò aut operibus aut ſaltem affectu præuenientis gratiæ munera comitẽtur, & ita largiente Chriſto, ipſis verò (de adultis loquor) cooperantibus, ex iniuſtis iuſti fiãt. Alioqui cur non iuſtificet dormientes, ſi nihil agentes iuſtificare conſueuit? Iam iuſtitia, ne rurſus contendat Philippus eſſe ſolam fidem, ſuperiùs diximus quid ſignificet, & habemus eius confeſsionem in Apolngia, ꝙ continet vtramque legis tabulam. Quod ſi iuſtitia vtramq; continet, aut quod proprius dixerim, vtraque continetur, & non iuſtificamur niſi iuſtitia: qui poterit, niſi à ſeipſo diſſentiat, iuſtificationẽ ab vtraq; tabula ſeparare? Quod tamen tandiu facit, quandiu illã ſoli fidei conatur tribuere. Dixerit tamẽ aliquis: Nihil horum, tametſi videntur veriſsima, poteſt conſtare cum ijs, quæ paſsim eccleſia docet & exercet. Nam pueri citra infantiam iuſtificantur, non charitate, non Dei &

Rom. 3.

Philippus crimen nobis imponit.

Reconciliatio.

Ioan. 15.

Ibidem.

Iuſtificatio non poteſt eſſe ſine charitate.

obiectio de pueris.

proximi dilectione, nullis denique meritis aut operibus, niſi ſola baptiſmi ſuſceptione, cui non videtur, quid cooperari poſſit puellus recens natus, niſi frigidè, quod carnis eſt, reluctari. Latro etiam in cruce, ſola videtur

De latrone fide iuſtificatus, nullis (quod conſtet) decalogi operibus exhibitis. Huius obiectionis prius exemplum non magis aduerſus nos, quàm aduerſus Philippum produci videtur Vt enim puerpera, ita nec fidē habere poteſt, qua iuſtificetur in ſacramento: cui tamē ſacramento ſuſcepto, nec Philippus, nec Lutherus iuſtificationem negāt, nec quiſquam

Anabaptiſtæ alius Chriſtianorū, præter minutulos quoſdam hæreticos diuinæ virtutis ignaros, qui faſtidio nominis Lutherani hoc cæteris erroribus addiderunt, quo ſe noui dogmatis inſolentia pauci à multis, à literatis idiotæ ſeiūgerent. Nō igitur magis habet hic Philippus fidem magis quàm nos charitatem, cuius interuentu dicat puerum in baptiſmi ſuſceptione iuſtificari. Quod ſi ad communem eccleſiæ fidem recurrat, eodem iure & nos ad eccleſiæ communem charitatem & cæteras virtutes recurremus, quibus puerum eccleſia amplectitur, & Chriſto regenerandum ſacramenti beneficio offert: in qua regeneratione non communis fides & charitas tantùm intercedit, verùm & proprijs harum & aliarum virtutum muneribus infans donatur, ita vt nullo modo ſine fide & charitate, habitu ſaltem, ſi non exhibitis actu, quiſquam iuſtificetur. Infans ergò admotus ſacramento habet charitatem & cæteras virtutes, quibus præſtāda eſt lex, eo modo, quo habet fidem, hoc eſt, habitu, quem vocamus infuſum, & hoc ei ſufficit, propter illam præuentionem mediatoris, de qua modò diximus, qua præoccupat immerentes, vt eos Deo patri reddat gratos & charos, quod vt ſine gratia, ita ſine charitate fieri nequit, quod ipſa nominum ſimplex intelligentia declarat. Hæc de priori obiectionis exemplo. Poſteriori verò reſpondeo latronē haud ſola fide iuſtificatum, ſed etiā charitate & tolerantia inſtantium cruciatuū, quos ſi non pro Chriſto, cum Chriſto tamen eſt paſſus, ita vt quod hic patientiam nō amiſerit, quam alter amiſit, non ſola fides, verùm

1 Cor. 13. & charitas eſſe videatur in cauſa, de qua Paulus prædicat, quod patiens ſit & omnia ferēs, hanc præter eam, quam habuit in Chriſtum, exhibuit etiam proximo, pia illum obiurgatione corripiendo. Siue igitur argumentationibus, ſiue exemplis nobiſcum agant aduerſarij, nunquam euincent hominem ſola fide iuſtificari, quia contra rationem eſt iuſtitiæ, à qua ſumitur iuſtificatio. Hæc ad Philippicas collectiones & argumenta ſatis ſit reſpondiſſe. Nā cætera omnia, haud poſſum animum inducere, vt tam prolixè diſcutiam, cū

eiuſdem ſint farinæ cum præcedentibus, nec quicquā in ēis multiplicat niſi verba. Quod ſi quid habent virium, à teſtimonijs habent ſcripturarum, quibus innituntur, ipſa verò teſtimonia plus multò valerent ſimpliciter propoſita, quam in diſputationis aciē per Philippum ordinata. Quod idipſum non ideo dico, vt artis vſum in eo vituperem: eſt e[illegible] omnis humanæ ratiocinationis vis ad diuinam certitudinem collata, inutilis prorſus & inualida, ſed ne quis me exiſtimet cætera argumenta metu declinare. Haud enim vt cōtenderem, aut gloriolæ quicquam humanæ captarem, hunc laborem ſuſcepi, ſed [illegible] & ceteris, quibus opus eſt admonitione [illegible], prodeſſet. Quare ſi quid me Philippus coget[illegible] ſcripturis aut ſolidis rationibus credere, [illegible] anteà ignoraſſem, ingenuè illi, ita me De[illegible]s amet, ac libentiſsimè crederem, ſed nihil huiuſmodi ſum hactenùs eius lectione libr[illegible]ū expertus. Teſtimonia igitur, prętermiſſis argumētis, quæ pro ſentētia ſua producit, bona fide recenſebo. Illorū plura ſunt ex epi[illegible]o'a ad Roma. cap. præcipuè 3. & 4. quę integ[illegible]tat, ſed nos illis paulò antè reſpondimus copioſius, èxponentes quid Paulus his duobus capitibus, quid tota epiſtola tractet. Quàobrem tam illa, quàm reliqua omnia, quibus reſponſum eſt, conſulto, ne repetitio faſtidium vobis afferat, prteribo. Cętera ſunt hęc. *Teſtimoni[illegible]*

Per ipſum habemus acceſſum ad patrem per fidem.

Iuſtificati ex fide pacē habeamus erga Deū.

Nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.

Dedit poteſtatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex volūtate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

Sicut moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filiū hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat. Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mūdus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur. Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quòd per hunc vobis remiſsio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege iuſtificari, in hoc omnis, qui credit, iuſtificatur. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos ſaluos fieri.

Fide purificans corda eorum.

Iuſtus ex fide ſua viuet.

Notitia eius iuſtificauit multos.

Poſt hæc addit etiam teſtimonia quorūdam procerum Eccleſiæ, ne quid nouum docere videatur.

Ambro-

Ambroſius in epiſtola ad Irenæum: Subditus autem mundus eo per legem factus eſt, quia ex præſcripto omnes conueniuntur, & ex operibus legis nemo iuſtificatur, id eſt, quia per legem peccatum agnoſcitur, ſed culpa non relaxatur. Videbatur lex nocuiſſe, q̃ omnes fecerat peccatores, ſed veniens dominus Ieſus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographũ noſtrum ſui ſanguinis effuſione deleuit. Hoc eſt, ꝙ ait, ſuperabundauit peccatum per legẽ ſuperabũdauit autem gratia per Ieſum: quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit, ſicut teſtificatus eſt Ioannes dicẽs: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & ideò nemo glorietur in operibus, quia nemo factis ſuis iuſtificabitur, ſed qui iuſtus eſt, donatũ habet, quia poſt lauacrum iuſtificatus eſt. Fides ergò eſt, quæ liberat per ſanguinem Chriſti, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur.

Auguſtinus de ſpir. & lit. Ideò quippe præponitur iuſtitia legis, quod qui fecerit eam, viuet in illa, vt cum quiſque infirmitatem ſuam cognouerit, non per ſuas vires neque per literam ipſius legis, quod fieri non poteſt, ſed per fidem concilians iuſtificatorem, perueniat, & faciat, & viuat in ea. (Deu. 3.) Opus enim, quod qui fecerit, viuet in eo, non fit niſi iuſtificato. Iuſtificatio autem ex fide impetratur, &c. Et paulò pòſt: Ex lege timemus Deum: ex fide ſperamus in Deum: ſed timentibus pœnam abſconditur gratia. Sub quo timore anima laborans, &c. Per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, vt det, quod iubet. Hec ex Patribus. Pollicetur autem ſe recitaturum eſſe paulò pòſt alia quædam, ſed, quod ait ille: Pollicitijs diues quilibet eſſe poteſt. Poſt catalogum tam multorum teſtium miratur Philippus, aduerſarios ſuos tot locis ſcripturæ nihil moueri, quæ apertè, inquit, tribuant iuſtificationem fidei, & quidem detrahunt operibus, & quaſi perorans his verbis, poſt alia multa cócludit: Hactenùs ſatis copioſe oſtendimus, & teſtimonijs ſcripturæ, & argumentis ex ſcriptura ſumptis, vt res magis fieret perſpicua, quod ſola fide conſequimur remiſsionẽ peccatorum propter Chriſtũ, & quod ſola fide iuſtificemur, &c.

Nos verò, etſi ad Philippi argumenta reſpondimus, teſtimonia tamen non mouent ſolum, verùm eatenus promouent, vt fateamur, quod fide conferatur nobis peccatorũ remiſsio & iuſtificatio propter Chriſtum: quodque fidem nihil operis boni præceſsit in nobis, quo mereremur eandem fidem, quæ donum Dei gratuitum eſt, & per eam peccatorum omnium remiſsionem accipere: hæc, inquam fateamur, quæ omnia iſta ſcripturæ loca, aut eorum plura pronunciant. Quod verò ſola nobis hoc fide contingat, non fatemur, quia nec iſta nec alia teſtimonia dicunt. Nunq̃ enim ſcriptura charitatem excluſit à iuſtificatione: nec vox excluſiua, etiãſi fidei adderetur (quæ tamen nunquam eſt addita) cætera omnia excluderet, quando nó poteſt excludere gratiam. Sed cum operibus iuſtificari negamur, excluduntur cum præcedẽtia merita, tum Iudaicæ legis opera, illa etiã, quibus ſine fide videbatur obtemperari decalogo: ipſa verò iuſtificatio dum fit, vt non ſine fide, ita nec ſine charitate fieri poteſt. Iã aduerſus teſtimonia, quæ producta ſunt à Philippo, nũquam committam, vt alia, quod ordo diſputationis videtur exigere, me ꝓducturũ eſſe pollicear. Impiũ enim eſſet credere, ſancti ſpiritus oracula ſibi viciſsim eſſe contraria. Eadem autem, q́ citata ſunt à Philippo, nobis ſufficient, ſi rectè intelligantur, & nó illis inſectatur, ſed ab illis auferatur veſtra ſententia. (Rom. 10.) Siquidẽ Paulus dicens, Corde creditur ad iuſtitiã, non ſoli fidei tribuit iuſtificationẽ, hoc eſt, non pronunciat hoc dũtaxat, hominem eſſe iuſtũ, ꝙ credit, etiãſi tã ſolide, vt poſsit etiam ſua fide montes transferre: tantùm dicit, opus eſſe fide ad hoc, vt iuſtificemur vera legis obſeruatione, quæ ſine fide nec ſeruari poteſt, nec ſeruata, ꝙ Iudæi pertinaciſsimè cõtendebant, iuſtificare. Hoc non magis eſt iuſtificationis ſummam ſoli fidei tribuere, q̃ ſi dixeris, armari aliquẽ ad victoriam, eſſe victoriæ ſummam in arma ſola conferre. Fit autẽ Pauli intentio ꝑſpicua ex eo, quod addit: Ore autem cóſeſsio fit ad ſalutem. Oris confeſsionem nó tantùm eam, quæ lingua profertur, ſed quodlibet ſignũ, quo pietatem exteriùs profitemur, appellauit. Inter quæ præſtant proculdubio verbis opera: quoniam qui dicit ſe noſſe Deum, & (1. Ioan. 2.) mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Expreſsius ergo, & vt ita dixerim, ineffabilius opera fidem confitentur quàm verba, tãetſi oris confeſsio ſpecialiter ad ſacramenta referatur, quibus fidei adiunctis, gratia nobis aut datur primo, aut ſemel accepta prouehitur: qua gratia, ſi tamen ocioſa deſidia noſtra non fuerit, ęternam felicitatẽ aſſequimur. Il- (Rom. 10.) lud igitur Pauli, Corde creditur ad iuſtitiã, fidei neceſsitatem ſignificat, non tamen eius ſolius ſufficientiam. Ad eundem modum, (Ioan. 1.) quod Ioannis 1. dicitur: dedit poteſtatẽ filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, aperte docet, fide nobis aditum fieri ad filiorum Dei adoptionem, non ſola fide filios Dei eſſe, ac proinde nec ſola fide iuſtificari. Nam omnes iuſti ſunt filij Dei. Per fidem igitur poteſtas datur credentibus, vt filij fiant charitate, quæ ſola, vt inquit Au-

guſtinus, diuidit inter filios regni & filios carceris.

Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtiq; me.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderűt vos: orate pro perſequẽtibus & calũniãtibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt. Charitas ergò eſt, qua filij Dei, atq; adeò iuſti ſimus, cuius rei poteſtatem, nullis præcedentibus meritis, ſed fidei tantùm priuilegio accepimus. Neq; quicq̃ aliud verba Ioannis Euangeliſtæ ſignificãt. Locis igitur iſtis, quæ citantur à Philippo, ne per omnia nunc euagetur oratio, addenda ſunt alia, vt vtriſq; collatis, faciliùs intelligantur alterutra. Non omnia hic, ſed quædã ex multis ſubijciemus.

De peccatorum remiſsione.

Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Charitas operit multitudinem peccatorum.

Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Peccata tua eleemoſynis redime.

Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna reſiſtit peccato.

Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.

De iuſtificatione, quod nõ ſola fide, ſed etiã legis obſeruatione, hoc eſt, charitate, à qua lex pendet & Prophetæ, homini contingat.

Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Lex domini immaculata cõuertens animas.

Legem pone mihi domine viam iuſtificationum tuarum.

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tũc fortè perijſſem in humilitate mea. In ęternũ non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me.

Nõ enim auditores legis iuſti ſunt apud deũ, ſed factores legis iuſtificabuntur.

Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circuncifionẽ reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te qui per literam & circunciſionem præuaricator es legis?

Legem nõ deſtruimus per fidem, ſed magis ſtatuimus.

Quomodo?

Quia fides per dilectionem operatur, nẽpe iuſtificationem.

Quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittẽs in ſimilitudinẽ carnis peccati, & de peccato dãnauit peccatũ in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, q nõ ſecũdũ carnẽ ambulamus; ſed ſecundũ ſpiritum.

Gloria, honor & pax omni operanti bonum.

Si habuero omnẽ fidẽ, ita vt mõtes transferã, charitatem autem nõ habuero, nihil ſum.

Quid proderit fratres mei, ſi fidẽ quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?

Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.

Ex operibus iuſtificatur homo, & nõ ex fide tantùm.

Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.

Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.

Quanq̃ Ioannes non cõtentus iuſtitia facientẽ tribuere, credenti, ſi nihil habeat niſi fidem, negare, vſque adeò charitatem extollit, vt in illam ſolam ſalutis humanę ſummã videatur contuliſſe, quippe q ſicut Iudæi de ſola diuina lege, ita Chriſtianorũ quidam iã cœpiſſent inter voluptates & facinora de ſola ſibi fide blandiri. Quos Iacobus, Petrus, & Ioannes quaſi ex cõdicto integris epiſtolis inſectãtur. Nã Petrus etiã apoſtolus, epiſtola præſertim ſecũda, multus eſt in amouendo hoc errore, aduerſus quẽ non ſuã tãtùm ait eſſe doctrinã, q fides ſine charitate hominẽ ſeruare nõ poſſit, verũ & Paulũ citãt, cuius maximè verbis perperã intellectis (q nunc Lutherus facit & Philippus) bonorũ operũ contẽptores videbantur abuti. Facturũ me operæprecium exiſtimo, ſi quo minori negocio hæc omnia cõprehendantur, epiſtolæ ſecũdæ principiũ & finẽ ipſius Apoſtoli verbis protulero. Declarat ſe primo ad eos ſcribere, qui fidẽ Chriſti apoſtolica cõmunione ſuſceperãt, quos ſalutat & admonet accepiſſe à Deo ingentia munera, ſed eſſe maiora multò promiſſa etiã vſq; ad naturæ diuinæ cõſortiũ ijs, qui mũdi huius cupiditates declinauerint. Atque hoc exordio fideliũ animis erectis, mox ad exhortationes & præcepta ſe confert: Vos inquit, curam omnẽ ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autẽ ſcientiã, in ſcientia autẽ abſtinentiam, in abſtinentia autẽ patiẽtiam, in patiẽtia autẽ pietatẽ, in pietate autem amorẽ fraternitatis, in amore autẽ fraternitatis charitatẽ. Hęc enim ſi vobiſcũ adſint & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obliuionẽ accipiens purgationis veterum ſuorũ delictorum. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationẽ & electionẽ faciatis, &c. Hęc in epiſtolę principio, vbi vacuam ſignificat fructus, atque adeò inutilẽ cognitionẽ Chriſti, quæ fidei eſt, niſi quas commẽdauerat, virtutes adſint, quibus ſuperetur cupiditas. Porro vt adſint, fides procul dubiò eſt 2. Pet. 1.

in

in cauſa, quippe quod primum gratię munus ſit, cæteriſq; virtutibus aditum aperiat, cum quibus profectò iuſtificat: ſine eis verò iuſtitiæ fructus expers omninò remanet. Nam charitati ac cæterarum virtutum operibus tantùm Apoſtolus tribuit, vt per ea non fidei vocationē modò, verùm & electionē noſtrā (quæ vocatis ad fidem ſufficere videretur) robur & certitudinē adipiſci pronunciet: Satagite, inquit, vt per bona opera certā veſtrā vocationem & electionem faciatis. Iam poſtrema eiuſdem epiſtolæ verba videamus: Cū igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conſeruationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcēt: nouos verò cœlos & nouam terram & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Propter quod chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace, & domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem ſalutem arbitremini, ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecūdum datam ſibi ſapiētiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquēs in ijs de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quę indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionē. Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Creſcite verò in gratia & in cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis: Amen. *2.Pet.3.*

Vſqueadeò Petrus vehemēter increpauerat vitia, vſqueadeò virtutes extulerat, vt veritus ſit demum, ne (vt ægrè ſe homines in medio ſiſtunt) eſſent, qui eius doctrina crederent, ſuis ſe meritis, ſuis viribus eſſe ſeruādos, quod quidem etſi virtutibus, fidei præſertim & charitati ſit mercedis nomine promiſſum, gratiæ tamen prærogatiua (quam Chriſti longanimitatem Petrus appellat) credendum eſt homini contingere. Nuſquam enim ita ſeparanda eſt ob operibus gratia, vt ſine illis, ſaltem interioribus, hominem ſeruare poſſit, aut quenquam facere beatum, quem prius non reddiderit bonum & iuſtum. Porrò vt beatitudo non ſolius eſt intellectus, ſed etiam voluntatis, ita bonitas & iuſtitia non ſolius eſt fidei, ſed etiam charitatis. Quas virtutes apoſtolica doctrina, non Petri ſolum, verùm & Pauli epiſtolis ſemper coniungit. Etenim quod Paulus quædam pro fidei virtute magnificentius diſſerit aduerſus Iudæos, neceſſitatis fuit illorum temporum, in quibus Iudæi carnales & craſſi, vana legis nec obſeruatæ nec intellectæ pſumptione, Chriſti gratiā & fidē, vt rē minimè neceſſariā, aſpernabātur. *Paulus quæ refirmatio malis.* Dū igitur in eorū ſtolidā perfidiā Paulus inuehitur, quædā admiſcet aduerſus opera, quo fidei neceſſitatem oſtendat: quæ ſunt, vt Petrus ait, difficilia intellectu, & quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. *2.Pet.3.* Prædicat certè non minus verè quàm confidēter, neminem iuſtificari poſſe, niſi per fidem Ieſu Chriſti, non quod ſola iuſtificet fides, qua etiamſi maxima fuerit, nihil eſſe hominem ſine charitate pronunciat: ſed quod fidei ſit, nō meritorum noſtrorum, aptos nos reddere ad hoc, vt iuſtificatio legis impleatur in ijs, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Iuſtificatio ergò; legis eſt: fidei verò, quod legem præſtare poſſimus, vt iuſtificemur. Denique nihil eſt in ſacris literis frequētius, quàm iuſtos appellari eos, qui per gratiam mediatoris adiuti, legem decalogi ſeruauerunt. Huiuſmodi iuſti, ex fide aut in fide ſua dicuntur viuere, non quòd ſola fides cōſerat vitam, quam ſola non habet: ſed quòd nulla poſſit inueniri via ad bene beateque viuendum, licèt multotiès multiſque ſit laboribus quæſita, præter fidem, cuius eſt ad charitatis viam perducere, alioqui qui non diligit, etiam ſi credat, manet in morte. Eſt huius expoſitionis autor Auguſtinus de ciuitate Dei ad Marcellinum libr. 19. cap. 4. his verbis: Si ergo quæritur à nobis, quid ciuitas Dei de his ſingulis interrogata reſpondeat, ac primum de finibus bonorum malorumq; quid ſentiat, reſpondebit, æternam vitam eſſe ſummum bonum: æternam verò mortem, ſummum malum: propter illam proinde adipiſcendam, iſtamq́ue vitandam, rectè nobis eſſe viuendum, propter quod ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide viuit. *Abac.2.* Quoniam neque bonum noſtrum iam videmus, vnde oportet, vt credēdo quæramus, neque ipſum rectè viuere nobis ex nobis eſt, niſi credentes addiuuet & orantes, qui & ipſam fidē dedit, qua nos ab illo adiuuandos eſſe credamus, &c. Illuminat igitur fides, quo peruenire poſſimus ad vitam, non ipſa eſt vita: neq; ea ſola viuimus, tametſi ex ea proficiſcamur ad vitā charitatis, vt à charitate proficiſcimur ad vitā æternitatis, quos profectionis noſtræ gradus à litera incipiens, Ambroſius deſcribit ad Irenæum: Lex pædagogus eſt, inquit. Pædagogus ad magiſtrum ducit, magiſter noſter ſolus eſt Chriſtus. Pædagogus timetur, magiſter viam ſalutis oſtendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Poſſunt & illa Prophetæ verba, quæ citantur ab Apoſtolo, eundem ſenſum habere, quē habēt alia eiuſdē Pauli: Quod aūt viuo in carne, in fide filij Dei viuo. Alioquī in tātis verſabatur laboribus, ſupra modū, vt ait, grauatus ſupra virtutem, vt tæderet illū viuere.

Collatis igitur, vt iam proferendi teſtimonia finem faciamus, vtriſque locis, facile conſtat, hanc eſſe totius ſcripturæ ſententiam, quod non fide ſola, vt Philippus vellet, nec ſolis operibus, vt credebant Iudæi, homo iuſtificetur, aut illi peccata remittantur, ſed vtraque, fide ſcilicet & charitate, per quam fides operatur, hoc in nobis fiat, idque per Chriſtum, cuius dona ſunt fides & charitas, & vniuerſa bonorum operum proles, quæ oritur ex eis, cuius etiam meritis hæc omnia pacem nobis & veniam à patre conciliāt, qui ad hoc filium propoſuit propitiatorem pro nobis in ſanguine ipſius, cum alioqui non iuſtificaretur in conſpectu eius omnis viuens. Porrò quotiès apoſtolus Paulus de fide loquens, illa nos iuſtificari ſine operibus ait, ſemper addit legis; vt non charitatis opera excludat, quæ potiùs libertas videtur eſſe, quàm lex, ſed vel opera quædam externa, quibus humana præſumptio decalogi literam ſeruare ſe credit, vel Moſaicas illas obſeruationes, ſabbatiſmos & ſacrificia, ſine quibus procul dubio iuſtificabitur homo fidelis, infidelis verò nec cum illis quidem. Id minimè dubium exiſtimo fore cuiuis, vel mediocriter in apoſtolica doctrina verſato. Bis enim hanc excluſionem addidit Paulus, vbi de lege Moſaica diſſerit,
Galat. 2. in quam Galatæ à pſeudapoſtolis ſeducti reciderant, cuius etiam extimam obſeruationem in ciborum delectu, & cæteris huiuſcemodi eodem capite. Petro ſe exprobraſſe
Rom. 3. commemorat. Et ad Roman. vbi qua de lege fuerit loquutus, verbis immediate ſequentibus exponit dicens: An Iudæorum tantum Deus? Id quod & ſuperius latiùs expoſuimus, Quanquam hominem ſine operibus iuſtificari non negamus, ſi de præcedentibus intelligatur, quibus iuſtificari meruerit. Hoc enim, vt aliàs dictum eſt, nullis operibus, nec fide quidem mereri vſquequaque potuimus, ſed gratis vt fide, ita & iuſtitia donamur. Iuſtificamur autem fide ſimul & operibus, quia hoc eſt homini iuſtum eſſe fidem habere, & charitatis opera ſaltem interna. Iam ad Patrũ teſtimonia priuſquam accedamus, eſt operęprecium animaduertere Philippicam æquitatem in diſputando. Non vult humanæ ſapientiæ præſcriptione teneri, mox vt illi patrum aut conciliorum etiam, teſtimonia opponuntur, clamat homines eſſe, prouocat ad verbum Dei, alterutrius teſtamenti teſtimonium requirit. Eò demum inſaniæ in libello de locis theologicis prorumpit, vt omnes veterum ſententias, quibus recentiores vtuntur, irrideat, doctrinas explodat, Lutherana nimirum blaſphemia fretus, qui eccleſiam à tempore concilij Niceni lapſam, à veritate ſemper aberraſſe, auſus eſt pronunciare. Nunc verò ſuæ cauſæ diffiſus Philippus, ad patres, qui Nicenam ſynodum ſequuti ſunt, atque adeò cùm illi tum Luthero toties damnati, confugit. Inter hos tamen, cùm permulti ſint, multaque de hac materia, vtpotè qua nulla eſt maiore ſtudio in eccleſia diſcuſſa, pertractauerunt, duos tantum citat, horumque ſingula tantùm loca producit, cætera reiecturus, vt credo. Nam & Auguſtinum in opere duntaxat de ſpiritu & litera pugnare aliàs dixerat, cæteris in libris vbique ſugere. *Philippus quãdo patres producat, &c.* Ambroſius vſque adeò nihil iuuat Philippum, vt ſententiam noſtram luculenter exponat. Declarauit enim in commentarijs non vno loco, quam legem & quæ opera excludat à iuſtificatione Paulus, legem vtique ſabbati & neomeniæ & cæterorum huiuſcemodi. Addimus etiam nos legem decalogi, quatenùs literis eſt deformata lapideis, nó quatenu[illegible] in cordibus, quomodo [illegible] redit Ambro[illegible] igitur legem & eadem opera ipſe nunc excludit, & nos pluſculum, vt videri poſſemus, auſi, omnia à merito iuſtificationis excluſimus. Quod verò per legem etiam moralem peccatum agnoſcatur, ſed culpa non relaxetur, millies ſumus confeſſi: Non enim lex iuſtificat, ſed legis obſeruatio: nec obſeruatio quidem ſine CHRISTO, ſi fingatur poſſe contingere. Solius eſt Chriſti auferre peccata, relaxare debita, iuſtitiam donare. *Solius Chriſti eſt iuſtitiam donare.* Hæc quis neget? Quid verò aliud continet locus Ambroſij? Quid igitur diſcriminis eſt (dixerit quiſpiam) inter Ambroſium & Philippum? Hoc nimirum, quòd Philippus iuſtitiam, qua donamur à CHRISTO, quaque ex iniuſtis iuſti ſimus, ſoli contendat ineſſe fidei, aut ſolam eſſe fidem. Nam cætera donat iuſtificatis fide, non vt per illa iuſtificet, quando nihil eſt aliud iuſtum eſſe, quàm credere: Ambroſius verò id minimè ferret, qui charitati adoptionis priuilegium, atque adeò iuſtificationis ſummam tribuit. An eſt aliud eſſe iuſtũ, quàm eſſe filium? aut eſt aliud iuſtitiæ munus, quàm ius adoptionis? Fides, inquit, perducit ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Rogo vos, ó Germani, an fides illa, quæ perducit ad charitatem, ſola ſine charitate iuſtificet? Annuitis, vt credo, ne doctoribus veſtris deeſſe videamini. Erit igitur homo iuſtus, priuſquam ſit adoptione filius: erit iuſtus, cui hæreditatis æternæ ius nondum eſt acquiſitum. Hæc non modò impoſſibilia factu ſunt, verùm & cogitatu difficillima: nam intelligi nó magis poſſunt, quàm fieri. Quid igitur eſt, quod fidei toties in iuſtificatione celebratæ relinquamus, ſi hęc omnia charitati tribuimus? aut cur eius mentio tam frequens eſt Paulo & interpretibus eius? Rectè interrogas. Fidei relinqui-

linquimus, ducere ad charitatem, ad iuſtitiam, ad adoptionem, atque dare, quod Ioannes ait, credentibus poteſtatem, vt filij Dei fiant, quod charitatis eſt. Eſt autem frequens fidei prædicatio, vt omnis gloriandi nobis occaſio adimatur: dum conſideramus, nullis nos præcedentibus meritis, nullis noſtris operibus, ſed ſola Chriſti gratia per fidem, addo etiam, per ſolam fidem ad iuſtitiam eſſe perductos. Iuſtitia verò nō ſola eſt fides, nec ei ſoli ineſt, alioqui iuſtitia perduceremur ad iuſtitiam, ſed eſt pietas, quæ fidem præcipuè cōtinet & charitatem. Harum virtutum prior eſt fides, maior charitas, fidei vita, virtus & energia: ideò Ambroſius fidem dixit ducere ad charitatem. Siquidem ita comparatum eſt hominis naturæ, vt ab imperfecto (quod quidem ſapienter animaduerſum eſt etiam à philoſophis) progrediatur ad perfectius. Perfectionis autem vinculum eſt charitas, vſqueadeò vt & ipſam perficiat fidem, & vnà cum illa iuſtificet. Nullum eſt Dei donum, Auguſtinus inquit, dilectionis dono excellentius. Solum eſt, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Et hæc ad Ambroſium. Iam Auguſtinus haud minus noſter eſt, quàm Ambroſius, in ipſo etiam opere, quod nunc citat, & aliàs vnicè cōmendat Philippus. Nā cætera, metuēs illorum pene locis infinitis vrgeri, tempeſtiuis reiecerat criminationibus. Nos verò, quo victoria ſit illuſtrior, eius operis duntaxat verbis vtemur, cuius teſtimonio Philippus doctrinam ſuam viſus eſt confirmare.

Ioan. 1.

Primò totius libri argumentum & ſcopus, eſt legis literæ, vt mortuæ, negare iuſtificationem: ſpiritui verò, hoc eſt, charitati tribuere, idcircò de ſpiritu & litera titulum fecit, quo intelligamus Pauli verba: Litera occidit, ſpiritus autem viuificat, ad legis decalogi literam & ſpiritum debere referri: vt cuius legis litera damnauerat humanum genus & occiderat, eiuſdem ſpiritum ſaluare, viuificare & iuſtificare declaret. Hæc eſt geminæ charitatis lex, lapideæ illius & craſſæ legis, qua ſola gloriabantur Iudæi, velut animus & vita, quam ſpiritum viuificantem appellat Apoſtolus. Hæc de totius operis materia generatim: eadem verò aliquot ſingularibus eiuſdem libri dictis ſunt confirmanda. Declarat primùm ſe non aduerſus illos diſputare, qui humanæ voluntati tribuunt iuſtificationis noſtræ opus, ſed aduerſus eos, qui hoc humanarum eſſe virium, gratia contempta, præſumunt: Illis, inquit, acerrimè ac vehementiſſimè reſiſtendum eſt, qui putant ſine adiutorio DEI per ſeipſam vim voluntatis humanæ vel iuſtitiam poſſe perficere, vel ad eam tenendam proficere. Et paulò inferiùs: Aiunt, ideo iſta ſine ope diuina non fieri, quia & hominem DEVS creauit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipſe docet, quemadmodum homini ſit viuendum, & in eo vtique adiuuat, quod docendo auſert ignorantiam, vt ſciat homo in operibus ſuis, quid euitare, quid appetere debeat: quo per liberum arbitrium naturaliter inſitum viam demonſtratam ingrediens, continenter & iuſtè & piè viuendo, ad beatam eandemque æternam vitam peruenire mereatur. Hæc ſecundi capitis ſunt, quibus oſtendit non ſe velle operibus noſtris iuſtificationem adimere, vt tribuat ſoli fidei: ſed viribus negare, vt aſſerat gratiæ. Interim dum reſiſtendum cenſet ijs, qui humanæ voluntati ſine ſpeciali Dei ope vim iuſtificandi tribuunt, ſignificat eandem voluntatem poſſe per diuinam opem iuſtificare: ſed apertiùs infrà cap. 5. Hoc, inquit, fruſtra dici, ſatis elucebit (propoſuerat aduerſæ partis obiectionem) cùm & ipſam humanam iuſtitiam operationi DEI tribuendam eſſe claruerit, quanuis non fiat ſine hominis voluntate, & ideò eius perfectionem etiam in hac vita eſſe poſſibilem, negare non poſſumus: quia omnia poſſibilia ſunt Deo, ſiue quæ facit ſola ſua voluntate, ſiue quæ, cooperantibus creaturæ ſuæ voluntatibus, à ſe fieri poſſe conſtituit. Et capite 7. Prætendit miſericordiam ſuam ſcientibus eum, & iuſtitiam ſuam his, qui recto ſunt corde. Neque enim quia ſciunt, ſed etiam vt ſciant eum prætendit miſericordiam ſuam, neque quia recti ſunt corde, ſed etiam vt recti ſint corde, prætendit iuſtitiam ſuam, quia iuſtificat impium. Hæc cogitatio non affert ſuperbiam, quod vitium oritur, cùm ſibi quiſque præfidit, ſeque ſibi ad viuendum caput facit. Quo motu recedit ab illo fonte vitæ, cuius ſolius hauſtu iuſtitia bibitur, bona ſcilicet vita. Et cap. 11 Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Nō itaque iuſtificati per legem, nō iuſtificati per propriam voluntatem, ſed iuſtificati gratis per gratiam ipſius: non quod ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas oſtenditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntatem: & ſana voluntas impleat legem, non conſtituta ſub lege, nec indigens lege. Et cap. 10. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Iniuſtus ergò legitimè lege vtitur, vt iuſtus fiat, quod cùm factus fuerit, ea iam non vtatur tanquam vehiculo, cùm peruenerit: vel potiùs, vt ſupra dicta ſimilitudine Apoſtoli vtar, tanquam pædagogo, cùm eruditus fuerit. Et cap. 13. declarat eundem decalogum legem eſſe factorum, quæ reum fecerat hominem: & legem fidei, quæ ſeruat atque iuſtificat. Sed alterum fuit Iudæis, literam duntaxat ſequentibus, alterum eſt fidelibus, ſpiritus ſancti gratiam aſſequutis: Quod operum lex, inquit, minando ma-

2. Cor. 3.

Rom. 4.

doimperat,hoc fidei lex credendo impetrat.
Et infrà:His igitur conſideratis pertractatiſ-
que,pro viribus, quas dominus donare di-
gnatur,colligimus,non iuſtificari hominem
præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chri
ſti: hoc eſt, non lege operum, ſed lege fidei:
non litera,ſed ſpiritu:non factorum meritis,
ſed gratuita gratia.Et cap.16.Litera prohibés
peccatum,non iuſtificat hominem, ſed poti-
ùs occidit, augendo concupiſcentiam & ini-
quitatem,præuaricationé cumulando,niſi li-
beret gratia per legem fidei, quæ eſt in Chri-
ſto Ieſu,cùm diffunditur charitas in cordibus
noſtris per ſpiritum ſanctú, qui datus eſt no-
bis.Et cap.17.Ibi ergò lex(nempe in veteri te
ſtamento) extrinſecùs poſita eſt, qua iniuſti
terrerentur. Hic(in nouo ſcilicet) intrinſe-
cùs data eſt, qua iuſtificarentur. Nam non
adulterabis:non homicidium facies:non con
cupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum,
(quod vtique in illis tabulis ſcriptum eſt.) In
hoc,inquit, ſermone recapitulatur, in eo qđ
diliges proximum tuum tanquam teipſum.
Rom.5. Dilectio proximi malum non operatur.Ple-
nitudo autem legis,charitas. Hæc non in ta-
bulis cóſcripta lapideis, ſed diffuſa eſt in cor-
dibus noſtris per ſpiritum ſanctú, qui datus
eſt nobis.Lex ergò Dei eſt charitas.Huic pru
dentia carnis non eſt ſubiecta, neque enim
poteſt,ſed ad hanc prudentiam carnis terren
dam, cùm in tabulis ſcribuntur opera chari-
tatis,lex eſt operú,& litera occidens præuari-
catorem. Cùm autem ipſa charitas diffundi-
tur in cordibus credentiú, lex eſt fidei & ſpi-
ritus,iuſtificans dilectorem. Et ca.18. Proin-
de quia lex, ſicut alibi dicit, præuaricationis
Gal.3. gratia poſita eſt, id eſt, litera iſta extra homi-
né ſcripta, propterea eam & miniſtrationem
mortis & miniſtrationé damnationis appel-
lat.Hanc auté,id eſt,noui teſtaméti,miniſtra-
tionem ſpiritus & miniſtrationem iuſtitiæ di
cit, qua per donum ſpiritus operamur iuſti-
tiam,& à præuaricationis damnatione libera-
mur.Videor mihi,non ad confirmanda,quæ
ſuperiùs dicta ſunt à nobis contra Philippú,
aliena teſtimonia producere, ſed noſtra ip-
ſius verba quaſi recapitulatione colligere.
Propoſuerat Philippus, ſola nos fide iuſtifi-
cari:declarauit ſolius fidei iuſtificationem eſ-
ſe, ex iniuſtis iuſtos fieri, vt ſola ſit fides no-
ſtra iuſtitia: execratus eſt eos, qui per legem,
per opera ſua iuſtificari ſe credunt. Oppo-
ſuimus illi charitatem, quæ vnà cum fide iu-
ſtificat, non iuſtitiam merendo,ſed per Chri
ſti gratiam,cuius donum ipſa eſt, ſecum affe-
rendo. Legem etiam illi oppoſuimus, non
craſſam illam, veterem atque lapideam, cui
ſoli fidebant Iudæi, ſed legem ſpiritus no-
uam: qua, iniquitate in peccatorum remiſſi-
one depulſa, iuſtitiam amplectimur, vt iuſti
ſimus.Si hæc eadem non productis locis con-
firmat Auguſtinus: ſi non pro his oſtenden-
dis, ſuadendis, defendendis, ſummis ingenij
viribus, vberrima ſcripturarum ſanctarum
copia, aptiſſima earundem intelligétia & ex-
poſitione, contendit, fateor me cauſa exci-
diſſe. Antehàc iuſtitiam noſtram charitatis
legi tribuerat: opera legis ita ſine fide iuſtifi-
care negauerat, vt cum fide concederet, pec-
catorum remiſſionem, quanquam idem ſit,
proprio nomine nondum attigerat: hoc ve-
rò loco, quem modò citauimus, operari iu-
ſtitiam, & à præuaricationis damnatione li-
berare, quod remiſſio peccatorum eſt, chari-
tatis legi tribuit, non tabulis inſcriptæ lapi-
deis, ſed cordibus ſpiritu ſancto diffuſæ. Vi-
deamus tamen & alia quædam his non diſſi-
milia, ne dicam apertiora. Cap.20. agens de
diſcrimine vtriuſque teſtamenti ex Hiere-
mia: Vnde igitur illud vetus, inquit, hoc no-
uum, cum lex eadem impleatur per teſta-
mentum nouum, quia dixit in veteri: Non
concupiſces? Quia ipſi, inquit, non perſeue-
rauerunt in teſtamento nouo, & ego negle-
xi eos, dicit dominus. Non ergo rerum eſt
hæc nouitas, ſed animorum, quos vetus teſta-
mentum non innouabat, nouú verò per gra-
tiam noui hominis Chriſti Ieſu vſqueadeò
immutat & afficit, vt eandem legem à lapidi-
bus transferat in corda, quæ tranſlatio iuſti-
ficatio noſtra eſt per fidem inchoata, ſed lege
charitatis, cuius eſt ipſa iuſtitia, conſummata.
Hoc eſt enim, quod paulò ante dixerat ca.9.
iuſtitiam eſſe bonam vitam. Et hoc eodem Hiere.31.
cap.20. Dabo leges meas in mente eorum, &
in cordibus eorum ſcribam eas. Vnde ſigni-
ficauit, eos non forinſecùs terrentem legem
formidaturos, ſed intrinſecus habitantem i-
pſam legis iuſtitiam dilecturos. Et cap. 35.
Cum igitur hæc appareat diſtantia veteris &
noui teſtamenti, quod lex ibi in tabulis, hic
in cordibus ſcribitur, vt quod ibi forinſecus
terret, hic delectet intrinſecùs: ibique fiat
præuaricator per occidentem literam, hic
dilector per viuificantem ſpiritum, non id-
eo dicendum eſt, quòd Deus adiuuet nos ad
operandam iuſtitiam, atque operetur in no-
bis & velle & operari pro bona voluntate:
quia præceptis iuſtitiæ forinſecus inſonat
ſenſibus noſtris, ſed quia intrinſecus incre-
mentum dat, diffundendo charitatem in cor
dib9 noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus Rom.5.
eſt nobis. Et cap.29. declarat eandem eſſe iu-
ſtificationem legis & fidei, his verbis: Sic e-
nim gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam,
apprehenderunt iuſtitiam. Iuſtitiam autem,
quæ ex fide eſt, impetrando eam ex Deo, non
ex ſeipſis præſumendo: Iſrael vero perſequés
legem iuſtitiæ, in legem non peruenit. Qua-
re? quia non ex fide, ſed tanquam ex operib9,
id eſt,

id eſt, tanquam eam per ſemetipſos operantes, non in ſe credẽtes operari Deum. Et mox pauculis interiectis: Et adhuc dubitamus, inquit, quæ ſint opera legis, quibus homo nõ iuſtificatur, ſi ea tanquam ſua crediderit ſine adiutorio & dono Dei, quod eſt ex fide Ieſu Chriſti? Quid ego fruſtratim hęc aut illa verba quaſi vellicando produco? Nihil eſt in hoc toto opere frequentius Auguſtino, quã charitatem & eius opera fidei in iuſtificatione noſtra coniungere: tantumque abeſt ab eius intentione hoc Lutheri dogma, quo iuſtitiæ ſummam refert in ſolam fidem, vt etiam in earum rerum collectione, quibus homo quaſi per gradus ad veram iuſtitiam aſcẽdit, fidem non iuſtitiæ proximam, ſed quartam à iuſtitię dilectione poſuerit. Cap. 30. Neque enim lex impletur niſi libero arbitrio, ſed per legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ cõtra peccatum: per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati: per animę ſanitatem libertas arbitrij: per liberum arbitrium iuſtitiæ dilectio: per iuſtitię dilectionem legis operatio. Si ſola fides, quod Philippus aſtruit, iuſtificare poteſt, cur nõ Auguſtinus in exquirenda iuſtitia ad fidei gradum inueſtigationis ſuæ curſum ſiſtit? Quid illi opus erat vſque ad liberum arbitrium & iuſtitiæ dilectionem progredi? Quo in loco non ita diſtinguit iuſtitiæ dilectionem à legis opere, vt intelligat eandem iuſtitiæ dilectionem nõ eſſe legis opus & obſeruationem. Quid eſt enim, quod ipſa lex demum velit atque præcipiat, niſi vt iuſtitiam diligamus? Sed hæc iuſtitiæ dilectio, quaſi generalis quædam affectio eſt, ex qua velut ex fonte, iuſtitiæ ſingularia opera iuſta temporis neceſſitate aut decoris opportunitate procedunt. Quod quidem obſeruandum eſt in verbis Auguſtini, ne illum temerè inconſtantiæ arguamus. Alioqui dixerat ſuperiùs, iniuſtum lege legitimè vti, vt iuſtus fiat, & mox eadem ferme periodo eius eſſe dixit legitimè vti lege, qui iuſtus iam fuerit, quæ duo dicta videntur in ſpecie pugnare. Sed ſoluitur nodus, intelligendo (quod loco, quem modò citauimus, dictum eſt) legis dilectionem eſſe veram iuſtitiam, eandemque totius iuſtitiæ radicem, quo ſuppoſito, nulla eſt pugnantia. Nam legitimus legis vſus, qui iuſtum facit, dilectio iuſtitiæ eſt, qua concepta ſaceſcit ipſa quodammodo lex, cuius coertione non eſt iam opus diligenti iuſtitiam, atque adeò huiuſmodi dilectione iuſto: ſed rurſus cum hâc iuſtitiæ dilectione ſeruat legem, iam iuſtus legitimè vtitur lege, & ita fit, quod poſtremo loco citauimus, vt per iuſtitiæ dilectionem fiat legis operatio. Neque hac ſolum nominis varietate vtitur Auguſtinus in exponenda iuſtitia, vt nunc charitatem, nunc omnia bona

Legitimus legis vſus.

opera iuſtitiam appellet, verùm & gratiam aliquando vocat iuſtitiam: cùm tamen dixerit non ſemel, iuſtitiam ita fieri à Deo in nobis, vt tamen ſine voluntate noſtra non fiat. Eſt autem locus omnium manifeſtiſſimus, quo gratiam vocauit iuſtitiam, cap. 27. id quod tam diſertè animaduertendum eſſe duximus, quod ab hoc iuſtitiæ nomine proficiſcatur, quod alicubi dicit, bona opera non fieri niſi à iuſtificato. Iam enim ad locum accedimus, quem citauit Philippus, cuius citationem non video, quid illum iuuare queat, niſi hoc, ex quo videtur ſibi poſſe colligere: bona opera non iuſtificare, ſed ab his, qui iam iuſtificati ſunt, fieri. Non dubito tamen, quin prudens lector & integer iamdudum intellexerit, quàm multa reſpondere poſſimus. Fiunt enim bona opera ab eo, qui iam charitate ac iuſtitiæ dilectione, quod legis ſumma eſt, fuerit iuſtificatus: aut ab eo, qui gratia præuentus, vim perficiendæ legis acceperit. Quod ſi Philippus hac ſententia, qua dictum eſt, bona opera à iuſtificatis fieri, ſuam doctrinam confirmari credebat, miror, quod illam ab altero apertiore loco non petierit, in quo non perfunctorie attingitur, ſed pluſculis verbis explanatur. Niſi fortè hoc ipſum veritus eſt, ne quo faciliùs Auguſtini perciperetur intentio, eò difficiliùs ipſe ſuam doctrinam Auguſtini roboraret auctoritate, id quod productis verbis facilè quiſque deprehendet: Sic intelligendum eſt, inquit, factores legis iuſtificabuntur, vt ſciamus, aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur: vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed factores legis iuſtificatio præcedat. Quid eſt enim aliud iuſtificati, quàm iuſti facti? ab illo ſcilicet, qui iuſtificat impium, vt ex impio fiat iuſtus. Si enim ita loqueremur, vt diceremus, homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur, eis qui iam homines eſſent, accedere liberationem. Si autem diceremus, homines creabuntur, non vtique intelligeretur creari, qui iam homines erant, ſed ipſa creatione homines fieri. Ita ſi dictum eſſet, factores legis honorabuntur, rectè non acciperemus, niſi honorem illis, qui iam eſſent factores legis, accedere. Cùm verò dictum eſt, factores legis iuſtificabuntur, quid aliud dictum eſt, quàm iuſti iuſtificabuntur? factores enim legis vtique iuſti ſunt. At per hoc tantundem eſt, ac ſi diceretur, factores legis creabuntur: nõ quia erant, ſed vt ſint, vt ſic intelligerent etiam Iudæi legis auditores, indigere ſe gratia iuſti iuſtificatoris, vt poſſint eſſe factores. Hæc Auguſtinus capite viceſimo ſexto, quo in loco hoc agit, vt exponat, quomodo gratis iuſtificemur, cùm aliàs dixerit Paulus: factores eſſe legis iuſtificandos. Idcircò Auguſtinus præ-

Rom. 2.

præcedenti periodo queſtionem exorſus ait: Neque enim contra ſeipſum diceret (nempe Rom. 3. Paulus) quod ait, factores legis iuſtificabuntur, tanquàm per opera, non per gratiam iuſtificentur, cùm dicat, gratis iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: nihilque aliud velit intelligi in eo, quod dicit gratis, niſi quia iuſtificationem opera non præcedunt, &c. Vtriuſque igitur loci intelligentiam ita attemperat Auguſtinus, vt in ſumma dicat, ita homines operibus iuſtificari, vt non tamen propter opera iuſtificentur, ſed gratis. Quæ expoſitio non adimit iuſtificationi opera noſtra, ſed merita, hoc eſt, præceſſionem, quod eſt cauſæ efficientis, non comitationem, quod eſt cauſę formalis. Si enim propter opera legis iuſtificarentur, iam iuſtificatio accederet operantibus, eſſetq; quaſi merces operis retributa, non immeritis gratuitò data, quod verbis Apoſtoli poſterioribus aduerſaretur. Si verò ſine noſtris prorſus operibus iuſtificaremur, quomodo verum eſſet, quod priora verba habent, factores legis iuſtificari? Hanc vtriuſque loci contemperationem exemplo exponit & confirmat ad Apoſtolicam doctrinam perquàm appoſito. Ita enim dicuntur factores legis iuſtificari, nó vt dicerentur honorari, quod eſſet conferre meritis præmia, ſed vt homines dicũtur creari, quia vt homo non poteſt eſſe homo ſine creatione, ita iuſtus non poteſt eſſe iuſtus ſine legis obſeruatione, ſaltem illa, quam appellauit iuſtitiæ dilectionem, charitatem, ſpiritum legis viuificantem, & ſi quæ ſunt alia id genus nomina. Hoc eſt, quod diximus, non opera noſtra, aut vlla merita, præcedere iuſtificationẽ, vt propter ea iuſtificemur, quod eſſet cauſæ efficientis, ſed comitari, quod eſt cauſæ formalis. Ab hac autem iuſtificatione, quæ legis opere, nempe charitate ac dilectione iuſtitiæ fit, proueniunt cætera opera, quæ dicuntur accedere iuſtificatis. Tolle hanc Auguſtini expoſitionem, & iam iuſtificatio noſtra ſine nobis, ſine voluntate noſtra, ſine libero arbitrio fiet, quæ toties negauit Auguſtinus. Non igitur vno loco, vt Philippus citat, ſed toto opere de ſpiritu & litera hoc agit Auguſtinus, vt doceat ex Paulo, ita nos non propter opera noſtra iuſtificari, vt per ea tamen iuſtificemur, ſolius autem fidei iuſtificationem nec attingit quidem, nec meminit vnquam, nec inter tam multas iuſtitiæ acceptiones, quibus gratiam, legem, charitatem, opera bona iuſtitiam appellauit, obrepſit illi, vt fidem appellaret iuſtitiam, nempe quod illa in ſacris literis inueniebat, hoc nunquam inuenerat.

Philippica VIII. Qua ſolutiones argumentorum, quibus Philippus reſpondet Catholicis, confutantur.

POſteaquam Philipp⁹ conatus eſt nequicquàm fidei ſolius iuſtificationem ſcripturæ teſtimonijs ſtabiliſſe, noſtrorum etiam argumentis reſpondet, illorum quoque reſpõſiones interdum refellit, idque multis adeò verbis, vt ſi omnia eſſent recenſenda, ſola trãſcriptio volumen huius diſputationis in immẽſum augeret. Sed nos aſſumpti operis modum ſequentes ad cribrum, quod aiunt, omnia ſecernemus, ne pulueris ſui copia ſanctarum ſcripturarũ luci tenebras offundat Philippus. Primò quaſi breuiter ac ſimplicibus verbis ſit ſingulis argumentis & locis reſponſurus, hoc ſtatuit, quod ambiguę & periculoſæ cauſæ multas & varias ſolutiones gignunt, & addit poetæ teſtimonium: Sed in bonis, inquit, & firmis cauſis vna atque altera ſolutio ſumpta ex fontibus, corrigit omnia, quæ videntur offendere. Nos quidem hanc Philippi regulam ſeruauimus, qui omnibus locis ab eo productis in planiſſime reſpondimus, iuſtificari quidem hominem fide, eidemque peccata remitti, quod illa teſtimonia dicunt, non tamen ſola fide, quia illa nó dicunt. Duobus verò locis, quæ opera legis excludunt à iuſtificatione, copioſiùs cùm Ambroſij, tùm Auguſtini auctoritate & expoſitione reſpondimus, reſponſioniſque veritatem ipſius Apoſtoli verbis perſpicuam fecimus. Atqui Philippus, qui hanc reſpondendi regulam nobis tradit, poſtquàm de ſolius fidei iuſtificatione iuſto penè libro diſſeruerat, aggreſſus noſtrorum refellere argumenta, pluſquã duodecim chartis de dilectione & legis impletione diſſerit, huc ſemper intentus, vt charitatem & legis opera à iuſtificatione ſecludat. Atque hinc viam ſibi maximè aperit ad reſpondendum omnibus, quę potuerint obijci. Singulis tamen poſteà ſcripturę locis per multa capita, niſi mauult paragraphos appellari, reſpondet. Et quomodo reſpondet? Nó per tropos aut diſtinctiones, vt ſophiſtæ, ſed lucidiſſimè oſtendendo, in quo argumenta deficiãt, vel ſi teſtimonia ſunt, quem ſenſum habeant loca, vnde petuntur. Vnum exemplum proponam, vt ex eo cæterorum poſſit fieri coniectura. Proponit ſibi hoc argumentum: Iuſtitiam neceſſe eſt in voluntate eſſe, ergò cùm fides ſit in intellectu, non iuſtificat. Certè non ſola iuſtificat, vt argumentum optimè probat, ſi luculentiùs aliquanto proponatur, ſed noluit, credo, homo ſuauis & elegans, in ſcholaſtico (quod ipſe vocat) argumento ſcholaſticum ſeruare ordinem, ne aliqua barbarie Latinum contaminaret candorem. At ſolutionem videamus: Hoc argumen-

mentum, inquit, Ideò recitamus, vt tota res magis fiat perſpicua. Priùs tamen, quàm de tota re prolixius diſſerat, ꝑpter moroſos quoſdam technologicos, vt ipſe verbulo Græco nos vocat, dicit argumento reſpondere ſe velle. Hic quis non aliquam argutam & prorſus irrefragabilem reſponſionem expectet, qua dialecticorum technæ vnico proſternãtur ariete? Conſtat ex ethnicis, inquit, iuſtitiam obediẽtiam appellari erga ſuperiorem, quam is approbat, quare fides rectè dicitur iuſtitia: nam obedientia erga euangelium imputatur pro iuſtitia à Deo, vt obedientia erga legem tantum propterea placeat, quia credimus nobis Deum gratis propitium eſſe propter CHRISTVM. Neque enim legi ſatisfacimus. Quanquam hæc fides eſt in voluntate, eſt enim velle, & accipere promiſſionem, & cæt. Obſecro bone vir, quò ruis, quò temetipſum tanto verborum profluuio præcipitas? Statueras velle te reſpõdere technologicis, quare non dialecticè negaſti, aut conceſſiſti præmiſſas, quas illi vocant? quare non probaſti aut improbaſti collectionem? Dicis fidem eſſe in voluntate, ſalſa ergò erat minor in argumento. Vide quàm facilè poſſes reſpondere, ſi reſpondere velles, & non verborum turbine omnia confundere, ne veritatis ſplendor queat in tam denſa fumi caligine dignoſci. Quid? quod in cauſa euangelicæ iuſtitiæ Philoſophorum ethica citas? Vbi eſt verbum Dei, præ quo cætera omnia faſtidire ſoles & contemnere? Si nos rerum diuinarum perſcrutationem à Philoſophis ordiremur, quid tu nobis occineres? Quibus nominibus nos ornares? Nunquid iuſtitiæ diuinæ, toties in ſacris literis prædicatæ, deſunt teſtimonia, vnde queat ſciri, quid ſit, & intelligi? Quale verò eſt, quod diuinæ legis obedientiam ita diſtinguis ab obedientia Euangelij, quaſi Euangelium non præcipiat niſi fidem, lex charitatem & opera charitatis? In quo tibi Euangelium ipſum nihil obſcurè contradicit: Hoc eſt præceptum meum (ait CHRISTVS) vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Meminit huius præcepti tam multoties Ioannes, vt hoc vnum videatur fuiſſe eius epiſtolæ argumentum. Hoc eſt mandatum, inquit, eius, nempe, Dei, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum, filius ſcilicet, nobis. Euangelio igitur, non credendo ſolùm, verùm & diligendo obeditur, quia ita charitas finis eſt legis, vt Chriſti nihilò minus ſit peculiare præceptum. Probas præterea per Philoſophum (ſi diuis placet) fidem rectè dici iuſtitiam. Fac tibi eſſe conceſſum à nobis, quid ad ſummam noſtræ diſputationis, quæ erat, an ipſa ſola eſſet noſtra iuſtitia? Intellectus rectè dicitur vita: Solus ergò viuet aut ſolus viuificauit intellectus? Ad hæc, obedientiam erga legem dicis tantùm placere proper fidem, ſatemur, & teipſo, etiam ſi nolis, authore addimus, iuſtificare propter fidem. Audebis ex hoc tuo axiomate colligere. Ergò non placet? Ergò non iuſtificat? Tantum colliges non ſolam iuſtificare, non ſolam placere, quod Iudæi credebãt. At nos viciſſim ex tuis verbis colligemus, fidem non ſolam per ſe placere, ſed per obedientiam legis: non ſe ſolam iuſtificare, ſed per charitatem, per quam operatur. Vides quàm multa peccaueris, dum peccare nos in ſcholaſtico, quod appellas, argumento conaris oſtendere. Iam fides, vt ad alteram argumenti ſolutionem deſcendamus, qui poteſt ineſſe voluntati, cùm ſit notitia certa, non tamen euidens, rerum diuinarum, vt à Theologis omnibus deſcribitur, & ab Apoſtolo, quem quidem ſequuti ſunt, ſignificatur? id & tu non potes inficias ire, qui non ſemel dixeris fidem eſſe notitiam, motus Eſaiæ verbis, quibus ait notitia Chriſti multos eſſe iuſtificandos, nũc argumentatione coactus, negas illam eſſe in intellectu, cui omnes notitiæ inſunt. Haud enim minoris eſt dementiæ, ſpirituales cognitiones, cuiuſcunque ſint gradus & ordinis, intellectui negare, quàm oculis viſionès. Si res tibi eſſet cum technologicis, obijcerent tibi metam contradictionis, vt illi loquuntur, aut ſaltem contenti eſſent, adduxiſſe te in tam apertum inconueniens, vt contra omnium, cũ Philoſophorum, tùm Theologorum ſententiam, dicas fidem eſſe in voluntate. Quid obſecro reliquum ſacis intellectui, vnde perfici queat, ſi fidem illi adimis? Vbi eſt illud Pauli de Eccleſia captiuante omnem intellectum in obſequium Chriſti, fide nimirum cogente credere, quod non videtur? Et illud de incredulis, quod tenebris obſcuratum habeant intellectum? An eſt aliud fides, quàm ſapientia illa, quæ toties in ſcripturis ſanctis appellatur panis intellectus, panis verbi, aqua ſapientiæ, lumen, veritas, & id genus alia, quæ intellectu duntaxat percipiuntur? Hic eſt mentis oculus, quo videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, qui ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Et aduerſus hæc & alia huiuſcemodi notiora, quàm vt oporteat confirmari, audet Philippus dicere, fidem eſſe in voluntate, idque non ſemel. Quid iam non tribuet fidei? Quid miramur, quòd Iuſtificationem & peccatorum remiſſionem illi tribuerit? Facilè eſt ei, etiam bonorum operum remiſſionẽ tribuere. Quis illum argumento compeſcet, qui nihil moratur aſſerere, quod omnes negant? negare, quod òmnes aiunt? Negat enim (vt ad aliam eius reſponſionem iam accedamus) bona opera vtilia eſſe ſacientibus. Reſponderant (vt dicit)

Rom.15.

1.Ioan.1.

Heb.11.

Fidem dicit eſſe in voluntate.

1.Cor.3.

Ad aliam reſponſionē Catholicorum reſpondet. Luc. 17.

cit) Theologi, qui Auguſtæ cauſam Eccleſiæ ſuſtinebant, illud Lucæ, quod Chriſtus ait: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui ſumus inutiles, intelligendum eſſe per Pſalmographi verba: Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: & ita nos, cùm benefacimus, inutiles eſſe Deo, cui nihil commodi, nihil vtilitatis, de noſtris operibus poteſt accedere: eadem tamen opera vtilia eſſe nobis, quibus ſecundum opera ſe CHRISTVS retributurum eſſe promittit. Addiderunt etiam, in fidem quoq; poſſe competere, quòd inutilis ſit Deo, vtilis verò nobis. Quid ſimplicius, quid breuius, quid verius dici potuit, quàm bona opera inutilia eſſe Deo, facientibus vtilia? Et tamen hic exclamat Philippus: Videte, inquit, quàm delectet aduerſarios puerile ſtudium ſophiſtices. Vbinam latet ſophiſma? Non eſt ſophiſma, ſacras literas intercipere, euertere atque peruertere, & ſophiſma videtur expoſitio per locorum collationem ab eadem ſcriptura ſumpta? Vos ô Germani, veſtrumque appello candorem, vt conferatis hanc noſtrorum reſponſionem cũ ea, quam paulò antè Philippus primo dedit argumento, & iudicetis, vtra ſimplicior, vtra breuior, vtra dilucidior ſit, & à tergiuerſandi ſtudio omninò remotior. Eſt etiam operæprecium audire, quomodo cæteris reſpondeat argumentis, qui reſponſionem noſtram queritur eſſe ſophiſticam. Cùm videret ſe locis apertiſſimis vrgeri, cumque multi verborum inuolucris vſus, non ſibi viſus eſſet ſatisfeciſſe, ad grammaticales tropos cõfugit, & dicit, quædam eſſe accipienda per ſynecdochen, illud ſcilicet, quod habetur apud Lucam: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Item illud: Factores legis iuſtificabuntur. Quædam verò per hyperbolen, vt eſt illud: Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat. Quanquàm diffiſus huic reſponſioni, addit: eleemoſynam prodeſſe, ſed non ſine Chriſto, quaſi nos, quæ ſine Chriſto fiant, eleemoſynas à peccatis liberare dicamus. Quod ſi feriò hęc & huiuſcemodi alia reſpondet Philippus, & non eo potiùs, vt ſucum faciat imperitis: miror hominem eruditum & in primis rethoricum, non obſeruare, quid illi cum aduerſario in cauſa conueniat, quid ſit, quod in litis ſiue diſputationis veniat controuerſiam. Erat enim optimi oratoris & peracuti dialectici, primùm ſtatuere, qua de re, aut quibus de rebus ſibi ſuſcipiendum eſſet certamen, vt pro eis tantùm, vel aduerſus eas ſuos conatus, argumenta, rationes, verba etiam, ſi fieri poſſet, omnia dirigeret. Alioqui fieri non poteſt, quin more Andabatarum cæcus irruens, nunc pectus nudum exponat hoſti, nunc ictus quàm plures incaſſum iaciat, & interdum ſe ſuo gladio iugulet, id quod frequenter vſu venit Philippo. Nam ſynecdoche tropus quid habet cum his locis? niſi dicere velit, euangelicæ iuſtitiæ partem pro tota accipi, vt non ſola charitate & obſeruatione mãdatorum Dei iuſtificemur, ſed etiam fide, quæ pars eſt iuſtitiæ Chriſtianæ, & ad vitæ æternæ conſequutionem apprimè neceſſaria. Id nos libenter accipimus, & vltrò fatemur. Atque vtinam tam facile Philippus nobiſcum in veritatis inueſtigatione conueniret, quàm ſponte nos illi, vbi pro veritate loquitur, cederemus. Fatemur enim, neminem iuſtificari ſine fide, charitatemque & eius opera non totam eſſe iuſtitiam, ſed partem, tametſi præcipuam, fateatur idem & ipſe nobiſcum, vt nolit tam inſolenter, non modò nobis, verùm & ſibijpſi contradicere, iuſtitiæ ſummam ſoli fidei tribuendo, quod ſynecdoche tropus non ſinit. Significat enim aut totum à parte, aut partem à toto. Ita reſpondere, verba illa per ſynecdochen eſſe dicta, eſt nihil obſcurè charitatem iuſtitiæ partem eſſe fateri. Hæc autem expoſitio quomodo conſtare poſſit ei, qui totam iuſtitiam tribuit fidei, & charitatem à iuſtificatione & peccatorum remiſſione prorſus excludit, viderit Philippus. Iam cùm quarto quoque verbo tam multipliciter peccet, quis tamen enumeret, quæ crimina, quas blaſphemias, quas hæreſes, nobis inter reſpondendum impingat, quod ſine fide, ſine gratia, ſine CHRISTO velimus hominem iuſtificari, quod ad hoc abutamur teſtimonijs, quæ non modò nos non iuuant, verùm pro ſuo dogmate maximè faciunt? Quod genus eſt illud Iacobi 2. Videtis igitur, quòd ex operibus iuſtificetur homo, & non ex fide tantùm. Huius reſponſionem miro verſat artificio: primò, quod facillimum eſt, parui facit argumentum, conſilio ac ratione deſtitutus, commune præſidium occupat, nempe contumelias & maledicta, à quibus exorditur: Sed eſt facilis, inquit, & plana reſponſio, ſi non aſſuant aduerſarij ſuas opiniones de meritis operum. Iacobi verba nihil habent incommodi. Sed vbi fit mentio operum, aduerſarij aſſingunt ſuas impias opiniones, quòd per bona opera mereamur remiſſionem peccatorum, quòd bona opera ſint propiciatio ac precium, propter quod Deus nobis reconcilietur, quòd bona opera vincant terrores peccati & mortis, quòd opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia & propiciatore Chriſto. Horum nihil venit in mentem Iacobo, quæ tamen omnia nunc defendunt aduerſarij prætextu ſententiæ Iacobi. Primùm

Iacobi 2.

Philippi verba.

enim Igitur hoc expendendum eſt, quòd hic locus magis contra aduerſarios facit, quàm contra nos, & cæt. Immane, quantam impietatem oſtentat Philippus, quam hactenus neſciebamus latere inter Chriſtianos. At quid interim reſpondet ad Iacobi verba, vt illa in aduerſarios vibret? Longum eſſet nunc omnia tranſcribere, quæ comminiſcitur, ſic tamen inter differendum colligit: Non igitur ſentit Iacobus nos per bona opera mereri remiſſionem peccatorum & gratiam. Præclaram verò collectionem, quaſi nos ad hoc citemus Iacobum, vt eius auctoritati credatur, poſſe homines mereri peccatorum remiſſionem & gratiam. De iuſtificatione & peccatorum remiſſione ita agimus, vt non operibus noſtris, aut meritis contingere nobis aſſeramus, neque noſtrorum quiſquam aſſeruit.

Gratis iuſtificari nos credimus à Deo propter CHRISTVM, iuſtificationem verò non ſola fide, ſed etiam charitate & operibus bonis contineri defendimus, ita vt quamuis non propter charitatem & eius opera, charitate tamen & operibus eius, & non fide tantùm, iuſtificari nos aſſeramus. Ad hoc citatus eſt Iacobus, ab hoc erat eius auctoritas auertenda, quod cùm efficere non poſſit Philippus, ipſe ſibi comminiſcitur, quod expugnet. Addit autem collectioni: Loquitur enim (Iacobus ſcilicet) de operibus iuſtificatorum, qui iam ſunt reconciliati & accepti, & conſequuti remiſſionem peccatorum. Quid ego audio? Iacobus dicit hominem operibus iuſtificari, Philippus opera illa non iuſtificare, ſed ab eo, qui iamdudùm fuerat ſola fide iuſtificatus, fieri. Vtri eorum credemus? Nam hæc duo dicta procul dubiò ſibi viciſſim aduerſantur, neque poſſunt quoquo modo ſimul eſſe vera. Eiuſdem eſt farinæ alia reſponſio, quam paulò pòſt comminiſcitur. Oblitus nempe reſpondendi legem, qua dixerat, in bonis & firmis cauſis vnam & alteram ſufficere ſolutionem ex fontibus ſumptam. Ex quibus fontibus? Ipſius nimirùm cauſæ. Atqui huic argumento plures dat ſolutiones, quippe quòd nulla ſit ſufficiens, & omnes extra cauſam. Sed hanc de qua diximus, nunc demùm audite. Iuſtificari, inquit, ſignificat hic non ex impio iuſtum effici, ſed vſu forenſi iuſtum pronunciari, ſicut hic: Factores legis iuſtificabuntur. Sicut igitur hæc verba nihil habent incommodi: Factores legis iuſtificabuntur, ita de Iacobi verbis ſentimus. Iuſtificatur homo non ſolùm ex fide, ſed etiam ex operibus, quia certè iuſti pronunciarentur homines habentes fidem & bona opera. Quis non videat Philippum tanta varietate ſolutionum, latitanti ſimilem & lucem fugienti, huc atque illuc diſcurrere, quo veritatem effugiat? Sed à quibus obiecro, aut in quo iudicio pronunciantur iuſti factores legis, quos Paulus & Iacobus iuſtificari pronunciant? *Rom 2. Iacob. 2.* Ab hominibus fortaſsè. Atqui Apoſtoli Chriſti non de iuſtitia differebant humana, quinimò Paulus confidenter clamat: Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui enim me iudicat, dominus eſt. A Chriſto ergò, & in eius iudicio pronunciantur iuſti legis factores, id quod locus ipſe Pauli declarat, cuius verba ſunt: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Vides eodem loco iuſtificari, non pro iuſtum pronunciari, ſed pro eſſe iuſtum accipi, idque apud Deum, ne interim ad humanam iuſtitiam confugias, vt ſoles, quando ſola coniunctione aduerſatiua interpoſita, quod negatur auditoribus legis, factoribus tribuitur, nempe eſſe iuſtos. Apud Deum igitur & in diuino iudicio iuſti pronunciantur & habentur, & ſunt illi, qui non fidem habent ſolummodò, ſed & opera, vt Iacobus contendit, quos factores legis Paulus appellat. Quod ſi verum eſt, homines ſola fide iuſtificari, quod Philippus aſſerit: falſum igitur erit, aut iniquum Dei iudicium, quod factores legis iuſtificat, vt Paulus ait: & non ſola fide iuſtificat hominem, hoc eſt, iuſtum pronuntiat (donemus interim hoc Philippo) ſine operibus: quod Iacobus, Philippo etiam inuito, defendit. Tandem in quarto paragrapho poſtquã tentauit ſimplicia Apoſtoli verba varijs commentis inuoluere, ad conſuetam modeſtiam reuerſus, ita inquit: Videmus in his ſententijs nihil eſſe vitij, ſed aduerſarij deprauant eas, qui de ſuo affingunt impias opiniones, &cæt. Nobis nihil certius eſt, quàm apoſtolicis ſententijs nihil ineſſe vitij. Vtinam tam perſuaſum ſit omnibus, qui Luthero credunt. Animaduertitis reor viri Germani, quid hic diſſimulem. Eadem ſimplicitate, qua cæteris locis & argumentis reſpondet, quarto etiam capiti prioris epiſtolæ diui Petri, vbi dicitur charitas operire multitudinem peccatorum, ſumma reſponſionis eius eſt, quòd peccata, quæ charitas operit, non ſunt illius, qui charitatem præſtat, ſed alterius, cui per charitatem indulgetur & ignoſcitur. Non de proprijs, inquit, delictis, ſed de alienis loquitur, cùm ait: Dilectio tegit delicta, videlicet aliena, & quidem inter homines, id eſt, etiam ſi quę offenſiones incidant, tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit omnia ſummo iure, & cæt. Hanc expoſitionem probat per diſſidia Cæſaris & Pompei, confirmat vulgari ſententia: Mores amici noueris, non oderis. Conciliat ei alium locum ex Paulo ad Coloſſenſes, quaſi, quia ſemel de charitatis officio erga proximum loquutus eſt Paulus, omnia quæ de charitate dicuntur, & de eiſ-

dem oporteat intelligi. Citat tamen, quod grauiores eſt auctoritatis, & propiùs accedit ad rem, eadem penè verba ex decimo capite Prouerbiorum. Veruntamen vndecunque Apoſtolus Petrus verba ſumpſerit, nihil refert ad ſententiam, quæ ex totius orationis Apoſtolicæ contextu eſt colligenda, præſertim cùm Prouerbia non citauerit, quod conſueuerunt Apoſtoli facere, vbi veteris teſtamenti opus eſt verba produci. Hoc igitur in loco perſpicuum eſt, non hoc agere Petrum, vt tradat ciuilium officiorum regulas & præcepta: ſed vt oſtendat, quibus pietatis operibus deprecari poſſent ij, quibus ſcribebat, multa ac varia peccata, quæ antehac admiſerant. Attigerat ea in tertio capite, in cuius fine de conſcientiæ puritate incipit diſſerere, oſtendens qua potiſſimùm ratione queant illam adipiſci, nimirùm per baptiſma, quod non modò extimè corpus intingat, verùm & intimè abluat mentem ac mutet. Addit Chriſti mortem & reſurrectionem, quam alteram familiare eſt Apoſtolis peccatorum remiſſioni, alteram iuſtificationi & vitæ nouitati referre. De his diſſerit capite quarto, recenſens primò catalogum peccatorum, quibus obnoxia erat mens ſine CHRISTO, addit autem remedium per fidem & charitatem. Fidem doctrina & oratione ſignificauit, quia fides ex
*Rom. 10. auditu eſt, vt Paulus inquit, & oratio in fide poſtulat, vt poſtulata queat obtinere: nec vllum eſt fidentis animi ſignum expreſſius oratione. Charitatem verò proprio nomine deſcripſit, excellentiæ quoque notam illi addens: Ante omnia, inquit, mutuam in vobiſmetipſis charitatem cótinuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Quorum peccatorum? Illorum profectò, quorum reos oſtenderat, ad quos ſcribebat. Alioqui non continuatiua coniunctione vtēdum illi erat, qua poſteriora referret ſuperioribus, ſed adiunctiua, qua viam ſibi faceret ad inferiora, dicendumque: vt charitate operiatis, ſiue vt charitas operiat multitudinem peccatorum. Cùm verò dicat: Quia charitas operit multitudinem peccatorum, quibus potuit verbis apertius oſtendere, charitate nobis prçterita peccata, de quibus diſſerebat, operiri? Vſus eſt autem operiendi verbo ea phraſi, qua Propheta pronunciat beatos, quorum tecta ſunt peccata, non hominum conniuentia, ſed condonatione diuina. Atque hic eſt verus & germanus Apoſtoli ſenſus, Apoſtolorum principe dignus: non de Romanorum chronicis, aut vulgi ſententijs, ſed ex ipſius Petri præcedentibus paulò antè verbis, ipſaque orationis contextura productus, quem ſequutos eſſe Patres cùm Græcos, tùm Latinos, eorundem (quod inferiùs eſt videre) verba declarant. Plura alia loca refert confeſſioni fuiſſe de ſcripturis obiecta, ad quæ, cum hominem charitatis ac pietatis operibus iuſtificari, eidemque peccata dimitti, nihil obſcurè probent, vt probant ea, quæ nos citauimus, identidem reſpondet, verum eſſe, ſed non ſine Chriſto. Qua reſponſione ita nobis aſſentitur, vt tamen ſe victum fortiter diſſimulet: quinimò quo vitare poſſit cauſæ pudorem amiſſę, non illum pudet execrādæ nos inſimulare blaſphemiæ. Hoc enim omnibus ſuis reſponſionibus agit, vt omnes credant; nos ſine Chriſto & eius fide polliceri hominibus legis obſeruationem, iuſtificationem, peccatorum remiſſionem, & id gen' alia, quæ dona Dei eſſe nemo non credit. Ad has, inquit, ſententias & ſimiles de operibus primùm hoc reſpondemus, quod ſuprà dictū eſt, legem non verè fieri ſine fide, nec placere nisi per fidem in Chriſtum, iuxta illud: Sine Ioan. 15. Hebr. 11.
me nihil poteſtis facere. Item: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Item: Per Chriſtum habemus acceſſum per fidem. Itaque quoties requiruntur & probantur opera, addendum eſt Euangelium de Chriſto, &c. Felix, ſi ſic omnia dixiſſet. Ego quidem non pedibus modò, verùm manibus, capite toto, demùm cùm corpore tùm animo in ſententiam eius deſcēderem. Cùm enim Euangelium addit operibus, procul dubiò fatetur euangelicam promiſſionem non apprehendi niſi ab operantibus, ac proinde non ſolam fidem euangelicam, verùm & euangelica opera iuſtificare. Quando enim ignauis aut deſidioſis ſe pro- Matth. 7. & 11.
mitteret fore propitium CHRISTVS, cùm dicat arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, regnumque cœlorum vim pati, & à violentis eſſe poſſidendum? Veriſſimum itaque fatemur eſſe, quod Philippus dicit: Legem non verè fieri ſine fide, nec placere niſi propter fidem & Chriſtum, cui credētes fidimus, fidei tamen adiuncta legis obſeruatio placet, placat, atque adeò iuſtificat: hoc eſt, facit vt non imputentur nobis peccata, quæ ante fidem per incredulitatem perpetrantur, vel poſt fidem humana fragilitate quotidiè admittuntur, etiam ab ijs, quibus nihil eſt prius virtute, nihil antiquius, quàm diuinis ſe per omnia præceptis accommodare, quibus fides multipliciter prodeſt: Primùm quod fide intercedente, Chriſtus confert illis vim, vt legem, ad quam humanæ vires non attingebāt obſeruent. Ad hoc enim in ſimilitudine carnis peccati venit, vt quod impoſſibile erat legi perficere, iuſtificatio legis impleretur in his, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum: Secundò, quòd ipſa legis obſeruatio quantumlibet perfecta, qualis vix reperitur, ineſſicax eſſet ad æternam felicitatem, niſi per Chriſtum, cuius membra nos facit fides, æternitatem quandam obtineret

meret in merendo. Hinc enim fit, vt quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pōdus operetur in nobis: Tertiò, quòd cum capeſſentibus æternitatem hanc, in via, qua ambulamus (vt ait Propheta) abſconderint ſuperbi laqueum nobis tam multiplicem, vt nemo queat euadere, quin aut corruat, aut cadat, aut hæreat, aut ceſpitet: Chriſtus ſemper credentibus adeſt, vt iacentes erigat, errantes dirigat, cadentes ſubleuet, labantes ſuſtineat, hærentes expediat. Nam dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos, erigit eliſos, dominus diligit iuſtos. Quos iuſtos, niſi quos ſoluendo, illuminando, erigendo, dirigendo, trahendo iuſtificat? Quartò, quòd eadem fides, vt cadentes, colliſi, & obruti facinoribus, non deſperemus de Chriſti miſericordia, qui vt quotidie experimur, ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quiq́ue per Prophetas ſuos quotidiè clamat: Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Hæc gemina conuerſio eſt, quæ hominem iuſtificat, hoc eſt, quodam modo Deo componit & æquat. Quod ſi quæras, quomodo debeat fieri, in promptu eſt tibi forma, quam per Iohelem dominus tradit. Conuertimini, inquit, ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multùm miſericors, præſtabilis ſuper malitiam. Habemus gratuitam promiſſionem diuinæ erga nos propitiationis & clementiæ, quæ ſine veſtium conciſione, hoc eſt, veteris Iudaiſmi ritibus hominem procul dubiò ſemel apprehēſa iuſtificat. Sed oportet animaduertere, quibus legibus apprehendatur, totius nimirùm cordis conuerſione, quam externa opera, ſi facultas adſit & opportunitas, profitentur. Fides itaque promiſſioni credit, ſed vera legis obſeruatio charitas, quæ fidem perficit, promiſſionis fructum apprehendit, peccatorum nempe remiſſionem, iuſtificationem, & horum omnium mercedem, æternam felicitatem. Hæc eſt catholica totius Eccleſiæ doctrina, quam quoſdam, qui veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces, humanis interdum traditionibus, priuatim ad quæſtus & lucrum ex cogitatis, obſcuraſſe, haud inficias imus, ſemper tamen pijs in libertatem, citra hæreſes & ſcandala, veram pietatem licuit aſſerere, quod noſtra mediocritas eſt non ſemel experta. Quare non iniuria Lutheri & Philippi excuſationem reijcimus, qua Miſſarum nobis cauponationes, roſariorùm, fraternitatum, imaguncularum, & cæterorum id genus præpoſteram vulgi fiduciam obijciunt, quam inuexit ſanè quorundam

Ioel. 2.

auaritia, qui quæſtum exiſtimant pietatem, Eccleſia tamen minimè probante, licèt epiſcopis plus iuſtò fortaſſe conniuentibus. Reijcimus, inquam, huiuſcemodi excuſationes, quia non decebat, bonis Chriſti & Eccleſiæ legibus peruerſos hominum obeſſe mores, nec erat prauæ voluntatis morbo intellectus deprauatione medendum. Maneat catholicis veritatibus ſua fides: maneat ſuus honos Eccleſiæ cùm legibus, tùm antiquis conſuetudinibus. His reuerenter prætermiſſis & intactis, inuehamur in vanos hominum abuſus, exclamemus in vitia, excandeſcamus etiam, ſi placet, in ſcelera, quæ longa conſuetudine peccantium, paſtorum ceſſatione atque ſocordia, quaſi legum vim apud vtriuſque ordinis plærosque proceres ſunt adepta, euangelica tamen modeſtia ſeruata in primis, de qua CHRISTVM nos admonuiſſe reor, cùm dicit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, id quod hac potiſſimùm ratione præſtabimus, ſi cæterorum crimina cùm verbis, tùm moribus noſtris damnantes, nominibus, vbi correctionis aut communis totius Eccleſiæ vtilitatis ſpes non adſuerit, pepercerimus. Fratres enim & conſerui noſtri ſunt Principes, Pontifices, monachi, ſacerdotes, & cæteri, quorum offendimur moribus. Domino ſuo ſtant aut cadunt, quin plures illorum credendi ſunt ſtare, potens eſt enim Deus ſtatuere illos. Iam ſi quis contendat, in hac doctrina de fide & operibus, mihi & Philippo per omnia conuenire rebus, verbis tantùm videri diuerſos, ego non video, qui poſſint conuenire nobiſcum illi, qui cùm in reſponſionibus argumentorum iuſtificationis partem charitati conceſſerint, diſſentiendi tamen ſtudio, non modò charitatem à iuſtificatione differendo ſecludunt, hominem ſola fide iuſtificari dicūt, verùm quò magis videamur illis aduerſari, fingunt nos docere hominem ſolis operibus iuſtificari etiam ſine fide, qua nulla poteſt eſſe vanitas impudentior. Veruntamen nihil ego grauabor Philippo credere, modò ingenuè, quod facillimum eſt, & in primis neceſſarium, deſerat verborum nouitatem, qua hactenus tot ſcandala ſunt genita, tot hæreſibus occaſiones apertæ. Ad hæc diuinæ legis præcepta non contemnat, cuius finis eſt, non fides ſola, ſed charitas, inquit Paulus, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Et addit, quod ab his quidam aberrantes cōuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quid verò eſt ab his aberrare, niſi aut legem, hoc eſt, charitatem à fide, aut fidem à charitate in iuſtificatione ſeiungere, cùm vtramque ſemper Apoſtolus in operatione coniungat?

1. Tim. 6.

Matth. 10.

Nam quod nunc propenſior eſt in hanc, nunc in illam, varietas morum, conditionis affe-ctuum aut errorum gentis, ad quam ſcribebat, erat in cauſa. Cæterùm cùm vnum totius Euangelicæ doctrinæ prædicatorem inſtituit, quid illi præcipiat, audiamus. Formam habe, inquit, ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectione in Chriſto Ieſu. Hic oſtendit apertè, quid ſiue per epiſtolas ſiue per ſermones (nam vtroque modo perhibet ſe tradidiſſe præcepta) de fide & charitate docuerit, nec ſatis eſt ei, ſi bonam habeamus doctrinam, niſi & formam ſanorum verborum in docendo ſeruemus, hoc eſt, iis vtamur verbis, quæ nullum errorem, nullum ſcandalum, nullam deceptionem gignere poſſint in animis audientium. Hanc formam ſi Lutherus, ſi Philippus, ſi cæteri eiuſdē claſſis ſeruare voluiſſent, viri Germani, minimè vobis nunc opus eſſet noſtra monitio, qui cæteros cùm verbis, tùm exemplis olim veræ atque catholicæ pietatis admonere conſueuiſtis. Vnde enim tanta pietas, tanta probitas, tanta religio, quãta ex Germania, priuſquàm Lutherus illam faſcinaret, multis à ſuſcepta Chriſti fide ſeculis prodierat? Nunc verò. At præſtat verbum nullum addere, quando decreui, quos cauſa vinco, ſuperare modeſtia, Apoſtolicis duntaxat verbis diſputationem claudamus. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. De cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque diligenda, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, & Deus pacis erit vobiſcum.

2. Tim. 1.

Philip. 4.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus VII. De Eccleſia.

Item docent, quòd vna ſancta Eccleſia perpetuò manſura ſit. Eſt autem Eccleſia, congregatio ſanctorum, in qua Euangelium purè docetur, & rectè adminiſtrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Eccleſiæ, ſatis eſt cōſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione ſacramentorum. Nec neceſſe eſt vbiq, eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus & ceremonias ab hominibus inſtitutas, ſicut inquit Paulus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, & cæt.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus VII. De Eccleſia.

Item docent, quòd vna ſancta Eccleſia perpetuò manſura ſit. Eſt aūt Eccleſia Chriſti, propriè congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt, ſanctorum, qui verè credunt, & obediunt Chriſto, etſi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſint, vſque ad nouiſſimum iudicium. Habet autem Eccleſia propriè dicta, ſigna ſua, ſcilicet puram & ſanā Euangelij doctrinam, & rectum vſum Sacramentorum. Et ad veram vnitatem Eccleſiæ ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt, vbiq, ſimiles eſſe traditiones humanas, ſeu ritus ab hominibus inſtitutos. Sicut & Paulus docet, cùm ait: Vnus dominus, vna fides, vnū baptiſma, vnus Deus & pater omniū, & c.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum ſeptimum reſponſio.

Septimus Confeſſionis Articulus, quo affirmatur, Eccleſiam congregationem eſſe ſanctorum, non poteſt citra fidei præiudicium admitti, ſi per hoc ab Eccleſia ſegregentur mali & peccatores. Nam Articulus ille in Conſtantienſi damnatus eſt concilio, inter errores damnatæ memoriæ Ioannis Huſs, & planè contradicit Euangelio. Nam ibi legitur, Ioannem Baptiſtam comparaſſe Eccleſiam areæ, quā Chriſtus permundabit ventilabro ſuo, & cōgregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 3. Quid autem paleæ ſignificāt, niſi malos, ſicut triticum bonos? Et Chriſtus Eccleſiam comparauit ſagenæ, in qua piſces ſunt boni & mali. Matth. 13. Chriſtus item comparauit Eccleſiam decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, Matt. 25. Quapropter hic articulus Cōfeſſionis omninò nō acceptatur, quamuis laudatur in eo, quod Eccleſiā faretur perpetuā, cum hoc loco habeat promiſſio Chriſti promtteñtis, quòd ſpiritus veritatis ſit permāſurus cū ea in æternū. Ioan. 14. Et ipſe Chriſtus ſe pro-

Matt. vlt.

ſe promittit Eccleſiæ omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Laudatur & in eo, quòd exiſtimat, rituum varietatem non diſſecare fidei vnitatem, ſi de ſpecialibus ritibus loquatur. Nam ſic vnaquæque Prouincia in ſuo ſenſu abundat ait Hierony. Quòd ſi hanc Confeſsionis partem ad vniuerſales Eccleſiæ ritus extenderent, & hoc prorſus reijceretur, & illis cum S. Paulo diceretur, Nos talẽ conſuetudinem non habemus. 1. Cor. 11. Ab omnibus enim Chriſtifidelibus vniuerſales ritus ſeruandos eſſe, pulchrè S. Auguſtinus ad Ianuarium, cuius teſtimonio & ipſi vtuntur, docet, quòd præſumendum ſit, illos ritus ab Apoſtolis dimanaſſe.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum ſeptimum animaduerſio.

QVàm piè Euangelici de Eccleſia ſentiant, clarum efficiũt refutationes hic ſubiectæ. Sed non ſegniter quotquot ſunt Euangelicæ veritatis ſtudioſi, illud prætereãt, quod hic affirmant, Eccleſiam eſſe vnam, & ad veram vnitatem Eccleſiæ ſatis eſſe cõſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum. Hæc ſanè clauſula eſt velut rutilans carbunculus, quem ſi ſingulis articulis adhibeamus, vt oẽs tenebræ continuò diſpareant, neceſſum eſt. Aliter de doctrina Euangelij ſentiũt Vuittenbergenſes, q̃ Palatini: aliter Palatini, q̃ Vuittenbergẽſes: aliter Ienenſes, quàm illi vniuerſi Miniſtri Eccleſiarum, quæ Auguſtanam Confeſsionem ſunt profeſſæ, ſibi mutuo crimen hæreſis & ſchiſmatis impingunt, & capitaliter diſſident. Quid igitur ex hoc articulo manifeſtius eſſe poteſt, quàm quòd inter Confeſsionis Auguſtanæ propugnatores non ſit vera Eccleſia? Si non vera Eccleſia, ergò nec vera fides: Si non vera fides, ergò tenebræ, cęcitas, & æterna damnatio. O ſtupendum Euangelium. Quòd etiam affirmant, non eſſe neceſſum, vt ſimiles vbiq; ſint traditiões humanæ, aut ritus, ſanè intellectum probari quidem poſſet. Neq; enim Catholici diffitentur, ritus accidentarios poſſe eſſe pro varietate rerum & locorum diſsimiles. Sic enim Regina Eccleſia ſtat à dextris Dei circundata varietate officiorũ, graduum, & rituũ. Sed de ritibus humanis ita diſputant Euãgelici, vt ſub eo titulo nõ poſtrema religionis Chriſtianę fundamenta reuellant. Aliàs vnũ, aliàs duo, aliàs tria, aliàs quatuor ſacramenta ſtatuunt. Vt in rebus fidei, ita in cæremonijs eccleſiaſticis deſtruunt, ædificant, mutant quadrata rotundis. Qua verò illud authoritate? Ex hac nimirùm clauſula fundamentali, quòd non ſit neceſſum, ritus vbiq; eſſe ſimiles. Ita vbiq; vulpes doloſè foueas ſibi parant, in quibus latitent, & inſidientur. Certè Catholici in his quę ſunt fidei, & quę ſunt ab Eccleſia vniuerſali recepta, priuatam & ſacrilegam variationem non admittunt. Ad hæc cùm in fine articuli probant, ex vnitate fidei, producta etiã Pauli ſentẽtia, Eccleſiæ vnitatem, quid aliud agunt, quàm quod ſeipſos iugulant? Certùm enim eſt, illos fidem, quæ anteà erat vna, diſtraxiſſe, & ne in ſua quidem parte dogmatum concordiam retinere. Quod etiam minimè conuenit cum perpetuitate Eccleſiæ, quam initio eiuſdem articuli affirmarunt.

Psal. 44.

Ioannis à Dauentria Articuli ſeptimi refutatio.

VNam eſſe ſanctam Catholicamq́; Eccleſiam, perpetuò manſurã, aduerſarijs cũ Catholicis conuenit. Sed non ſatis exactè Eccleſiam definierunt. Non eſt enim Eccleſia tantum ſanctorum congregatio: nam ſanctis etiamnũ peccatores cõmixti ſunt, iuxta Euãgelicam illam parabolam, q́ ſagenã miſſam in mare, omne genus piſciũ ad littus attraxiſſe, piſcatores verò bonos piſces collegiſſe, malos verò reieciſſe memorat. Sagenam vocant Catholici p̃dicationem Euangelij, bonos & malos pariter comprehendentẽ. Malos verò non ſeparandos à bonis docent, quouſq; veniat ęquiſsimus ille iudex, de quo dictum eſt ꝙ ſeparabit oues ab hœdis, ꝙ purgabit areã ſuam, paleas comburens, triticum in horreis recondens. Idem ſignificat parabola de decem virginibus, quarum quinq; prudentes, quinq; fatuæ ſunt: Illę recipiũtur ad nuptias, iſtæ excluduntur: illę lampades habent oleo plenas, iſtę vacuas: iſtæ virgines malę, illę bonæ. Quocircà dicit Auguſt. Iſtæ quinque & quinq; virgines oẽs, omninò sũt animę Chriſtianorum, non qualeſcunq; animæ, ſed tales animæ, quæ habent Catholicã fidẽ, & habere videntur opera bona in Eccleſia Dei. Nõ debebant ergò iſti ſua auctoritate malos ab Eccleſia ſequeſtrare, cùm eos Dñs & oẽs ſancti Patres ab ea non ſeparauerint, idq; p̃ſertim, vt per malos exerceãtur boni, maliq; à bonis conuertantur: Omnis malus, inquit Auguſt. ideò viuit, vel vt conuertatur, vel vt per eum bonus exerceatur. Hic reſpondent.

Sa Math Vat.

Augus. ...

Tametſi (inquiunt) *mali ſunt in Eccleſia, tamen non ſunt de Eccleſia: quia non ſunt de regno Chriſti, ſed de regno diaboli.*

Qui Chriſto credunt, quíque Chriſto per baptiſmũ inauthorati ſunt, tãetſi ex humana fragilitate peccent, nõ tamẽ mox de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, abſcinduntur, niſi fortè in hæreſim labantur, aut in infidelitatẽ. Cohærent enim mutuo quodam fidei vinculo, & ſacramẽtorũ participatione. Vt boni, ita mali Euangelio Chriſti credunt, audiunt Euangeliũ, docent Euangelium, hoc ſolùm

Mali ſunt de Eccleſia.

intereſt, quòd boni etiam Euangelio obediunt, mali minimè: & ob hoc maximè iſti mali in ignem æternum deſtinantur. Boni & mali indifferenter Euchariſtiam accipiuot, boni ad vitam, mali ad iudiciú. Quando ergò boni & mali Chriſtiani voam habent fidem, vnum Euangeliú, eadem ſacramenta, nó eſt ꝙ iſti malos de Eccleſia excludant. Stat enim (1. Cor. 10.) fortis Apoſtoli ſententia: Vnus panis, & voú corpus multi ſumus omoes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Quo dicto declarat Apoſtolus, quòd omoes, q de corpore Chriſti & ſanguine eius participát, Chriſtiani ſunt, ſiue boni, ſiue mali: licet mali indignæ commuoicationis arguátur. Rurſum vel hinc cóſtat, malos Chriſtiaoos eſſe de corpore Chriſti, & cum bonis vnam Eccleſiam cóſtituere, cuius caput Chriſtum eſſe teſtatur Apoſtolus, ſic Epheſios inſtruens: Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt (Epheſ. 1.) corpus ipſius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Vides hic Paulo Chriſtú omnis, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ caput dici, neque excipi malos. Neque patitur Eccleſiæ ἐτυμολογία, vt malos excipias, nam ἐκκλησία græcè, latinis congregatiooem ſooat aut collectiooem, certè bonorum & malorú ꝓmiſcuam. Neque ſunt mali Chriſtiani omninò à regno Chriſti excludendi, quia licet nó regnet in eis per gratiam, potentia tamen omniú dominatur, lóganimitate expectat, quos perdere poterat. Expectat autem, vt eorum miſereatur, vt Iſaias de Iſraele dicebat. Interim (Iſaie. 14.) tamen dùm peccatores ſunt, noo deſinit in eis fidem, ne in hæreſes incidant, præſeruare, inſpirat booas cogitationes, immittit bonas affectiones, quibus interdum eos ad reſipiſceotiam perurget.

(Simile.) Iam quemadmodum humani corporis membra, quantúlibet ſtupida vel arida ſint, ſi vlla reliqua ſit ſalutis ſpes, non præcidútur ſed vt ſaluentur, in corpore relinquútur: ita Deus Opt. Max. eos, qui in peccatis verſant, tametſi eum factis negent, corde verò credát de eo omnia, quæ fecit, aut pertulit pro eis, à corpore ſuo non præſcindit, ſed annuit vt in corpore ſuo manentes, opera & ſolicitudine ſanorum membrorum, medicentur atque ſanentur. Ipſe eſt eoim, qui hominem (Chriſtum ſignificat Samaritanus, ſaucius peccatorem.) multis plagis ſaucium, duxit in ſtabulum, id eſt, Eccleſiam, vbi & ſtabularium conuenit, vt male affecti hominis curam ageret. Neque poſſunt Aduerſarij hoc iure reprehendere, quòd in Eccleſia ſint boni & mali: nam (Luc. 10.) ipſimet confitentur, multos malos in hac vita bonis eſſe admixtos, qui habent externorum ſocietatem ſignorum cum ijs, qui membra ſunt Eccleſiæ. Sic & ipſe Chriſtus ait: Si (Ioan. 15.) quis in me nó manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligeot eum, & in ignem mitteot, & ardebit. Non dicit, qui mortali crimine obnoxius, in me noo manet per dilectionem, reipſa iam extra Eccleſiam eſt; ſed, Mittetur foras, quando angeli ad hanc functionem delecti, ſeparabunt malos de (Matt. 13.) medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, hoc eſt, in morte vnloſcuiuſque illorú, & in extremo iudicio. Neque dixit, Aridus eſt, quia manet in eo viror diuiox cognitiois & fidei informis, qua iterú gratiam quærere poteſt: nam ſignanter dixit, Areſcet futuro tempore, quod fit in morte, qua omnis decor intercipitur, omniſque viror, adeò vt nulla relicta ſit ſpes recuperandæ ſanitatis. Mortuo eoim homine impio, quod ait in (Prou. 11.) Prouerb. Salomon, nulla erit vltrà ſpes.

Neque negaot Catholici, præter externam hanc Eccleſiam, in qua, & de qua malè Chriſtianos cum bonis eſſe docent, & aliam abſconditam eſſe Eccleſiam quæ eſt ſanctorum (Eccleſia inuiſibilis ignota.) congregatio. At iſta non eſt ea, quã Apoſtoli & alij per orbẽ Epiſcopi vice Chriſti regunt: neque ea eſt, quam ſi quando ſcrupulus nobis naſcitur, conſultare debemus: tam enim diffuſa, tam incogoita eſt, vt vbi, & quis in ea ſit, prorſus ignoretur. Homo enim, ioquit (1. Reg. 16.) dominos Samueli, videt ea, quæ parent in facie, Deus autem intuetur cor. Externæ conuerſationis, doctrinæ, ſacrameotorú ſymbola, vel videre, vel audire poteris, ſed quæ latent ioternæ ſanctitatis ornamenta, nemo oeque in ſemetipſo ſatis perſpexerit, quia quod eſt in Eccleſiaſte, neſcit homo, vtrùm (Eccl. 9.) odio vel amore dignus ſit. Præterea credunt & aliam, præter iſtam externam Eccleſiam, quæ bonos & malos commixtos habet, ſanctorum occultam Eccleſiam, quæ fide & dilectione Deo arctius cohæret, verùm de hac rariſsimè loquitur ſcriptura.

Scribitur de Moyſe, quòd Eccleſiam duxerit in ſolitudioem. Non ſolùm inuiſibilẽ ſanctorum cœtum deduxit de Aegypto, ſed viſibilem permixtim bonorum & malorum multitudinem, quæ vnam legem à Deo acciperet, eiſdemque viueret decretis, eduxit. Et hinc nomen Eccleſiæ indepta eſt. Et io actis Apoſtolicis dicit Apoſtolus: Atten- (Act. 20.) dite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos ſpiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Hinc iterum liquet, Epiſcopos & Paſtores non tantùm interoæ, id eſt, ſanctorum congregationi, ſed & externæ Eccleſiæ rectores conſtitutos eſſe. Quomodo enim ſpiritualem illam & inuiſibilem Eccleſiam, quã non vident, moderarentur? Sanè eorum eſt munus, ſi eidem Apoſtolo credimus, (1. Theſſ. 5.) vt arguaot delinquentes, vt doceant ignorantes, vt obſecrent nolentes, vt erigant nutantes, vt ſuſcipiant ægrotantes. Hæc

officia

officia non quadrant, niſi in iſtam externam Eccleſiam, in qua ſunt boni & mali, qui debent eiſdem legibus viuere. Et Christus, vt ſcribit in epiſtola ad Epheſios Paulus, aſcendens in cœlum, Eccleſiæ ſuæ dedit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Doctores, Paſtores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatē fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionem erroris, &c. Cùm audis hæc omnia, facilè colliges iſta omnia eos obire munia, non propter ſanctos tantùm, nam ſancti indigent minori inſtructione, ſed etiam propter peccatores, quibus citius ob fidei exiguitatem, ſi deeſſent paſtores, imponeretur. Qui verò Deum toto corde obſeruant, diligunt, venerantur, ſancti ſunt, inuiſibilique vt plurimū vtuntur magiſtro ſpiritu ſancto, qui eis quicquid ad fidei veritatem, quicquid ad vitæ ſanctitatem pertinet, ſecretiùs inſinuat. De huiuſcemodi dicebat Ioannes: Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Satis ergò definiuiſſent ſi Eccleſiam vocaſſent omnium Chriſti fidelium rectè credentium concionem.

Epheſ. 4.

Sancti non indigent doctoribus. 1.Ioan.2.

Hanc Catholicam Eccleſiam, inquam, cōſultari voluit Chriſtus, ſi quando oriantur vel in fide, vel in bonis moribus ſcrupuli. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuū: ſi autem nō audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquā ethnicus & publicanus. Vide hic Chriſti pro membris ſuis ſollicitudinē. Peccat in te frater, ſi malo exemplo offendat, aut ſi peregrina doctrina ſeducat, ſi nec te ſolùm, nec eos, quos tibi ſociaueras, audire velit, dic peccatū fratris Eccleſiæ, id eſt, prælato Eccleſiæ, qui eum, ſi nolit ſanis conſilijs acquieſcere, excōmunicatum toti Eccleſiæ denunciet, vt ab eius peſtifera cōtagione, cæteri ſeſe cohibeāt fideles. Hanc Eccleſiam pollicitus eſt Chriſtus nūquam ſe deſerturum. Ego vobiſcum ſum, inquit, omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Non eſt ergò quòd humano timore correptus naufragiū metuas, quando ſuæ nauiculæ ipſe Chriſtus nauclerus eſt, ſpiritus ſanctus velum expandit, pater deſuper defendit, angeli remiges ſunt. Hanc non ceſſat ſpiritus ſanctus indies ſuo lumine illuſtrare, & ne in fide erret, certiorē ſemper reddit. Hinc dicebat Chriſtus: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, &: Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Si verò hactenus regnat in Eccleſia Chriſtus, ſi hactenus inſpirat ſpiritus ſanctus, quæ videntur Eccleſiæ prodeſſe, quid garriunt iſti aduerſum membra eius, quòd in fide errent, quòd doceant, quæ non debent docere? Nunc ex eis, quæ vel ex Euangelijs, vel ex Paulo recitauimus, hæc colligere facilè poteris Corollaria.

Excommunicatio. Matt. 18.

[illegible]

Ioan 14.

Primum Corollarium. Quòd vniuerſalis Eccleſia à Chriſto ab Apoſtolis edocta credidit & approbauit, credit & approbat, in fide & moribus, erroneum eſſe nequit, alioqui ipſa Eccleſia ipſius Chriſti & Spiritus ſancti gubernatione eſſet deſtituta, & iam dudùm ab inferorum portis ſuppreſſa.

Secundum Corollarium. Catholica Eccleſia poſt Deum certiſſimus, & ſupremus iudex eſt in terris, ſuper ea, quæ de rebus dubijs, de fide, de bonis moribus determinari debent. Ratio eſt, quod homines, prout quiſque eorum affectus eſt, aut decipi aut decipere poſſunt, pręſertim cū ſuo quiſque ſtare vult iudicio. Hoc eſt, quod magno ſuo malo deplorat Germania. De quibus dicebat Petrus, quod quaſdam Pauli ſententias, aliaſq; ſcripturas in ſuam ipſorum perditionē corrumperent. Contrà Catholica Eccleſia, quia Chriſtum habet caput, & ſpiritum veritatis moderatorem, errare non poteſt, ſed tradit doctoribus germanum ſcripturarum ſenſum, quem confidenter etiamnum alijs Inculcare poſſunt.

Homo decipi & decipere poteſt. 2.Pet.3.

Tertium Corollarium. Cùm noua recenſque emerſerit doctrina, aut cum de fide, de iuſtificatione, de cæremonijs pullulauerint ſcrupuli, nemo debet tuæ ipſius prudentiæ aut cuiuſuis priuati hominis ſententiæ ſubſcribere. Nam tam hoc, quàm illud in diuinis ſcripturis cautum eſt. Quod nemo ſuo iudicio ſtare, cauit Salomō: Ne innitaris prudentiæ tuæ, & Paulus: Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos. Quo prohibet Apoſtolus ne ille, cui φιλαυτία imponit, obliuiſcatur & ſuperet ingenioli ſui modulum. Quod etiā nemo vnius alicuius iudicio, tametſi ſit ille doctiſſimus, ſtare debeat, vetat in Pſalmis ſpiritus ſanctus cum dicit omnem hominem mendacem eſſe. Hæc ſententia Paulo adeò placuit, vt & ipſe refert eā in epiſtola ad Romanos. Relinquitur ergo ad ſ[illegible]tholicam Eccleſiam refugiendum eſſe, [illegible]tè qua naſceretur dubitatio, cuius ſolum definitioni acquieſcendum eſt, poſtque eam nullā deinceps controuerſia habenda.

Nemo debet ſuo, ipſius, aut cuiuſuis priuati hominis iudicio ſtare.

Prou 3. Rom 3. Pſal 115. Rom 3.

Quar-

Blaſphemia eſt, quod dicunt quidam eccleſiam erraſſe.

Quartum Corollarium. Qui iactitant ſeſe Euangelicã veritatem à ſuperioribus annis, vt ipſi nugantur, ſepultam, ceu ex inferuis reuocaſſe, in Chriſtum & in Paulum blaſphemi ſunt. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Chriſtus reipſa non reſpondit ſuis promiſſis, ſed paſſus eſt Eccleſiam ſuam aliquandiu ad peſtilentium hominum voluntatem agitari atque illudi, & ſic inſerorum portis ſubiacuit. Vbi ergo ſunt illæ pulchræ pollicitationes? Aperta igitur eſt iſta blaſphemia.

Qui eccleſiæ decreta contemnit, ſpiritum ſanctum dehoneſtat.
Prou. 8.

Quintum Corollarium. Quiſquis vniuerſalis Eccleſiæ decreta & præcepta contemnit & cum contemptu tranſgreditur, Chriſtum contemnit, & Spiritum ſanctum contumelia afficit. Nam ſi quod ſuprà oſtenſum eſt, Chriſtus eſt Eccleſiæ caput, ſi doctorem habet Spiritum ſanctum, quod verba Chriſti docent, ſequitur Eccleſiæ ſcita, uon humano (quod exprobrant nobis Aduerſarij), ſed diuino ſpiritu eſſe ordinata. Hinc dicebat in Prouerbijs Spirituſſanctus: Per me reges regnant, & legum cònditores iuſta decernunt. Sed iſtud facilè admittent Aduerſarij, quandoquidem ipſe Lutherus eorum Coryphęus iſtis ſuum addit calculum, præſertim in Reſolutorio diſputationum Lipſiæ habitarum: Dico magnam, iuquit, & ineffabilem eſſe Eccleſiæ authoritatem, quod ſpiritu ſancto regatur, pleno corde confiteor. Idẽ in præceptorio: Dico mea ſententia, nulli eſſe licitum, ſuum iudicium, ſuam opinionem, ſuam deuotionem ſequi, ſed authoritatem Eccleſiæ, & captiuandum ſenſum in obſequiũ Chriſti, quia ſcriptum eſt: Stultus eſt, qui confidit in corde ſuo. Et Eccleſia non poteſt errare, quilibet poteſt errare in ſua deuotione, cùm & multi prophetæ & ſancti reges errauerunt nobis in mouitionem & terrorẽ. Hactenus pugnauit pro inuiolabili Eccleſiæ authoritate, quam ſui temere coutemnentes, ſtatuũt pro ſua libidine quæ volunt.

Lutherus.

Conſuetudo eccleſiæ non contemnẽda.

Sextum Corollarium. Olim receptæ in Eccleſia cæremoniæ & cõſuetudines veteres uulla ratione ſunt poſtponendæ, idq́ue vel maximè, quod Eccleſia Chriſtum caput, Spiritum ſanct um rectorem & doctorẽ habeat: deiude quòd Apoſtoli pleraque multa tradiderunt, quorum uulla ferè in ſcripturis eſt mentio, quæ tamẽ nõ minus habeut roboris, quàm ſi ſcriptis mundo eſſent euulgata. Et hinc dixiſſe Apoſtolum creditur: State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrã. Et illud ad Timoth[illegible]m: Hæc commenda fidelibus homiuibu[illegible] idonei erunt & alios docere. Hinc quoq[illegible]onfidenter dixit Auguſtinus Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam iu ſcriptis, quaſdam verò apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas, quaſdam verò conſuetudine roboratas approbauit vſus, quibus par ritus, & idem vtriſque debetur pietatis affectus. Idem: In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. Et ſicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt. Et Hieronymus aduerſus Luciferianos inter alia ſic ait: Si ſcripturæ authoritas uõ eſſet totius orbis in hanc partem couſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ in Eccleſijs obſeruantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurparũt. Idem in Eccleſiaſtẽ: Sepis, macerię́q; euulſio eccleſiaſtica dogmata ſunt, & inſtitutio ab Apoſtolis prophetiſq́ue fundata, quæ qui diſſoluerit, & voluerit præterire, in eo ipſo quod negligit, à ſerpente percutitur. Adeò placuit Paulo Eccleſiæ cõſuetudo, vt Corinthijs diceret: Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Vides igitur, quanti periculi res ſit, conſuetudinibus Eccleſiaſticis obuiaſſe.

2. Theſ. 2.
2. Tim. 2.
Auguſt.
Hiero. 13.
1 Cor. 11.

Septimum Corollarium. Inſtituta monaſtices ab vniuerſali eccleſia approbata roborataque, nulla debent temeritate damnari. Nam quod legitimè Eccleſia probat vel improbat, ſpiritui ſancto eius rectori vel probatum vel improbatũ eſt. Et quicquid tandem aut de delectu ciborum, aut de ieiunijs, aut de ferijs ſanctorum decreuit Eccleſia, firmiter inuiolabiliterq; vt à ſpiritu ſancto ſtatutum, tenendum eſt ſine vlla controuerſia.

Octauum Corollarium. Qui ſacræ ſcripturæ expoſitioni ſua præſert commenta, & uon vult eccleſiaſticis ſenſis ſe accõmodare, ſed pertinaciter reſiſtit, hæreticus eſt, eoq́ue nocentior quo fuerit contentioſior. Nõ alia ratione hoc docetur quàm ſuperiora. Neque arbitror aduerſarios tam obſtrepere velle, vt hoc negent, quod Luthero anteſignano ſuo haud improbatum eſt. Hic enim Ambroſio cuidam Catharino ſic reſpondit: Hæreticus eſt, qui ſcripturas ſanctas alio ſenſu, quã ſpiritus ſanctus efflagitat, exponit. Et ibidem: Quicquid eccleſia facit, ſpiritus ſanctus facit.

Lutherus.

Nonum Corollarium. A æternę beatitudinis ſeſe facit indignum, qui diſſentiendi animo ab eccleſia ſe ſubtrahit. Nam vt dictũ eſt, Chriſtus eccleſiæ eſt caput, quo ſine qui vixerit, intermoritur: Stat enim fortiter verbum Chriſti: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, &c. Hic dicit Aug. Nihil ſic formidare debet Chriſtianus, quam ſeparari à corpore Chriſti: ſi enim ſeparatur à Chriſti corpore, non eſt membrũ eius: ſi nõ eſt membrũ eius, nõ vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem nõ habet ſpiritum Chriſti, inquit Apoſtolus, hic non eſt eius. Iã ex iſs, q̃ dicta sũt pſpicuũ eſt homini multò

Ioan. 15.
Rom. 8.

vtiliſsi-

vtiliſsimum, ſi intra Eccleſiæ gremium ſeſe contineat, cæremonias eius & vetuſtate roboratas conſuetudines ſine vlla tergiuerſatione humiliter imitans. Qui enim ita credit ita facit, vt Eccleſia credendum, vt faciendú decernit, haud in fide aut in moribus errabit ſed ſuam ipſius ſalutem operabitur. Contra qui aliter credit, qui aliter viuit, atque conſtituit Eccleſia, longe à via ſalutis errat. Eſt ergo Eccleſia certiſsima fidei norma, certiſsima ſanctę conuerſationis magiſtra, tutiſsima in naufragio ancora, & omniū hæreſum fortiſsima extirpatrix. Neque eſſent vnquā hæreſes, ſi vni aſſentiretur Eccleſiæ authoritati. Neque poſſunt hæreſes cum maiori robore, quàm Eccleſiæ authoritate comprimi. Hinc eſt, quod omnes hæreſes cumprimis moliuntur, vt Eccleſiæ authoritaté, vel prorſus tollant, vel ſi tollere non poſſunt, ea parte infirment, qua poſſet ſibi potiſsimū nocere. Vnde & nunc Aduerſarij noſtri cum iudicandi Eccleſiæ de dubijs, quæ apud eos primum & nata & roborata ſunt, adimant poteſtate, violenter tollunt omnem fidei certitudinem. Idq́; maximè cum Eccleſiam definiũt occultam ſanctorum congregationé. Hæc enim ꝙ noſtram fugiat cognitionem, credi quidem poteſt, videri autem, & cognoſci minimè. Cũ verò prorſus occulta ſit, quomodo dubia reſoluere, cui poterit benè conſulere? Quomodo eam conſultabimus, quæ ſeipſam neſcit? Ignorat enim ſe ſanctum eſſe, qui ſanctus eſt, neque de ſeipſo quicquam præſumit, ne præſumendo perdat, quod bene fideliterq́; viuenti accreuerat. Neſcit enim homo, quod prudenter ait Salomon, vtrum odio vel amore dignus ſit. Si verò neſcit homo iuſtus ſuā ipſius iuſtitiam, profecto neque alter alterius agnoſcet ſanctitatem. Hæc ſanctorum Eccleſia quantum & quandiu ſancta ſit, ſoli Deo notum eſt. Fortè qui nunc ſanctus eſt, breui erit iniquus: rurſus qui nunc iniquus, cras erit iuſtus. Nemo dubitat in vniuerſali Eccleſia plurimos eſſe ſanctos, imò omnes fatentur eos nunquam abſore, ſed vbicunque locorum fuerint, etiam in medio nationis prauæ, tam Deo, quàm ſibijpſis indiſſolubili dilectionis vinculo copulabũtur. Huius planè Eccleſiæ mali non ſunt viua membra, nam nihil adeò inter ſe pugnat, atq; vt ſimul malus ſit quiſpiam, & bonus: & ob peccata à Deo ſeparatus, & per charitatem eidem coniunctus. Præter illam autem internam, & nemini præter Deum agnitam, Catholici aliam confitentur Eccleſiam, quæ permixtim complectitur omnes, qui in Chriſto credunt, qui eadem ſacramenta percipiunt, quos Paulus vnum corpus appellat, dicẽs: Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. De hac Eccleſia, vt ſuperiùs dictum eſt, non tantum boni, ſed & mali ſunt, & ex vtriſq; conſtituitur. Huius Eccleſiæ omnia membra tametſi ſuo capiti Chriſto per charitatem non conglutinẽtur, adhærent tamen fide, pro qua & mori nonnunquam parata ſunt. Vnum cũ his, qui Deo per charitatem arctiùs cohęrent, habent euāgelium, vnam fidem, vnū baptiſma, eademq́; omnia ſacramenta. Nullo nomine ab illis diſcrepant, niſi ſola charitate. Imo ſi, vt iſti dicũt ad veram vnitaté Eccleſię ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelij & adminiſtratione ſacramentorum, profectò omnes, qui de Euāgelij doctrina & ſacramentorũ adminiſtratione conſentiunt, Eccleſiæ vere vniti ſunt. Cōſentire quidem iſtis poſſunt & nihilominus charitate vacare. Sequitur ergo, multos tametſi male Chriſtianos Eccleſiæ coniunctos & de Eccleſia eſſe. Et iſta eſt Eccleſia quę in terris poſt Deū infallibilis & ſupremus iudex eſt earum, quæ fortè cum temporū varietate exoriri poſſunt, quæſtionũm. Hinc à primis Eccleſię incunabulis Paulus & Barnabas, vbi ambigeretur à quibuſdam, vtrum ad obſeruantiam legalium obligarentur, qui ex gentilitate Chriſto crediderant, ad Eccleſiā confugerunt, ne quid ipſi temerè decreuiſſe viderentur, neglecto aliorum confratrū iudicio. Iſta vero Apoſtolorum aliorumq́; fidelium Eccleſia viſibilis erat Paulo & Barnabæ, alijſq́;, qui qua de re ſecum hæſitare poſſent, nota, & in qua bene fideles & malè fideles erant commixti. Quod bene fideles ibi fuerint neminé fugit, ambiget fortè quis, an ibi fuerint malè fideles. Sed iſtud apertè docet textus: Surrexerunt, inquit, quidā de hæreſi Phariſæorũ, qui crediderũt, dicẽtes: Quia oportet circũcidi eos, ꝓcipere quoq; ſeruare legem Moyſi. Apertè docet eos, quorũ cauſa fuit hæc Synodus, non adeò bene credidiſſe Chriſto, alioqui hoc conuentu nihil opus fuiſſet. Iam iſtius eccleſiæ rectores quamuis plerique mali ſint, cum legitimè conueniũt, nulla ſui habita ratione, ad diuinam gloriam ampliandam, ex ſpiritu ſancto decernũt, quę ad vitæ & morũ conformitaté pertinent. Et propter aliorum ſanctitaté ꝙ decernunt nihil maius, aut propter aliorũ malitiam nihil minus habet roboris, ſed quia id Chriſtus pollicitus eſt, ſe nunq̃ eccleſiam deſerturum ſed ꝑ ſpiritum ſanctum docturum, quæ videbuntur Chriſtianā politiā exornare, tantum ſtudeat vnuſquiſq;, vt eius ſit ἰσόλογος. Quod vero nullius perſonam, aut merita reſpiciat, cum docere vult ſuos, docet Caiphas, homo in Chriſtum haud parum impius, per quem, vt author eſt Ioānes Euangeliſta, prædicauit emolumẽtum, qđ Chriſtiano orbi ex morte Chriſti obueniret. Docet & Balaami aſina, ꝓphetę, vt inquit Petrus, inſipientiā cohibens,

Vtut

Eccleſia magiſtra omnia. (?) *Hæreticorũ mala artes.* *Eccl. 9.* *Mali cuius eccleſiæ viua membra non ſint.* *1. Cor. 10.* *eccleſia bonorum & malorum.* *ex verbis aduerſariorum docet, 1mos eſſe eccleſiæ membra.* *eccleſia eſt componere lites, quæ fortè accidunt.* *Act. 15.* *Ibidem.* *Merita prælatorum non addunt pondus decretis.* *Ioan. 11.* *Num. 22.*

2.Pet.2. Vtut ergo in peccatis viuãt multi, Deus promiſsioni ſuæ nõ deerit, vt mali ſint homines, Deus bonus eſt, vt mentiantur homines, De⁹ tamẽ ſemper idem eſt., Si vt res eſt & Aduerſarij libenter concedunt, in cõſecratione ſacræ hoſtiæ, & in aliorum adminiſtratione ſacramentorum, nihil refert, miniſter dignus an indignus ſit, ſed habent eandem ex vtroque efficaciam, cur non æquè magnã habent auctoritatem & pondus quæ ab eccleſiæ primatibus, mixtim bonis & malis, decernũtur?

Matt.18. Neceſſe autem eſt vt energiam habeant, alioqui nulla eſſet, neque fidei neque ſcripturarum, neque vllius rei in Eccleſia certitudo, & per conſequens, incerta eſſent omnia. Vide quantum periculi naſceretur, ſi eccleſiæ auferas vim ſtatuendi, ordinandi, definiendi: quæ ſpiritui ſancto innixa ordinat, quę vidẽtur ad bonos mores, ad conſormationẽ diſſidentium facere.

Matt 18. Adde etiam num ꝙ Chriſtus dixit nempe quod adeſſe velit duobus aut tribus in nomine ſuo cõgregatis. Si duobus aut tribus adeſſe vult in nomine ſuo cõuenientibus, quanto magis aderit tam multis in nomine ſuo congregatis? Hinc factum eſt, quod cum qui in fide & in ceremonijs, aut in alijs externis moribus eminent ſcrupuli, ad viſibilem iſtam Eccleſiam conſultãdi gratia recurratur, cui nimirum vt euãgelio adhibenda eſt fides.

Eccleſiæ irrefragabilis authoritas. Hæc eſt quæ Euangelio robur dedit, & quod hactenus ferè apud omnes obtinuerit authoritatem. Hæc canonicas ſcripturas à nõ canonicis diſtinxit: quibus nihil prorſus eſſet virium, niſi ab Eccleſia eſſent receptæ. Non quod habeant aliquid admixtæ falſitatis, ſed quod dubitari poſſet: humano ne an diuino ſpiritu eſſent conſcriptæ, an diuinis verbis quicquam adiecisset humana temeritas.

August. Hinc eſt ſæpe iactatum Auguſtini dictum, Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ authoritas commoueret. Hæc inquam Eccleſia, quæ Euangelia approbauit, item aliquot monaſtices inſtituta roborauit, nempe Baſilij, Benedicti Auguſtini, Dominici, Franciſci. Hæc certis diebus ieiunia indixit, hæc pro fidelium animabus orationes inſtituit, hæc imploranda eſſe Sanctorum ſuffragia docuit, hæc vt annuatim fideles peccata ſacerdoti confiteãtur ſtatuit, præcepitque vt vel ſemel in ſancto Paſchate de menſa Domini fideles participarent. Hæc eſt illa prædilecta Chriſti ſponſa, ſpiritus ſancti gubernatione nunquam caritura.

Eccleſia ſponſa eſt. Hæc eſt glorioſa Chriſti ſponſa, quam ſui ſanguinis virtute in ſacro baptiſmate ab omni peccatorum contagione emaculauit. Hanc ſibi in regeneratione glorioſam, omnis labis exortem, ſed cœleſtis mundiciel conſortem Chriſtus ſibi exhibebit ſponſam. Interim ſtat in acie contra hoſtes omnigenas dimicans, nunquam vel errori, vel damnabili culpæ ſubiacens, tametſi non ita rarò leuioribus inquinetur delictis, vt veriſsima ſit illa Ioannis ſententia: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos decipimus, & veritas in nobis nõ eſt. 1.Ioan.1.

At cum venerit quod perfectũ eſt, inquit alius apoſtolus, euacuabitur quod ex parte eſt. 1.Cor.13. Tunc glorioſam exhibebit ſibi Chriſtus eccleſiam, non habentẽ maculam neque rugam. Cant.6. Columba. Hęc illa eſt vnica columba nunquam repudianda, nũquam non dilecta, cui nunquam præualebunt inferorum portæ, licet plerunque aduerſus aliqua eius membra præualeant. Poteſt quidem hic vel ille in errorẽ, vel in peccatũ labi, Eccleſia vero vniuerſalis neque peccare, neq; errare poteſt.

Columna veritatis. Hæc eſt illa Eccleſia, quæ [illegible] veritatis columna eſt. Hæc ſcripſi tibi, inquit Timotheo ſuo, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 1.Tim.3. Domus Dei. Domus Dei in qua conuerſabatur Timotheus, non erat inuiſibilis illa ſanctorum Eccleſia, quæ creditur tantum, nõ autem videtur: ſed externa fuit Eccleſia, in qua bonis mali erant permixti. Hinc in pręcedentibus dixerat idẽ Apoſtolus: Hoc pręceptum commendo tibi fili Timothæe, vt milites in illis bonam militiam, 1.Tim.1. habens fidem & conſcientiam bonam quam quidam repellentes circa fidẽ naufragauerunt. Vides & hic in domo illa Dei, in qua conuerſabatur Timotheus, fuiſſe quoſdam, quorum non adeo candidæ erant conſcientiæ, vt etiam circa fidem periclitarẽtur. Hanc Eccleſiam, quæ cum bonis cõplectitur malos, confidenter Paulus firmamentum & columnam appellat veritatis, cui fidei certitudo ceu certiſsimæ columnæ innititur. Nec inuiolata fides inter tot hominum impia cõmenta, inter tot hæreticorum opiniones, inter tot errores & hæreſes conſiſtere poſſet, niſi vniuerſalis Eccleſiæ ſententiæ, ceu infallibili veritati proximè accederetur. Ex illis omnibus luce clarius liquere arbitror, nõ ad inuiſibilem, ſed ad externam ſanctorũ congregationem recurrendum eſſe, ſi quid forte alicubi ambigatur vel in fide, vel in bonis moribus. At hic dicunt.

Eccleſia interna (inquiunt) *externas habet notas vt cognoſci poſſit, nempe puram Euangelij doctrinam, & adminiſtrationem ſacramentorum Euangelio conſentaneam.*

Notæ non ſunt ſatis certæ. Nota Lutheranorum vendicant ſibi omnes hæreſes. Hæ notæ non ſunt ſatis euidentes, ſed neque ſatis facientes. Nam vt dubitari poteſt, quæ externa Eccleſia, internam habeat ſanctorum cõgregationem, ita hæſitabitur quæ Eccleſia purius Euangelium doceat, & iuxta Euangelicum intellectum ritè adminiſtret ſacramenta. Oecolampadiana illa Eccleſia, quam rectius ſynagogam dicerem aut conciliabulum,

ciliabuſum, ſuperbit de ſana doctrina, deque recta ſacramẽtorum adminiſtratione. Haud aliter Zuuingliana ac Anabaptiſtica, cæteræque ſectariæ aliorum eccleſiæ tumeſcũt, inaniterque gloriantur. Iſti cum vniuerſis aſſeclis ſoli ſe iactitant, quod Euangelicam doceant veritatẽ, quodq; ſoli ad Euangelicam veritatem adminiſtrent ſacramenta, & quod errent omnes qui diuerſum ſentiunt. Cõtrà Catholica Eccleſia ſicut longæuitate vicit, ſicut authoritate vicit, ſic rectè gloriatur ſe Euangelicam docere veritatem, & fideliter adminiſtrare ſacramẽta. Sunt igitur hæ notæ non ſatis apertæ, imò prorſus ignotæ. Nam quod oſtendere deberent nõ oſtendũt. Sed quid poteſt eſſe ineptius, q̃, ignotis ignota velle declarare? Non dicam hic ꝙ ipſa obſtreperent ſibi, ſi externas haberet notas, ex quibus agnoſceretur, & tamẽ interna nomine tenus diceretur, & reipſa iam non eſſet interna, ſed externa. Requirit autem euidẽtius & certius indicium, quod non à quouis priuato, ſed ab Eccleſiã, quæ vt diximus, errare non poteſt dari debet. Iſti verò mittunt nos ad Eccleſiã, quam non noſcimus, quæ neque ipſam ſe agnoſcit. Hæc fuit omniũ iſtarum tragœdiarũ, quæ iam ferè totam Germaniam pergraſſantur, ſordida ſentinã, de qua exhalarunt tot olẽtes hæreſum ſpurcitiæ, quot à Chriſto paſſo nunquã auditæ ſunt. Hac enim ſententia iſtorũ perſuaſa, quod interna eſſet Eccleſia, nemo erubuit ſuam opinionem ſtatuere, & tot ferè ſunt apud aduerſarios Eccleſię, quot homines, & tamẽ eodem conatu omnes ſuas defendunt opiniones: Rupta ſæpe, ſinguli nituntur eruptionem facere. Quãdo vniuerſalis Eccleſiæ cenſuram nemo metuit, licẽter qui iſtorum malis artibus circumueniuntur & dicunt, & ſtatuunt, & definiũt, q̃ cuiq; pulchra & vera videntur. Necdum enim iſti ſatis inter ſe definierunt, quam ſequi debeãt opinionem. Variant enim inter ſe iſti. Aliter definit Martinus, aliter Philippus, aliter Pomeranus, aliter Bullingerus, aliter Pellicanus. Hoc dicent ęqualiter qui iſtorum cũ iudicio legerint annotationes. Poſſent quidem alijs verbis dicere, ſed vnam oporteret eſſe omnium ſententiam. Poſſent & ſententiam vertere, modò nullam facerent ſcripturis iniuriam. Iam vt illius internæ Eccleſiæ, quã iſti ſic vocant, non ſunt ſatis euidẽtes notę, ita incertæ ſunt. Contingere enim poteſt, vt purè quidẽ alibi doceatur Euangeliũ, riteq; adminiſtrentur ſacramẽta, vbi mox etiã nõ ſit ſanctorum congregatio. Nam vt ipſi cõſitẽtur, & verè ita eſt, malus miniſter adminiſtrare poteſt ſacramenta, poteſt & euangelium rectè pro germano eius ſenſu docere, tametſi non faciat ipſe quod docet. Neque id raro vſu venit, vt audientes rectã euangelij cõcionem, non faciant eadem, quę audierunt, percipiantque ſacramenta ad interitum magis quàm ad vitam: Non eſt operæpretiũ, vt hæc magis enucleentur. Quando igitur iſtorum notæ non ſatis euidentes neque ſufficientes ſunt, accipe à Catholicis euidentiores, magiſque apertas notas, quibus Catholicam Eccleſiam ab adulterina agnoſcas.

Nota Lutheranorum vt nõ ſatis apertę, ita non ſatis notæ.

Notarũ certarum vnde Eccleſia agnoſcatur, Prima

Prima ſit, vt vniuerſalis ſit Eccleſia nõ particularis, cuius iudicio ſtandum eſſe docuimus. Rurſum vt non ſit vni alicui orbis parti, ſed toti Chriſtiano orbi nota, quæ vnanimiter Deum colat. Hinc ſapienter dixit propheta: Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. & alibi: In omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Imperatur & apoſtolis, vt vniuerſo orbi non vni angulo Euangeliũ docerẽt, quod & haud ſegniter fecerunt, quemadmodum docent Euangelia. Et nunc demum impletum eſt Malachiæ præſagium: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum, & munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gẽtibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gẽtibus. Audis hic hoſtiam mundam Domino immolandam? quæ non poteſt ei grata eſſe neq; accepta, niſi ex vera fide offeratur. Ideo in omni loco fidem ſui diuulgandam & acceptandam vbique prædixit, quod & factum eſt. Hinc dicit Auguſtinus: Corpus Chriſti eſt Eccleſia, non iſta aut illa, ſed toto orbe diffuſa. Idem ſuper Pſal. 58. Effuſus eſt multus & magnus martyrum ſanguis, quo effuſo tanquam ſeminata ſeges Eccleſiæ fertilius pullulauit, & totum mundum, ſicut nunc cõſpicimus, occupauit. Rurſus idem: Ne me reuoces, inquit, in dimidium dierum meorum, vt ante me auferas de terra, quàm totus orbis euangelio repleatur, contra reſponſionem domini mei ſic dicentis: Oportet prædicari Euangelium hoc in toto orbe terrarum, in teſtimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Hanc itaq; Eccleſiam agnoſcunt omnes ferè, qui Europam, qui Italiam, qui Hiſpaniam, qui Galliã, qui Germaniam, qui Britanniam incolut, niſi quod vnus Germaniæ angulus male de ea ſentiat. Contra quos loquitur Auguſt. Auferantur, inquit, chartæ humanæ, ſonent voces diuinę. Ede mihi vnam ſcripturę vocem pro parte Donati, audi innumerabiles pro orbe terrarum. Quis eas numerat? quis eas terminat? Tamen vt pauca commemoremus, legẽ attende primum Dei teſtamẽtum: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & in Pſalm. Poſtula à me, &c. Et deinde: Prope omnis pagina nihil aliud ſonat, quàm Chriſtum, & Eccleſiam

Pſal. 71. *Pſal. 18.* *Mala. 1.* *Auguſt ſuper Pſal. 55.* *Idem ſuper Pſal. 101.* *Marc. 13.* *Auguſt.*

eleſiam toto orbe diffuſam. Exeat mihi vna vox pro parte Donati. Hactenus ille. Quod ſi ab Oecolampadianis, Zuinglianis, & ab Aduerſarijs noſtris importunius quæſieris, vbi eorum in ſcripturis ſit memoria, neceſſariò obmuteſcent, niſi forte dicant ſibi hoc cópetere, ꝙ de pſeudoapoſtolis, pſeudoprophetis, & hæreticis paſsim cómemorát ſcripturę. Horum iterum veſaniam idé B. antiſtes iſtis verbis obtédit, dicés: Qualé veſaniam patiútur Hæretici, quæſo vt attendatis. Illi præciſi à compagine Eccleſiæ Chriſti, & parté tenétes, totum amittentes, nolunt communicare toti orbi terrarũ, quo diffuſa eſt gratia Chriſti. Nos auté Catholici in omni terra ſumus, quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Chriſti diffuſa eſt. Videmus enim quod tunc cantatum eſt, modò completum: Exaltatus eſt ſuper cœlos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria ipſius: O hæretica inſania, quod nó vides, credis mecum: quod vides, negas: Credis mecum, exaltatum Chriſtum ſuper cœlos, quod non vidimus: & negas gloriam eius ſuper omnem terram quod videmus. Idem: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. Bene ſymbolum Catholicam Eccleſiam nominauit, & ſanctam: quia multæ Eccleſiæ hæreticorum ſunt. Sed quæ non eſt Catholica, nec ſancta dici poteſt. Sed dicitis: nunc non eſt per totum orbem diffuſa Eccleſia, quia neque vbique gentium creditur Chriſto. Plures quoque ab vniuerſali Eccleſia defecerunt: nec hoc nos negamus. Neq; hoc contrariatur diuinis literis iã citatis. Nõ enim dicitur, quod omnes ſemper ſint Chriſtum glorificaturi, ſed ꝙ gloria domini toti orbi ſit manifeſtanda & vbique fides prædicanda, id quod factum cóſtat. Et omnes credentes, & qui eiſdem perfruútur ſacramétis, de vniuerſali ſunt Eccleſia, vbicunque tandé ſint locorum, & hinc dicitur per totum orbé propagata. Neque hoc mirum eſt, quandoquidem ſub ipſis apoſtolorum temporibus, quando pacata debebant eſſe omnia, ſuppullularunt hæretici Hymenæus & Alexander, primi ab Eccleſia eruptionem meditantes, ſectamq́ue primum exordientes, de quibus dicebat Chriſtus: Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Et poſt illũ Nicolaum Antiochenum, quem in Apocalypſi damnat Ioannes, fuerunt multi hæreſum aſſertores, quos vno verbo illo notat Chriſtus, & Ioannes: Ex nobis prodierunt, ſed nó erãt ex nobis, quia ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcũ. Sit igitur illa prima nota vt vniuerſalis ſit Eccleſia, per totum mundũ firmiter radicata, quę omnes adulterinas authoritate diuturnitateq́ue comminuit.

Aug. ſuper Pſal. 56. — *Idem ſerm. 2 in rom. pſalm.* — *Mat. 24.* — *1. Ioan. 2.*

Secunda nota. Secunda nota, qua veram Eccleſiam dignoſcas, eſt, vt non ſit iam recens nata, ſed firma, ſed immobilis, ſed imperterrita. Huiuſmodi eſt Catholica Eccleſia à Chriſto fundata, ædificata, & tanta firmitate ſuper eo conſtructa, vt nullis arietibus, nullis machinis ſubuerti poſsit aut labefactari. De qua ipſe fundator ipſumq́; fundamentum ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam. Si verò Catholica Eccleſia talis eſt, ꝙ nemo negare poteſt, nouã eſſe neceſſe eſt eam, quæ illi inimicatur. Et Paulus vnam agnouit Eccleſiam Catholicam, de qua dixit: Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tradidit ſemetipſum pro illa, de vna, non de pluribus loquens. Quod ſi eam etiam aliæ ſequantur, eas oportet nothas & ſpurias eſſe: malas, non ſanctas: hæreticas, non Catholicas. Hinc benè, licet in pleriſq́; alijs nõ bene, dicebat Tertullian⁹: Edat ſuarum eccleſiarũ origines, edat Epiſcopos, edat primates ac maiores, denique & ſucceſſores perpetuos. Certũ eſt enim, vt verbum Domini æternũ eſt, ita miniſtros habet perpetua deriuatione ſibi inuicem ſuccedentes. Hæc Tertullianus. Sic aduerſarij noſtri non habent veteres ſuæ doctrinæ ſummates, niſi fortè oſtendant Ioannem, & Vuicleuũ Huſſenſes, iamdudũ hæreticæ doctrinæ condénatos. Sed iſti certe nullum habuerunt ſuæ perfidiæ patronum. Catholici fidei ſuæ demonſtrant origines, epiſcopos, & archimandritas, Chriſtum, Apoſtolos, Euãgeliſtas, prophetas, doctores, paſtores, cæteroſq́; eccleſiæ miniſtros, perpetua quadam deriuatione ſibi inuicem ſuccedentes. Hos ab annis mille quingentis, plus minúſue oſtendere poterit, præter vnam Chriſti Eccleſiã, cuius Catholici membra ſunt. Secunda ergo nota eſt Catholicæ Eccleſiæ, nunquam niſi cum mundo deficiens, ſenectus.

Matth. 16. — *Epheſ. 5.* — *Tertullian. de præſcrip. hære.* — *Catholicæ Eccleſiæ ori go.*

Tertia nota. Epheſ. 4. Luc. 22. Tertia, vt in fidei & morum doctrina Catholicæ eccleſiæ ſit conſentanea, nulloque ab ea titulo variet, aut pugnantia doceat: vna enim eſt fides authore Paulo, quæ, ſi Chriſto credimus, ſtat immobilis. Hinc dicebat Petro, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Si hæc Chriſti oratio deſiderij ſui facta eſt compos, quod nemo negabit, certú eſt, fidem Petri nunquam interire. Cum ergo conſtet, vnam eſſe fidem, eamq́ue perpetuam, neceſſarium eſt, nouellam iſtorum fidem perfidiam eſſe.

Quarta nota. Ioan. 10. Vita Chriſto digna qualis eſſe debeat. Quartà nota. Si Eccleſia ſponſo ſuoq́; paſtori pareat, iuxta illam vocem dominicam: Oues meæ vocem meam audiunt: illa igitur Eccleſia, quæ Chriſto ita credit, vt etiam mãdatis eius obtemperet, vera Eccleſia eſt. Iuſſit autem Chriſtus, vt ſuis continuum eſſet cum vitijs luctamé, vt ſui ſuis affectibus moderarentur, vt ſua deſyderia vincerét, neminem læderent, de omnibus bene mererétur,

de nemine male. Contrà videas In Aduerſariorum noſtrorum Eccleſia, quibus ſpurcitijs viuatur, quãtum libidini vacetur, quibus inſontes iniurijs afficiantur, quibus exactionibus inopes exoſſentur, quanta temeritate aliena rapiantur. Reliqua prætereo, ne quis dicat inter iurgia veritatem peſſum ire.

Quinta nota.

Quinta nota, quæ veram Eccleſiam ab adulterina diſcernit, eſt erga vniuerſalem Eccleſiam reuerentia. Particularis enim Eccleſia, ſi nolit audire ſpuria, vniuerſalẽ Eccleſiã vt matrem veneratur, ſuſpicit, amplectitur, & ad amuſsim eius imperio obtẽperat. Scriptum eſt in Salomonis Prouerbijs: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ, & in Exodo: Honora patrem tuũ & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Vtrobique moraliter accipi poteſt pater, non natura ſed creatione: & mater non natura tantum, ſed pro Eccleſia, in qua ſpiritualiter renati ſumus. Et huius ſententiç multi ſunt patroni. Quemadmodum igitur patrem Deum ſumma λατρεία colimus, ita matrem Eccleſiam turpe fuerit contempſiſſe: quod certe crederet vel in maximam ſponſi eius ignominiam. Iam ſi videtur circũſpice, an videas vnam aliquam eccleſiã vniuerſalis eccleſiæ legem deſpicere: ieiunia, quæ coercendæ carnis cauſa inſtituta erant, inuertere: orationes, quibus placaretur ſubiratus Dei animus, negligere: ſacras Diuorum ferias, quando euangelium Chriſtianos doceretur, abrogare, & omnia denique ſancta Eccleſiæ Catholicæ decreta prophanare, eam certè ſe notare puta adulteratæ doctrinæ. Contrà ſi aliã videris omnia iſta magno ſtudio amplecti, eam puta eſſe germanam vniuerſalis Eccleſiæ filiam.

Prou. 1. Exod. 20.

Lutherana Ecclesia Synagoga.

Sexta nota.

Sextæ notæ magis aduerſantur Lutherani q̃ expediat Reipub. Chriſtianæ. Vniuerſalis Eccleſia vndequaq; bene ordinata eſt. Habet enim ſuos miniſtros, habet ſua officia, ordines, decreta, normas, ad q̃ debeant omnia expendi. Nam hoc laudat Apoſtolus, arbitrans rerũ ordinẽ à Deo eſſe: cõfuſionẽ verò ab eo, qui eſt Babyloniæ princeps. De Eccleſiæ Catholicæ pulchro ordine dicit in Canticis ſpiritus ſanctus, ꝙ terribilis ſit vt caſtrorũ acies ordinata. Rurſus Paulus aſſerit, Chriſti fideles vnũ corpus eſſe myſticum, ita vt alter alterius ſit membrum. Vt autem in humano corpore ſingula ſingulorum ſunt officia mẽbrorum, miro quodã ordine, munijſque diſtincta: ita in myſtico corpore Chriſti alia ſũt Epiſcoporum, alia Principum, alia priuatæ plebis munera. Epiſcopi & paſtores docent, reliqui docentur: illi paſcunt, iſti paſcuntur. Sed & in plebe ſunt diſtincti gradus. Quòd ſi ordinem confundas, quæ erit harmonia? Si enim totum corpus oculus eſt, vbi manus? vbi pedes? vbi reliqua corporis membra? Si totum manꝰ, vbi caput? vbi oculi? vbi pedes? Similiter ſi in corpore Chriſti myſtico omnes ſint Epiſcopi, omnes paſtores, quis docebitur? quis paſcetur? Si omnes portent gladios, quis erit omnium ſequeſter? Si ergo alicubi videas omnium ordinum gradus eſſe confuſos, ibi puta eccleſiam eſſe adulterinã, & hæreticorum conciliabulum. De quibus item bene dixit Tertullianus, quod promiſcua habeant ſacerdotia, pacem omnibus cõmunicent, mulieribus proinde ac infantibus ius Euchariſtiæ conſecrandç faciant, canibus quibuſlibet, quantalibet turpitudine oleant aditum ad ſacra myſteria referent. Et vt aliquid addamus, idem apud eos coriarius, qui ſacrorum miniſter. Idem diuini verbi apud eos οἰκονόμος, qui agricola, qui tabernarius, & omnia confuſa ſunt.

Rom. 13.

1. Cor. 12. Cant. 6. Rom. 12.

Tertullianus

Septima nota

Septima nota, quod Eccleſia, quç Catholica audire meretur, miraculorum debeat claritate fulgere. Nam Chriſtus vt vellet fidem in humanis cordibus radicare apoſtolis cæteriſq́; eccleſiæ fundatoribus, prodigia faciendi poteſtatem fecit. Et ipſi quidem profecti, vt ait Euangeliſta, prædicauerunt vbiq; domino cooperante, & ſermonẽ confirmante ſequentibus ſignis. Hac ratione, Catholica Eccleſia fortiter radicata eſt, & vſque in hũc diem apud Sanct. Martyrum, Confeſſorum, Virginum mauſolea, mira claritate roboratur. In Aduerſariorum Eccleſia nihil horum videas, niſi fortè mecum portentum putes, quod tot hominum milia vna ſtrage interierint. Has notas non minus eruditè quàm eleganter Reuerẽdus pater Nicolaus Herborn vir multæ reconditæq́; eruditionis, integro tractatu abſoluit, quas quiſquis interius proſpexerit, intelliget quot nominibus, quot titulis Aduerſariorum ſynagoga ab Eccleſia Catholica diſcrepet. Nobis ſatis ſuit notarũ primos apices demonſtraſſe.

Marc. vlt.

Mendacium.

Pleraque iſtorum, (inquiunt) *quæ aduerſarij noſtri defendunt, fidem euertunt, vt quod damnant articulum de remiſsione peccatorum, in quo dicimus fide accipi remiſsionem peccatorum. Manifeſtus item error eſt quod docent aduerſarij, mereri homines remiſsionẽ peccatorum dilectione, erga Deum ante gratiam. Nam hoc quoque tollere eſt fundamentum, hoc eſt Chriſtum. Item quid opus erit fide, ſi ſacramenta ex opere operato ſine bono motu vtentis iuſtificant?*

Mirum quòd non erubeſcant iſti vnã cantilenam & αὐτὰ δὲ αὐτῶν toties inculcare. Neq; debet nos reſponſionis pudere, quando non pudet iſtos inanis dictionis. Audi igitur priores illas calumnias non verbis, ſed ſolo numero repetitas: Fidem, inquiunt, euertunt quædam, quæ aduerſarij noſtri defendunt. Hic enumerant per ordinẽ, q̃ diſplicẽt eis in

aduerſarijs. Primum quod Catholici damnent articulum de remiſsione peccatorũ, in quo dixerunt fide accipi remiſsionem peccatorum. Hoc mendacium eſt effrenatiſsimorum hominum. Nunquam damnarunt articulum de remiſsione peccatorum, ſed confidenter ipſum prædicant:neque negant fide accipi remiſsionem peccatorum,ſed ſola fide aſſerunt nemini remiſsionem peccatorum contingere. Fidei addunt dilectionẽ aliaque eius ſancta monilia, vt efficax ſit ad operandum iuſtificationem. Sed hanc calũniã ſuperiùs iuſta reſpõſione extenuauimus.

Mendacij iterum arguuntur.

Quod hic dicunt,Catholicos docuiſſe homines mereri remiſsionem peccatorum dilectione erga Deum ante gratiam, haud parum impudentius mẽdacium eſt: Aut vt aliquid eis concedamus,loquuntur de vera dilectione Dei,qua Deus diligitur ſup omnia, & de merito condigni,& gratia gratum faciente:hoc modo nemo Catholicorum ſenſit,hominem mereri remiſsionem peccatorum de condigno per dilectionem Dei ante gratiæ gratum facientis infuſionem. Omnes enim concorditer Academiæ docent, hominem nunquam verè diligere Deum ſuper omnia, niſi detur ei gratia gratum faciens & ſpiritus ſanctus,qui cum datur, diffunditur charitas in cordibus noſtris: tantum abeſt vt dicant ante eius infuſionẽ per charitatem hominẽ mereri remiſsionẽ peccatorum de cõdigno: Si ſic Catholicos ſentire aſſerunt,mentiũtur. Aut loquuntur de dilectione,qua per fidem informem Deum agnoſcentes, ita Deum amant,vt tamen ſeipſos magis & voluptatulas diligant.Hac dilectione negant Theologi hominem mereri remiſsionem peccatorũ de condigno,de congruo tamen,ſi ex hac informi fide peccator pœnitens gratiam & miſericordiam petat,& quærat.

Rom. 5.

Quandoquidem,vt ſuprà dictum eſt,pœnitentia,orationes,& alia opera, quæ ex hac dilection[e] Dei profluunt,inefficaciora ſunt, quàm quæ tam magna operentur. Congruit tamen diuinæ bonitati, vt ex tali amore pœnitentem,orantem,& gratiam quærentẽ miſericorditer adiuuet. Non repetam etiã alia, ne crambe ſæpius poſita,probo lectori mortem pariat. Tantum mendacia demõſtraſſe ſat fuerit,ne noſtris etiamnum ſucũ faciant.

Mendacij tertio arguũtur.

Rurſum mentiuntur docuiſſe Catholicos,ꝙ ſacramenta ex opere operato ſine bono motu accipientis iuſtificent. Omnes vero vno ſenſu fidem requirunt,& diſplicentiam peccatorum propoſitumque vitam corrigendi. Requirunt omnes vt remoueantur obices & impedimenta,q̃ non remouentur niſi fide,& bono motu accipienris,hoc eſt,nemo iuſtificatur,niſi ex fide doleat ſe peccaſſe, & vitam velit emendare. Quando vero hoc ex ſe non poteſt,ꝑ ſacramenta gratiã quærit & accipit. Qui nõ credit,neq; ſecum firmiter in animo ſtatuit, prioris vitæ in peccatis exactæ modũ ponere,maximũ obuoluit gratiæ impedimẽtum. Quod verò in Cõfeſsione addũt, ad veram vnitatẽ Eccleſiæ ſatis eſſe, conſentire de doctrina euãgelij & de ſacramentorũ adminiſtratione,aut intelligunt de vnitate, qua ꝑ fidem informẽ & ſacramentorũ ſuſceptionem Chriſtiani etiam mali Catholicę Eccleſiæ vniti ſunt,eadẽ,quæ ipſa credit, credẽtes, eiſdemq́; vtentes ſacramentis. Si ſic accipiũt, ſententia eſt amplexu digniſsima. Cõfirmat enim ea,quæ paulò antè ſtatuimus,videlicet ꝙ mali Chriſtiani non tãtum ſint in eccleſia Catholica,ſed & per informem fidem & ſacramentorum ſuſceptionem ei verè conniãtur,vnamq́; cum bonis eccleſiam conſtituãt. Si intelligunt de vnione,qua non tantùm informi fide,verumetiã viua dilectione eccleſiæ membra mutuo capiti Chriſto cohærent & iunguntur,reluctabimur. Planè non ſatis fuerit conſentire de doctrina euangelij, & ſacramentorũ adminiſtratione, ſed oportet etiã vniuerſalis eccleſiæ decretis examuſsim obtemperare.Qui enim ita de fide cõſentiũt vt interim tamen cùm diuina, tùm Eccleſiæ præcepta temerent, fide tamen informi & ſacramentorum participio, non autem dilectione coniuncti ſunt.Qui Deũ diligit, vtiq; mandatum eius obſeruat. Qui verò mãdatis Dei obſecundat, ſanè decretis eccleſiaſticis non obſtrepet. Si autem obſtrepat, re ipſa declarat necdũ ſe Deum bene dilexiſſe, vtpote qui præceperit vt maioribꝰ obediamus, multò verò maximè vniuerſali eccleſiæ, quæ ꝙ decernit,per ſpiritum ſanctum decernit.

Mat. 23. Hebr. 13.

De Ritibus Eccleſiæ.

Iam quod ibidem annectunt,non eſſe operæpretium vt ſint ſimiles humanæ traditiones,ritus & cæremoniæ, Catholicis vel probatur vel improbatur?Probatur ſi intelligãt de traditionibus & cæremonijs particulariũ eccleſiarum,quę prout alumnis ſuis viderint pro temporum diuerſitate expedire, decernunt quæ eccleſiaſticam adornant monadẽ. Et ea varia eſſe poſſunt pro varietate eccleſiarum,modò cęremonijs,ritibus,& vniuerſalis eccleſiæ ſtatutis per diametrum non repugnent. Hinc dicebat Hieronymus Lucinio:Illud te breuiter admonendũ puto,traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt,ita obſeruãdas, vt à maioribus traditæ ſunt,, nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti? Si autem loquuntur de vniuerſalis eccleſiæ generalibus decretis,ritibus,conſuetudinibus,imꝓba ſententia eſt,ſupra quinto & ſexto corollarijs,cùm ſacrarum ſententijs ſcripturarum tùm Auguſt.& Hieronymi authoritate comminuta.Hic rurſus reſpõdent in Apologia.

Hic

Hic diſtinguunt vniuerſales & particulares ritus (inquiunt) *& probant articulum noſtrum. ſi intelligatur de particularibus ritibus: de vniuerſalibus ritibus non recipimus. Non ſatis intelligimus, quid velint aduerſarij. Nos de vera, hoc eſt, de ſpirituali vnitate loquimur, ſine qua non poteſt exiſtere fides in corde, ſeu iuſtitia cordis coram Deo. Ad hanc dicimus, non eſſe neceſſariam ſimilitudinem rituum humanorum ſiue vniuerſalium, ſiue particularium.*

Nulla planè nos tenet admiratio, quòd iſti non intelligunt, quid Catholici hoc vniuerſalium & particularium rituum diſcrimine inſinuare velint. Nam ſępenumero dictũ eſt, eos ſua ipſorum commēta haud perſpexiſſe, aut certe ſi perſpexerunt, imprudenter Catholicis obtruſiſſe. Quomodo in alienis erũt oculati, qui ſua ipſorum nõ vident, niſi fortè lamiæ eſſent domi cæcæ, foris oculatæ. Bene autem dixit propheta: Nolunt intelligere, vt bene faciant. *Pſal. 35.* Quod ſubijciunt, ad iuſtitiam cordis coram Deo non eſſe neceſſariam ſimilitudinem rituum humanorum, &c. quã ſit à veritate alienum, docebunt te affatim, quæ quinto & ſexto corollarijs explicata ſunt. Tantum fortè vtiliter addatur, quod ſicut Eccleſia Catholica ſua habet & ſacramēta, ſic habet & ſuas cęremonias & ritus, quibus ſine ſacramenta rectè adminiſtrare nemo poteſt. Et quod hinc authore ſpiritu ſancto primũ Apoſtoli, deinde tota Catholica Eccleſia certos ritus, certas normas, quibus ſeſe oēs Catholici applicarēt, inſtituerint: nēpe vt communicaturi corpus Dñi, primùm cœleſti pabulo animam ſuã nutrirēt, vt certis cæremonijs res diuinas pertractarent, certis diebus ieiunarent, certas ferias diuinis obſequijs exigerent, vt ſacerdotes, alijque diuinis officijs mãcipati, certis horis in cordibus ſuis, & voce domino pſallerent, certis horis orarent, & alia pleraq;, quæ particulatim enumerare nõ eſt otium. Et hoc maximè eccleſiaſticam videtur exornare harmoniã, vt qui in fide non diſcrepant, in cæremonijs non ſint impares. Qui cæremonijs eccleſię mauult dura ceruice obſtrepere, q̃ animo ſimplici obedire, palam facit, ſe iuſtum non eſſe coram Deo, quia Eccleſię imò Deo reluctatur, cuius bona voluntate omnia in Eccleſia rectè decernũtur. Nam vt etiam ſuprà ſynceris pectoribus fidē fecimus, & accedente Aduerſariorũ calculo probatum eſt, in conſtituēdo nunquã errat, nihil perperam ordinat. Parum habet roboris quod dicunt, iuſtitiam fidei non eſſe alligatam certis traditionibus. Fatentur quidem Catholici has eccleſiæ traditiones, non ita ad iuſtitiam neceſſarias eſſe, aut eis iuſtitiam fidei alligari, vt niſi eſſent iſtæ traditiones, fides iuſtificare non poſſet, ſed quod horum vel diuinorum contemptus mandatorũ iuſtificationem impediat. Hinc Apoſtolus, vbi feciſſet mentionem de p̄ceptis, quæ ipſe dediſſet, ſubintulit: Itaq; qui hęc ſpernit, nõ hominem ſpernit ſed Deũ, qui etiam dedit ſpiritum ſanctum in nobis. *1 Theſ. 4. Contemptus rituũ eccleſiæ damnatur.* Vides hic Paulũ cõfidenter dicere, q̄ Deus dederit ſpiritũ ſanctum in corde ſuo, quodq́; ob hoc p̄cepta ſua maiorē ſortirentur energiam, & q̄ illi magis ad eorũ ob hoc obſeruantiã obligarētur. Hic libenter audirē, quorſum & quam feliciter aduerſarij noſtri hãc Pauli ſententiã torquerēt. Si trahant ad diuina, nimirũ obſeruari oportuit. Si ad humana, neceſſariò dicēt, iuſtitiã nullis traditionibus alligari, & errauiſſe Paulũ, vtpote qui pias mētes p̄ceptis onerauerit, q̃ nihil cõducunt ad iuſtificationē. *Capiũtur hic aduerſarij.* Sed clarũ eſt, loqui apoſtolũ de p̄ceptis, q̃ ipſe eis dediſſet, qui tamē homo erat, nã de diuinis p̄ceptis ſubiecit paulò antè & paulò pòſt. Si vni licuit Paulo ſtatuere, cur itē nõ liceat toti Eccleſiæ? Non eſt minor totius Eccleſiæ Catholicæ, q̃ ſolus Pauli authoritas. Si Paulus potuit Theſſalonicēſes ad ſuorum obſeruãtiam mandatorũ cõpellere, cur idē nõ liceat Eccleſiæ? Si dicant Paulũ ſpiritũ ſanctum habuiſſe, idē de Catholica Eccleſia dicunt Orthodoxi, & ſuſq́; deq́; ferũt, quoquouerſum hanc ſententiã vertant. Nã vndequaq; Paulo & eccleſiæ conuenit. Haud multò plus viriũ habet, q̄ dicunt, ad animę viuificationem nihil conducere humanas cõſtitutiones, & eadem facilitate reijcitur, qua probatur, ſi intelligãt per humanas traditiones, vniuerſalis eccleſię aut ſãctorũ Patrũ iuſta decreta. *Qui ritus ſeruandi & qui non.* Nã ea non obſeruaſſe, ſpiritui ſancto eorũ primario authori repugnaſſe eſt. Si intelligant autē de humanis conſtitutionibus, quæ ſine ſpiritu ſancto & humana temeritate, vel quæ ob quorundam luxum, vel auaritiã obtinuerũt, prorſus annuimus. Nã hæ non ſolũ non conducunt, ſed ad animæ viuificationem magis officiunt, ſed ieiunium non ad corporis tantum commoditatē inſtitutum, ſed & multò maximè ad animæ ſalutē accõmodatum eſt. Idem dici poſſet de oratione, de Litanijs, de ferijs, de cõfeſsione peccatorum, quę nõ ſine iuſto examine à Catholica Eccleſia recepta ſunt, & hactenus inuiolabiliter obſeruata.

Præterea toto cœlo errant, ſi affirmēt, humanas cõſtitutiones, ſiue generales ſiue particulares, effectus ſpiritus ſ. non eſſe (de his dico, quæ ad ſalutem animæ conducunt) nã vt iam dictũ eſt, Eccleſia per ſpiritũ ſanctũ ſemper gubernatur. *Cõſtitutiones effectus ſunt ſpiritus ſ.* Et mirum certè, q̄ iſti tam apertè ſanctas ſcripturas audent oppugnare. Si verò eccleſia à ſpiritu ſancto moderatur, quomodo non erunt generales & particulares cõſtitutiones effectus ſpiritus ſancti, præſertim cum dicat Apoſto. quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo *1. Cor. 3.*

ſit? Et alibi dicat: quod Deus operetur in nobis & velle & perficere. Sane Catholicis fortiter ſtat illa ſentētia, ꝙ & in generalibus & particularibus ſanctorū patrū ſynodis ſemꝑ præſentiſsimus ſit ſpiritus ſanctus, q per eos tanquam inſtrumenta ordinat, ſtatuit, definit, quę Chriſtianam rempub. decorant, quibus, qui cum ſtomacho rebellat, aut ea cupit abrogatum iri, manifeſte in ſpiritum ſanctū impius eſt, & Eccleſiæ Dei planè immo-
Prou. 8. rigerus. Per me, inquit, increata illa ſapiētia, reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Videant ergo Aduerſarij, quàm fœliciter aduerſus conſtitutiones eccleſiaſticas palæſtram inſtituerint.

Sicut, (inquiunt,) diſsimilia ſpacia dierum ac noctium, non lædunt vnitatem Eccleſiæ, ita ſentimus non lædi veram vnitatem eccleſiæ diſsimilibus ritibus inſtitutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, vt vniuerſales ritus propter tranquillitatem ſeruentur. Sicut & nos in Eccleſiis ordinem miſſæ, diem dominicū, & alios dies feſtos celebriores libenter ſeruamus. Et gratiſsimo animo amplectimur vtiles ac veteres ordinationes, præſertim cum contineant pædagogiam, quæ prodeſt, populum & imperitos aſſueſacere & docere. Sed non diſputamus nunc, an conducat propter tranquillitatē, aut corporalem vtilitatem ſeruare. Alia res agitur, diſputatur enim, vtrum obſeruationes traditionum humanarum ſint cultus neceſſarij ad iuſtitiam coram Deo.

Benè ratiocinantur Aduerſarij, quòd diſſimilia ſpacia dierum ac noctium non lædūt vnitatem Eccleſiæ, quia omnes nouerunt hunc rerum ordinem omnibus rebus à Deo eſſe attributum, vt omnia ſecundum ſuam naturam voluntati Dei parerent. Et quādiu omnia agunt ſecundum naturam ſuam, nemo læditur, nemo offenditur. Læderentur verò plurimi, ſi hunc ordinem peruerterēt, vtpote prouide à Deo inſtitutum. Sic turbatur & vnitas Eccleſiæ, ſi qui fortè eccleſiaſticarum traditionum harmoniam propria temeritate violarent. Si verò quod iſti nolunt, ex integro obſeruentur in ſuo robore, accreſcit eccleſiaſticæ vnitati non parum gaudij. Tam pertinaciter malitioſi ſunt iſti, vt ſemper dicant, humanas traditiones, quas nō ignorant, in canonica ſynodo à Patribus legitimè cōgregatis per ſpiritum ſanctum eſſe ordinatas. Spiritus ſancti ne ſemel quidē re-
Malitia ad uerſariorum. miniſcūtur, odio arbitror Catholicorum, & vt ſuis faciliùs imponant humanarum traditionum nomenclatura.

Placet eis, vt vniuerſales ritus propter trāquillitatē ſeruentur. Cur non placeret, quod placuit patribus, quod traditum eſt ab Apoſtolis, quod definitum ſpiritu ſancto inſpiratore? Propter tranquillitatem, inquiunt, non propter præceptum, quaſi nihil periculi ſit ſi omittas. Iam bona pars eorum neque tranquillitatem, neque bonam conſcientiam reſpiciunt, ſed vellent non tantum cæremonias abrogatas, ſed & omnē Chriſtiani orbis religionem radicitus eſſe euulſam, vt decreta, quę apud Lutherum in thalamo nata ſunt ſecurius vbique terrarum ſeruari poſſent.

Libenter ſeruant, vt ipſimet dicunt, in eccleſijs ſuis ordinem Miſſæ, diem dominicū, & alios dies feſtos celebriores. Quanta celebritate poſt peractum ſacrum, poſt iniquum ſemen diſiectum, diem dominicū obſeruēt, melius ſciunt tabernarij, & lenones. Quid de diuorum ferijs dicam, cū nemo neſciat iſtos εἰκονομάχους odio diuorum omnes eorum ſolemnes ferias abrogaſſe, niſi fortè iam reſipiſcunt ab errore. Ordinem Miſſæ ſeruant, niſi quod ſacrum Canonē omnino omittunt, quem putant non ſolum Catholicū non eſſe, ſed aperto Marte cū ſcripturis pugnare. Sed qua veritate abrogent, ab alijs diſceptatū eſt, certè hic extra controuerſiam eſt. Dies Dominicus & feriæ diuorum parum religioſe apud Lutheranos ſeruantur. Canonē miſſæ abrogauit Lutherus.

Amplectuntur veteres ordinationes, excipiunt tamen eas, quæ pædagogiam nō continent. Hic velim dicant, quæ ſint illæ ordinationes, quę pædagogiam non habeant. Catholici enim tenent, quod omnes pædagogiam habeant. Hoc docent paſsim multi libri de hac re euulgati. Et imprimis Rupertus vir vndequaque doctiſsimus. Si autem omnes pædagogiam tenent, non debebant iſti alias recipere, alias omittere, ſed omnes gratiſsimo animo amplecti. Rurſus, ſi gratiſſimo animo accipiunt vtiles ordinationes, oſtendant nobis inutiles, quas tam aperte impugnant, quas tantis conatibus à ſuorum animis eripiunt. Sed neque vtiles apud eos tantū ponderis habent, vt obſeruari debeant neceſſariò, ſed tantum tranquillitatis cauſa non propter conſciētiam: quaſi dicant, nihil periculi eſt ſiue ſerues, ſiue negligas: nā neutra parte peccas. Sic enim hic dicunt controuerſiam eſſe, vtrum obſeruationes traditionum humanarum ſint cultus neceſſarij ad iuſtitiam coram Deo. Benè habet, quod iſti dicunt, nam ſi hoc dicerent Apoſtoli, exterrerentur orthodoxi, trepidarentque quod tam amicè traditionibus eccleſiaſticis paruiſſent. Sed aliter docet Pau- Luc 10.
lus, aliter etiamnum Chriſtus. Chriſtus Rom 13.
dicit ſe contemni, ſi quis fortè vnum, qui apoſtolicum munus ſuſcepit, contemnat. Paulus putat obediendum eſſe primatibus, non propter timorem, ſed propter conſcientiam. Si propter conſcientiam iuſtis prælatorum decretis obtemperandum eſt, relinquitur ſanè decretorum obſeruantiam cultus eſſe neceſſarios ad iuſtitiam coram Deo. Si enim non obedieris Prælatis, maculas conſcientiam inobedientia, negligentia, contemptu. Maculata autem conſcientia, nónne peccato obligatur? Si autem peccato

obli-

obligatur, nónne & pœnam meretur? Vide nunc quàm neceſſarij cultus ſint ad iuſtitiam coram Deo, qui contemptu Prælatorum, tâquam ſibi irrogatam iniuriam tam atrociter in contumacibus vndicat:

Hoc(inquiunt) *clarè docet Paulus ad Coloſſenſes, cum ait: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, &c. Item: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid tanquam viuentes mundo decreta facitis: ne tetigeritis, &c.*

Res ipſa clamat, Paulum loqui eis, qui iam à pſeudoprophetis circumuenti erant, vt ad Iudaicas ſe verterent ſuperſtitiones. Et omnia verba iſta huc citata, non intelligûtur, niſi de cibis & de legalium obſeruationum cæremonijs, quæ prorſus interierunt. Potuiſſent hoc plenius intelligere Aduerſarij, ſi nollent nodum in ſcirpo quærere. Nam addit ſabbata, quodque iſta vmbra ſint futurorum, vt idem nobis ſit frenum concupiſcentiæ carnalis, quod fuit illis circuncíſio: quod erant eis varia baptiſmata, nobis eſt aqua illa ſalutaris, qua renaſcimur ad vitam æternam. Eorum iuge ſacrificium, ſignificat Catholicis ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, quod quotidie Deo offerunt. Sabbatum nobis diem dominicum repræſentat: aliquorum ciborum, qui in lege prohibebantur, abſtinentia, inſinuat nobis ſub lege Chriſti aliquando abſtinendum eſſe, & ieiunandum ab omni cibo. Sic interpretari debebant iſta, & nihil habuiſſent Incommodi. Sed ſic placet dominis iſtis ſcilicet ſcripturas pro ſua libidine torquere, vt ſuo inſtituto coaptent.

Circumciſio quid nobis ſignificet. Baptiſmata. Sacrificium iuge. Sabbatum. Delectus ciborum.

Quod in ſecundo teſtimonio ſuæ ſalſitatis dicere volunt, ridiculum eſt, & puerile argumentum. Nam hic clarius loquitur de elementis huius mundi, quæ ei nihil aliud ſunt, quàm veteris legis ſacramenta, quæ in corporalibus rebus conſiſtebant, per mortem CHRISTI abrogata, & in abſolutiores ritus & cęremonias transformata ſunt. Et illis quidem elementis mortui ſumus: nam non ignoramus dixiſſe apoſtolum, euacuatos à Chriſto, & excidiſſe à gratia, qui in lege iuſtificari voluiſſent. Iam quando dicit: Ne tetigeritis, & cæt. in perſona loquitur pſeudoprohetarum, qui animos ſimplicium ex gentilitate conuerſorum, ſalſa perſuaſione corrupeꝛant, vt cum Chriſto etiam legalia obſeruarent. nihil autem agit hic de cæremonijs, ritibus, & ſtatutis eccleſiaſticis, neque quicquã facit hic pro Aduerſariorum hæretico inſtituto. Omnes Catholici ſcripturarum interpretes, hunc locum non aliter, atque nunc tractatus eſt, tractant. Neque tam durus eſt Eccleſiæ magiſtratus, vt ab omnibus æqualiter velit cæremoniarum leges extorquere, ſed pro perſonarum qualitate eas relaxat. Si quid in hac re peccatum eſt, auaritiæ aliquorum tribuatur, qui in diſpenſando fuerunt ſeueriores. Sic rurſus inferunt:

In eadem ſententia inquit Paulus: Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto.

Non video qua parte iſta ſententia Aduerſariorum ſalſam opinionem roboret. Non enim bene ſequitur: Regnum Dei non eſt eſca & potus: ergò vſus cibi & potus indifferenter, & omni tempore bonus: vel ab eis diſcreta, iuxta diuinum præceptum, abſtinentia, nihil conducit ad conſecutionem regni cœleſtis. Similiter poſſemus & nos argumentari: Regnum Dei non eſt aurum & argentum, non maſculus, non fœmina: ergo aurum & argentum in pauperes & egenos erogatum nihil prodeſt. neque furta, neque obſunt ſaluti adulteria. Cur ergo cauet alibi apoſtolus, ne iſta in Republ. fiant? Si tales Theologi ſunt, ne dicam Sophiſtæ ſunt, apud Vittenbergenſes, profuerat domi cum combibonibus, quàm peregrè cum ſcripturarum adulteratoribus ſine fruge æs comminuiſſe. Licèt itaque eſca & potus non ſint regnum Dei, tamen vt cibi & potus immoderata ingluuies cœleſtis regni aditum præcludunt, ita eorum temperantia, haud parùm vt aperiatur, conducunt. Vidésne hanc Apoſtoli ſententiam, poſt hãc noſtram Catholicam ephegeſim aduerſarijs magis obeſſe, quàm prodeſſe? Nam quantumlibet eſca & potus, neque Paulo, neque Catholicis ſint regnum Dei, tamen vtriſque iuſtitia, & pax, & gaudium, in ſpiritu ſancto regnum Dei ſunt. Quæ autem poſſet eſſe maior iuſtitia, quæ maior pax, & bonæ conſcientiæ tranquillitas, & quod maius gaudium, quàm per omnia diuinæ voluntati paruiſſe. Eſt autem voluntas Dei, vt iuſtis Prælatorum decretis obſecundemus, & hæc ſimplex obedientia ſine tergiuerſatione, ſine murmure, haud parùm profuerit ad regni cæleſtis conſecutionem. Hinc enim ſapienter dictum eſt: Vir obediens loquitur victorias. Melior eſt obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Vide nunc quàm imperitè dixerint, obſeruationes traditionum humanarum non eſſe cultum neceſſarium ad iuſtitiã coram Deo.

Stultis ſtulte reſpondetur.

Prou. 21.

1. Reg 15.

Aduerſarij(inquiunt) *vniuerſales traditiones dicunt ideò ſeruandas eſſe, quia exiſtimentur ab Apoſtolis traditas eſſe. O religioſos homines. Ritus ab Apoſtolis ſumptos, retinere volunt, non volunt retinere doctrinam Apoſtolorum. Sic iudicandum eſt de ritibus illis, ſicut ipſi Apoſtoli in ſuis ſcriptis iudicant. Non enim voluerunt Apoſtoli, quòd tales ritus ſint res neceſſaria ad iuſtitiam coram Deo. Non voluerunt Apoſtoli tale*

onus imponere conſcientijs, non voluerunt iuſtitiam & peccatum collocare in obſeruationibus ciborum, dierum, & ſimilium rerum. Imò Paulus appellat huiuſmodi opiniones doctrinas dæmoniorum.

Luc 10. Matt. 18. Morigero nulla grauis eſt traditio.

Confidenter aiunt Catholici, ritus vel ab Apoſtolis, vel ab vniuerſali Eccleſia inſtitutos, neminem violare decere ſua ipſius temeritate, præſertim cùm dicat apud Lucam Chriſtus: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quis poteſt eſſe maior deſpectus, quàm nolle facere, quod iuſſerint prælati? Rurſus Chriſtus Eccleſiam contemnentem ethnico comparat & publicano. Homini facilè morigero nihil difficile eſt: imò ſicut benè dixit Sapiens vir: Qui timet Deum, nihil negligit. Sed nebulonibus, & ijs, qui Eccleſijs machinantur interitum, omnia ſunt factu difficillima, & ſi etiamnú poſſent, nollent Eccleſiaſticis inſtitutis parere, ſed volunt Lutheri legibus magis viuere. nam illæ non ſunt difficiles, non ſunt graues, neque magnam requirunt operam. Cùm audis: O religioſos homines, nota candorem animi iſtorum, qui ronchis magis quàm ſcripturis, ſtultam opinionem ſuam abſoluunt. Rurſus apertum vide conuicium, ſed mendaciter in Catholicos contortum, quòd ritus ab Apoſtolis ſumptos retinere velint, doctrinam verò eorum nolint attingere. Huc appello omnes bonos viros, qui Chriſtiano ſunt pectore, vt inter ſe ipſi iudicent, vbi rectius viuatur: an apud Aduerſarios, qui vtraque, id eſt, tam doctrinam Apoſtolorum quàm ritus, partim ab Apoſtolis, partim ab vniuerſali Eccleſia acceptos contemnunt: an apud Catholicos, qui agunt ſedulò, vt neque in doctrinam Apoſtolorum, neque in ritus, in Catholica Eccleſia receptos, peccent? Quàm liberè illi peccent in vtraque, ſæpenumerò experimento diſcunt, quibus eſt frequens cum illis conſuetudo: experti ſumus & nos, apud eos nonnullos in ſacra Quadrageſima eſitauiſſe carnes, qui poſt paſcha ob carnis penuriam cogebantur piſcibus & oleribus macilentis victitare. Tam pertinaces ſunt, & tam pertinaciter obſtreperi, vt nolint ſanis conſilijs acquieſcere. Quod hic ex tenebricoſo ſuo pectore addunt, Apoſtolos in ſuarum traditionum obſeruantia iuſtitiam, in tranſgreſſione peccatum collocare, falſum eſt, & δὶς διὰ πασῶν ſcripturis aduerſatur. Nam in actis Apoſtolicis ſic ſcripſiſſe illis, qui ex gentilitate credidiſſent, referuntur: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, quã hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, benè facietis. Vides hic, quę ad cibum pertinent, videlicet immolatitia, ſanguinem, & ſuffocata, à quibus debebant ſe ſubtrahere, modò vellent ad normam Apoſtolicam benè agere, id eſt, vt rectè interpreter, ſi non vellent peccare. Quid poteſt ad hæc reſpondere vniuerſa Aduerſariorũ colluuies, nam vident hic in obſeruantia traditionis iuſtitiam, in tranſgreſſione verò peccatum eos collocauiſſe. Et adeò vtrunque eorum in obſeruantia vel tranſgreſſione ponebant, vt Syris, & Cilicijs præciperet Paulus, vt cuſtodirent præcepta Apoſtolorum & Seniorum, non autem volebant vnicuique liberum eſſe, quod iſti blaterones ineptiunt, vt facerent, vel non facerent pro ſuo quiſque arbitrio. Hunc locum aduerſus ſe pugnantem è voluminibus ſuis expunxerunt, quem vetuſtiſſimi codices vnanimiter huc vſq; oſtendunt. Vide ergò hic iterum iſtorum dolum, & vafriciem, cum euangelico ſcilicet pectore ad amuſſim quadrantem.

Carnibus veſcuntur in quadrageſima, qui poſt paſcha piſcibus victitare coguntur.

Act 15. In obſeruatione traditionũ meritum, in tranſgreſſione eſt peccatum.

Act. 15. expunxerũt locum ſibi aduerſantem.

In fine effundentes virus ſuum, mentiuntur dicere Paulum, de doctrina hac Catholica, quę à tota vniuerſali Eccleſia recepta eſt, quòd ſit doctrina dæmoniorum. Si illa doctrina eſt dæmoniorum, qua docent perſuadentque hominibus, vt præfectorum decretis pareant, docuit & Paulus doctrinam dæmoniorum, idque non vno loco: primùm in actis Apoſtolicis, quem nunc citauimus: Secundò, Rom. 13. Tertiò, Hebr. 15. Sed hanc calumniam concedamus iſtis, qui intus olentes habent animas, præter calumniarum, mẽdaciorum, conuiciorum ſordes nihil exhalantes. Qui benè credit, quique Catholicæ Eccleſiæ alumnus eſt, agnoſcit illa, quæ in priore ad Timotheum ſcribit Apoſtolus, vnde & iſti hanc calumniam mutuati ſunt, de Manichæo hæretico dicta eſſe, qui cibos eò damnabat, quòd putaret cum ouis, carnibus, vino, alijſque, quibus vterentur homines ad naturæ neceſſitatem, naturam diuinam eſſe permixtam. Hic obiter notabis, dupliciter licitum eſſe à cibis abſtinere, & dupliciter illicitum. Licitè abſtines, vel vt carnem abſtinentiæ capiſtro compeſcas, ſicut Paulus docuit & facit: vel ne fratris infirmi conſcientiam offendas: Si eſca, inquit, ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Illicitè abſtines, quando legis grauem animaduerſionem metuis, aut quando ob doctrinã Manichæorum abſtines. Sic ferè Thom. hunc locum abſoluit.

Manichæus certos cibos damnat.

Abſtinere quomodo licitum, & quomodo non licitum.

1. Cor. 8.

Quòd ſi hæc, (inquiunt) tradita ſunt tanquàm neceſſaria ad iuſtificationem, cur in his ipſis poſteà multa mutarunt Epiſcopi? Quòd ſi erant iuris diuini, non licuit ea mutare auctoritate humana.

Pro ratione temporum, perſonarum, ſtatuta ſunt plæraque in primitiua Eccleſia, quæ nunc non ſunt neceſſaria, vt erant illa de ſuffocato & ſanguine. Sic multa nunc ſtatuere conuenit,

Decreta Eccleſiæ variantur, pro ratione temporum.

conuenit, quæ tunc inania fuiſſent. Et ſi qua nunc in Eccleſia Catholica mutata ſunt, non humana, ſed diuina auctoritate mutata ſunt, prout Spiritu ſancto, Eccleſiæ monarchæ viſum fuerit. Sic aũt ab hac cauſa ſe expediunt: *Omninò* (inquiunt) *quid ſit iuſtitia fidei, quid regnum Chriſti, non intelligunt aduerſarij, ſi iudicant neceſſariam eſſe ſimilitudinem obſeruationum in cibis, diebus, veſtitu, & ſimilibus rebus, quæ non habent mandatum Dei, &c.*

Expende hæc Chriſtiane Lector, & aduertes Aduerſarios tam lõga altercatione aerem verberaſſe. Obſeruantiam in cibis, diebus, veſtibus, hiſque ſimilibus docent non eſſe neceſſariam, niſi mandatum Dei habeant. Idem docent hactenus Catholici. Nam ſi quis non ieiunaret certis temporibus, certiſque temporibus non abſtineret à carnibus, dies feſtos non obſeruaret, dicerent eum contra diuinũ præceptũ facere. Præcipit enim Deus, vt Eccleſiæ præfectis in omnibus morem geram⁹. Si quis fortè eos non obaudiret, eum dicerẽt inobedientem eſſe & iniuſtum.

Hunc ſeptimum Articulum Ioannes Cochlæus ſimul cum octauo pertractat, inde igitur quæ huc pertinent, repetantur, folio 181.

Ioannis Hoffmeiſters ſuper Articulo ſeptimo iudicium.

QVæ hic Articulus habet, mihi per omnia probantur, licèt quædam deſiderẽ, quæ ad præſens negotium ab Aduerſarijs meritò fuiſſent adiecta, hoc quod in ſequentibus aperire ſtatuimus. Quod autem Confutatores, quos vocant, hoc articulo nõ nihil fuerint offenſi, cauſam puto, quod veterum ſcriptorum, quæ Aduerſariorum nomine hactenus prodierunt, obliti ſunt minimè: & ob id non iniuria ſubuerìti ſunt ab illis nonnihil fucatè fieri. Nam velint, nolint Aduerſarij, coguntur fateri, ſe, ſuoſque non omninò purè tractaſſe nomen Eccleſiæ: imò ex his ſunt, qui etiam Eccleſiæ appellationem abolitam eſſe optauerunt. Iam cur nihil hoc articulo offendar, rationem reddam: & hæc eſt, quòd omnes huius partes piè & candidè interpretatæ, Eccleſiæ aut nihil, aut parùm præiudicare videntur. Senſum noſtrum ſic habe. Aduerſarij vnam volunt habere Eccleſiam, quam neque nos partitam, vel multiplicatam volumus. Eccleſia enim Catholica vna eſſe poteſt, ait Cyprianus, ſcindi vel diuidi nõ poteſt. (*Lib. 2. ep. 12.*) Et D. Auguſt. Vna eſt Catholica Eccleſia, cui hæreſes aliæ, diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis, q̃ negare nõ audeant, appellẽtur. (*De vnitate eccleſ. ca. 7.*) Hæc ille. Hãc verò Eccleſiam ſanctã, eſſe ſymbolũ fidei noſtræ, etiam iuxta ſcripturæ ſenſum, apertiſſimis verbis fatetur. Chriſtus enim dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, ait Apoſtolus. (*Epheſ. 5.*) Tertiò, hãc perpetuò manſuram, quis negat? Hinc Alexander ille Hieroſolymitanus Pont. in Trip. hiſt. Eccleſia Catholica, & Apoſtolica inuincibilis eſt, licèt omnis mundus aduerſus eam pugnet, & victrix totius impietatis aduerſæ exiſtit, ſecuros nos faciente patrefamilias eius, cũ clamat: Habete fiduciam: ego vici mundum, &c. (*Ioan. 16.*) Chriſtus Eccleſiæ ſummũ caput fatetur, imo pollicetur, inferorum portas contra illã non præualituras. Quartò, vocant Eccleſiam Sanctorum congregationem: in quo nihil peccat ſiue de viuis, ſiue de putridis & mortuis mẽbris intelligas: Nam vtraq; membra ab Apoſtolo ſancta ſunt vocata. Quãdiu enim in hoc mundo ſunt, ad ſanctificationẽ ſui poſſunt habere acceſſum, quotquot Eccleſiæ, fide & dilectione, & ſacramentorum participatione ſemel inſerti ſunt. Et Sanctorum appellatio omnibus & ſingulis, qui Chriſtiano cenſebantur nomine, ab Apoſtolis attributa eſt. Quomodo verò mali ſint in Eccleſia, alibi dicem⁹. Quintò adijciunt, in Eccleſia Euangelium rectè doceri: & hoc verum eſt. Nam vtcunq; hæretici iactitent, ſe habere Euangelium, ſe habere genuinam ſacrarum literarũ interpretationem, tamen in ſola ſancta Eccleſia Catholica, & Apoſtolica rectè habetur Euangeliũ, & in ipſa rectè & vtiliter docetur Euangeliũ. Totidem verbis reſpondemus de vſu, & vero vſu Sacramentorum. Hæc enim etiam apud hæreticos ſunt, ſed apud hæreticos non proſunt, id quod non in vno tantùm loco D. docet Augu. His addunt Aduerſarij, non eſſe neceſſum, vbiq; ſimiles habere traditiones humanas, ſeu ritus, aut cęremonias ab hominib⁹ inſtitutas. Neq; hæc mihi diſplicuerint: Quis enim ignorat ſententiam D. Greg. Pont. (quẽ illi per contemptũ cæremoniarũ magiſtrum appellare ſolẽt) qui ſic ad Leandrum ſcribit: In vna fide, inquiens, nihil officit Eccleſię ſanctæ conſuetudo diuerſa. Et D. Hieronymus (*Hierony. ad Luciferian.*) ille, qui & ipſe non pauca ſcripſit aduerſus Vigilantios & Luciferianos, in fauorem cæremoniarum: Ego te illud breuiter admonendum puto, inquit, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem, aliorum cõtrario more ſubuerti. Quæ D. Auguſt. ad Ianuarium ſuum hac de re ſcripſit: notiora ſunt, quã vt negari poſſint: Quod neq; contra fidem, inquit, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum. Sed de traditionibus humanis, & cæremonijs Eccleſiarum differentibus, ſuo loco à nobis diſputabitur. Hæc, ni fallor, ſumma eſt huius ſeptimi

Artic. 15. mi Articuli,cui adieci rationes,& Patrum authoritates, quare mihi ſingula probentur, & quare ex his Eccleſiæ notis nullam improbare debuerim. At hæc non ſuffecerint ad veram,& infallibilem illius veræ, ſanctæ,& Catholicæ Eccleſiæ,quam quærimus, cognitionem: quoniam hic nihil à nobis dictnm eſt, quod ad ſe rapere non poſſint peſtilentiſſimi etiam hæretici, provt ſolet ſe Angelus Sathanæ in Angelum lucis ſubinde transfigurare. Quis enim neſciat,vetuſtiſſimam eſſe,& ſemper fuiſſe inter veros Chriſtianos, & vafros hæreticos controuerſiam hanc, Vbi nam,& apud quos huiuſcemodi vera ſit Eccleſia: duabus præſertim Eccleſijs inter ſe differētibus, & vtriſque aſſerentibus, ſe velle in fide Saluatoris Ieſu permanere,in Euangelicis Apoſtolicisque doctrinis,in vera fide Chriſti,in vera Chriſtianorum religione. Aetate & ſeculo Tertulliani & Irenæi, hæretici à vera Eccleſia ſeſeparantes, apud ſe eſſe Eccleſiam dixerunt. Sic poſt hæc tempora (vt D. Cyprianus ait) Nouatus ſimiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines imitantur, voluit Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem vindicare. Et an ipſe in Eccleſia non eſſet,ſed contra Eccleſiam rebellis foret,hoc vnum ſibi vindicabat, quòd cæteros faciens hæreticos, apud ſe Eccleſiā eſſe diceret. Sic & D. Aug. contra Donatiſtas eadem docet ſuo ſeculo accidiſſe: Cōtrouerſia hæc inter nos eſt,inquit,vbi vera ſit Chriſti Eccleſia, vtrū apud nos,an apud vos? Sed quoniā hæc indubitata & certa ſunt, his talibus tantorum Patrū teſtimonijs cōtenti ſimus: & negotiū hoc totum altius repetamus. Articulus igitur hic Confeſſionis ſeptimus, hoc in ſumma habet,vnicam & ſanctā eſſe Eccleſiam,eandemq; perpetuò manſurā, eſſe itē hanc Sanctorum congregationē, in qua rectè annuncietur Euangelium,& adminiſtrentur Sacramenta,&c. Benè ſe habet. An ne eadē veriſſima eſſe fatentur multorum temporū cōplures hæretici? Patrum ſententias iā audiuimus. Quid itē Sacramentarij veſtri,quid Anabaptiſtæ veſtri in miſerrima hac Eccleſiæ turbatione iactauerint, Apologiæ auctori notiùs eſt,quàm velit. Addit quidē,ceu diximus, veras eſſe Eccleſiæ notas,veram Euāgelij doctrinam, veramq; Sacramētorum adminiſtrationem: Sed & hæc omnia apud ſeſe eſſe lōge omnium veriſſima & vtiliſſima, plenis buccis crepant omnes omnium ſeculorum hæretici: Hoc tam verum eſt, vt nullis egeat certioribus demōſtrationibus. Si.n. hæretici de ſuis ſcriptis dicerent: Hæc ſunt peſtifera verba ex venenoſo fonte (Auguſtini verba ſunt cōtra Manichæos) quæ qui audierit, & ijſdem primùm crediderit, deinde quæ inſinuant, cuſtodierit, nunquam vitæ erit reſtituendus,&c. Si talia, inquam, illi de ſuis ſcriptis dicerent, quis obſecro, talia ſcripta amplecteretur? imò quis non abominaretur? Rectè ergò Hilarius: De ſcriptura, inquit, nō eſt hæreſis, ſed de ſenſu ſcripturæ. Sic de adminiſtratione Sacramētorum par eſt ratio. Quid olim Donatiſtæ de ſuo baptiſmo? Quid Valentiniani de ſua Euchariſtia? Quid item Meſſaliani de Euchariſtia? Quid noſtra ætate Sacramentarij? Quid Anabaptiſtę? Quid alij, quos enumerare longum eſſet? Certe Donatiſtæ, ſicut apud D. Auguſt. legis, dicebant Chriſtianū nomen perijſſe de tot Gentibus in orbe terrarum,& in ſola Africa remanſiſſe. Ergò hactenus controuerſia eſt, quinam ſint illi, qui Euangeliū verè docent,& qui verè habent verum vſum ſacramentorum. Quod ſi negotium hoc ad regulam Euangelij retuleris, iam redibit circulus ad caput. Qui enim tibi negant veram ſacramentorum adminiſtrationem, nihilò faciliùs tibi tribuent veram Euangelij interpretationem: nam alterum ex altero ſequi videtur, vt qui hoc verè habeat, illo carere nō poſſit. Vides hic, opinor, quàm inſufficiens ſit huius Eccleſiæ definitio, quam Confeſſionis veſtræ articulus habet. Ergò in huiuſmodi controuerſijs benè conſiderandum eſt, quódnā aſylum, quod ſuffugium Patres orthodoxi habuerunt, vbi, tanquam in tutiſſimo portu, hæreticorum figmenta contemnere, imò explodere,& exibilare potuerint. Quicquid .n. de Euangelio & Sacramentis dixeris (nam hoc mihi ſæpiùs repetēdum eſt) hoc ipſum ab hæreticis audire cogeris. Tam certò enim nouerunt hæretici, ſummam authoritatem ſcripturę ſacrę apud Chriſtianos eſſe, vt nonnulli illorum maluerint dicere, ſacras ſcripturas (quæ ſcilicet illorum dogmatis aduerſabantur) à falſarijs eſſe corruptas, quam ſcripturā non eſſe audiendam. Hæc vel ex vno Auguſtino diſcere licebit. Quis enim neſciat, quæ Fauſtus Manichæus in Euangelicis & Apoſtolicis literis calumniatur, tanquam ſubdititia,& à falſarijs adiecta? Neque enim auſus fuit apud Chriſtianos eleuare auctoritatem ſcripturarum. Sed vt videretur Chriſtianus eſſe, pollicebatur ſe potiùs Euangeliorum auctoritatē vindicare, quàm pati, vt ſic ab hæreticis (hoc nomine intelligebat Chriſtianos) adulterarentur ac deprauarentur. Iā qualia quidā illorum habuerint ſacramenta, ex Irenæo, Euſebio, Auguſt. & alijs id genus diſcere potes. Hæc igitur cùm ita ſint, quid faciendum? quò confugiendum? vbi certæ notæ Eccleſiæ Catholicæ? Imò vbi Eccleſia ipſa, in qua ſola vera doctrina Euangelij,& vera Sacramentorum adminiſtratio? Auguſt. ſibi vindicat Eccleſiam, eandem ſibi vindicat Donatus. Auguſt. iactitat veram Euangelij interpretationē,& verum Sacramentorū vſum, ac totidem verbis reſonabilis echo reſpōdet Donatus. Eadem

Auguſt. de vtilitate cred. ca. 7.

Contra Petilianum.

Auguſt. contra [illegible] cap. 1.

dem cantilenam iam à Sacramentarijs & Catabaptiſtis ſæpè audiuimus. Imò de hoc ſolo iam controuertitur inter Lutheranos & Pontificios: Liceat mihi hoc abuti nomine. Nam vtra pars cōuicerit, infallibiliter apud ſe eſſe veram atq; ſynceram Euangelij doctrinā, legitimamq; Sacramētorum adminiſtrationē, certè alteram hæreſeos conuiciſſe certiſſimū eſt. Inter has enim partes videmus Chriſtianam fortitudinem, & hæreticam pertinaciā cōfligere. Cùm itaq; ſic res ſe habeat, id quod etiā vetuſtiſſimus Tertu. iam olim probauit, attende obſecro diligenter & vide, quònam cōſugerint SS. ac Catholici Patres in diſputationibus ſuis contra hæreticos. Prima quidem arma ex ſacris biblijs deprompta fuerūt quæ cùm etiam ab hæreticis ſubdolè depromebantur, ſic vt nonnunquam dubia videretur ſimplicioribus pugna, tum cōcurſum eſt à Catholicis. Quò? Ad D. Petri Cathedrā, hoc quod ſatis probant tot vetuſtiſſ. ac ſanctiſſimorum Doctorum monumenta doctiſſima.

Tom. 21. Ex horum ergò Eccleſiæ columinum benè magno numero, D. Auguſt. audiamus: Multa ſunt, inquit, quæ me In Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent: Tenet me conſenſio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionē ſuam dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod nō ſine cauſa inter tam multas hæreſes iſta Eccleſia ſola obtinuit. Hactenus ille aduerſus epiſtolam Manichęi, quam Fundamētum vocant, cap. 4. Contra literas verò Petiliani libr. 2. cap. 51. ait: Quid tibi fecit Cathedra Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Anaſtaſius ſedet. Eiuſdem ſententiæ eſt D. Hiero. qui ad Damaſum Papam prouocat dicens: Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, mihi cenſui conſulendam: inde nunc animæ meæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi, &c. *(Tripart. hiſt. lib. 4. ca. 15.)* Sic Chryſoſt. dùm periclitaretur, ad Innocentium Papam prouocat. Sic D. Athanaſius ad Iulium Pap. Rom. appellat. Quòd ſi vetuſtiora quæras, audi Tertul. prædictis per omnia ſubſcribentem: Apoſtoli, inquit, primùm per Iudæam conteſtata fide in Ieſum, & Eccleſijs inſtitutis, deinde in orbem profecti, eiuſdem fidei doctrinam Gentibus prouulgarunt: & Eccleſias apud vnamquamq; ciuitatē condiderunt, à quibus radicē fidei, & ſuā doctrinā cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidiè mutuātur, vt Eccleſiæ fiant, & per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboſes Apoſtolicarū Eccleſiarū, vt omne gen⁹ ad originē ſuā cēſeatur, &c. Si tibi columina hæc Eccleſiæ minimè ſatisfaciūt, ſubijciam vel ex abundanti non contemnendum præſulem Irenæum, cuius aduerſus Valentinum hæreticum ſunt, quę iā continēter ſequūtur: *(Lib. 4. c. 67. & 43. Item lib. 3. cap. 1.)* Agnitio vera, inquit, eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus, in vniuerſo mūdo, & in charactere corporis Chriſti, ſecundū ſucceſſionē Epiſcoporū, quibus illi eā, quæ in vnoquoq; eſt, Eccleſiā tradiderūt, quæ peruenit ad nos, &c. Hæc ille. Ex his, ni male iudico ſatis liquet, quò Patres, quibus cum Hęreticis res fuerit, confugerint, nimirū ad Cathedrā Petri, ad ſucceſſionē & traditionē Patrū & Epiſcoporū, ad cōſenſum deniq; Catholicæ Eccleſiæ. Igitur quibus luſus hactenus fuit, Cathedrā Petri, & Patrū pias cogitationes contēnere, videant, videant quod & male illos maneat iudiciū. *(Li. 1. epiſt. 3.)* Audiant imò & timeant ſententiā D. Cypr. qui ſic habet: Neq; aliundè hæreſes obortæ ſunt, inquit, aut nata ſunt ſchiſmata, quā inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tēpus Sacerdos, & ad tēpus iudex vice Chriſti cogitatur, &c. Sed quid multis? Inſpiciantur, ac examinentur acta veterū Conciliorū, diligenter itē excutiantur priſcorū Epiſcoporū lucubrationes, & nō magno labore inuenire dabitur, quibus notis, quibus indicijs cognoſci ac diſcerni poſſit S. Catholica Eccleſia, ab adulterina: quibusque notis probandum ſit, vtra pars ſynceram conſeruet Eccleſię doctrinā, & vtra pars adminiſtret Sacramenta iuxta verā ac legitimā adminiſtrationem. Hæc mihi eò dicta ſint, vt de his diligentius cogitandi aduerſarios admoneā. Scripſerunt Patrū, & noſtro ſeculo de Eccleſia, & huius auctoritate multi multa: At ex media quaſi ætate propter breuitatē & methodū, mihi placet, vt qui maximè Vincentius ille Lyrinēſis, ex neotericis, quos quidē mihi videre datum eſt, Ioannes Driedonus Louanienſis Theologus, Albertus Pighius, Cornelius Crocus, & alij, quos enumerare longum eſſet.

Ex his qui volet, copioſiora legat, nos breues eſſe ſtudemus. Quod porrò ad Sacramentorum vſum, & traditiones humanas attinet, ſuo loco nō occultabimus ſentētiam noſtrā. His ergò Articulum hunc VII. abſolutum volum⁹. Diximus aūt ipſum ſana quidem habere, ſed non ſufficientia, hoc quod ſuo ordine putamus ſufficienter demonſtratum: Det dominus, vt ab Eccleſia noſtra ſancta & Catholica nunquam alienemur, & ſi qui ab illa aberrarunt, in tēpore ad illam redeant, vt tādem fiat vnus paſtor, & vnum ouile. Tritum eſt, nec minùs verum illud Cypriani: Non poteſt habere Deum patrem, qui non vult habere Eccleſiam matrem. Et hæc quidem hactenus pro mediocritate noſtra.

CON-

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus VIII. De Sacramentorum adminiſtratione.

QVanquàm Eccleſia propriè ſit congregatio Sanctorum, & verè credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocrita & mali admixti ſint, licèt vti ſacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, iuxta vocem Chriſti: Sedent Scribæ & Phariſæi in Cathedra Moyſi, &c. Et ſacramenta, & verbum, propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant vti licere miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus VIII. De Sacramentorum adminiſtratione.

CVm autem in hac vita admixti ſint Eccleſiæ multi mali & hypocritæ, qui tamen ſocietatem habent externorum ſignorum cum Eccleſia, licet vti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, iuxta vocem Chriſti: Sedent Scribæ & Phariſæi in Cathedra Moyſi, & cæt. Et Sacramenta & verbum Dei, propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant licere populo vti miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad octauum Articulum reſponſio.

OCtauus verò Articulus Confeſſionis de miniſtris Eccleſiæ malis & hypocritis, quòd eorum malitia Sacramentis & verbo non obſit, acceptatur cum ſancta Romana Eccleſia. Laudanturque Principes hoc loco, Donatiſtas & veteres Origeniſtas damnantes, qui negabant vti licitum eſſe miniſtero malorum in Eccleſia. Quam hæreſim poſteà Vualdenſes, & Pauperes de Lugduno reſuſcitârunt. Quod deinde Ioannes Vicleff in Anglia, & Ioannes Huls in Bohemia ſemia ſecuti ſunt.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum octauum animaduerſio.

QVinti Euangelij Prophetæ nec de efficacia & vi Sacramentorum, nec de numero quidem conſentiunt. Apud illos igitur non poteſt eſſe vera, & ſancta Chriſti Eccleſia, ſanctorumque & verè credentium congregatio: imò nec ſalutare ſacramentorũ miniſterium. Nihilominùs non erubeſcunt hic damnare Donatiſtas, quorum tamen facta & mores ita imitantur, vt ex eodem vtero vtrique prodijſſe videantur. Nec vident homines ſua malitia occæcati, cum Donatiſtas hic reprehendunt, eadem etiam damnatione, hæreſis ſuæ auctorem Lutherum inuoluere. Docuit enim ille libro de poteſtate Papæ, eum ſolum recipere claues, qui ſit paternæ reuelationis auditor, de quo non poſſumus eſſe certi. Quem etiam errorem amplexi ſunt Zuingliani, ſentientes miniſterium malorum eſſe inefficax, quia nimirum Chriſtus prius dederit Spiritum ſanctum, deinde poteſtatem clauium, & proinde ibi non eſſe poteſtatem clauium, vbi non ſit ſpiritus ſanctus. Ita nanque ſcribit Oecolampadius ſuper epiſtola Canonica Ioannis.

Ioannis Dauentriæ Articuli octaui refutatio.

HIC Articulus ſi expendatur ad normam, quæ nunc tradita eſt pro Catholicis, nihil habet incommodi: imò confirmat ea, quæ ſeptimo Articulo parùm ſobrio, dicta ſunt. Et multò maximè noſtra cõfirmant, quæ ſuperaddunt huic Articulo in Apologia, vbi ſic tradunt:

Cæterùm (inquiunt,) *monuit nos Chriſtus in collationibus de Eccleſia, ne offenſi priuatis vicijs, ſiue ſacerdotum, ſiue populi ſchiſmata excitemus, ſicut fecerunt Donatiſtæ. Illos verò, qui ideò excitauerunt ſchiſmata, quia negabant ſacerdotibus licere tenere poſſeſſiones aut proprium, planè ſeditioſos iudicamus. Nam tenere proprium, ciuilis ordinatio eſt: licèt autem Chriſtianis vti ciuilibus ordinationibus: ſicut hoc aere, hac luce, cibo, potu. Nam vt hæc rerum natura, & hi ſyderum certi curſus, certi motus, vere ſunt ordinatio Dei, & conſeruantur à Deo: ita legitima politia, verè ſunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenditur à Deo aduerſus diabolum.* Suo ſe gladio confodiunt aduerſarij.

Vti-

Vtinam aduerſarij, quod admonuiſſe ſuos ſe teſtantur, ipſi obſeruauiſſent, iam tot ſectis, tot hæreſibus, tot tumultibus in Germania non periclitaretur res Chriſtiana. Porrò aduerte hic, quòd tam ſtudioſè probant legitimas politias verè eſſe ordinationes Dei. Hic ergo coguntur Aduerſarij, vt vel dicant, vel negent, Catholicæ Eccleſiæ generales ritus & ordinationes de ieiunio, de obſeruatione feriarum &c. eſſe legitimas. Si negent, palàm dicunt ſpiritum ſanctum iamdudùm Eccleſiam deſerere, & Chriſti promiſſis ſacta non reſpondere. Si dicāt legitimas eſſe, vt verè ſunt, tametſi ipſi negent, certè ordinatio Dei ſunt. Si autem Dei ordinatio ſunt, neceſſariò ſunt obſeruandę, & eas contempſiſſe, impugnaſſe eſt. Stat enim inuictiſſima Pauli ſentētia: Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Vides igitur hic Aduerſarios ſuo ſe gladio confodiſſe. Nam quis ſit tam inſanus, qui putet ciuilem ordinationem magis à Deo eſſe, quàm Eccleſiaſticam. Sed hoc melle placuit eis ora Principum delinire, ne non habeant ſuos protectores, mecœnates, patronos. Eadem fortè facilitate, qua nunc dicunt ordinationem Ciuilem à Deo eſſe, ſi benè vellēt Eccleſiaſticis, dicerent Eccleſiaſticam ordinationem à Deo eſſe, Ciuilem minimè, præſertim Lutherus, ſi cum ſua lupa pingue ei Pontifices dediſſent beneficium. Sed iam ſatis ad iocum.

Rom. 13.

Ioannis Cochlei ſeptimi & octaui Articulorum diſcuſſio.

IN Confeſſione breuis ſatis & plana videtur eorum ſententia. In Apologia verò multa præter neceſſitatem verboſitas diſſenſiones inoluuit. Cæterùm Albertus Pighius exactiſſimè hos diſcuſſit, & reſoluit nuper Articulos, in Controuerſia tertia. Quare opus non eſt longa hic ad eos reſpōſione. Hoc vnum præcipuè admonendum eſt, maximo cum animarum periculo rebellare cunctas hoc tempore ſectas, Rom. Eccleſiæ, quæ à Catholica ſeparata nunquam fuit. Neque vlla Eccleſia, gens, aut natio per totum orbem terrarum vſquam aut vnquam pro Catholica & verè Chriſtiana habita eſt, quæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi rebellis aut aduerſaria fuit. Si quis hoc non credit, is nobis oſtēdat contrarium, ſi poteſt. Si non poteſt, deſiſtat tot fidelium animas, per damnabile ſchiſma diabolo in fauces inferni ad æterna ſupplicia crudeliter impellere, & addicere, ac ſeipſum tot animarum reum in perpetuum facere. Supremam nanq; Rom. Pontificis in Eccleſia poteſtatem oſtēdit innumeris teſtimonijs & rationibus Pigbius libris ſex benè prolixis de Eccleſiaſtica hierarchia, & Primatum Petri libris tribus D. Ioannes Eckius, quibus nemo ex nouis ſectis hactenus reſpondit. Neque iuſtè reſpōdere, nec tot teſtes ſcripturasque & rationes confutare vllus vnquam poterit.

Romanæ Eccleſiæ rebellare, eſt certus animarum interitus.

Nos hic breuitatis gratia propter ſimpliciores pauciſſimis idipſum comprobabimus teſtimonijs fide dignis & irrefragabilibus. Quorum primum Chriſti ſit Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quiſquis igitur Petro & ſucceſſoribus eius aduerſatur, is Chriſti quoque Eccleſiæ aduerſatur, & ad regnum eius pertinere non poteſt, ad quod claues Petro dedit. Secundum itidem Chriſti eſto Ioan. 21. Simō Ioannis, diligis me plus his? paſce oues meas. Dixit hæc verba dominus Petro in cæterorum Apoſtolorum conſpectu atque præſentia, eum vnicè alloquens, atque etiam comparatione, dicens (Plus his) à cæteris diſtinguens. Et per hoc clarè indicans, neminem pro oue Chriſti habendum eſſe, aut in grege ouilique eius numerandum, qui nolit paſci à Petro & ſucceſſoribus eius. Tertium ſit Irenæi vetuſtiſſimi ſcriptoris & martyris atque Pontificis Chriſti, qui inter alia permulta, quæ in hæreticos diſſerit, ſic ait: Ad hanc (Romanam ſcilicet) Eccleſiam, propter potentiorē principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes qui ſunt vndique fideles. Hinc ſanè ſequitur, eos non eſſe verè fideles, qui ad Romanam Eccleſiam conuenire nolunt. Quartum ſit Ambroſij nobiliſſimi authoris & Archiepiſcopi, qui fratris ſui Satyri geſta narrans, inter cætera ſic refert: Aduocauit ad ſe Epiſcopum, percontatuſque ex eo eſt, vtrùm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Rom. Eccleſia conueniret. Nō enim putauit fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga DEI Eccleſiam non tenerent, cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Quintum ſit Auguſtini, ex eius contra epiſtolam Manichæi libro: In Catholica (inquit) Eccleſia, vt omittam ſynceriſſimam ſapientiam (ad cuius cognitionem pauci ſpirituales in hac vita perueniunt) multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant: tenet conſenſio populorum & gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcēdas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tā multas hæreſes ſic iſta Eccleſia (Romana videlicet) ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærēti tamē peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur,

Septē de Romana Eccleſia teſtimonia. 1.

2.

3. Irenæus libr. 3. ca. 3.

4. Amb. de exceſſu fratris, cap. 7.

5. Auguſt. ca. 4

Q nul-

nullus hæreticorum ad baſilicam ſuam & domum audeat oſtendere. Sextum ſit ex publicis Romanorum Imperatorum legibus, quæ *C. de ſumma Trin. l. 1. et l. Nos reddentes.* in primo Codicis titulo referuntur. Inter quas vna Inſtiniani ad Ioannem Papam ſic habet: Ideoq́ue omnes ſacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire ſedi veſtræ ſanctitatis properauimus, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Septimum
7. ſit ipſiuſmet Lutheri, qui omnium ſchiſmatū & defectionum huius temporis primus, & præcipuus eſt author. Is autem in medio furoris ſui curſu, vbi contra Anabaptiſtas teuthonicè ſcripſit, inter cætera ſic ait: Fatemur nanque ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianum. Dico inſuper (ait) ſub Papa veram eſſe Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis. Hinc itaque ſequitur, eos, qui ſub Papa ſeu Papatu eſſe nolunt, reipſa nihil habere de bonis Chriſtianorum, & ad veram Chriſtianitatem non pertinere. Hæc pauca teſtimonia ſufficiunt vtique omnibus, qui aures audiendi habent, & quibus animarum ſalus curę eſt. *Prou. 18.* Qui autem in profundum malitię venerunt, omnia contemnunt, etiamſi mille aduerſus ſe teſtimonia producta eſſe viderent. De quibus queritur Pſalmiſta dicens: *Pſal. 35.* Nolunt intelligere vt bene agerent. His itaque tanquàm potioribus & ad ſalutem neceſſarijs, fideli admonitione præmiſſis, ad verboſas Apologiæ prolixitates breuiter reſpondebimus. Primùm igitur iniquè ac petulanter Sycophantas vocat Theologos, qui reſponderant in Eccleſia *Eccleſia militans et triumphans.* eſſe bonos & malos, ſicut in area triticum & paleas, ne quis putaret ſanctos duntaxat in Eccleſia eſſe, eò quòd Confeſſio dixerit: Eccleſiam eſſe congregationem ſanctorum. Eam autem illorum admonitionem non fruſtrà, nec abſque cauſa factam eſſe, cognoſcit Lector ex eo facilè, quòd Apologia multa producit ſcripturæ loca, quæ non militanti (in qua boni & mali ſunt) ſed triumphanti, (in qua malis locus non eſt) conueniunt. Ea præſertim, quæ ex Pauli epiſtola ad Epheſios, cap. 5. profert. Neceſſarium itaque fuit, à Theologis adduci ex ſcripturis alia loca, quæ conueniunt militanti, qualia ſunt Matth. 3. 13. & 25. cap. de area, in qua ſunt paleæ tritico permixto: de ſagena, in qua ſunt piſces boni & mali: de agro, in quo ſunt cum tritico zizania: de virginibus, inter quas quinque ſunt fatuæ, & quinque prudentes, &c. *Vnitas eccleſiæ.* Deinde non rectè ait Confeſſio, quòd ad veram vnitatem Eccleſiæ ſatis ſit conſentire de doctrina Euāgelij & adminiſtratione ſacramentorum. Nā Schiſmatici in ipſo cum Catholicis conſentiunt. Ad Eccleſiæ autem vnitatem non pertinent, quia Eccleſiam per ſchiſma ſcindunt, quantum in ſe eſt. Niſi igitur adſit obedientia erga ſummum Eccleſiæ Paſtorem & Pontificem, non ſufficit ad Eccleſiæ vnitatem conſenſus in doctrina & ſacramentorum adminiſtratione. Quemadmodum grauiter ac prolixè declarat in pleriſque epiſtolis Cypri- *Cyprian.* anus, copioſiſſimè verò in eo tractatu, quem de ſimplicitate Prælatorum inſcripſit. Ideò enim Chriſtus vnum conſtituit ouium ſuarum paſtorem Petrum præ cæteris Apoſtolis, vt ſciremus Eccleſiæ vnitatem dependere ab vno paſtore ſupremo, cui omnes alij per obedientiam coniungerentur, ne vlla eſſent inter Eccleſiæ membra, ſchiſmata. Vndè & *Hieronym.* Hieronym. rectè ait contra Luciferianos ſic: Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate ac veneratione conſiſtit: cui ſi non exors quędam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Qui & in alio loco, nempe in quadam ad Damaſum Papam epiſtola ſic ait: Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſeo conſulendam. Ego nullum primum, niſi CHRISTVM ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Hæc Hieronym. cui & ſupradicta Ambroſij & Auguſtini verba conſentiunt & alludunt. Quibus & tota adſtipulatur Eccleſia. Interim verò in ſectis nouis, neque in doctrina, neque in Sacramentorum adminiſtratione conſenſum vſpiam ſtabilem ſeruari videmus. Sed obijcit nobis in *Malignè allegans.* Apologia Philippus quædam verba Hieronymi, non indicans locum, vbi quæri aut inueniri debeant. Quaſi verò facilè ſit cuilibet Lectori, vel omnia memoriter retinere, quæ ſcripſit Hieronymus, vel omnia eius opera inquirendo reuoluere. Vtitur autem iſta improba malignitate perſępè, in Auguſtini quoque & Ambroſ. Chryſoſtomiq́ue allegationibus. Epiphanij item, & aliorum id genus Eccleſiæ Doctorum, qui permulta & ampla ſcripſerunt volumina. Idq́ue facit (vt ſuſpicamur) ne Aduerſarij deprehendant corruptè aut peruerſè aliquid allegatum eſſe, néue citò percipere queant, quid ea verba, quæ ipſe obijcit, præcedat, & quid ſequatur, ex quibus poſſit genuinus allegationis ſenſus liquidò cognoſci. Verba itaque Hieronymi, quæ allegat, ſic habent: Qui ergò peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia CHRISTI nō poteſt appellari, nec Chriſto ſubiectus dici. Et conſimili dexteritate, imò fraude & improbitate allegat gloſam, neſcio quam, ex grādi volumine Decretorum, dicens: Et in De-

eretis inquit gloſa: Eccleſiam largè dictam cõplecti bonos & malos. Item, malos nomine tantùm in Eccleſia eſſe, non re: bonos verò, re & nomine. Ad hæc dicimus, non omnes *Qui mali ſint extra eccleſiam.* peccatores aut malos ab Eccleſia excludi. Si enim diximus nos peccatum non habere, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, vt in- *1. Ioan. 1.* quit Ioannes Apoſtolus. Dicimus nanque in *Matth 19.* Eccleſia quotidiè benè & rectè: Dimitte nobis debita noſtra & ipſe dominus ait: Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus. Excluduntur autem ab Eccleſia Chriſti, ij peccatores & mali, infideles ſcilicet, qui non ſunt Chriſto per baptiſmũ incorporati: quales ſunt Iudæi, Turcæ, Pagani, item Hæretici, Apoſtatæ, Schiſmatici, qui relicta fide Eccle- *Eccleſia viuũ corpus Chriſti.* ſiæ, mendacia ſequuntur. Rurſus ait Philippus: Neceſſe eſt Eccleſiam definiri, quæ eſt viuum corpus Chriſti, quia regnum Chriſti eſt iuſtitia cordis, & donatio ſpiritus ſancti, non externa politia. Dicimus ſanè & nos, Eccleſiã eſſe viuum corpus Chriſti, quod ſpiritu Dei viuificatur & regitur. Sed non oportet omnia eius membra viuere vita charitatis, & gratiæ gratum facientis: alioqui non eſſent Eccleſiæ membra ij, qui mortaliter peccãt in Eccleſia. Intelligitur itaque vita membrorum ſecundum diuerſa dona ſpiritus, ad vtilitatem totius corporis data. De quibus ait Apoſtolus ad Rom. 12. Habentes donationes, ſecundum *1. Cor. 12.* gratiam quæ data eſt nobis, differentes. Et ad Corinth. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpirit⁹ ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, & cæt. Viuunt igitur Eccleſiæ membra per ſpiritum ſanctum, ſecundum diuerſa eius dona, quorum alia ſunt ex gratia gratum faciente, alia ex gratia gratis data, per quam ſuum peragunt in Eccleſia miniſteriũ ad vtilitatem totius corporis. Ampliùs obijcit Philippus in Apologia: Regnum Chriſti diſtinctum eſſe contra regnum diaboli: impios autem pertinere ad regnum diaboli: ideò non pertineant ad Eccleſiam, quæ eſt regnum Chriſti. Ad hæc dicimus, impios generaliter dici omnes, qui contra Deum mortaliter peccant, non tamen pertinent ſtatim ad regnum Diaboli, qui in Eccleſia mortaliter peccant, quandiu ſub vno Paſtore in Eccleſię vnitate manent. Non enim plenam in eos poteſtatem habet diabolus, ſicut habet in infideles aut hæreticos, & alios ab Eccleſia eiectos, & ſatanæ traditos. Qui autem intra Eccleſiæ ſepta manẽt, licèt per peccatum mortale charitatem amiſerint, habent tamẽ adhuc fidem & ſocietatem in ſacramentis & ritibus, cũ reliquis Eccleſiæ membris, quorum opitulati- *Ezech. 18.* one gratiam & remiſſionem peccatorum cõſequi faciliùs poterunt, quibus ait dominus per Ezechielem Prophetam: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus peccatis veſtris, & nõ erit vobis in ruinam iniquitas: quia nolo mortem morientis. Reuertimini & venite. Non eſt igitur mox diaboli regno addi- *Ephe. 5.* cendus is, qui in Eccleſia mortale perpetrat peccatum, ſed dicit ei Apoſtolus: Exſurge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Ait vlteriùs Philippus, qui Apologiæ au- *Platonica ciuitas.* thorem ſe dicit: Neque verò ſomniamus nos Platonicam ciuitatem, vt quidam impiè cauillantur, ſed dicimus exiſtere hanc Eccleſiam, videlicet verè credentes, ac iuſtos ſparſos per totum orbem. Et addimus notas, puram Euangelij doctrinam & ſacramenta. Et hæc Eccleſia propriè eſt columna veritatis. Hæc ille. Nos verò Catholici ad hæc dicimus, eos verè ſomniare Platonicam ciuitatem, dum approbant Lutheri ſui ſententiam, dicentis: *Lutherus de abroga. miſſæ priuata.* Quis Eccleſiam illam nobis monſtrabit, cùm ſit occulta in ſpiritu, & ſolùm credatur, ſicut dicimus: Credo Eccleſiam ſanctam. Et Philippus facit hic Eccleſiam omnes abſque paſtore, multitudinem vagam ſub nullo in terris capite vnitam. Neque tamen veretur talem dicere columnam veritatis, cui & arrogat puram doctrinam Euangelij & Sacramenta. Quaſi non fuerit anteà purè prædicatum *Lutherus in ſerm.* Euangelium, ſicut impudenter alicubi gloriatur Lutherus, etiam Apoſtolorum temporibus non fuiſſe tam clarè prædicatum Euan- *Eccl. 1.* gelium. Sed ad hæc dicimus: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ nanque ſectarum *Arrogantia ſectarum.* non arrogat ſibi ſimilia? Nam quo iure arrogant ſuæ ſectæ Lutherani puram doctrinam & ſacramẽta, eodẽ iure arrogant ea ſibi Zuingliani, Picardi, Anabaptiſtæ, & aliæ ſectæ acephalæ. Chriſtus autem noluit oues ſuas ita ſine paſtore vagari, proinde diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, conſtituit eis paſtorẽ Pe- *Ioan. 21.* trum, ſub cuius cura, & poteſtate clauium omnes eſſe debeant, quicunq; pro Chriſti ouibus haberi volunt.

Quæ vlteriùs in aduerſarios ſubiungit Philippus, meræ ſunt calumniæ, quas probare nunquam poterit, ideò reſponſione non indigent. Quæ verò de traditionibus affert, cõmodiùs diſcutientur infrà circa Articulum vigeſimum, vbi de illis præcipuè tractatur.

Ioannis Hoffmeiſteri Articuli octaui diſcuſſio.

ET hunc Articulum ſeriò haud dubiè ꝓbauerunt Noſtri, ſicut & meritò debuerunt. At quomodo hic Articulus cum alijs aduerſariorum dogmatis cõueniat, ſolerter iudicandũ eſt. Nos omnia candidè examinabimus. Primũ itaq; omniũ ad ſeptimi & octaui Articulorum maiorẽ dilucidationẽ fa-

cere videtur, ſi hic adnotauerimus, an mali ſint in Eccleſia, & quomodo ſint in Eccleſia, ſiue de miniſtris Eccleſiæ, ſiue de alijs in genere, qui Chriſtiano cēſentur nomine. Et Apologia quidē, quod ad hoc negotiū attinet, nihil diſſimulauit, ſed rem planè expoſuit, vt hic forſan à multis actum agere videar. Sed paucis me hic expediam. D. Auguſt. lib. 7. contra Donatiſt. cap. 51. docet, eſſe in domo Dei, ſeu eſſe in Eccleſia, biſariam dici: vno modo eſſe in ea, tanquam membrum in compage iuſtitiæ, particeps videlicet ſpiritualis vitæ, hoc eſt, cohærens cæteris membris in ſpiritu charitatis. Alio modo eſſe in Eccleſia, eſt adhærere membris Eccleſiæ, ſicut palea tritico. Sic omnes qui habentur tanquàm Sacramento fidej viſibiliter adſcripti Eccleſiæ, ſecundum pacem quandam, corporaliter cū Chriſtiano populo conuerſantes, dicuntur eſſe in Eccleſia, donec vel iudicio Eccleſiæ ſeparentur, vel ſua ſponte exeant, ipſam Eccleſiam contemnentes, & perſequentes. Hæc ex ſententia D. Auguſtini, qui eadem multis in locis contra Donati hæreſim ſcripſit. Eſt & in locis poſterioribus Philippi eadem ſentētia, quam non grauabor adſcribere. Sic autem loquitur: Eccleſia in ſcripturis interdum in genere ſignificat cōgregationem omnium, qui profitentur Euangelium, & non ſunt excommunicati, in qua promiſcuè boni & mali ſunt ſicut ſcriptum eſt: Simile eſt regnum cælorū
Matt. 13. ſagenæ miſſæ in mare. Verum eſt enim, malos non excommunicatos membra eſſe Eccleſię, ſecundum externam conuerſationē, & ſigna exteriora. Sed Eccleſia propriè & principaliter ſignificat congregationem iuſtorum, qui verè credunt Chriſto, & ſanctificantur ſpiritu Chriſti. Hactenus ille, & quidem iuxta fidem Eccleſiæ Catholicæ. Adijcit deinde certas notas (ſic enim loquitur Philippus) veræ Eccleſiæ, purum verbum Dei, & legitimum vſum Sacramentorum. Sed de his auditum eſt. Iam de adminiſtratione Sacramētorum, opinor, nulla erit digladiatio, de hoc, inquam, quod dicunt ſacramenta efficacia eſſe, etiamſi per malos adminiſtrentur: nam & hanc diſputationem magno labore, nec minori cum laudē abſoluit iam olim D. Auguſtinus, addens etiam hoc; extra Catholicam Eccleſiam nonnunquam vera haberi Sacramenta, ſed extra Eccleſiam neque ſalubriter neque vtiliter haberi. Sacramenta, inquit, tam debita veneratione proſequimur, vt ea, etiamſi ab indignis tractata fuerint, illis ſua peruerſitate damnatis, illa intemerata ſanctitate permanere demonſtremus. Et alibi: Nihil prodeſt hęreticis ad ſalutē, quod extra Eccleſiam verum baptiſmum per ignorantiam & tradunt, & tenēt, imò & obeſt ad damnationem, quod in ſacrilega iniquitate erroris humani, etiam diuini ſacramenti, non per quem mundentur, ſed per quem ſeuerius iudicentur, detinent veritatem. Hæc ille de vnico baptiſmo cap. 6. Sed longè explicatius loquitur contra Donatiſt. lib. 5. cap. 21. Sacramentum gratiæ, inquit, dat Deus per malos, ipſam verò gratiam non niſi per ſeipſum, vel per ſanctos ſuos. Et hactenus quidem D. Auguſtini, vel potiùs Eccleſiæ Catholicæ, cuius ille interpres eſt, ſententiam ſuper hoc negocio recenſuimus: nec opus eſt, vt in re non dubia vtamur teſtibus non neceſſarijs. Ex Græcis ſi lubet audi Chryſoſtomi ſimiam, Theophylactum illum: Per ſacerdotes, inquit, etiamſi indigni fuerint, operatur gratia, & ſanctificantur omnes, etiamſi indignus fuerit ſacerdos. Hæc ille in Lucæ cap. 9. Paria inuenire licebit in Nazianzeni orat. in S. Lauacrum. Quod vero ad vim & efficaciam ſacramentorum attinet, vereor Eccleſiæ parùm cum Aduerſarijs conuenire: tùm ob Lutheri aliquot paradoxa, & illa tam priora, quā poſteriora: tū etiā ob Marpurgenſe colloquium, quod Butzerus examinat. Verum examinemus & trutinemus, quod iſti ſcribunt: Sacramenta propter ordinationem & mandatum CHRISTI eſſe efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Iam ſi per verbum & mādatum Chriſti efficacia ſunt, quæſtio ſuboritur, in quibus vel qualibus vim ſuam exerāt? an citra omne diſcrimen tam in bonis, quàm in malis? an verò tantum in bonis? Si in bonis tantùm, ergò malorum malitia, vis & efficacia ſacramentorum caſſatur. Si in bonis & malis indifferenter & indiſcriminatim, cauendū eſt, ne Apologiæ architectus in eum incidat errorem, cuius Scholaſticos inſimulat, videlicet de opere operato. Eſt & alia quæſtio, ſcilicet, quomodo intelligi debeat, quòd aiunt de vi & efficacia ſacramentorum, an iuxta doctrinam Auguſtini, qui ponit diſcrimen inter ſacramentum & rem ſacramenti: nam eò reſpexit, opinor, Lutherus, quando in poſterioribus lucubrationibus exſertè affirmat, corpus Chriſti verum ac reale, verè ſumi, non tā à pijs, quàm ab impijs. Iuxta vulgatam cantionem: Mors eſt malis, vita bonis, &c. Hoc autem hactenus inter Lutherum & Sacramentarios controuertitur. Et Lutheri dogma eſt: Baptiſmum non eſſe efficacem propter accipientis fidem, ſed propter verbum Chriſti: Sic enim non vno in loco tantùm contra Catabaptiſtas docet. Si iam par ratio eſt ſacramentorum, quod quidem ad ipſorum vim & efficaciam attinet, hoc eſt, vnde ea habeant, nec Euchariſtiæ vis in ſumentis fide, ſed in verbo Dei conſiſtit: quid hic diſſimulem, iudicare poteſtis. Addam & tertiam quæſtionem, de vi & efficacia ſacramentorum: An ſacramenta poſt conſecrationem eandem habeant vim & efficaciam extra vſum, quam ha-

Vide Auguſt. lib. 2 contra epiſt. Parm. capite 11. Et contra Creſconium Grammat. lib. 2. cap. 10.

bent in in[illegible] Oecolampadius ſymb[illegible]un[illegible]hil differre ab aliJs ex[illegible]nquam quæritur, num bap[illegible]zato iam infante, eandem vim [illegible]cat, quam habuit dum baptizaretur in[illegible] An ne ſit aqua communis ſicut alia, q[illegible]d publicum vſum domus pertinet? Sed d[illegible]hoc non eſt magna quæſtio, maior eſt quæ ſequitur: Num panis ſemel conſecratus, qui adminiſtrato ſacramento, hoc eſt, perfecta cómunione reliquus manſit, verè ſit corpus Chriſti, an ne panis communis? Idem de calice ſanguinis intelligo. Videmus enim id, quod reliquum eſt, apud Aduerſarios in cophino & lagena, poſt adminiſtrationem ſacramentorum, & dubiam cœnam, citra diſcrimen, citra omnem reuerentiam in priuatum vſum miniſtrorum cedere. Quid ad hæc reſponſuri ſint Aduerſarij, neſcio: ſed quid olim reſpóderit ad huiuſmodi ſacrilegium, & ſacramentorum profanationem D. Cyrillus, ſatis ſcio. Et vt etiam tu ſcias, illius verba ſubijcere non grauabor: Audio quod dicunt, ait ille, myſticam benedictionem, ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationé inutilem eſſe: Sed inſaniunt hæc dicentes: Nó enim alius fit Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutabitur: ſed benedictionis virtus & viuifica gratia perpetuò manet in illo. Hæc ille ad Caloſyrium Epiſcopum. De Baptiſmi aqua alia eſt ratio, hoc quod diligenter à Scholaſticis tractatum & diſcuſſum eſt. Ex iam tracta quæſtione manat alia, quam breui[illegible]s in medium adducemus: Quidam ex veſtris docere conantur, illis tantum porrigi, ſiue vt illi loquuntur, exhiberi corpus Chriſti, qui credunt ſibi à miniſtro illud ipſum porrigi. Quæſtio igitur eſt, quid nam illud ſit, quod miniſter, Cœnæ præſes, in manibus tenet, prolatis quidem Chriſti verbis, ſed adhuc ignorans credátne an non, qui illud ſuſcepturus eſt? Quid ſi ſuſcipiens non crederet verum Domini corpus Chriſti in manibus miniſtri contineri: alius verò adſtans firmiſſimè crederet, ibi verè porrigi corpus Domini, non quidem ex ſuſcipientis fide, ſed ex domini verbo & ordinatione? Dic, amabò dic, quid nam illud ſit, quod in manibus miniſtri continetur? Placet ergò quod Apologia docet: Sacramenta efficacia eſſe per verbum & ordinationem Chriſti: hoc quod Catholicorum nemo negat: ſed vereor hac de re, ſicut etiam antè dictum eſt, inter Aduerſarios bene conuenire. Cæterùm non dubito, quin inde profluxerit dogma Scholaſticorum, imò totius veræ Eccleſiæ de opere operato, & nó ponendo obice, quod certò affirmarunt, Sacramenta efficaciam & vim ſuam habere ex verbo & ex inſtitutione Chriſti, ſiue nos credamus, ſiue nos non credamus. Hoc eſt, Baptiſmum eſſe lauacrum regenerationis, ſiue eo baptizetur eunuchus ille, ſiue Simon Magus. Sic verum eſſe corpus Chriſti, ſiue illud ſumat Iudas, ſiue Petrus. De vno pane, inquit Auguſtinus, & Petrus & Iudas accepit: & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem: & iterum: Bonum eſt quod accepit Iudas, ſed malo ſuo accepit, quia malè bonum, malus accepit. Et rurſum: Multum intereſt, non quid accipias, ſed quis accipiat: nec quale ſit, quod datur, ſed qualis ſit ipſe, cui datur. Nam & bona obſunt, &c. Hæc ille. Loquimur autem de Sacramenti veritate, non de vtilitate & fructu, qui vel obice remoratur, vel digna præparatione promouetur. At contra hoc videtur Apologia pugnare Articulo 5. quando apertè reijcit præparationes noſtras. Habet enim Butzerus, quod ad noſtrum inſtitutum facit, ad Monaſterien. cap. 7. cui in hoc non reluctamur, quod negat omnes (de adultis autem illum loqui intelligo) qui ſacramenta ſuſcipiunt, etiam ſuſcipere virtutem ſacramentorum, etiamſi verè non credant. Hoc enim iamiam profeſſi ſumus, nos non loqui de virtute, ſed veritate ſacramentorum, quibus tamen gratiam Dei alligatam eſſe nondiximus, quaſi ſine ſacramẽtis neminem ſaluare queat. Facilè ergò ex his videre eſt, quid in hoc Articulo diſcutiendum ſit bonis & doctis Theologis. Nos hunc Articulum breuiſſimis finiemus, quoniam de ſingulis ſacramentis ſinguli reſtant tractatus. Mihi non videntur malè ſapere Scholaſtici, quando docent Sacramenta cauſas eſſe gratiæ, nó quidem ex natura ſua propria, ſed ex immutabili ordinatione diuina. Hoc enim eſt, quod Confeſſio profitetur, Sacramentorum vim & efficaciam eſſe ex verbo & ordinatione diuina. Qui plura velit de ratione Sacramentorum in genere, Scholaſticos legat in 4. ſentiarũ ſtatim ab initio: nos enim ad Articulum nouum accingimur.

Tract. 50. in Ioannem.

Tracta. 61.

Tracta. 62.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus IX. De Baptiſmo.

D*E Baptiſmo docent, quòd ſit neceſſarius ad ſalutem, quodq́ per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quòd pueri ſint baptizandi, qui per baptiſmum oblati Deo recipiuntur in gratiam Dei.*

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant Baptiſmum puerorum, & affirmant ſine baptiſmo pueros ſaluos fieri.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus IX. De Baptiſmo.

DE Baptiſmo docent, quòd neceſſarius ſit ad ſalutem, tanquam cæremonia à Chriſto inſtituta, & quòd per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quòd infantes ſint baptizandi, & quòd infantes per baptiſmum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei & fiant filij Dei, ſicut Chriſtus teſtatur, loquens de paruulis in Eccleſia, Matth. xviij. Non eſt volũtas patris veſtri, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus ex paruulis iſtis.

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſmum infantum, & affirmant infantes ſine Baptiſmo & extra Eccleſiam Chriſti, ſaluos fieri.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad nonum Articulum reſponſio.

NOnus Articulus de Baptiſmo quòd neceſſarius ſit ad ſalutem, & quòd pueri ſint baptizandi, probatur, & acceptatur. Rectéq; damnant Anabaptiſtas, hominum genus ſeditioſiſſimum procul à finibus ſacri Romani Imperij eliminandum, ne inclyta Germania exitialem & ſanguinarium denuo patiatur tumultum, qualem annis abhinc quinq; tot millium hominum clade experta eſt,

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum nonum animaduerſio.

MIrum eſt, cur Philippus in variata Cõfeſſione non ſimpliciter, quemadmodũ in Prototypo, affirmet Paptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſariũ, ſed ita neceſſarium adſtruat, tanquam cæremonia aliqua à Chriſto inſtituta, niſi quia voluit indicare, Baptiſmũ eſſe duntaxat externum ſignum, quo peccata non tam auferrentur, quàm deleri ſignificarentur. Qui error certè fuit Albanenſium, nec tamen eum ſunt veriti reſuſcitare Lutherus in Aſſertionibus articulo ſecundo, & ſermone de Recumbẽtibus. Quin ipſemet Philippus cùm in epiſtolam ad Rom. tùm in locis communibus aſſerit, Baptiſmum neminem iuſtificare. Quod etiam hic damnant Anabaptiſtas, baptiſmum paruulorum improbantes, rectè faciunt, ita enim Catholicos liberant iudicandi moleſtia. Si enim reprehenſionem mereantur diſcipuli prauam doctrinã ſecuti, quid non merebuntur erroris Magiſtri? neq; enim dubium eſſe poteſt, Lutheranos hæreſis Anabaptiſticæ fundamenta poſuiſſe. Siquidem ad Vualdenſes ſcribens Lutherus affirmat, quòd præſtat prorſus omittere baptiſmum in paruulis, quàm baptizare eos ſine fide, quoniam ſacramenta neq; poſſunt, neq; debent ſine fide accipi. Ad eam etiam homo deuenit inſaniam, vt in libro de capt. Babylonica auſus fuerit mutare Baptiſmi formam à Chriſto inſtitutam, & ab Eccleſia receptiſſimam, dicens, ſufficere in quocunq; nomine Dei baptiſmum fieri. Sed væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

Ioannis à Dauentria noni Articuli refutatio.

HVnc Articulũ vt pleroſq; alios à Catholica Eccleſia mutuo acceperũt, & ob hoc nullum nobis faceſſit negotium. Modus autem, quo hunc in Apologia confirmant, pro nobis haud parum militat aduerſus iſtos hydra magis varios. Sic igitur ibi de paruulorũ baptiſmate loquuntur.

Si hic baptiſmus (inquiunt) *irritus eſſet, nullus daretur ſpiritus ſanctus, nulli fierent ſalui, denique nulla eſſet eccleſia. Hæc ratio bonas & pias mentes vel ſola confirmare poteſt contra impias & phanaticas opiniones.*

Diſcis hic probe Lector, vel ex ipſis Aduerſariorum dictis, vniuerſalis Eccleſiæ ritus & conſuetudinem ſufficere ad euincendã hæreſim Eccleſiæ contrariam. Sic enim argumẽtantur ferè: Quia in Eccleſia Catholica ſemper ſunt baptizati paruuli, igitur non poteſt baptiſmus paruulorum eſſe inanis, & baptizandi ſunt paruuli, præſertim cum verè conſtet, vniuerſalem Eccleſiam nunquam in his, quæ ad hominum ſalutem ſpectant, ſpe ſua fruſtrandam. Eadem ratione ſi videre vellent, qua Anabaptiſtarum inſaniam compeſcunt, os ſuum, ne aduerſus Eccleſiam mentiretur, obturare potuiſſent. Illa enim Eccleſia paruulorum baptiſmum approbat, quæ Lutheri errores, quos iſti defendunt, damnat. Pari argumento poſſemus & nos Catholicorum dogma protegere, vt ſic diceremus: Si ſola fides abſque charitate, & abſque vllis bonis operibus iuſtificat: ſi ad iuſtificationem neque conuerſione, neque vera pœnitentia opus eſt: ſi orationes, eleemoſynæ, de peccatis dolor, ſunt ad iuſtificationem inutiles: ſi maiorum ſana decreta: ſi Catholicæ eccleſiæ ſanctiones ſine vllo peccato violari poſſunt: ſi vota monachorũ & monacharũ inania, & nihil ligãt, ſane necdũ Spiritus ſanctus Eccleſiæ adfuit, nemo ante Lutherũ iſtius fidei nouitiæ apportitorẽ ſeruatus eſt. Nã quæ iſti cum ſuo Cory-

Coryphæo dicunt eſſe erronea & iuſtitię inaniſsima, ea hactenus vniuerſalis Eccleſia aduerſus omnes tot hęreticorum machinas infatigabiliter defenſat. Sed robuſtiores nobis ſuppetunt arietes, quibus aduerſa molimina demoliri poſſumus. Hoc tantum additũ ſit, vt videant boni viri, quàm infirma ſint, quibus ſuũ errorẽ ſuperſtruxerũt, fundamenta.

Ioannis Cochlæi Articuli noni diſcuſsio.

Falſa de Anabaptiſtis iactantia.

ARticulus iſte neque in Confeſsione, neque in Apologia habet quicq̃ incommodi, niſi quod Apologia falsò gloriatur, nullos in eorum Eccleſijs fuiſſe Anabaptiſtas. Cum longè verius ſit, eam ſectam ex Lutheri ſcriptis ortum habere, atque adeò ex primo illo Articulo, quem ante annos viginti legitimo examine in pleno Conſiſtorio Romæ damnauit Leo Papa decimus. Sic enim hęretica, licet vſitata, eſſet ſentẽtia, (ſicut affirmat ille Articulus) Sacramenta nouæ legis dare gratiam eis, qui non ponunt obicẽ, eò ꝙ ſola fides iuſtificet, vt Lutherus cũ ſuis male ſentit, pertinaciterq́; contendit: fruſtra baptizarentur paruuli, qui per ſeſe, dum baptizãtur, nihil credunt aut intelligunt, neque de ſacramento baptiſmi, neque de promiſsione Chriſti, neque per infantiam ſciunt, quid ibi cum ipſis agatur aut fiat. Quinimò plorant & reſiſtunt, quantulum per infirma & tenera corpuſculi recens nati membra poſſunt, flebili vagitu repugnantiam ſuam confitentes. Quos tamen pulchrè excuſant ſacri Doctores noſtri, Dionyſius Areopagita, Cyprianus & Auguſtinus, & baptizatos inter fideles rectè cõnumerant. Durus autem paruulorum cenſor & inhumanus iudex Lutherus, nõ ſolùm aſſerit in paruulis baptizatis remanere peccatum, quod verè ſit culpa adhuc & non ſolùm defectus, aut pœna, verum etiam auſus eſt publicè ſuadere, ſi verum ſit, quod infantes non habent fidem, melius fore vt non baptizentur, quouſque fidem acquirãt. Certè ante hanc Lutheri ſententiam de Anabaptiſtarum ſecta nihil prorſus audiebatur, quã ille tam inauſpicato quàm falſo protulit anno Domini. M.D.XII. in hæc ſanè verba: Qui aſſerimus, inquit, paruulos prorſus non eſſe baptizandos, ſi verum eſt eos in baptiſmo non credere, ne illudatur maieſtatis ſacramentum & verbum. Poſtea verò vbi vidit inualeſcere iſtam Anabaptiſtarum ſectam, quæ ſuos adultos rebaptizat, tanquam antea non rectè baptizatos, & paruulos à baptiſmo abſtinet, eò quòd fide careant, ſcribens contra eos, totam hanc de fide & baptiſmo mutauit ſententiam, dicens: ſecuriſsimum baptiſmum eſſe baptiſmum paruulorum, quia non poſſunt fallere ſicut poſſunt adulti. Et congratulatur ſibijpſi, gratias Deo agens, ꝙ paruulus ſit baptizatus ſiue tunc crediderit, ſiue non, quia non ſit defectus in baptiſmo. In fide autem ſemper ſit defectus. Non igitur ſuper fidem, ſed ſuper præceptum Dei debeamus baptizari, quia præceptum Dei ſemper eſt iuſtum & certum, fides autem poteſt deficere & incerta eſſe. Quinimò ait ibi, Eum, qui ſuper fidem ſe baptizari facit, eſſe non ſolùm incertum, ſed etiam idololatram & abnegatorem Chriſti. Cum igitur Anabaptiſtarum errorem & ſectam primus excitauerit ipſe Lutherus, ſaltem occaſionaliter, vanè gloriatur contra Catholicos in Apologia Philippus, quòd in ipſorum Eccleſijs nulli fuerint Anabaptiſtæ: tum quia authores ſectæ non Catholici, ſed Lutherani fuerunt, quando ſic inſanire cœperunt: tum quia in facto & reipſa contrarium manifeſtũ eſt. Conſtat enim & in Saxonia, & in Thuringia, & in Haſsia plurimos paſsim Anabaptiſtas fuiſſe, & carceribus, proſcriptionibuſq́; & exſilijs punitos eſſe.

Dionyſ. de Eccl. Hierar. ca. 7.
Cyprianus in epiſt. ad Fidum
Auguſt. de peccatorum meritis & remiſsione.
Lutherus in Cochlæum
Duæ contrariæ ſententiæ Lutheri de baptiſ. infan.

Ioannis Hoffmeiſteri Articuli noni iudicium

VEnimus iam ad Articulum nonum, in quo cõfitentur Aduerſarij noſtri, quòd Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem, ꝙ per baptiſmum offeratur gratia Dei, ꝙ pueri ſint baptizandi, & ꝙ Baptiſmus puerorum non ſit irritus, ſed neceſſarius & efficax ad ſalutẽ. Hæc omnia mutuati ſunt ab Eccleſia, ideò nihil eſt hic, quod reijciatur. Sed enimuero Aduerſarij hic multa celant, quibus Eccleſię non parum moleſti fuerunt hactenus: videlicet reiectionem & contemptum eorum, quæ ad ſolemnitatem & decorem Baptiſmi, ei à pijs addita ſunt, & à nobis in hunc vſque diem piè & vtiliter obſeruantur. Certè Eccleſia illa, cui Pædobaptiſmum acceptum referunt, etiam docuit nos vti ad decorem tãti ſacramenti Chriſmate, oleo, ſale, ſputo, & id genus alijs cæremonijs, ſicut veterum Doctorum monumenta teſtantur. Quare ergò hæc reijciunt Aduerſarij? Zvvinglius teſtatur illorum vſum fuiſſe inter exordia Eccleſiæ. Et alibi idem atteſtatur, ea, quæ Baptiſmo addit Papa, illum non vitiare. Et Bucerus fatetur, illarum cæremoniarum, adhuc apud aliquot Eccleſias, pium eſſe vſum. Hæc ſi iſti ex animo ſcribunt, non poſſum ſatis mirari, quid ipſis in mentem venerit, ſic cœlum terræ miſcere. & quæ pia ſunt temerè reijcere, non ſine ingenti piorum offendiculo. Nam quæ de ſuperſtitione dicunt, firma non ſunt. Si enim ſuperſtitio eſt illis, conſuetis cæremonijs vti tanquam neceſſarijs: non poteſt non eſſe ſuperſtitio res illas tanquam Baptiſmo remorarias, & quæ huic virtutem ſuam adimere poſsint, reijcere. Si quorundam ſuperſtitio eius tur-

bæ cauſam dedit, vt quid non docuerunt verum eius rei vſum, Concionatores nimirum in hoc conducti? Sed paucis, quæ velim accipe. Quod ad ſubſtantiam, vim, & efficaciam Baptiſmi attinet, Zvvinglianos habent aduerſarios, & quidem capitales, ſicut hoc ipſum teſtantur horum libri, elenchus, epiſtolæ, & quæ ad Rhegium: item Synodus Bernen. & alia, quæ recéſere ſuperuacaneum eſt. Quod verò ad ceremonias nó minus pias quàm vetuſtas ſpectat, Eccleſiam Catholicā habent aduerſariam, ſi modò alicuius momenti fuerint Eccleſiæ columina, priſcos dico Patres, Chryſoſt. Auguſtinum, Dionyſium, Hieronym. & eius notæ alios innumeros. Cæterùm quoniam de cæremonijs nobis reſtat proprius Articulus, quæ dicenda forent, in ſuum locum reſeruemus, ad ſequentem Articulum decimum, qui eſt de Euchariſtia accedentes.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus X. De Cœna Domini.

DE Cœna Domini docent, quod corpus & ſanguis domini verè adſint & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini, & improbant ſecus docentes.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XI. De Cœna Domini.

DE Cœna Domini docent, quod cùm pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti, veſcentibus in Cœna Domini.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad vndecimum Articulum reſponſio.

DEcimus Articulus in verbis nihil offendit, quando fatentur in Euchariſtia poſt conſecrationem legitimè factam, corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter & verè adeſſe, ſi modò credat ſub qualibet ſpecie integrum Chriſtum adeſſe, vt non minus ſit ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis per concomitantiam, quàm eſt ſub ſpecie vini, & ediuerſo. Alioqui in Euchariſtia corpus Chriſti eſſet mortuū & exſangue, contra S. Paulum: Qui Chriſtus reſurgens ex mortuis, amplius non moritur. Ro. 6. Adijcitur vnum, tanquam ad illius Confeſſionis valde neceſſariū, vt credant Eccleſiæ potius, quàm nonnullis aliter malè docentibus, omnipotenti verbo Dei in conſecratione Euchariſtiæ ſubſtantiam panis in corpus Chriſti mutari, ita enim in Concilio generali definitum eſt, c. Firmiter de ſumma tri. & fide Catholica. Laudantur itaque quòd Capharnaitas, veritatem corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti in Euchariſtia negantes, damnant.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimum animaduerſio.

PHilippus in Apologia articulo ſecundo vehementer Catholicis Principibus eorumq́ue doctoribus indignatur, φ ſententiā eorum, quæ fortè in Confeſſione latina incommodius erant expreſſa, ex germanico exemplari non repetierint. Inde enim potuiſſe luculenter conſtare affirmabat, quid de peccato originali ſentirent. Quare ne ſua tela ab ipſis inferis in nos etiam eiaculetur, non grauatè huius Articuli Prototypum latinum, ad eandem Confeſſionem germanicam reuocabimus, q̄ ad verbum ſic hunc Articulum interpretatur: De cœna domini ſic docetur, φ verum corpus, & ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpecie panis & vini in cœna præſens ſit, & ibi diſtribuatur ac ſumatur. Iccircò & reijcitur doctrina contraria. Modú igitur, quo corpus & ſanguis Chriſti in cœna Dñi verè adſunt, licèt non exprimat Cōfeſſio latina, tamen exemplar germanicú ꝓpter rudiores, eum noluit eſſe obſcurum, ſignificans corpus & ſanguinem Chriſti non ſub ea forma hic exhiberi qua in cruce, vbi lineamenta veri hominis, Dei filius viſenda proponebat, ſed ſub ſpecie panis & vini, ne, vt ſcriptores Eccleſiaſtici tradunt, cruenta hoſtia horrorem ſumere volentibus incuteret. Hæc cum ita ſe habeant, cur iſte Lothurnus Saxonicus nos ad alias vias reuocat? Cur hic ex germanico exemplari, latina non interpretatur? Cur ad extremú verba Cōfeſſionis mutat & ꝑuertit? Sed ita voluit inſidioſa vulpes Catholicę eccleſię ſententiam ſenſim eſſe oppreſſam. Luthero verba Saluatoris, de ꝑſentia ſui corporis & ſā guinis in Euchariſtia erāt manifeſtiora, q̄ vt eam negare auderet, ſed Melanchtoni nó defuit malitia, vt eam rem perficeret, tandemq́; ad illos accederet, quos Elias germanic⁹ velut inſatanaſiatos, & perſatanaſiatos códe mnaſſet. Nam Caluiniſtæ & Zvvingliani toties à Cófeſſionis Auguſtanæ propugnatoribus condem-

condemnati,ſuum dogma Sacramentarium volunt iam etiam eſſe Articulo hoc decimo inclufum,reſpicientes ſcilicet ad eam variationem,quam Melanchthon anno 1540. molitus eſt,vt Tranſſubſtantiationem & veritatem corporis & ſanguinis Chriſti cum Zvvinglianis & Caluiniſtis negaret. O impietatem, ô impudentiam: Ipſemet in Apologia non modo Latinorum,verumetiam Græcorum ſententiam de tranſſubſtantiatione, & mutatione panis in verum Chriſti corpus confirmat,& tãdem eò relabitur, vt illud ipſum negare audeat. Deinde vt ſententiam Principum, qui in varijs Comitijs Zvvinglianos ſeu Sacramentarios condemnarant, ſe pro nihilo ducere oſtenderet, eraſit tandem ex hoc Articulo vltimam clauſulam, qua affirmabatur omnes illos improbari,qui doctrinam fidei Catholicæ de Euchariſtia peruerterent. Ita ille luſitauit in re omniũ maxima, veteremque Germanorum conſtantiam ad ſuum nutum,nunc in hanc, nunc in illã opinionem transferre cum ipſorum ſummo dedecore ſtuduit. Quid igitur Chriſtianus veritatis ſtudioſus inter tot opinionum portẽta iactatus,hic tãdem aget? Suggerat ipſemet Apoſtolus cõſilium: Non ſimus, inquit,paruuli fluctuantes,& circumferamur omni vẽto doctrinæ in nequitia hominum,in aſtutia ad circumuentionem erroris. Epheſ. 4.

Ioannis à Dauentria decimi Articuli refutatio.

IN hoc Articulo nihil eſt,quod te offendere poſsit,nã quadrat Euangelio & doctrinæ Catholicæ. Condemnat etiãnum Oecolampadianos,Zuuinglianos, & totam Anabaptiſtarum impudicam colluuiem.

Ioannis Cochlæi decimi Articuli diſcuſsio.

ETſi breuis eſt iſte Articulus in verbis, multa tamen in eo deſideramus. Comperimus enim fœdam ibi exemplarium varietatem, aut fraudulentam data opera (vt ſuſpicari licet) verborum mutationẽ in Confeſsione,quemadmodum in via Præparatoria clare oſtenſum & declaratum eſt. In Apologia verò turpiter contradicit ſibijpſi Philippus: Nam bis ibi dicit,quòd corpus & ſanguis Chriſti verè exhibeãtur cum illis rebus quæ videntur,pane & vino. Interim tamen allegat ex Catholicis authoribus, panem & vinum mutari: Id enim teſtatur (inquit) Canon Miſſæ apud Græcos,in quo apertè orat Sacerdos,vt mutato pane, ipsũ corpus Chriſti fiat. Et Vulgarius,ſcriptor non ſtultus,diſerte inquit,panem non tantum figuram eſſe,ſed vere in carnem mutari. Hæc ibi.

Philippus ſibupſi contrarius.

Quid ergo dicemus nos ad hæc aliud, quã quod prædixit S. Iacobus,vbi ait: Vir duplex animo inconſtãs eſt in omnibus vijs ſuis. Itẽ: Vbi eſt zelus & contentio,ibi Inconſtantia,& omne opus prauum. Verè nãque Zvvingliani ſunt ac planè hæretici, quicunque Tranſſubſtantiationem pertinaciter negant, tum quia manifeſte determinationi & ſententiæ Eccleſiæ Catholicæ contradicunt: quandoquidem ipſamet Apologia fatetur, non ſolũ Romanam,ſed & Græcam Eccleſiã docere, panem mutari in carnem ſeu corpus Chriſti: hoc eſt autem Tranſſubſtantiari: tum quia ſine tali mutatione neque adeſſe poteſt ſubſtantialiter corpus Domini,neque verificari ſacratiſsimum illud verbum Chriſti: Hoc eſt corpus meum. Nunquam enim vere dici poteſt: Hoc,id eſt,hic panis naturalis ſeu materialis (quem piſtor fecit) eſt corpus Chriſti, ſicut ſtultè & impiè contendit affirmare Lutherus, friuole negans Tranſſubſtantiationẽ. Proinde,etſi verbis prolixe diſputauit cõtra Zuinglium & Oecolampadium, re tamẽ ipſa cum eis ſentit & colludit. Et ſectatores eius eò tandem demẽtiæ peruenerunt, vt nolint amplius Euchariſtiam adorare, quia impiè docuit Lutherus, tutius eſſe non adorare quàm adorare, & apertè negauit concomitantiam. Et iam demum eò vſque in furore ſuæ impietatis proceſſerunt, vt negẽt corpus Chriſti in hoſtia conſecrata extra altaris vsũ permanere. Proinde falſo & impiè vocant nos idololatras, ꝙ corpus domini in hoſtia conſecrata retinemus in ciborijs pro cõmunicandis infirmis, aut quando illud honorificè in Monſtrantijs & proceſsionibus circũferimus. Vindicat enim nos ab iſta eorum calumnia ipſamet veritas, vbi ait: Cælũ & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Cùm igitur verba eius verè ſint ſuper hoſtiam conſecratam prolata, nequaquam poſſunt vanè & ſine affectu tranſire, aut in nihilum redigi.

Iacob. 1. & 3

Extra de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Ex Conc. Lateranen.

Hoc eſt corpus meum.

Lutherus ad Vadenſe. Idem contra Epiſcopum Miſnenſem.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper decimo Articulo, iudicium.

IN hoc igitur Articulo confitentur Aduerſarij nobiſcum, ꝙ in cœna verè & ſubſtãtialiter adſint corpus & ſanguis dñi noſtri Ieſu Chriſti: & verè exhibeãtur cũ illis rebus quæ videntur, pane & vino: Et eius fidei adducũt teſtes Eccleſiã Græcam, Patres itẽ tam Oriẽtis ꝗ Occidẽtis. Hac porrò in re niſi fortè nobis verborũ ſimilitudine imponere velint, non Eccleſiam Catholicã, ſed Sacramẽtarios & Anabaptiſtas habẽt hoſtes, & his ipſis diebus, vtcunq; tergiuerſentur, vtcũq; interpretationes cõminiſcantur, vtcunq; retractẽt, fugite, ô pueri, ait ille. Quod verò dico, ipſos nõ habere Eccleſiã aduerſantẽ, non reſpicio ad priora illorum ſcripta, id ꝙ non ſemel teſtati ſum, ſed ad hũc Cõfeſsionis libellũ, vbi dicũt, Corpus & ſanguinẽ Dñi verè exhiberi cum illis rebus ꝗ vidẽtur, pane & vino. Hoc

enim

enim intelligo illos velle, quod noſtri dicũt, ſub ſpeciebus panis & vini verè exhiberi corpus & ſanguinem Domini. Ad hãc interpretationem me duxit, quod Apologia Cyrillũ præcipuè nominat, & Græcam Eccleſiam in teſtem vocat. Quis autem neſciat Cyrilli ſententiam in hoc auguſto & ſacroſancto negotio? Quid Chryſoſtomus & huius abbreuiator Theophylactus; quid Ambroſius, quid Ioannes Damaſcenus docuerint, tot tantorũ virorum lucubrationes clamant. Chryſoſtomi interpres tranſmutationem, Theophylacti verò tranſelementationem in Euchariſtia habet. D. item Ambroſius in libris de Sacramentis (qui etiam ipſi Philippò probâtur) apertè tranſmutationis meminit. Sic Damaſcenus non ſemel tantum ſcribit, quòd panis & vinum tranſmutatur in corpus & ſanguinem Domini, ſed hoc modo inſcrutabili. Nihil enim amplius cognoſcimus, quàm quod verbum Dei verum eſt, & efficax, & omnipotens. Collegit ipſe Philippus Patrum ſentẽtias ſuper Euchariſtia, ad quas pium lectorem remitto. Exſtât item lucubrationes piæ & eruditę DD. Guitmũdi, & Algeri, à quibus hoc negotium exactiſſimè tractatur. Quod ad ſacrificij rationé attinet, quando de Miſſa diſputatio inſtituenda venit, copioſius diſputabimus. Ego in puris & ſanis Articulis excutiendis, ſicut hactenus, breuiſsimè me expediam. Det Dominus, vt quod voluit ſummæ concordiæ eſſe ſymbolum, nullas poſthac inter Chriſti fideles excitet diſcordias. Amen.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XI. De Confeſsione.

DE Confeſſione docent, quod Abſolutio priuata in Eccleſiis retinenda ſit; quanquam in Confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio: eſt enim impoſſibilis, iuxta Pſalmum, Delicta quis intelligit.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XI. De Confeſſione.

DE Confeſſione peccatorum docent, quod Abſolutio priuata in Eccleſia retinenda ſit: quanquam in Confeſſione non ſit neceſſaria delictorum enumeratio. Eſt enim impoſſibilis enumeratio omnium delictorum, iuxta illud: Delicta quis intelligit?

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad vndecimum Articulum reſponſio.

QVod Articulo vndecimo fatentur, Abſolutionem priuatam in Eccleſia retinendam eſſe, cum Confeſsione, tanquam Catholicum, & fidei noſtræ, cõueniens acceptatur. Quoniam firmatur verbo Chriſti Abſolutio. Chriſtus enim dicit Ioannis 20. Apoſtolis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Duo tamen ab eis hic exigenda ſunt: vnum, vt Confeſsionem obſeruari faciant à ſubditis annuatim, iuxta conſtitutionem: Omnis vtriuſque ſexus, &c. de pœniten. & remiſſion. & communem Eccleſiæ conſuetudinem. Alterum vt per concionatores fideliter admoneri faciant ſubditos ſuos, quatenus confeſſuri omnia peccata ſua ſingulatim enumerare non poſſunt, diligenti tamen examine conſcientię ſuę facto, delictorum ſuorum confeſſionem faciant integram, omnium ſcilicet quæ ſibi in eiuſmodi diſcuſsione in memoriam venerint: ſuper alijs vero oblitis, & quæ mentem noſtram ſubterfugiunt, licèt in genere Confeſsionem facere, & dicere cum Pſalmiſta Pſal. 18. Ab occultis meis munda me domine.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum vndecimum animaduerſio.

QVia huius Confeſsionis Architectus ignorare non potuit, quantæ eſſet impudentiæ, illud apertè negare, ꝙ toto orbe terrarum ab omnibus Chriſtianis velut ad ſalutem in his, qui relapſi in peccata eſſent neceſſarium foret obſeruatum, ideò de Cõfeſſione ita diſſerit, quaſi cum Catholicis ſentiret, eamq; in Eccleſijs retinendam eſſe arbitraretur. Sed ſi Apologiam, & varia ſcripta, q̃ noſtri temporis pſeudoprophetæ in vulgus ſparſerũt, expendas, maniſeſtũ euadet, illos nihil magis ſtuduiſſe, q̃ hunc pręcipuũ diſciplinæ Eccleſiaſticæ neruum reſcindere, ac è medio prorſus auferre. Videntes igitur, poteſtatem ligandi atq; ſoluendi Apoſtolis & ſacerdotibus apertius verbis Chriſti eſſe traditã, q̃ vt hæc negare poſſent, Satanã imitari ſtuduerũt ex pſalmo catholicũ eũdem intellectum peruertere. Pſal. 18. Eſt impoſsibilis, inquiũt omniũ delictorum enumeratio, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Qua in re duplicé exercuerunt impietatem: Primò, ꝙ patré mendacij

dacij ſequuti per calumniam Catholicos accuſarint, quòd homines ad impoſsibilia vrgeant: cum tamen nemo vnquam in Eccleſia docuerit, ad ſalutem eſſe neceſſum occulta, quorum pœnitens recordari non poſſet, ſacerdoti aperire. Sed hoc voluerunt Patres, vt quiſquis per ſecundam hanc tabulã pericula mortis euadere, ac ad tutum portum peruenire vellet, omne circumſtans peccatum repelleret, ne ſi aliquid ſtudio, aut voluntaria negligentia reticeat, eius pondere tandem demergatur. Intellexerunt præterea ijdem fidei noſtræ duces, eos, quibus à Chriſto poteſtas ſoluendi atque ligandi in Eccleſia eſſet tradita, nõ poſſe hoc iudicium exercere, niſi cauſa cuiuſque in corde latens eſſet cognita. Cauſam autem eiuſmodi cognoſci nõ poſſe, priuſquam is, qui animam ſuam curari vellet ſe medico ad hoc diuinitùs conſtituto exhiberet, & conſcientiæ ſuæ næuos aperiret: niſi
Luc. 17. fortè quis credat, leproſos illos, quos Chriſtus miſit ad ſacerdotes, priùs fuiſſe curatos, quàm loca lepræ ipſis nudaſſent, ſeq; ipſorũ iudicio humiliter ſubmiſiſſent: Alteram impietatem, quam hic exercuerunt Lutherani licet recognoſcere ex eorũ moribus, ad quos nouum iſtud Euangelium peruenit. Populus enim poſtquam ſemel à ſuis Concionatoribus fuit perſuaſus, non eſſe neceſſariam in Confeſsione peccatorum enumerationem, nullo pudore mox in omne vitiorum genus præcipites ruerunt, nec vnquam maior ad omnia ſcelera fuit patefacta feneſtra, quàm poſtquam iſtud doctrinæ genus in Germaniam irrepſit. Vtinam perinde poſſet occludi, atque aperta eſt. Sublata Confeſsione, creuit faſtus, creuit libido, creuit rapina, creuit furor, & exſtincta cùm in Deũ, tum in proximum omni charitate, exundauit omnis impietas. Non eget iſta res multis teſtimonijs. Quiſquis ſibi perſuaſum habet, non eſſe relapſis neceſsitatem enumerãdi peccata, quorum eſt conſcius, impoſitam, ſeipſum ingrediatur, & recogitet, quantò hinc pronior in vitia reddatur. Certè hic verè locum illud habere deprehendet: Cõſcientia mille teſtes

Ioannis à Dauentria Articuli vndecimi refutatio.

HVius Articuli prior particula, videlicet, quòd Abſolutio priuata in Eccleſijs retinenda ſit, catholica eſt: ſed poſterior eius pars periculoſa eſt, nempe quòd non ſit neceſſaria in Confeſsione, omnium delictorum enumeratio. Operæpretium hic fuerit vt interrogemus eos, de quibus delictis hoc intelligant, de his, quæ confitenti occurrũt, an de his, quę memoriã fugiunt? Sanè ſi intelligant de grauioribus peccatis, quæ confitenti occurrunt, & quorum homo meminit ſe eſſe obnoxium, tenetur ea per ordinem confiteri, alioqui quædam prudens occultaret, & huiuſmodi confeſsio parum eſſet fidelis. Si verò intelligunt de peccatis, quorum poſt iuſtam examinationem pœnitens nõ recordatur, haud multum incommodi habet iſtorum ſententia. Nam non pręcipitur, vt etiam ignota, id eſt, non occurrentia peccata confiteamur. Et ad hanc amuſsim corrigẽdus eſt Canon ille, Vtriuſque ſexus: ſi tamen quid habet curuaminis.

Ioannis Cochlei Articuli vndecimi diſcuſsio.

IN Confeſſione Proteſtantium circa hunc Articulum nihil foret incommodi, ſi non ſubeſſet fraus & libido decipiendi ſimplicem populum, qui audiens non eſſe neceſſariam omnium delictorum enumerationem in priuata Confeſsione, putat inde, nihil ſibi nocere coram Deo, ſi non confiteatur ſacerdoti, loco Dei, omnia peccata, q̃ ſcit, & de quibus conſcientia ſua reã ſe agnoſcit & accuſat, intuſq; erubeſcit. Sicut ait Apoſtolus ad Rõ. Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus. Et rurſum: Quem ergo fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Hoc igitur errore decipiuntur multi nunc, dum audiunt, & temerè credunt, non eſſe neceſſarium omnia delicta confiteri. Hoc eſt autem nequiter prurire aures eorũ, qui iſta libenter audiunt & dicunt Cõcionatoribus ſuis: Loquimini nobis placentia. Si enim erubeſcunt intus in conſcientia, multò magis erubeſcerẽt foris coram ſacerdote, ſi omnia dicerent quæ ſciunt. Libentius itaque credũt pſeudoprophetis huiuſmodi docentibus, q̃ non ſit opus omnia dicere, aut confiteri, quã vero Chriſti Prophetæ Dauidi, dicenti: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et Iſaiæ dicenti: (vt legitur apud 70. interpretes) Dic tu priùs iniquitates tuas vt iuſtificeris. Quid ergo hinc ſequitur? Hoc nimirum; ſi non dixeris prius iniquitates tuas, iuſtificari non poteris. At obijciũt illud Pſalmiſtę: Delicta quis intelligit? ab occultis meis mũda me: ergo impoſsibile eſt omnia peccata enumerare. Ad hoc dicimus nos. Etſi non omnia peccata noſtra ſcimus aut intelligim⁹, & ideò ad confitendũ occulta, q̃ nos diligẽti examine cordis pręmiſſo, & diſcuſsione conſcientiæ iam facta, nos latent, non tenemur. Nemo enim obligatur ad impoſsibile. Tenemur tamen omnia peccata dicere q̃ ſcimus, quæcunq; conſciẽtia noſtra accuſat & arguit. Quia ſi diuidimus Confeſsionẽ, quædã peccata dicẽtes, quędã verò obticentes data opera, non poterit plena eſſe per abſolutionẽ in conſcientia pacatio, quies, & tranquillitas. Remordebitur enim homo in conſcientia

ſua

Omnia confiteri ſacerdoti.

Ro. 2. & 6.

Eſa. 30.

Pſal. 31.

Eſa. 43.

Pſal. 18.

Non licet diuidere Confeſsionem.

ſua adhuc ab ijs peccatis, quæ ſponte, vel per hypocriſim, vel ex erubeſcentia omiſit. Et arguet, imò maledicet illum ſacra ſcriptnra, quòd fraudulenter egerit in Confeſsione cũ Deo, qui falli neque vult, neque poteſt. Ideò *Hier. 48.* dicetur ei illud Hieremiæ: *Fraudulẽter opus domini facere.* Maledictus quì facit opus domini fraudulenter: fraudulentia nimirum eſt, ſponte ſubticere quędam, & data opera Confeſsionem dimidiare, ſacerdotemque vice Dei ſungentẽ decipere, auerſari publicam, & tot ſeculis receptam, & diutiſsimè approbatam cõſuetndinẽ confitẽdi, relinqnere legem matris Eccleſiæ, quam publicè omnium nationum Chriſtianarum cõmuni conſenſu in generali concilio Lateranẽſi ſtatuit. Spernere deniq; eos, ad quos ipſe Dominus ait, Qui vos ſpernit, me ſpernit & *Extra de pœniten. & remiſs. c. Omnes vtriuſque ſexus.* eum qui me miſit. Apologia longè plures afſert iactãtias vanas, q̃ ſcripturas aut rationes ſolidas, contra iſtum antiquum confitendi vſum. Non enim bene, ſed peſsimè cõſultum *Luc. 10.* eſt bonorum & piorum hominũ conſciẽtijs abolitione veteris confitendi formæ, & iniunctæ pœnitentiæ, quã tot ſeculis retro vniuerſa tenuit Eccleſia. Quomodo poteſt igitur læta aut ſecura eſſe conſcientia timorati hominis, qui ſcit ſe ſtudioſe obticuiſſe in Cõfeſsione quædam peccata, quæ rodũt vt vermis? *Eſa. 66. Mar 9. Batua fides.* Quemadmodum ſcriptum eſt: Vermis eorum non morietur: ſatua eſt enim ea fides aut fiducia, qua docẽt credere, propter Chriſtum remitti peccata, etiamſi ſacerdoti non confitearis, nec de ijs pœnitentiam agas, cum poſsis. Quandoquidem & Chriſtus ipſe, & omnes eius Apoſtoli, & eorum ſucceſſores docuerunt & peccata confiteri, & pro peccatis pœnitentiam agere. Sufficiat tibi, quòd p Chriſtum habes rẽmedia, per quæ liberari queas, ſi eis rectè vtaris, nempe gratiam & efficaciam ſacramentorum. Quæ ſi neglexeris vltrò, nolet Chriſtus iniquitatis tuæ & malitiæ operculum eſſe, ſed dicet tibi & tui ſimilibus, qui ſiç credũt, etiamſi prophetauerint, & miracula multa per fidem ſuam fecerint: *Matt. 7.* Neſclo vos, diſcedite à me oẽs operarij iniquitatis. Certè confitendi vſus non eſt humana traditio aut res noua & heri nata. Chriſtus ipſe dixit leproſis, hoc eſt, peccatoribus: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Item Apoſtolis *Luc. 17. Ioan. 20. Iacob. 5. Confiteri Sacerdotibus.* ſuis: Quorũ remiſeritis peccata, &c. Et Apoſtolus, fraterq; domini Iacobus ait: Confitemini alterutrũ peccata veſtra. Et Dionyſius S. Pauli diſcipulus acerrime reprehẽdit Demophylum monachum, quod peccatorem ſacerdoti confitentem pedibus repulerat. Et quis antiquorum Patrum non cõmendauit Exomologeſim criminum, quam nos Confeſsionem dicimus? Nimis igitur audax eſt & impius tum in Deum patrem, tum in Eccleſiam matrem, qui criminum Confeſsionem, tanquam nõ neceſſariam, audet abolere, quę ſemper in Eccleſia, tanquam nerurs quidam & cuſtos diſciplinæ fuit, à Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis tradita, totq; iam ſeculis per Eccleſias ſaltem Latinas & Occidentales perpetuò ſeruata. *Falſa iactantia.* Quod autem Philippus iactitat, apud ſuos frequentem eſſe vſum & Abſolutionis & cœnæ Dñi, quibus plurimi ſępe in anno vtantur, & hinc ſuggillat Eccleſiæ conſtitutionem in cap. Omnis vtriuſq; ſexus; peccat in vtroq;. Sunt enim apud ſuos permulti, & lõgè plures, qui in anno ne ſemel quidem confitentur & communicant, quàm ij qui id ſæpè faciunt. Quandoquidẽ Lutherus ipſe de multis ſuorum conqueſtus eſt, quod per ſeptem annos neq; conſeſsi, neq; communicati *Indigne communicantes.* fuerint. Et tamen ij, qui apud eos cõfitẽtur & communicant, vtrunque non rectè faciũt, & melius facerent ſi abſtinerent, q̃ ſi abutũtur. Abutuntur autem vtroq;, quippe Confeſsionem mutilant, multa fraudulenter & data opera reticẽtes. Cõmunicant aũt in ſchiſmate irreligioſe & perperam, cum ſint ipſo facto reuera excommunicati, & extra eccleſię vnitatem poſiti. *Sæpe confiteri.* Illa autem eccleſiæ conſtitutio nequaquam prohibet ſæpius in anno cõfiteri & communicare, ſed potius ad vtrunq; adhortatur: præcipit autẽ, vt faciamus vtrunq; ad minus ſemel in anno. Dicens itaq;, Ad minus ſemel, vellet vtique fieri ſæpius. Id quod faciunt pleriq; non ſolũ presbyteri Monachiq; & Moniales, verùm etiam honeſti laici, deuotæq; mulieres. Certè anteq̃ p nouam & carnalẽ Lutheri doctrinã extinctus eſſet timor Dei, & deuotio hominum, pleriq; ſacerdotes & Monachi p totum annum ferme quotidiè confitebantur, & celebrando cõmunicabãt. Moniales verò ad minus p ſingulos menſes. Laici quamplurimi in Natali Domini & Paſchate, pleræq; mulieres deuotæ etiam in pcipuis feſtis B. Virginis Mariæ, vt certum ſit, plures vno anno tunc ritè confeſſos & communicatos fuiſſe, q̃ confitentur nunc apud nouas ſectas in viginti annis. Imò nulli prorſus ibi rectè aut ritè confitentur aut communicant, vti iam dictum eſt. Vanæ igitur ſunt *Commun. tempor.* huiuſmodi in Apologia iactantiæ. Deniq; quod reprehendit eandem conſtitutionem Eccleſiæ in hoc, quod & certo tempore, nẽpe Paſchali, & omnia peccata confiteri iubet, maligne interpretatur vtrunque. Ita enim ibi certum tempus præfigitur, vt nihilominus liceat vnicuique & extra illud tempus tum confiteri tum communicare, quandocunq; voluerit. Nec eſt res noua, certum præfigere tempus. Quoniam antiquiſsimus eſt totius Eccleſiæ vſus, quo homines p Quadrageſimã ſeſe pœnitentiæ operibus pparare ſoliti ſunt, ad dignè communicandum tempore Paſchali, & p Aduentũ vt communicarent in feſto Natalis

Id quod èx veterum homeliis & hiſtorijs liquidè cognoſcitur. Omnia auté peccata, non ſimpliciter omnia, quęcunque in homine latent, ſed omnia, q̄ homo ſcit & agnoſcit, confiteri iubet illa conſtitutio. Iniuſtè igitur reprehenditur. Quemadmodum & Summilſtę iniquè redarguuntur propter circũſtantias peccatorum, ij enim non de omnibus, ſed de ijs tantum circunſtantijs loquũtur, quæ peccatum grauant, aut etiam aliam peccati ſpeciem ſuperaddunt, ſicut faciunt ij, qui ꝓpter pecuniá aut furtũ adulterantur aut occidũt.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo undecimo iudicium.

ET hoc negotium qua poſſumus breuitate abſoluemus. Confitétur enim, quod Abſolutio priuata in Eccleſijs retinéda ſit, quã-quam in confeſsione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio. Hæc non abſurde dicuntur. Quis enim ſaluberrimũ hoc Eccleſiæ pharmacũ Eccleſijs eijceret, vel exterminaret? Quis ad ignota & nõ occurrẽtia
Pſal 18. peccata confitenda aliqué adſtringeret? Delicta quis intelligit? ait Propheta. Ab occultis meis munda me Domine. Amplectimur igitur hunc Articulum tanquam Catholicum, quem vtinam nunquam proſtituiſſent contemptui Aduerſarij noſtri. Vulgus, vt eſt nouarum rerum amãs, & omnis iugi, quantũuis commodi, impatiens, facilè perſuaſum eſt, vt confitendi onus excuteret: at quomodo ad illud recipiendum perſuaderi poſsit, quis non videt quãtam difficultatem adferat? Et Eccleſiæ ſuperiores (ſic enim eas appellant, quas Zvvinglius & Oecolampadius inauſpicatiſsimè plantarunt) in hunc vſq; diem confitendi rationem porrò rident. Propterea, & in hoc negotio non habent eccleſiam aduerſantem, ſed Zvvinglij diſcipulos, ex quorum grege eſt, qui nõ ita pridem ſcripſit; Quæ hodie dicuntur à quibuſdam, inquit, in laudem confeſsionis eiuſmodi, tanquam diſciplinæ ſaluberrimæ iuuentutis non reijcio: verum quia humana ſunt, vereor quo tandem ſint exitura. Sunt parentes, quibus equidem maiorem de liberis curam non vellem ademptam: ſunt Ludiliterarij, ſunt Inſtitutiones in templis pro pueris publicę, eſt & excommunicatio, & magiſtratus eſt. Hæc in populo Dei rectè teneantur, & non erit opus reuocare quod ſemel eiectum eſt. Hactenus ille, qui quò tẽdat, facilè intelligas. Sed nolumus cum hoc homine in diſputationem deſcendere. Breuiter, Confeſsionem hanc ſacramẽtalem, quam alij & priuatam & auricularem vocant, nos retinemus & approbamus, ſcientes quantum ipſa Eccleſiæ profuerit: neq; ignorantes quantum nonnulli illa ipſa abuſi fuerint, hic malitia, ille inſcitia. Sed de his futura Synodus diſpiciet. Conſtituantur Confeſſores, quos vocant, vitæ ſanctimonia, & eruditione probati, quiq; ſalute animarum nihil antiquius habent, & abundè reformata fuerit Confeſsio.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XII. De Pœnitentia.

DE Pænitentia docent, quod lapſis poſt baptiſmum cõtingere poſsit remiſsio peccatorum, quocunque tempore, cum conuertuntur. Et quod Eccleſia talibus redeuntibus ad pænitentiam debeat Abſolutionem impertiri. Conſtat autem Pænitentia propriè his duabus partibus: altera eſt contritio, ſeu terrores incuſsi conſcientiæ agnito peccato: Altera fides, quæ concipitur ex Euangelio, ſeu Abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat, deinde ſequi debent bona opera, quæ ſunt fructus pænitentiæ. Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos poſſe amittere Spiritum ſanctum. Item, qui contendunt quibuſdam tantam in hac vita perfectionem contingere, vt peccare non poſsint. Damnantur & Nouatiani, qui nolebant abſoluere lapſos poſt Baptiſmum, redeuntes ad pænitentiam. Reijciuntur & iſti, qui non docent remiſsionem peccatorum per fidem contingere, ſed iubent nos mereri gratiam per ſatisfactiones noſtras.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XII. De Pœnitentia.

DE Pænitentia docent, quòd lapſis poſt baptiſmum contingere poſsit remiſsio peccatorum, quocunque tempore, cum conuertuntur. Et quod Eccleſia talibus redeuntibus ad Pænitentiam, impertire abſolucionem debeat. Conſtat autem Pænitentia, hoc eſt, conuerſio impij, propriè his duabus partibus: Altera eſt contritio, hoc eſt, terrores incuſsi conſcientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoſcimus, & dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur ac fugimus. Sicut Ioel concionatur: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra & conuertimini ad dominum Deum veſtrum, &c. Altera pars eſt fides, quæ concipitur ex

Euangelio ſeu Abſolutione, & credit propter Chriſtum certò remitti peccata & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat. De qua fide loquitur Paulus, cum ait: Iuſtificati fide pacem habemus. Deinde, ſequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc eſt, obedientia erga Deum, iuxta illud: Debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem viuetis, moriemini. Sed ſi Spiritu actiones corporis mortificabitis, viuetis. Damnant Nouatianos, qui nolebant abſoluere eos, qui lapſi poſt baptiſmum redibant ad Pœnitentiam. Damnant & illos, qui non docent, remiſsionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere. Sed contendunt remiſsionem peccatorum contingere, propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & iubent dubitare conſcientias in pœnitentia, an conſequantur remiſsionem, & affirmant hanc dubitationem non eſſe peccatum. Damnant & iſtos, qui Canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas Purgatorij, etſi fatemur bonis operibus mitigari præſentes calamitates, ſicut Eſaias docet cap. lviij. Frange eſurienti panem tuum, &c. & requiem dabit tibi dominus ſemper. Damnant & Anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos, iterum poſſe amittere ſpiritum ſanctum. Damnant & illos, qui contendunt aliquibus tantam perfectionem in hac vita contingere, vt ne quidem poſſint iterum peccare.

Exemplar Vuittenbergenſe. anni 1531. in octaua forma ad hunc modum legit: Sed docent remiſs. peccatorum contingere propter noſtram dilectionem & opera. Reijciuntur & iſti, qui Canonicas ſatisf. docent neceſſarias eſſe ad redimendas æternas, aut pœnas Purgatorij.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad duodecimum Articulum reſponſio.

QVod autem Articulo duodecimo confitentur, lapſis contingere poſſe remiſsionem peccatorum, quocunque tempore cõuertantur, & ad Eccleſiam redeuntibus debere Abſolutionem impartiri, commendantur, qui iuſtiſſimè dãnant Nouatianos, pœnitentiam negantes iterandam: Tum contra Prophetã pollicentem gratiam peccatorum, quacunque hora ingemuerit, Ezech. 18. Tum contra miſericordem Chriſti Saluatoris noſtri ſententiam Sancto Petro reſpondentis, vt nedum ſepties, ſed vt ſeptuagies ſepties fratri peccatum in die condonet. Matth. 18.

At altera huius Articuli pars omninò reijcitur. Nam cum duas duntaxat tribuat partes pœnitentiæ, aduerſatur toti vniuerſali Eccleſiæ, quæ vſque ab Apoſtolorum tempore tenuit & credidit, tres eſſe Pœnitentiæ partes, contritionem, Cõfeſsionem, & ſatisfactionem. Ita antiqui Doctores Origenes, Cyprianus, Chryſoſtomus, Gregorius, Auguſtinus, ſacrarum literarum teſtimonijs docuerunt, præſertim ex 2. Reg. 12. de Dauid. 2. Para. 33. de Manaſſe. Pſal 31. 37. 50. 100. 10. &c. Quapropter Leo Papa X. felicis recordationis, hunc meritò damnauit Articulum, ſic docentem: Tres eſſe partes Pœnitentiæ, confeſsionem, contritionem, & ſatisfactionem, non eſt fundatum in ſacra ſcriptura, nec in ſanctis Chriſtianis Doctoribus. Hæc igitur Articuli pars nequaquam admitti poteſt, ſicut nec ea, quæ aſſerit, fidem partem alteram pœnitentiæ, cùm omnibus compertum ſit, fidem præuiam eſſe pœnitentiæ, niſi crediderit non pœnitebit.

Sed nec illa pars admittitur, quæ ſatisfactiones pœnitentiales contemnit. Eſt enim contra Euangelium, contra Apoſtolos, contra Patres, contra Concilia, & contra vniuerſam Eccleſiam Catholicam. Ioannes Baptiſta clamat: Facite fructus dignos pœnitentiæ, Matth. 3. S. Paulus præcepit: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem. Rom. 6. Idem Gentibus annuntiauit quatenus pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Actuum 20. Ita & Chriſtus ipſe cœpit prædicare & docere: Pœnitẽtiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, Matt. 4. Hunc modum prædicandi & docendi imperauit deinde Apoſtolis. Lucæ 24. Et fideliter paruit ei S. Petrus in primo ſermone ſuo. Act. 2. Ita hortatur etiam Auguſtinus, vt quiſque ſecuritatem in ſeipſum exerceat, vt à ſeipſo iudicatus à Deo non iudicetur. Vti Paulus prioris ad Corinth. 11. Leo Papa cognomento Magnus, inquit, Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, vt confitentibus agnitionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos, ad ſacramentorum communionem per

ianuam

ianuam reconciliationis admitterent. Sic Ambroſius inquit, ſecundum conſciẽtiæ molem exhibenda eſt pœnitentiæ magnitudo. Vnde diuerſi Canones pœnitentiales in ſacratiſſima Synodo Nicena conſtituti ſunt pro ſatisfactionũ diuerſitate. Iouinianus autem hæreticus exiſtimauit omnia peccata eſſe paria, ideò diuerſitatem ſatisfactionum pro peccatis non admiſit. Satisfactiones ergo in Eccleſia contra expreſſum Euangelium, & Conciliorum ac Patrum decreta abolendæ non ſunt. Quinimò abſoluti à ſacerdote iniunctam pœnitentiam perficere debent, illud S. Pauli ſequentes: Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Tit. 2. Sic igitur Chriſtus pro nobis ſatisfecit, vt & nos ſimus bonorum operum ſectatores, ſatisfactiones iniunctas implentes.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum duodecimum animaduerſio.

TOt fraudes, tot nequitiæ ſunt iſto Articulo inuolutæ, vt eas nemo facilè breuibus explicare poſſit. Primò quidem admitti poſſet, cùm initio affirmant, lapſis poſt baptiſmum quandocunque conuertũtur, remiſſionem peccatorum poſſe contingere, niſi, q̃ hic ſequuntur & in Apologia, magna verboſitate explicantur, clarũ facerent, cuiuſmodi velint eſſe peccatoris cõuerſionem. Deinde cum dicunt, talibus ad pœnitentiam redeũtibus, debere Eccleſiam abſolutionem impartiri, deſideram⁹, ab illis cognoſcere, quid nomine Eccleſiæ intelligant. Neque enim nobis fit veriſimile, quòd ea voce confuſam multitudinem, quæ nefario ſchiſmate ſe à Chriſti paſcuis ſegregauit, multò autem minus credimus, quod lapides & ſaxa deſignari velint. Igitur nomen Eccleſiæ fortè ad Præpoſitos ſuos, & miniſtros quinti Euangelij retulerint. Sed quis iſtos miſit? quis his manus impoſuit? quis ligandi atque ſoluendi poteſtatem iſtis tradidit? qui perpetuis carceribus nunquã ſoluendi merito mancipparentur? Hic enim videmus populis præeſſe vel impuros Apoſtatas, vel ſacrilegos, vel cerdones, vel cupediarios, vel lenones, vel carnifices, vel quocunque crimine infames. Iſti ſcilicet ſunt, qui abſolutionem impertiri debeant. Certè qualis populus, talis ſacerdos: qualis paſtor, talis abſolutio. Sed cætera attingamus paradoxa. Conſtat, inquiunt, Pœnitentia duabus partibus: altera eſt Contritio, altera eſt fides. Noua ſemper contra Dei verbum oportuit hos effingere, qui nouam condituri erant Eccleſiam. Sed quæſo, cur Grammatellus iſte fidem voluit eſſe pœnitentiæ partem? an quia concurrere debet ad abſolutionem quam impartitur is, qui nullam poteſtatem ligandi aut ſoluendi accepit? Sed accepit tamen legitima ratione eiuſmodi poteſtatem. Adſint omnia, quæ in vera & efficaci abſolutione deſiderantur, an ideò fides pars erit pœnitentię, quia ad illam concurrit, aut quia hic neceſſariò deſideratur? Si ita philoſophari oporteat, cur pari ratione ſpem, charitatẽ, Dei timorem, temperantiam, caſtitatem, iuſtitiam, cæteraſque virtutes non faciunt eſſe Pœnitentiæ partes? Illa enim omnia ad abſolutionem, peccatorumque remiſſionem concurrere debent. Mirum cur & ſycophantam abſoluentem non velint eſſe partem ſuæ pœnitentiæ, cùm niſi talis ſeductis populis manus imponeret, remiſſionem peccatorum ſe non eſſe conſecutos putarent. Certè ratio ipſa dictat, docentque Dialectici eas eſſe veras & integras cuiuſque rei partes, quæ propriè ad naturam alicuius totius pertinent, illudq́; etiam conſtituunt. Quò etiam reſpicientes Eccleſiaſtici ſcriptores, ex ſcripturis ſacris tres pœnitentiæ partes, iuxta eius naturam, collegerunt, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Vt quemadmodum tribus rationibus à Deo deflectimus, corde, ore, & opere, ita etiam eius gratia adiuti, totidem rationibus ad eundem nobis eſſe redeũdum ſentiamus. Quæ equidem res adeò euidens eſt & clara, totque teſtimonijs ab alijs comprobata, vt mirum ſit, aliquem hominem potuiſſe inueniri, qui tãtæ luci ſuas tenebras offundere ſit auſus. Quin coactus eſt vel inuitus iſtius Confeſſionis architectus, quod priùs euomuerat reſorbere, propriaque manu eodem anno, quo ſuas blaſphemias Statibus Imperij obtulit, conſignare tres eſſe Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Nec multò poſt tamen creſcente ſemper vnà cum malitia, incredili impudentia, velut furioſus aliquis, eandem doctrinam, quam paulò antè pro vera agnouerat, pluribus blaſphemijs & calumnijs, omnique panoplia ſatanæ obruere eſt molitus. Quàm hoc ſit verum, Apologia doceat. Cæterùm qui plus in myſterijs diuinis ſibi permittunt, quàm vel Poeta in ſomnijs, vel figulus in luto, videamus quoſnam tanquàm corruptores doctrinæ de pœnitentia reprehendant. Damnant, aiunt, Anabaptiſtas, qui negant iuſtificatos poſſe amittere Spiritum ſanctũ. Rectè quidem hoc faciũt, ſi tamen conſtanter faciunt, nec quæ nõ minus

ſunt abſurda, ipſi affirment. Docti iudicent, quantò rectius Anabaptiſtis ſentiunt, qui tantum inani, & nullo fundamento innitenti fiduciæ tribuunt, vt illa perſeuerante ſalutem nemo amittere poſsit. Affirmat enim aduerſus rebaptizatores, ſummus huius Eccleſiæ Propheta, hominem Chriſtianũ adeò eſſe diuitem, vt volens etiam quantiſcunque peccatis ſalutem perdere non poſsit, niſi nolit credere. Viderint etiam ijdem, vtri maiorem mereantur damnationem, Nouatianine, qui pœnitentiæ partes integras quidem relinquebant, ſed tamen omnibus redeuntibus ſacramentum illud patere nolebãt: An verò Lutherani, qui omnes pœnitentiæ partes inter ſuos ita peruerterũt, vt lapſis etiam cum lachrymis abſolutionem poſtulãtibus, eam impartiri non poſsint. Poſtremùm, qui Catholicos accuſant, quaſi negent remiſsionem peccatorum, contingere per fidem, ſimulque iubeant homines mereri gratiã per ſuas ſatisfactiones ſine fide. Niſi ſemper calumniatores haberi velint, aliquando, quod impudentiſsimè hic commenti ſunt, comprobent. Nos conſtanter negamus Catholicos vnquam ita docuiſſe. Sed quàm conſtantes ſint in ſua fide deſcribenda iſti calumniatores, etiam hic manifeſtum faciunt. Anno enim 1531. per ſuum typographum Georgiũ Rhau, vbi Originale habet: Sed iubent nos mereri gratiã per ſatisſactiones noſtras, exẽplari ſecundo ita variarunt: Sed docent remiſsionem peccatorum contingere proptèr noſtram dilectionem & opera. Reijciũtur & iſti, qui canonicas ſatisſactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas Purgatorij. Anno deinde quadrageſimo per eundem typographum nõ ſunt veriti totum propemodum hũc Articulum inuertere, vt fortè facto ſuo omnibus teſtatũ redderent, quàm illud verè à B. Iacobo dictũ ſit: Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. Iacob 1.

Ioannis à Dauentria Articuli duodecimi refutatio.

CAtholicus eſt iſte Articulus & verus, quãtum pertinet ad ſolum Articulum. Nam vt ſuprà, cùm de Pœnitentiæ origine diſſereretur, clariſsimè oſtenſum eſt; Deus optim⁹, pijſsimus, clementiſsimus, imò ipſa bonitas, pietas, clementia, nullum deſpicit peccatoré ad ſe per pœnitentiam reuertentem, ſed indulgentiſsimus eſt pater, & facilè ei gratiam confert. Sed non eſt æquo animo ferendum, quod contra omnium Catholicorum, imò vniuerſalis Eccleſiæ doctrinam, fidem faciũt alteram Pœnitentiæ partem, quod nemo etiamnum feret, in ſcripturis ſacris mediocriter verſatus, ſed ingenuè omnes dicẽt fidem omnium bonorum eſſe cauſam & originem. Cur enim dolet peccator ſe peccaſſe, niſi ꝙ agnoſcit Deum peccata ſimul & peccatorem odio habere, ꝙ agnoſcit peccatores ꝑpetuas pœnas dare, niſi ꝙ credit eiſdem pœnis ſe fore obnoxium, niſi vitam melius inſtituat. Certè niſi hæc crederet, minimè eum peccatorum pœniteret. Cur confitetur ſacerdoti delictum ſuũ, vt abſolutionem ab eo accipiat niſi quòd credit per Pœnitentiæ ſacramẽtũ gratiam, qua pœnitenti peccata remittuntur donari? Habet enim fidẽ verbis Chriſti: Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hinc poſt acceptam remiſsionem peccatorum, ieiunijs ſeſe affligit, orationibus pernox diuq; inſiſtit, ꝙ credit dignos pœnitentiæ fructus poſt abſolutionem faciendos eſſe. Quod ſi non crederet, non tantoperè peccatis, & malis concupiſcentijs reluctaretur, peccata non confiteretur, neque in ſeipſum tanta ſæuitia graſſaretur. Hinc eſt illud ſacrum Ioannis paradoxum: Hęc eſt victoria, quę vincit mũdum, fides noſtra. Quemadmodũ autẽ fides mundum, id eſt, mundi iſtius illecebras, & oblectamenta vincit, ita ſuperat & diaboli, & peccati regnum. Hinc dicebat Hebręis Apoſtolus: Sancti ꝑ fidem vicerũt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt reꝓmiſsiones. Et Petrus: Fide purificãs corda eorũ. Quomodo fide, niſi quia fides mouet peccatorem ad pœnitentiam, pœnitens verò ꝑ diuinam gratiã iuſtificatur. Non eſt, ꝙ occaſionem demus, vt tautologiæ nobis nota inuratur. Nam iſta eadem nobis iam ſæpe dicta ſunt. Diximus etiã ꝙ ſicut Deus primaria omnium affectuum, ſic ſol ſecundaria eorum, q̃ producit, & ſicut pater filij cauſa eſt, neque tamen Deus, ſol, pater earum rerum, quas producunt, partes ſunt: ſic fides, q̃ Pœnitentiæ cauſa eſt, nõ poteſt Pœnitẽtię pars eſſe. Quapropter iſta ſentẽtia, vt ineptiſsima, illudi, nõ ſolui debebat. Quid magis ineptũ, q̃ ſi dicas: Deus fecit cœlum & terram, &c. ergò deus eorum pars eſt. Et tamen iſti non erubeſcunt ſic argumẽtari Fides cauſat in homine Pœnitentiam, & ſine fide nemo pœnitet: ergò fides eſt pars Pœnitentiæ. Quãdo Aduerſarij nullis rationibus, præterq̃ ex ſuis capitibus corruptis, & planè languidis, collectis, nullis ſcripturis ſententiam ſuam roborant, ſed tantũ cùm his, quas ſuperiùs recitarunt, magis q̃ applicarũt, quæ probant fidem ad veram pœnitentiam eſſe neceſſariam, peccataq; ſine fide non dimitti, non autem quòd fides Pœnitentiæ pars ſit, Eccleſiæ Catholicæ ſententiam, quam nos hactenus tuiti ſumus, confirmant, nõ autem eneruant. Sed neque vllum Patrum teſtimonio docere poſſunt fidem Pœnitentiæ partem eſſe. Ita enim iſta ſententia eis propria eſt, vt nulli eorum communis ſit. Audi nunc

conſe-

Fides eſt cauſa omnium bonorum, ideo autem aliena pœnitentiæ pars.

Ioan. 20.

1. Ioan. 5.

Heb. 11.

Act. 15.

Stulta argumentatio aduerſariorum.

conſequenter, quomodo nihil habeant, prçter meras tricas & oſtutias, quibus ſentétiam ſuam ſtatuant, & proinde quomodo ſuas Ineptias laudent, Catholicam verò ſententiam quaſi falſam vellicent.

Omnes boni viri (inquiunt) *omnium ordinum, ac Theologici ordinis, etiam haud dubie fatentur, ante Lutheri ſcripta confuſiſsimam fuiſſe doctrinam Pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, vbi ſunt infinita queſtiones, quas nulli vnquam Theologi ſatis explicare potuerunt. Populus neque rei ſummam complecti potuit, nec videre, quæ præcipue requirerentur in Pœnitentia, vbi quærenda eſſet pax conſcientiæ.*

Meras nugas hic audis, quibus animũ tuum catholicè ſentientem, illaqueare ſtudét, vt in eorum ſententiam concedas. Sed fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum. Fruſtrà inſidiantur tibi, qui apertè conſpicis, in hac Aduerſariorum doctrina nullam eſſe cóſonantiam, nullam ſoliditatem, qđ ante hac apertiſsimè oſtẽdimus, cùm de iuſtificatione eſſet controuerſia. Conſtanter enim docent, ꝙ omni credenti ſibi peccata remitti, confeſtim peccata remittantur. Si verò interroges eos, qua fide iſta comprehendantur, reſpondebunt ad hoc non ſufficere fidem informẽ, ſed quod hoc te credere oporteat fide charitate formata. Et talem fidem charitate formatam dicunt, & quidem benè dicũt, in peccatore eſſe non poſſe. Vide nũc qua fide peccator iuſtificari poſsit, ſi non ſufficit fides informis, & ſi fidem charitate formatã habere non poteſt. Videſne quàm parùm neruorũ, q̃ manca ſit iſtorum doctrina? Catholica doctrina de Pœnitentia vna eſt omnium, perſpicua eſt, ſana, ſobria, & ſalutifera, etiamſi non neſciam in Academijs, vt iuuenilia exercerentur ingenia, pleraque horum eſſe diſputata, diſcuſſa, ventilata: etiamſi non ignorem alterutrum opiniones fuiſſe impugnatas atque defenſatas, manet tamẽ in his rebus præcipuis, vna omnium ſentẽtia. Et hæc ſententia tam clara, tam aperta eſt, vt intelligant eam vel ſtiuæ nati, & homines nullius ferè ingenij. Aduerſarij tametſi plenè intellexerint, haud ſecùs ſe habent, ac ſi prorſus nõ intellexiſſent, antequàm malo totius Germaniæ omine, prodiret Lutherus, hęreticę iſtius cohortis anteſignanus. Sic enim tradunt in Apologia.

Prou. 1.

Doctrina pœnitentiæ quã tradunt aduerſarij, non cohæret.

Prodeat nobis (inquiunt) *aliquis ex aduerſarijs, qui dicat, quando fiat remiſsio peccatorum.*

Benè equidem optant Aduerſarij, vt prodeat quiſpiam ex Catholicis, qui doceat eos, quando fiat remiſsio peccatorum. Nam, vt iamiam declaratum eſt, tam ancipites ſunt, tamq; parum ſibi conſtantes, vt omninò neſciant, quando fiat remiſsio peccatorum. Prodijt ante hac vnus, prodijt item alter, ꝓdierunt etiam multi haud pœnitendi viri, qui iſtum Aduerſarijs nodum ſoluerent. Sed ſtomachi eorũ philautia & ſuperbia pleni; ſimplicem veritatis non recipiunt orationem? Ego poſt omnes Catholicos illos viros, non tam meam, quàm Iſtorum, imò Catholicam ſententiam iterum recẽſebo: videlicet quòd mox ſub ipſa gratiæ infuſione fiat peccatorũ remiſsio, non ſecùs atque tenebræ fugiũt illuceſcente ſole. Vnde Catholici ſacrarũ ſcripturarum tractatores quatuor annumerãt, q̃ in impij iuſtificatione coeunt: nempe culpæ remiſsionem, gratiæ infuſionem, peccatorũ deteſtationem, & hominis liberi arbitrij puram conuerſionem. Sunt iſta tam obſcura, vt Oedipo indigeãt diuinatore, vt populus iſta non intelligat, vt neſciat vnde conſcientiam peccatis ſauciã medicari poſsit? Iam iudica etiam de traditione iſtorũ, qui non deſinunt Catholicis calumnias ſtruere. Nam iterum reuocabo ſententiam iſtorũ, quam in quinto Confeſsionis ſuæ Articulo tradiderunt.

Per verbum (inquiunt) *& ſacramenta, tanquàm per inſtrumenta, donatur ſpiritus ſanctus, qui fidem efficit, vbi & quando viſum fuerit Deo, in his, qui Euangelium audiunt.*

Remiſsio peccatorum quando fiat Luthero.

Audis dari ſpiritũ ſanctum ꝑ verbum & ſacramẽta, ſed iſte ſpiritus ſanctus impotẽtior eſt, q̃ qui fidem efficiat, ſed tempus exſpectat & horam, quando Deo viſum fuerit, vt fidẽ efficiat. Quæ ſunt iſta verborũ monſtra, qđ ſententiæ & opinionis portentum? Hic ego idẽ dicere poſſem, quod iſti malitioſè ingeſſerunt: Prodeat nobis aliquis ex iſta Aduerſariorum colluuie, q doceat nos, quando fiat peccatorũ remiſsio, nã iſtud ꝓblema magis eſt q̃ aſſertio, cui ſubſcribamus. Quis iam nõ videat, q̃ ſuſpenſos iſti ſuos relinquant galactophagos. Catholici verò ingerunt lõgè certiſsimam eſſe Chriſti promiſsionem, nempe: Quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis, *Ioan. 20.* docent, ꝙ quiſquis peccator, quẽ ſuorũ pœnitet peccatorum, quiq; ex fide per ſacramẽtorum ſuſceptionẽ gratiã iuſtificantem q̃rit, haud dubiè gratiam accipiat. Hęc eſt certa, & clara doctrina, nullo humano præſidio, ſed ſolius Chriſti verbis innitẽs. Aduerſariorum inſana doctrina, in hoc tota eſt, vt aures ſuorum demulceat, innocenteſq; Catholicos calumnijs & conuicijs opprimat. Vnde pergũt

Quare intelligunt omnes boni viri (inquiunt) *vtiliter & piè reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarũ & Canoniſtarũ de pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falſa ſunt, & non ſolum aliena à ſcripturis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis patribus:*

1. *Quòd per bona opera extra gratiam facta, mereamur ex pacto diuino gratiam.*
2. *Quòd per attritionem mereamur gratiam.* *Mendacium.*
3. *Quòd ad deletionem peccati, ſola deteſtatio criminis ſufficiat.*
4. *Quòd propter Contritionem, non fide in Chriſtũ,*

 conſequa-

conſequamur remiſſionem peccatorum.

5. *Quòd poteſtas clauium valeat ad remiſſionē peccatorum, non coram Chriſto, ſed coram Eccleſia.*

6. *Quòd ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu vtentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conſequamur gratiam.*

Et alia quædam enumerant, quæ cum his eiſdem arictibus ſubuerti poſſunt. Vtiliter ſanè colligunt ea, quæ partim non ſatis ab eis intellecta, partim falſa ſunt, vt videant boni viri, quàm omnem iſti frontem perſfricuerint, quã infantiliter Catholicos taxauerint, quàm turpiter os mẽdax aduerſus veritatem aperuerint. Et adhuc arbitrantur, quòd Catholicos conuicijs, ſannis, fucis, ſuperare poſſint. Colligemus itaque & nos pro Catholicis ea, quibus iſta vel malè intellecta, vel falſa eſſe declarentur.

Ad primum Primum quod hic dicunt, quòd per bona opera extra gratiam facta mereatur ex pacto diuino gratiam, ſic intellexiſſe & allegaſſe debebant, videlicet quòd per bona opera per fidem ex gratia gratum faciente facta, meritò congrui ex diuino pacto gratiam mereamur. Nam ſic omnes docent Catholici, vt ſuprà plus ſatis declaratum eſt. Nota ergò hic fallaciam, & dolum iſtorum, nota etiam hic alteram mendacij ſpeciem.

Ad ſecundũ. Secundum, ꝙ per attritionem mereamur gratiam; ſi rectè intelligatur, certiſſimũ eſt, multoq́; clariſſimum. Sacramentum enim Baptiſmi cum fide & dolore de peccatis, & cũ propoſito melioris vitæ, iuſtificat & ſaluat, iuxta illud: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Sic & ſacramentum Pœnitẽtiæ, perpetuum in neceſſitate baptiſmum accipiẽtibus, Chriſtus promittit remiſſionem peccatorũ. Pœnitentia verò, ſi tamen vera pęnitẽtia eſt, non fit ſine attritione. Attritio verò vbi charitatem & gratiam acceperit, facit cõtritum. Hæc ergò ſententia nullum habet impedimentum, ſi rectè vellent intelligere.

Ad tertium. Tertium, apertum mendacium eſt. Ex Catholicis enim nemo docuit, quòd ſola peccati deteſtatio, ad deletionem criminis ſufficiat. Sed huiuſmodi eo mendacia colligere oportuit, modò vellent ſimplicibus, & in diuinis ſcripturis parùm eruditis fidem facere. Requirunt verò fidem Catholici, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, requirunt bonum propoſitum, requirunt ſacramentum Pœnitentiæ. Hæc omnia docent Sententiariorum, vt ipſi vocant, libri. Si docerẽt ſufficere ad deletionem criminis, ſequeretur & Iudam ſeruatum eſſe.

Ad quartũ. Sed & quartum, mendacium eſt impudẽs, quòd docuerint, hominem propter Contritionem, abſque fide in Chriſtum mereri remiſſionem peccatorum. Nouerunt enim veram Contritionem nequaquàm haberi poſſe niſi per fidem charitate formatam, licèt per fidem informem, vt iam nunc diximus, atteri poſſit peccator.

Quintum quoque, quod falsò impingunt iſti Catholicis, etiam mendacium eſt. Nam ne ſemel meminerunt, vt dicerent poteſtatẽ clauium valere ad remiſſionem peccatorũ, non coram Deo, ſed coram Eccleſia. Reſpõdeant hic ſi poſſunt, quibus tanta inceſſit mẽtiendi libido, doceantq́ue vbi huius rei vel vnum legerint apicem. *Ad quintum*

Haud impari mendacio nugantur tradiſſe Catholicos, ꝙ ſuſceptio Sacramẽti pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu vtentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conſequatur gratiam. Sic autem tradiderunt, & quidem catholicè, ꝙ ſacramenta dent gratiã his, qui non ponunt obicem. Qui enim non credit, qui non ſtatuit ſecum vitam, & malos mores corrigere, qui ex imo pectore nõ q̃rit gratiam, magnum planè gratiæ obicem ponit. Videant hic illuſtres Principes, & omnes cordati viri, iſtorum Cretẽſium mecœnates, qui fortè his euidentiſſimis mendacijs irretiti ſunt, & à Catholico ſenſu alienati, quàm periculoſe ſtent, quàm inſecurè viuant, cùm mendacijs nituntur. Mirum ſanè, quod iſti impudentiſſimi ſimul ac effrontiſſimi homines audent hãc tetram verborum fuliginem candidis chartis illinere, in offenſionem omnium bonorum, in decurtationem totius Germanicæ religionis. Sed hoc multò maximè eriget nutantes conſcientias, ꝙ iſti tot mẽdacia audent mundo inuehere, quòd audiãt iſtos, præter impoſturas nihil habere, quo adulterinam ſuam doctrinam communiant & haud deſperãt fore, vt haud minùs iſta hæreſis exſulet, quàm nunc Anabaptiſtica colluuies vbique malè audit. Sed vtinam Lutherus non peperiſſet ouum, vndè Zuingliana, Oecolampadiana, Brentiana mala ꝓdijſſent. *Ad ſextum.* *Impudentia aduerſariorum.* *Lutherus omnium hæreſum cauſa.*

Sed audi nunc, quàm pueriliter doceant cõtritionem & fidem partes eſſe Pœnitentiæ, & dices eos non minùs temerarios eſſe, quàm indoctos. Nõ loquor hic de multiloqua Rhetorica: quis eſt enim, qui hac parte Philippũ Melanchtonem ſuperet? ſed loquor de ſacra illa Theologia, quæ nihil commune habet cum pulchro verborum fuco.

Sed dicimus (inquiunt) *Contritionem, veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato, & dolet ſe peccaſſe, & hæc Contritio ita fit, quãdo verbo Dei arguuntur peccata, quia hæc eſt ſumma prædicationis Euangelij, peccata arguere, & offerre remiſſionem peccatorum & iuſtitiam propter Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & vitam æternam, vt renati bene faciamus. Sic complectitur ſummam Euangelij Chriſtus cùm ait Lucæ vltimo, prædicari in nomine meo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum inter omnes gentes.*

His

Hic velim memineris eorum, quæ ſuprà de iuſtificatione docuerunt, videlicet, quòd ſola fide ſine charitate, ſine vllo opere iuſtificetur peccator, & manifeſtè conſpicies, quantum vel inuiti ſententiam ſuam correxerint. Quòd autem tradunt Aduerſarij, Contritionem naſci, cùm verbo Dei arguuntur peccata, quòd ſumma prædicationis Euangelij ſit arguere peccata, & offerre remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam propter Chriſtum, penitiùs introſpexiſſe fortaſsè iuuerit. Age itaque; cur per verbum Dei arguuntur peccata, niſi vt peccator audiens fœditatem grauitatemque peccatorum, timere & dolere incipiat, qui priùs vt iubatus gigas, neminem metuebat? Cur offertur remiſſio peccatorum, & Iuſtificatio propter Chriſtum, niſi vt timorem ſpes erigat? An non eadem docuerunt Catholici? Quid ergò rei eſt, quòd iſti in Repub. Chriſtiana tantam excitarunt tragœdiam? Si vtile eſt ex fœditate & grauitate peccati, & ingruentis ſupplicij terrore de peccatis dolere, quid venit Luthero in mentem vt ſcriberet, quòd Contritio, quæ diſcuſſione & deteſtatione peccatorum paratur, hypocritam magis & peccatorem facit? Quis hic non videat, quàm peſſimè iſtis cum Luthero conueniat, quem vbique ab erroris ſuſpicione voluerunt protegere? At fortè hic quæras, ſi cóſtitit inter Catholicos doctores, quòd peccator ad timorem ex grauitate peccati diuinæque iuſtitiæ æquitate, & ad ſpem, propter diuinam miſericordiam veniam promittentem, adduci debeat, & ſi idipſum nunc probant Aduerſarij, quæ ſit vtrinque controuerſiæ cauſa. Audi, & caue, ne iſtorum aſtutia illaqueeris. Aduerſarij antehac, licèt ſolam fidem ſufficere dicerét ad peccatorum remiſſionem ſine omni opere, iam tamen in hoc ſeſe aliquantulum corrigunt: nam aliquod opus à peccatore exigunt, videlicet dolorem, quem ſiue ex charitate, ſiue odio, naſcatur, dicunt ſufficere ad iuſtificationem, modò credat ſibi peccata dimitti. Catholici verò certiſſimi, quòd nunquam remittantur peccata, niſi per iuſtificantem gratiam, & per fidem charitate formatam, aſſerunt gratiam gratum facientem, & charitatem neceſſariam eſſe ad reconciliationem. Nunquam inimicus reconciliatur, niſi priùs diligat eum, quem priùs odio perſequebatur: nunquam ingratus agnoſcet beneficium in ſe collatum, niſi priùs malè affectum animum exuat, id eſt, inimicus & ingratus non iuſtificantur, niſi charitate & gratia interuenientibus. Ideò tradunt non ſufficere ad peccati remiſſionem, ſi tantùm timeat, & peccatorum remiſſioné ſperet, ſed quòd oporteat eum ex toto corde dolere, & conuerti ad Deum, ita vt non tantùm timeat, ſed diligat Deum. Tradunt etiam, quòd dupliciter hanc gratiam impetrare oporteat. Primùm, vt peccator hinc iram DEI metuens, hinc miſericordiam ſperans orando, proximorum miſerendo, benefaciendoque gratiam tantiſper quærat, dùm eam de cógruo mereatur. Deinde, vt peccator dolés de peccatis, & petens gratiam, ſacramentum accipiat Pœnitentiæ, id eſt, vt confiteatur peccatum ſuum, accipiatque eius abſolutionem, & hinc ex verbis Chriſti pollicentur remiſſioné peccatorum & gratiam: Quorum remiſeritis peccata, &c. Vides igitur clarè, quantum inter eos interſit.

Pœnitentia, cur verbo Dei arguuntur.

Lutherus aliter docet atque ...

Corrigunt Aduerſarij ſententiam.

Gratiã dupliciter impetrare oportet.

Primò.

Secundò.

Ioan. 20.

Aduerta hic iterum quàm benè, vt interim taceam quàm ineptè, Aduerſariorú dicta cohæreant. Dicunt Contritionem veros eſſe terrores conſcientiæ ſentientis Deum iraſci peccato, & ſe peccaſſe dolentis, quæ fit, dùm per verbum Dei arguuntur peccata. Iſta pugnant cum præcipua illorum ſententia. Nam cùm per verbum Dei, peccata eius redarguuntur, operæpretium eſt, vt vel credat, vel non credat verbo Dei. Si non credit, nihil metuit, nihilque conſcientia eius permouetur. Si verò credit, certè ſecundum Aduerſariorum definitionem, fidem habet. Si verò fidem habet, iterum, vt ipſi tradunt, iuſtus eſt, nam ipſi negant fidem cum peccato manere poſſe. Si verò iuſti ſunt, nullum terrorem, ſed omné conſolationem hinc percipiunt, quandoquidem gaudent ſe à peccatis eſſe abſolutos. O docta capita, ſed proh dolor, cerebrum non habent. O ſuaues, prouidentesque Theologos, qui aliena priùs lacerant, quàm intelligant; priùs damnant, quàm ſua ſtatuant. Proferunt nunc duos locos ex Dauide, quibus ipſi planè abutuntur.

Aduerſarij non ſibi conſtant.

Capiuntur.

Et de his terroribus, inquiunt, *loquitur Pſalmiſta 37. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, &c. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Et Pſal. 6. Miſerere mei domine, quoniam infirmatus ſum, &c.*

Hi loci, Aduerſariorum ſententiam, videlicet quòd credenti tantùm remittantur peccata, proſus eneruát, ſuſtentant verò Catholicorum doctriná. Compertum eſt enim, Dauidem, dùm tanta animi intentione precaretur, dùm tam anxiè diuinam miſericordiá & gratiam pete. et, dùm tam obnixè iram Dei, & ſupplicia peccato ſuo digna deprecaretur, ſatis credidiſſe. Niſi enim credidiſſet, inaniter ſeſe tanto affeciſſet dolore: Quomodo inuocabunt eú, inquit Apoſtolus, in qué non crediderút? Credidit quidé, ſed nó pſumpſit peccatú ſibi eſſe dimiſſú, niſi hac ratione ſeſe afflictaſſet, niſi priùs miſericordiam imploraſſet. Aut igitur iſti errát, aut errat Dauid. At Dauidé erraſſe nemo facilè opinabitur, iſtos verò toto cœlo errare, iam ſatis exploratum eſt.

Rom. 10.

Nos igitur addimus (inquiunt) *alteram partem Pœnitentiæ de fide in Chriſtum, quòd in his terroribus debeat conſcientijs proponi Euangelium de Chriſto, in quo promittitur gratis remiſſio peccatorum de Chriſto, debent igitur credere, quòd propter Chriſtum gratis remittantur ipſis peccata.*

Facilè inter Aduerſarios & Catholicos lis componeretur, ſi vellent illi ſibijpſis conſtare, & ſcripturis credere. Fidem faciunt alteram Pœnitentiæ partem, quàm nos ex conſenſu ſcripturarum Pœnitentiæ eſſe cauſam probauimus. Nota hic, quod dicunt de fide in Chriſtum, & deinde quod decernit Auguſtinus, aliud eſſe credere Deo, aliud in Deum, quodque illud multorum etiam dęmonum, iſtud paucorum ſit, eorum ſcilicet, qui fide in ipſum Deum tendunt. Fide autem tendere in Deum, nihil aliud eſt, quàm benefaciẽdo, obſecrando reconciliationem & vnionem cũ Deo toto pectore quærere, quod tum demũ continget, cum pœnitentibus & petentibus, dabitur ſpiritus ſanctus, per quem & charitas diffunditur in cordibus eorum. Charitas enim ſola eſt, quæ hominem Deo indiſſolubili quodam vinculo connectit. Sanè, qui hoc modo in Chriſtum credunt, promiſſam peccatorum remiſſionem haud inaniter exſpectant. Contrà, qui Deo credunt tantùm, manumq; geſtant ſub pallio ocioſam, imò cùm hac fide nihil minus perpetrant malorum, bona ſpe fraudantur. Et hęc eſt vna ſacrarum ſcripturarum, Catholicorumq; omnium ſententia, imò hæc eſt etiã iſtorũ ſententia, nam nunc addunt etiam Contritionem & pœnitentiam fidei. Aduerſarijs igitur ſola fides iuſtificat ſine operibus, rurſus eiſdem non iuſtificat ſola, ſed requiritur dolor & contritio de peccatis. Quæ duo pugnant inter ſe magis, quàm iſta? Hæc ſuprà copioſiùs diximus.

Peccator quàdo Deo reconcilietur.
Rom 5.

Nec prius dilectio adeſt, inquiunt, *quàm ſit fide reconciliatio facta: Lex enim non fit ſine Chriſto, iuxta illud: Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum.*

Audiſti abſurda, audis nunc abſurdiora, tametſi hæc etiam dicta ſint, propter eos autem quibus non eſt otium paginas voluere & reuoluere, tantum dicemus, quantum erit opus iſtorum ori obſtruendo. Aduerſarij itaque ſine charitate aſſerunt peccatorem iuſtificari, imò iuſtum eſſe, quia dilectio (vt eorum verbis dicamus) non adeſt, niſi priùs fuerit fide facta recõciliatio. Non video an quicquam dici poſſet ineptius: Perinde enim eſt ac ſi dicerent, eodem tempore, eadem hora, eodemque momento, homo ſimul iuſtus & iniuſtus eſt. Iuſtus, quia iuſtificatus eſt, ſimulque à peccatis abſolutus. Iniuſtus, quia non Deum, ſed ſeipſum plùs quàm par eſt, diligit. Et ſi Deo placet, non benè dixit Ioannes. Qui non diligit, manet in morte. Quis putauiſſet iſtos oculatos ſcilicet homines, in tam clara luce offenſuros?

Cata aduerſariorum argumentatio.
1. Ioan. 3.

Porrò vide iam, quàm bellè tam ineptam ſententiam probent: Lex, inquiunt, non fit ſine Chriſto, iuxta illud: Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum. O lepidam probationem, lex non fit ſine Chriſto, & per Chriſtũ habemus acceſſum ad Deum, ergò ante dilectionem, & ſine dilectione fides iuſtificat. Sanè ſi eſſent omnes homines, præſertim Catholici doctores, truncis ſtupidiores, facilè pedibus concederent in iſtorum ſententiam: Lex, inquiunt, non fit ſine Chriſto Deo. Hic nos dicimus, quod & Ioannes dicit, quòd DEVS charitas ſit, ideoque ſine charitate non fit lex, & quòd nemo ſine charitate Deum adit, à quo peccator non loco, ſed affectu ſeiungitur. Nã qui non diligit Deum, ſummo ſtudio ea proſequitur, quæ cum diuinis aperto Marte pugnant. Et ita nunquam Deo proximat, nunquàm connectitur, ſine hoc fortiſſimo dilectionis vinculo. Stat enim irrefragabilis illa Ioannis ſententia: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quòd ſi Deus charitas eſt, compertum eſt, alienum eſſe à Deo, qui charitate vacat, neque cum Deo habere cõmercium, niſi prius Deũ diligat. Habemus igitur acceſſum ad Patrem, vt inquit Apoſtolus, per fidem: non illam ſimplicem, ſed per fidem, quę per charitatem operatur.

Prodigioſa argumentatio.
1. Ioan. 4.
Quomodo aditum habeamus ad Deum.
Rom. 5.

Et quia Deus (inquiunt) *vere per verbum viuificat, claues verò coram Deo remittunt peccata, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Quare voci abſoluentis, non ſecùs ac voci de cælo ſonanti credendum eſt. Et Abſolutio propriè dici poteſt ſacramentum Pœnitentiæ, vt etiã Scholaſtici Theologi eruditiores loquuntur.*

Expende etiam hic, quàm concinnè dicta Aduerſariorum cohæreant: Claues, inquiunt, coram Deo peccata remittunt. Et Abſolutio propriè dici poteſt Sacramentum Pœnitentiæ. Affirmant igitur poteſtatem clauium, & per Pœnitentiæ Sacramentum dimitti peccata. Vbi ergò eſt illa vetus ſententia, qua definiebant ſola fide remitti peccata? Si remittit fides peccata, non remittunt claues aut Pœnitentiæ ſacramentum. Aut ſi remittunt claues & Pœnitentiæ ſacramentum, non remittit fides. Aut certè, ſi vtraque remittunt, non remittit ſola fides. Vides igitur quòd ſe ſeipſi damnent, Catholicorum verò ſententiam roborent? Toties ſpecialem ſuam fidem verſant, vt ferè neſciant, quid non comprehendat illa fides.

Vbi ergò ſola ſpecifica fides.

Sed quia Confutatio, inquiunt, *damnat nos, quòd has duas partes Pœnitentiæ poſuerimus oſtendendum eſt, quòd ſcriptura in Pœnitentia ſeu conuerſione ponat has præcipuas partes: Chriſtus enim inquit Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic duo membra ſunt, labor & onus*

ſignifi-

ſignificant contritionem, pauores, & terrores peccati & mortis. Venire ad Chriſtum, eſt credere, quòd propter Chriſtum remittantur peccata, &c. Sunt igitur duæ partes hic præcipuæ, contritio & fides. Et Marc. 1. Chriſtus ait: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Vbi in priore articulo arguit peccata, in poſteriore conſolatur nos, & oſtendit remiſſionem peccatorum. Nam credere, non eſt illa generalis fides, quam habent & diaboli, ſed propriè eſt credere remiſſionem peccatorum propter Chriſtum donatam. Hæc enim reuelatur in Euangelio. Videtis & hic duas partes coniungi, &c.

Venite ad me oẽs, &c. quomodo à Catholicis intelligatur. Eſt quidem hæc probatio aptiſſima ad roborandum Aduerſariorum inſtitutum, ſed Catholici non recipiunt hanc verborũ Chriſti exegeſim, nimis coactam. Defendunt verò eam acriter, quam à Patribus acceperunt, nempe quòd Chriſtus hoc verbo allexerit peccatorem, plùs nimiò peccatis grauatum, ne animum deſponderet, ſed reuerteretur ad ipſum, ceu ad patrem multò clementiſſimum, malè affectum humaniter excipientẽ, idque per fidem, quæ magis præcedit pœnitentem, quàm ſit Pœnitentiæ pars. Et iſti refrigerium, id eſt, remiſſionem peccatorum promittit. Vbi eſt hic vel vnum iota iſtarum partium Pœnitentiæ, quas Aduerſarij hic cõplecti volunt?

Marc. 1. Agite pœnitẽtiam, quomodo Catholici exponant. Cæterùm quod addunt ex Marco, eorum inſtitutum, ſicut ante hac dictum eſt nobis, prorſus euertit. Nam hic palàm docet Chriſtus, quòd non ſola fides iuſtificet, ſed quod ad iuſtificationem & ſalutem Pœnitentia opus ſit. Et ad hunc ſenſum allegat CHRISTVS. Nulla eſt hic mentio fidei, vtpote alterius Pœnitentiæ partis. Iam quis excipiat compreſſam hanc ſententiæ Chriſti exegeſim: Credite euangelio, id eſt, credite remiſſionem peccatorum propter Chriſtum eſſe donatam. Nihil ergò magis complectitur Euangelium, quod credere oporteat, quàm ſolam remiſſionem peccatorum? An non credendum eſt, Chriſtum pro nobis hominem factum, paſſum, à mortuis excitatum, ſuper omnes cœlos eleuatum? An non credemus *Euangelium plura docet quàm fidem.* etiamnum, quod idem docuerit pœnitentiam, mandatorum ſuorum obſeruantiam, quodq́; ſingulis pro laborum qualitate mercedem olim refundat? Num hæc, vel ob hoc, quòd & dæmones ea credunt, à Chriſtianis fide non ſunt excipienda? Sed hoc vrgent iſti, quòd ſententiam ſuam ſtatuant, vt aliam à generali fide, quam Chriſtus docuit, accipiamus. Aliam, inquam, qua creditur ſolũ propter Chriſtum donatam eſſe remiſſionẽ peccatorum. Ita volunt hanc ſpecialem fidem ſuam Euangelio eſſe propriam, vt eam, qua creduntur omnia illa iam enumerata, ſed & hoc, quod iſti ſolùm ingerunt, ab Euangelio alienent. Quò non feruntur intemperantiæ, qui ab vniuerſalis Eccleſiæ fide recedunt?

Paulus ferè vbiq;, inquiunt, cùm deſcribit conuerſionem, ſeu renouationem, facit duas has partes, mortificationem & viuificationem, vt Col. 2. In quo circumciſi eſtis, circumciſione non manu facta, videlicet expoliatione corporis peccatorum carnis. Et poſteà: In quo ſimul reſuſcitati eſtis per fidem efficaciæ Dei. Sũt ergò hic duæ pœnitentiæ partes, contritio & fides.

Eiuſdem energiæ ſunt iſta cum ſuperioribus, eandemq́ue habent vim ſtatuendi iſta, quæ moliuntur Aduerſarij. Sed nos referimus omne iudicium ad omnes bonos viros, qui Catholicæ veritati lubenter ſubſcribunt, *Fides non eſt pars pœnitentiæ.* an ex hoc loco probare poſſint opinionem ſuam de duabus Pœnitentiæ partibus, contritione ſcilicet & fide. Eſto autem quando ita volunt, vt hæc ſyncera ſit verborum Apoſtoli interpretatio: Mortificanda ſunt membra noſtra per fidem ſuper terram, ne vicijs, ſed Chriſto ſeruiant, vt mortui ſimus peccato, viuamus autem Deo: num ideò duæ ſunt partes Pœnitentiæ, Contritio & fides? præſertim cùm neutrius hic meminerit Apoſtolus. Rurſus quomodo ſequetur ex hoc, quod citant: Circuncisi ſumus circuncisione non manu facta, &c. duas eſſe partes Pœnitentię, contritionem ſcilicet & fidem? Sanè ſi hoc eis relinqueretur, nihil eſſet à veritate tam alienũ, quod non probaretur hac ratione.

Quanquàm quid opus eſt, inquiunt, *multa citare teſtimonia, cum vbique ſint obuia in ſcripturis. Pſal. 117. Caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me. Pſalm. 118. Defecit anima mea præ anguſtia, confirma me verbo tuo. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad portas inferi, & reducit. Ad hunc modum ſolet ſcriptura hæc duo coniungere, terrores & conſolationem, &c.*

Poſſent quidem his teſtimonis tractatum producere, ſed interim tamen nihil profecerint, niſi manifeſtam ſcripturam adduxerint, qua doceant fidem ita Pœnitentiæ partem eſſe, vt cauſa eſſe non poſſit. Nam recepta eſt hæc ſententia in Catholica Eccleſia, vt fides cauſa ſit, non pars Pœnitentiæ, quæ etiamnũ iſtam ſententiam Aduerſariorũ non recipiet, niſi fortè hoc apertè doceant. Quid ſi in ſcripturis Deus non pœnitentes minis terret pœnitentes verò promiſſis demulcet, ergò duæ tantùm ſunt Pœnitẽtiæ partes, contritio & fides? Sic ex æquo omnib9 reſpõſum ſit, quæ in Apologia Aduerſarij citant: nam omnia illa minùs habent virtutis, quàm iſta pluſquam infantiliter citata. Sic enim habent.

Aduerſarij dicunt, peccatum ita remitti, quia contritus elicit actum contritionis Dei, per hunc actum meretur accipere remiſſionem omnium peccatorum. Hoc nihil eſt, niſi legem docere deleto Euangelio, & abolita promiſſione de Chriſto. Tantùm enim requirunt legem & noſtra opera, quia lex exigit dilectionem. *Hic excluditur charitas à iuſtificatione.*

Acutè, & planè vt monophthalmos decet, diſputant. Sic enim ferè ratiocinantur:

Quia

Quia lex dilectionem exigit, ergò qui dilectionem requirunt, deſerto Euangelio, legem docent. Iam dicant iſti Sophiſtæ, vtra lex charitatem exigat, Moyſi an Chriſti, an etiam vtraque. Certè vtraque dilectionem exigit. Et abſolutior quidem in lege Chriſti requiritur charitas, quàm in lege Moyſi. Si Moyſes requireret charitatem, quam Chriſtus non requireret, ille certè hoc eſſet maior, hic eſſet illo inferior, vtpote qui potiſſimam, & quam Paulus maximam vocat, virtutem ignoraſſet. Si autem, quod res eſt, lex Chriſti Euangeliū docet dilectionem, non deſerit, ſed ſequitur Euangelium, qui dilectionem docet. Et non amplius Euangelium deſerit quàm Chriſtus, quàm Paulus, quàm Petrus, quàm Ioannes, quàm alij Apoſtoli, qui vno ore multa charitatis encomia reliquerunt. Et omnes vetuſtiores Catholici viri definierunt, quod & nunc recentiores fortiter defendunt, ita legem Chriſti, legem eſſe amoris, vt lex Moyſi, lex fuit timoris, præſertim quod lex Chriſti tam largam, tam immenſam Dei erga homines declararit charitatem, & ob hoc iure ingratus reputetur & odioſus, qui charitatem charitate non compenſet. Non eſt ergò quòd iſti Catholicis infeſti ſint, vtpote qui legem doceāt relicto Euangelio: nam lex charitatis ita vetus eſt, vt & inter Euangelicas virtutes maxima ſit.

Vtraque lex dilectionem requirit.

Euangelium lex eſt amoris, lex Moyſi, lex fuit timoris.

Diximus, inquiunt, *quas ab cauſas poſuerimus has duas partes Pœnitentiæ, contritionem & fidem. Idq; hoc fecimus libentius, quia circumferuntur multa dicta de pœnitentia, quæ truncata citantur ex Patribus, quæ ad obſcurandam fidem detorſerunt aduerſarij, in quibus nulla fit mentio fidei, ac ne in ſcholis quidem cùm interpretantur, aliquid de fide additur.*

Dixerunt quidem, ſed non citra ſcripturarum iniuriam, fidem partem eſſe Pœnitētiæ: at nos contrà aperuimus Catholicorum ſententiam, quam vt Canonicis ſcripturis, & rectè rationi magis quadrantem, priùs accipient Catholici, quàm nouitiam iſtorum, & parùm ſibi concinnam opinionem. Sed malè habet Aduerſarios, quòd in multis Patrum dictis nulla fiat fidei mentio, præſertim quòd quando ea in ſcholis interpretantur, ſi nihil de fide addant Theologi, id haud laudem. Nam in ſcholis omnia exactiùs tractari oportuit, quàm ſcribi poſſunt. At ego puto iſtos Catholicis ſuo more conuiciari voluiſſe. Neque enim in omnibus Academijs omnes audierunt ſacrarum ſcripturarum interpretes, aut ſi audierunt, oſcitanter audierunt.

Iam quid periculi eſt, ſi doceant pœnitentiam, nulla habita fidei mētione, cùm hoc ante ipſos fecerit Chriſtus, cæteriq; Apoſtoli. Chriſtus inquit: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnū cælorū: pœnitentiæ, nō hic fidei eſt mentio. & alibi: Niſi pœnitentiā egeritis, omnes ſimul peribitis. Neque hic fidei Chriſtus meminit. Et Paulus præcipuus fidei noſtræ defenſator: Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, inquit, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Neq; hic Paulus fidei meminit, vtpote partis pœnitentiæ. Si quid ergò incommodi habent ſanctorum dicta, habent Chriſtum, habent Paulum, habent alios Apoſtolos, cum quibus expoſtulent. Sed & ſuperiùs diximus, fidem Pœnitentiæ ita eſſe annexam, vt prorſus ſine ea eſſe nō poſſit, & quòd nemo ſeſe Pœnitentiæ anguſtijs ſubiugat, niſi priùs idem credat. Habet autem non exiguā mendacij notulam, quòd hic Catholicos Patrum dicta detorſiſſe, ad obſcurādam fidem, nugantur. Nam nō tam breuia dicta, ſed prolixos Pœnitentiæ libros citant & circunſerūt. Sed ſic placet iſtis, Catholicos mendacijs onerare, vt eos ſuo mundo contemptibiliores faciant & deſpicabiliores.

Matt. 4.

Luc. 13.

2. Cor. 7.

Pœnitentiæ [illegible]

De Confeßione ſic, dicunt, *Boni viri iudicare poſſunt, referre plurimum, vt de ſuperioribus partibus videlicet contritione & fide, conſeruetur vera doctrina. Itaque in his locis illuſtrandis ſemper verſati ſumus. De Confeßione & ſatisfactionibus non adeo admodum rixati ſumus. Nam & nos Confeßionem præcipuè retinemus propter abſolutionem, quæ eſt verbum Dei, quod de ſingulis auctoritate diuina pronunciat poteſtas clauium. Quare impium eſſet, ex Eccleſia priuatam abſolutionem tollere, neq; quid ſit remißio peccatorum, aut poteſtas clauium intelligunt, qui priuatam abſolutionem aſpernantur.*

Haud dubiè iudicant boni viri, plurimum referre ad harmoniam Eccleſiaſticam, vt vera de fide & Contritione conſeruetur doctrina. At extra controuerſiam eſt, talem doctrinam in Catholica Eccleſia, non in ſecretis hæreticorum conciliabulis eſſe. Aduerſarij quidem omnem mouerunt lapidem, vt adulterinam doctrinam ſtatuerēt, ſed vt plurimum ſefellit eos opinio. Hinc tot conuitia, tot maledicta, tot mendacia eis aduerſus Catholicos ſunt excogitata. Sed arbitror interiorem aduerſariæ partis falſitatem abſtractis fucis, non parùm eſſe detectam, vt iam fruſtrà rixati videri poſſint, vtque neminem poſt hac putem tam apertæ falſitati facilè ſubſcripturum.

Gloriantur hic, quòd Confeſſionem Catholicis reliquerint, quaſi penes ipſos ſumma ſit auctoritas, ſummumque ius ſtatuendi, definiendi, ordinandi, quæ Reipub. Chriſtianæ vtilia eſſe videantur. Non eſt quod hic in ſinum gaudeant, eſt autem quod eos temeritatis pudere poſſit. Habēt Eccleſiaſtici ſua ſacramenta, habēt Confeſſionem, habent alia, quæ vtut inſaniant iſti, nemo eripit, nemo tollit, nemo inanit, nemo obliterat, ſed non interibūt, niſi cū ſeculo. Fidelis enim eſt, qui pollicitus eſt Eccleſiæ ſuæ ſe ſemper adfuturum. Propter iſtorum vel affirmationem vel infirmationē,

Mat. vlt.

Eccle-

Eccleſia nihil erit ſecurior, nihil infirmior. Sed vide iam quantum tribuant Confeſſioni, quantumq́; ei reliquerint.

Cæterùm de enumeratione delictorum(inquiunt) *in Confeſſione ſuprà diximus, quòd cenſeamus, eam non eſſe iure diuino neceſſariam.*

Qui lethalibus obnoxius eſt peccatis, iure diuino tenetur remediũ quærere, & per Pœnitentiam ad Deum, quem offendit, redire. [*Ioel. 2.*] Iuxta illud: Conuertimini ad me in toto corde veſtro. & Paul⁹: Surge, inquit, qui dormis, [*Epheſ. 5.*] & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Non eſt commodior aut compendioſior de peccatis ad Deum via, quàm vt pœnitens peccata ſua ſacerdoti per ordinem, quoad poteſt, enumeret. [*Omnia peccata enumerare oportet.*] Nam vt non poteſt chirurgus hominem multis vulneribus ſaucium, niſi vulnera aperiat denudetq́ue malè affectus, ſanare: ita neque ſacerdos poteſt conſcientiæ multis peccatis laceræ mederi, niſi omnium ſimul peccatorum origines pernoſcat. Nam ſi dicat tibi quiſpiam ſecreto, ſe inanibus delectari rumuſculis, taceat autem ad libidinẽ pronitatem, taceat inuidiam, taceat alia animæ vitia, quomodo coniectura ea aſſequi poteris, vt continentiam, vt charitatem, vt alia ei virtutum dogmata inſtilles. Neceſſe ergò fuerit, vt omnia ſimul, quæ multa examinatione colligere poteſt, recenſeat. [*Prou. 28.*] Hinc & Salomon benè vaticinatus eſt: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. [*Omnia peccata commemoranda ſunt confitenda.*] Eſt & totius Catholicæ Eccleſiæ præceptum, cui non licet cõtraire, vt homo ſaltem ſemel in anno ſacerdoti peccata ſua, quorum reminiſci poteſt, confiteatur. Nam vt dicitur de pœnitentijs & ſatisfactionibus, cap. Omnis vtriuſque ſexus, Innocentius cum generali [*Innocentius. Auguſt.*] concilio id decreuit. Et Auguſt. dicit: Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, nemo dicat ſibi, Occultè ago. quia apud Deum ago, ergò ſine cauſa claues datæ ſunt. Hinc etiam liquet, eodem iure, quo ſacerdos abſolutionem legitimè petentem abſoluere tenetur, obligatur peccato, vt ſingula peccata ſua confiteatur, aperiatq́ue animæ ſuæ latentes morbos, vt curari poſſint. Et iſta eſt hic Auguſtini ſententia, vt qui verè pœnitet, non agat pœnitentiam occultè, & ſolùm in corde ſuo coram DEO, ſed ſubeundum eſt humiliter, ſicut idem alibi pulchrè cenſet, iudicium ſacerdotis, quem dominus ſibi nõ dedignatur vicarium.

Quanquàm(inquiunt)*Confeſſionem probamus, et quanquàm examinationem prodeſſe iudicamus, vt inſtitui homines melius poſſint, tamen ita moderanda res eſt, ne conſcientijs injiciantur laquei, quæ nunquàm erũt tranquillæ, ſi exiſtimabunt ſe non poſſe conſequi remiſſionem peccatorum, niſi facta illa ſcrupuloſa enumeratione. Hoc certè falſiſſimum eſt, quod aduerſarij poſuerunt in Confutatione, quòd Confeſſio integra ſit neceſſaria ad ſalutem. Eſt enim impoſſibilis.*

Audis, quòd probent Aduerſarij Confeſſionem, quodq́ue iudicent quandam examinationem prodeſſe, vt melius inſtitui poſſint homines. Si, quod ipſi probant, vtilis eſt quædam examinatio, ſi vtilis eſt, imò quòd dicũt Catholici, neceſſaria eſt peccatorum integra confeſſio (integram vocamus eam, quæ poſt iuſtam examinationem integrè fit pro poſſibilitate confitentis) cur eam tantopere perſequuntur? impugnant? cur ab ea ſuos auocant? Si vtilis eſt peccatorum confeſſio, cur erit inutilis omnium peccatorum confeſſio? Audi cur nolint integram Confeſſionem eſſe neceſſariam: Ne, inquiunt, conſcientijs inijciantur laquei. O ſapientes homines manifeſto errore concluſos. Si peccatori debet prodeſſe confeſſio, veram, non fictam eſſe oportet. Erit autem ficta, ſi non fuerit integra. [*Confeſſio erit ficta, niſi ſit integra.*] Nam decipies ſacerdotem, cui peccatum cõfiteberis, putabitque te, ſi grauiora taceas, minutiora recenſeas, Ioanne Baptiſta ſanctiorem eſſe, cũ coram Deo ſis omnium immundicierum fœtens cloaca. Hanc autem hypocriſim vehementer deteſtatur Deus, cùm de tali loquitur Iob: Non veniet in conſpectu eius omnis [*Iob. 13.*] hypocrita. Integra itaque confeſſio, ſicuti neceſſaria eſt, niſi velis hypocrita cenſeri, ſic cõſcientias minimè illaqueat, ſed à peccatorum vinculis, quibus obligabatur, liberat. Eſt etiamnum facilis factu, non impoſſibilis: exonerat, non grauat. [*Confeſſio peccatorũ quomodo poſſibilis.*] Hic non requirunt Catholici ad integram peccatorum confeſſionem, vt memorias ſuas fugientia confiteantur peccata, nam hoc ſtultum eſſet mandatum, ſed ſolùm ea, quæ poſt iuſtum examen recogitat peccator, annumeret ſacerdoti, non vt proditori, ſed vt conſultori ſecretiſſimo, qui poſſit ſingulis quibuſq́ue animæ vicijs, verbo DEI mederi. Non puto hoc impoſſibile eſſe: nam iuxta Comicum, dicto nihil eſt facilius. Audi nunc, quid de hac peccatorum Confeſſione ſenſerint veteres orthodoxi patres. Dionyſius diſcipulus Pauli ſic ſcribit Demophilo cuidam Monacho. [*Dionyſius Demophylo.*]

Tu verò, vt tuæ literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium, vt ais, atque peccatorẽ neſcio quo pacto, contra diſciplinæ ordinem adſtans calce abieciſti ac repuliſti. Cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur ſe ad quærenda peccatorum remedia veniſſe: neq; exhorruiſti inſuper ſacerdotem optimum lacerare cõuicijs, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem atq; impium iuſtificauiſſet. Hæc ille. Si ille, qui ſacerdoti accidit ad pedes, venit ad quærenda peccatorum remedia, ſanè oportuit eum omnia peccatorũ vulnera aperire, quæ remedio indigerẽt. Cur ergò dicunt iſti Aduerſarij.

Apud

Apud ſcriptores,(inquiunt)*Eccleſiaſticos ſit mentio Confeßionis, ſed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorum, ſed de ritu publicæ Pœnitentiæ.*

Origenes ſuper pſal 37.

Nam hic nihil dicit de ritu publicæ pœnitentiæ, ſed de peccatorum enumeratione. De iſta peccatorum enumeratione, etiam apertius loquitur Origenes: Quoniam iniquitatem meam pronuntio. Pronuntiationem, inquit, iniquitatis, id eſt, confeſſionem peccati frequētiùs diximus. Vide ergò quid edocet nos ſcriptura diuina, quia oportet peccatum non cælare intrinſecùs. Fortaſſis enim ſicut ij, qui habent intùs incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris aut phlegmatis ſtomacho grauiter ac moleſtè inconuenientia, ſi vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, ſi quidem retinent in ſe peccatum, intrinſecùs vrgentur, & propemodùm ſuffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dùm accuſat ſemetipſum, & cōfitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodò circunſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinā, vt ita demùm, ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilij dederit, facies, & ſequeris: ſi præuiderit talem eſſe languorē tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari: ex quo fortaſſis & cæteri ædificari potuerunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hac deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. Hactenus dicta Origenis recenſui, vt videar probus lector, Origenem de vtroque, id eſt, de enumeratione peccatorum, & de ritu publicæ Pœnitentiæ loqui, vtq́ue iſtos tanquam falſarios mendacij accuſet. Cyprianus quoque martyr inuictiſſimus, eandem ſententiam tuetur: Hi, inquit, quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore cōſtricti ſunt, quoniam tamē de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter cōfiteantur. Exomologeſim conſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirant. Et paulò inferiùs: Confiteantur ſinguli, vos quęſo fratres delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſeculo eſt, dùm admitti confeſſio eius poteſt, dùm ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud dominum grata eſt. Iſte ſanctus vir putabat, paruorum modicorumq́ue peccatorum confeſſionem neceſſariam eſſe, Aduerſarij contrà cenſent, ne grauium quoque peccatorum faciendam eſſe confeſſionem. Aut ſi hoc non cenſent, decernere oportuit, quæ peccata cōfiteri neceſſe ſit. Huic quoque ſententiæ accedit Auguſtinus, dicēs:

Peccatum non celatū manet in nocentū, vt cibus indigeſtus ſtomacho.

Deligendus ſacerdos, cui peccatum cōfiteatur.

Cyprianus ſermo. de lapſis.

Auguſt. de vera & falſa pœnit.

Strepitus ſit tuorum peccatorum recordatio, ſuper quibus perſtrepet in aure ſacerdotis humillima confeſſio, iuxta illud Iacobi Apoſt. Confitemini alterutrum peccata veſtra. Hic nihil loquitur de ritu publicæ Pœnitentiæ, ſed de auriculari illa confeſſione, quæ ſecretò de omnibus peccatis ſacerdoti fiebat. Idem haud ſecum pugnans dicit ibidem de viſitatione infirmorum: Aperi ſacerdoti penetralium tuorum abditiſſima latibula, conſcientiarum verecūdarum penitiora reuela, repagula. Non te pudeat corā vno dicere, quod te non puduit forſitan coram multis, & cum multis facere. Nam humanum eſt peccare, Chriſtianum eſt à peccatis deſiſtere, diabolicum eſt perſeuerare. Ergò quæ mentem grauius exercebant facinora, Dei angelo manifeſta; nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, circuitionibus quod verum eſt operiens. Deſignanda ſunt etiam in quibus peccaſti loca, ſi recordaris & tempora, cum quibus peccaſti perſonis, non nomina ipſorum: etiam vt à peccato deſiſtant ſecreta corrigenda familiaritas, in qua peccaſti labilis ætas; & multa alia dicit, quæ nihil aliud clamant, quàm exactam peccatorum enumerationem. Audi etiam Tertullia. Auguſtino vetuſtiorem, ſed authoritate inferiorem.

Idem.

Tertul. lib. de pœnitent.

Pleroſque hoc opus (de exomologeſi loquitur) vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis: veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis cō tracta vexatione, conſcientiam medentium vitant; & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ ſatisfacere. Ne tu verecundiam bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens. Hactenus Tertullia. Hic nihil agit, niſi vt pudorem ab humanis mentibus, quæ peccatis erant obnoxia, propellat. Cur verò propellit pudorem, niſi vt liberiùs homo peccata ſua euomeret? Vide nunc, quàm iuſtè Aduerſarios mendacij argueris, vtpote qui dixerint, apud Eccleſiaſticos ſcriptores nullam eſſe de peccatorum enumeratione mentionem. Eiuſdem quoque ſententiæ fuit Hieron. Si quem, inquit, occultè ſerpens diabolus momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Hæc Hieronymi dicta euincunt illud, quod in Apologia

Hierony. ſuper Eccleſ. 10.

ineptè

ineptè aduerſus Catholicos garriunt, videlicet, quod nihil ad rem pertineat, quod Catholici dicunt, iudicem priùs debere cauſam cognoſcere, quàm ſententiam pronũtiare. Huc quoque pertinet illud; quod ex Origene recitatum eſt. Et illud: Qui timet iudiciũ Dei, inquit, peccata ſua non erubeſcit confiteri: qui autem erubeſcit, non timet. Perſectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo. Confeſſionis adſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid neſcimus, quia Confeſſio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipſum erubeſcere, pœna eſt grauis? Sed ideò Deus iubet confiteri peccata noſtra, vt verecũdiam patiamur pro pœna. Prodeat nobis ex Aduerſarijs aliquis, qui oſtendat nobis vel vnum locum, ex omnibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis docentem, quòd non neceſſaria ſit peccatorum enumeratio, & herbam dabunt Catholici. Nam hac multiloquentia nihil mouentur. Quòd ſi nullum demonſtrare poſſunt, deſinant impudenter aduerſus veritatem laſciuire. Nam nos ex multis, imò ex omnibus paucos collegimus, quibus veritatem Catholicam, tametſi per ſe fortem & inuictam, ab hæreticorum irruptionibus defendimus. Patet igitur quã mendaciter iſti dixerint, quod nemo Eccleſiaſticorum ſcriptorũ de enumeratione peccatorum, ſed de ritu publicæ Pœnitentiæ ſcripſerint omnes. Quod aſſerere moliuntur, nõ plus veritatis habet, quàm ipſa mendacia. Nam omnes Catholici Patres loquuti ſunt de enumeratione peccatorum, & extra controuerſiam fuit hactenus. Neceſſe eſt, vt qui Confeſſionem admittit, non reijciat quæ Confeſſionis ſunt. Quomodo enim erit peccatorum Confeſſio, ſi peccata non enumeres?

Chryſoſt. Homilia 3. ſuper Matth.

De Satisfactione.

De Satisfactione, quam partem Pœnitentiæ negant Aduerſarij, ita loquuntur, vt tametſi verbis ipſam negent, reipſa tamen admittant. Dicunt enim, interiorem pœnitentiam eſſe nullam, niſi foris pariat caſtigationes carnis, ieiunia, eleemoſynas, orationes. Et nihil ferè aliud loquuntur Catholici, quã quod verè contritus his caſtigationibus carnis, ieiunijs, eleemoſynis, orationibus pro peccatorum reliquijs ſatisfaciat. Sed negant hoc, nolunt enim caſtigationes carnis, ieiunia, &c. eſſe pro peccatorum pœnis. Peccata enim morte CHRISTI in credentibus deleta eſſe tam quoad culpam, quàm quò ad pœnã, affirmant. Nos igitur vt magis pateat iſtorum error, duo ſacris literis firmare conabimur. Alterum, quod reatu peccatorum ſoluto & culpa dimiſſa, homo adhuc plerunque ad aliquam temporalem pœnam pro peccatis ſuſtinendam obligetur: Alterum, quod hanc pœnam ieiunijs, eleemoſynis, orationibus anteuertere, & pro ea poſſit ſatisfacere. Post culpæ remiſſionem hominem plerumque temporali pœnæ ex peccatis quoad reatum remiſſis, manere obnoxium, hac ratione facilè collegeris. Etiamſi multo piiſſimus ſit Deus, eſt tamen & iuſtus, quod multis locis de eo ſcripturæ prædicant. Ex Immenſa ſua charitate, peccatori pro pœnitentia ad ſe conuerſo, & gratiam vt oportet quærenti largitur, reatum omnium peccatorum condonat, facitque ex gehennæ mancipio Dei filium, & cœleſtis regni hæredem. Ex æquitate verò ſuæ iuſtitiæ miſericorditer remittit culpam eorum, qui ſuapte ſponte peccauerunt, ita tamẽ remittit, vt aliquam exigat pœnam maiorem vel minorem, pro delicti quantitate, quo dedecus culpæ non remaneat ſine decore iuſtitiæ. Et hoc eſt, quod in Deuter. dicebat Dominus: Secundum menſuram delicti, ſit & plagarum modus. Si ocioſum verbum, quod tamẽ neminem perdit perpetuò, vltione ſua plectitur, quanto magis opus malum? Et in Eccleſiaſte: Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicio pro omni errato. Relinquitur igitur ſine omni pœna peccata non remitti. Sed & vt cuilibet peccato ineſt culpa, ita illi iuſte debetur pœna. Neque remiſſa culpa continuò etiam ſimul remittitur pœna. Sic & in baptiſmo ab omni quidem liberamur culpa, ſed non ab omni pœna. Remanet enim fomes ille peccati totius mali ſeminarium. Remanet etiam mors naturæ, & alia quædam corporis incommoda ex protoparente propagata. Et hæc omnia mala nemo ſuis conatibus aufert, ſed ceu pœnitentiam à Domino inflictam vſque ad mortem perfert. Vt igitur originalis peccati remittitur culpa, relinquitur autem pœna: ita pœnitenti clementer donatur culpa, manet autem pœna. Precabatur Moyſes pro Iſraele, cum vitulum fabricaſſet, ne quod cogitauerat malum, faceret populo ſuo. Audiuit quidem Moyſen, non tamẽ mox cum culpa remittitur etiam pœna. ſic enim ſubiunxit: Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. Similiter cum murmure populi eſſet permotus, minabatur eis interitum, & peſtilentiam. at Moyſes deprecabatur omnia iſta mala, dicens: Dimitte obſecro peccatum populi tui huius, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ. Audiuit rurſum Moyſen, ſed non cum culpa remiſit etiam pœnam. nam ſic reſpondit Moyſi: Dimiſi iuxta verbum tuum. Viuo ego, & implebitur gloria Domini in vniuerſa terra. Attamẽ omnes homines, qui viderunt maieſtatẽ meam & ſigna, quæ feci in Aegypto & in ſolitudine, & tentauerunt me per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus. Vidéſne hic donatam eſſe culpam, pœnam minimè? Dauid

[illegible] manet homo temporali pœnæ obnoxium.

Deut. 25.

Eccl 12.

Exod 32.

Num. 14.

quoque contrito corde culpam confitens, veniam meruit. Sed quid audijt? Dominus quidem, inquit, tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos verbum Domini, hic filius, qui natus eſt tibi, morietur. Et deinceps: Gladius non recedet de domo tua in ſempiternum, eo quod deſpexeris me. Arbitror quod non poſſet clarioribus teſtimonijs doceri, culpā nonnunquam remitti, manente pœna. Et Aduerſarij nulla ſallacia, nulla fraude poſſunt iſtis obuiare. Et huc produci poſſent innumera teſtimonia, ſed nolumus lectorem pluribus grauare. Licèt autem pro Originali peccato quas damus pœnas noſtris conatibus tollere non poſſimus, quod dominus eas in pœnitentiam niſi cum morte finiendam, dederit: tamen pro actualibus peccatis, quas daturi ſumus pœnas, deprecari poſſumus, præſertim ſi iuſta in noſmetipſos animaduerſione peccata noſtra puniamus. Non enim ſefellit nos, qui dicebat: Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Semetipſos dijudicant, qui de perpetrato malo de ſeipſis ſumunt ſupplicium. Et hi à Domino non iudicantur, id eſt, non arguuntur flagitij. A Domino autem iudicari nihil eſt, niſi pro peccato caſtigari, quod ſubintulit Apoſtolus: Cùm autem iudicamur à Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Mauult autem ipſe Dominus, vt ipſi de nobis ſupplicium ſumentes, peccata noſtra caſtigemus, quā vt ab ipſo puniamur. Hinc dicit per Ezech. Conuertimini, inquit, & agite pœnitentiā ab omnibus inquinamentis veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Audis quàm prudenter dominus populum ſuum admoneat, vt poſtpoſita peccandi conſuetudine pœniteat peccatorum, vindicetque ea in ſe acriter, faciatque quod Ioan. ait, digna pœnitentię opera. Addit etiam cor nouum & ſpiritum nouum, quo ſignificat, & bono propoſito opus eſſe ei, quod eſt ſeminarium totius boni operis. Et alibi ſcriptum eſt: Si clauſero cælum & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum. conuerſus autem populus meus, ſuper quo inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & quæſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis, & ego exaudiam de cælo & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terrā eorum. Audis & hic & in iamiam citato loco à conuerſis & dominum quærentibus pœnitētiam requiri. Quid verò ſignificat nobis iſta Pœnitentia, niſi caſtigationem quandā, quæ perpetratorum ſoluitur pœna peccatorum? Cùm enim nemo à peccatis ad Dominū conuertatur, nemo quęrat faciem Domini, niſi ſe peccaſſe pœniteat, certè pœnitentia illa, quæ peccatoribus ſuggeritur, punitionem ſignificat peccatorum. Hoc autē clarius dixit apud alium Prophetam: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu. Non video an apertius potuiſſet pro peccatis ſatisfactionem inſinuare. Nō ſatis erat ei vt diceret: Cōuertimini ad me in toto corde veſtro, niſi adderet, In ieiunio: vt quemadmodum non tantum corde à Deo receditur, verùm etiam prauis operibus, nempe quando quis mēbra ſua arma iniquitatis peccato accōmodat: ita non tantùm corde, ſed etiam Pœnitentiæ operibus ad Dominum acceſſus eſt, quibus nimirum peccata plectuntur, debitæque pœnę hac ſatisfactione ſoluūtur. Huc hortatur nos Apoſtolus: Sicut exibuiſtis mēbra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatē: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Vides etiamnum Paulo non ſufficere, vt per Cōtritionem nos ad Deum corde tenus conuertamus, ſed vult vt ſicut corporis membris peccato ancillati ſumus: ſic & corpore deinceps iuſtitiæ ſamulemur. Et hoc eſt, quod Iudæis dicebat Ioannes: Facite fructus pœnitentiæ dignos, Et omnium Patrum, qui hunc locum interpretati ſunt, authoritas, iſtam Catholicorum ſententiam tuetur. Hinc ait Auguſt. Sunt digni fructus virtutum, fructus qui non ſufficiunt pœnititentibus, Pœnitentia enim grauiores expoſtulat. Et Chryſóſt. Facite inquit fructus dignos pœnitentia. Quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduerſa faciamus. Aliena rapuiſti? incipe iam dare propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Iniuria vel opere quemquam, vel ſermone affeciſti? refer benedictionis verba conuicijs: te percutientes, nūc officijs, nunc beneficijs placere cōtende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore euellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus oportet. Delitijs ante & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrumque compenſa, vt famem ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omnino non videas, maiori tactus cautione poſt vulnera. Et breuiter dicit Tertullianus: Cum vicinus interrogarit, cur animā defraudes; Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliē, quē delinquendo læſi. Quid tibi videtur probe lector, num hæc quæ Auguſt. quæ Chryſ. quę Tertul. dixerunt, de publica ſatisfactione intelligenda ſunt, & non de priuata, qua homo Deo reconcilietur? Certe iſta ita publica ſunt

(ſi ta-

2. Reg. 12.

Pœnā originalis peccati nos ipſi tollere non poſſumus.

1. Cor. 11.

Ezech. 18.

Matt. 3.

2. Par. 7.

Ioel. 2.

Rom. 6.

Matth. 3.

Aug. ſerm.

de pœn.

(ſi tamen publica dici debent) vt tamen priuata eſſe nó deſinant. Sed & Gregorius, licèt ætate minor, authoritate tamen haud inferior, dicti illius Ioãnis huiuſmodi reliquit exegeſim. Notandum eſt (inquit) quod amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos fructus pœnitentiæ admonet eſſe faciẽdos. Aliud namq; eſt fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim ſecundum dignos pœnitentię fructus loquamur, ſciendum eſt, quod quiſquis illicita nulla commiſit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur, ſicque pietatis opera faciat, vt tamen ſi voluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe quod grauius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto meminit ſe & illicita perpetraſſe. Neq; enim par fructus boni operis eſſe debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit: aut eius qui in nullis, & eius qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergò quod dicitur; Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto maiora ſibi intulit damna per culpam. Hactenus Gregorius.

Gregorius. *Luc. 3.*

Potuiſſent quidem hæc ſufficere teſtimonia ad refellendam impiam Aduerſariorum ſententiam, & ad obturandum ora corũ, qui dicunt, veteres Scriptores de hac ſatisfactione nunquam ſenſiſſe, quod neceſſaria ſit ad remiſſionem peccatorum. Sed propter contentioſos, quibus difficilè noſtra probantur, adferam etiam plura teſtimonia ex patribus, vt deſinant aſinos (ſic enim impudenter vocãt Catholicos) contumelijs & iniurijs laceſſere. Ambroſius itaq; ſic hortatur corruptam quãdam virginem.

Ambroſius.

Secundum conſcientiæ molem exhibẽda eſt pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergò non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur. Si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & ſi iam te credas prope ipſas poſitum tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dẽtium ſine fine. Cũ hoc certè fide, ſicut eſt, animo cõceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium eſſe conſtitutum poſt baptiſmũ, quam pœnitentiæ ſolatium, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem & indecorem ſubire, eſto contenta: dummodò ab æternalibus pœnis libereris. Ergò hæc tu mecũ cogitans & mente retractans proprij facti tu ipſa iudex eſto crudelior. Et paulò pòſt, Peccator, ſi ſibi ipſi non pepercerit, à Deo illi parcitur. Et ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina. Grande ſcelus, grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.

Palàm eſt, Ambroſium hic nihil dicere de ſatisfactione, quæ coram populo publicitus fiebat, ſed de priuata Satisfactione. Audi iterum Auguſt. Poſtquam diſtinxit tertiam partem Pœnitentiæ, & de duabus fuerat loquutus, hoc eſt, de ea, quę ad baptiſmũ exigitur, & ad altera quę ꝓ quotidianis ſed minimis peccatis eſt neceſſaria, de tertia ſubdit in hũc modum: Tertia actio eſt Pœnitentiæ, quæ pro peccatis illis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus cõtinet, & de quibus Apoſtolus ait: Quoniam qui talia agunt regnũ Dei non poſſidebunt. In hac ergo Pœnitentia, maiorẽ quiſq; in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à Deo. Sicut idem Apoſtolus ait: Si nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Ecce non de ſolemni Pœnitentia aut ſatisfactione loquitur Auguſtinus, ſed de ea, quam à ſeipſo quiſq; exigere debet peccator, modò nó velit à Domino iudicari. Sed audi eundem iterum: ponat ſe omninò in poteſtate iudicis, in iudicio ſacerdotis nihil ſibi reſeruans ſui, vt omnia eo iubente paratus ſit facere pro recuperanda animæ vita, quęcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum deſiderio, quia vitã recuperat infinitam: cum gaudio enim debet immortalis futurus, quæ faceret pro differẽda morte, moriturus. Semper deprecetur Deum, certus de venia, qui omnibus modis & ſine tædio dubius rogaret terrenam poteſtatẽ. Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commiſit illicita. Audis hic ſatisfactionem, cum admonet, vt faciamus omnia quæ iubet ſacerdos: audis & remiſſionem peccatorum, cum dicit, Pro recuperanda animæ vita. Cyprianus quoq; apertè loquitur de priuata Satisfactione.

Galat. 5. *Aug. lib. de ver. & fal. pen. cap. 15.*

Qui autem criminis Pœnitentiam tollũt, inquit, Satisfactionis viam claudunt: ita fit, vt dum temeritate quorũdam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur. Vos verò fratres, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruina licèt animus cõſtitutus, mali ſui memor eſt, pœnitentes ac dolẽtes peccata veſtra perſpicite, grauiſſimũ conſcientiæ crimen agnoſcite, ad intelligentiam delicti veſtri oculos cordis aperite, nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Sequitur: Poſt diaboli cibum, malle ieiunium: iuſtis operibus incũbere, quibus peccata purgãtur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus animę à morte liberãtur. Audis his ieiuniũ, opus ſcilicet Satisfactionis, & alia audis iuſta opera, ſatisfa-

Cyprianus ſermone de lapſis.

tisfactoria quidem: nam iſtis, ſicut audis, peccata purgantur. Audis etiam eleemoſynas haud vulgare Satisfactionis opus. Audis etiā quod hoc opere animæ liberentur à morte. Et paulò pòſt idem ſanctus vir dicit.

Idem.

Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti ſui plus virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit: exauditus & auditus à domino, quam contriſtauerat nuper, lætam faciat Eccleſiam: nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam. Iſta eſt glorioſi martyris ſententia ſacro ſanguine rubricata, & iſti dicunt Satisfactionem nihil facere ad remiſſionē peccatorum. Quis credet iſtis malitia magis quàm ignorātia excoecatis? Et non ſolùm errant, ſed etiam veritatis defenſores contumelijs opprimunt & mendacijs. Sed prodeant etiam plures catholica caſtra protecturi, Hieronymus quoque ſuper Malachiam ſic tradit.

Hieronym.

Qui peccator eſt, & quem mordet propria conſcientia, cilicio Pœnitentiæ accingatur, & plangat vel propria delicta vel populi, & ingrediatur Eccleſiam, de qua fuerat egreſſus, & cubet vel dormiat in ſacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ auſteritate compenſet. Audis etiam hic præteritarum compenſationem delitiarum, vocē ſcilicet ſatisfactioni correſpondentem. Et Chryſoſtomus noſtrę ſententiæ ſuum adijcit calculum.

Chryſoſt.

Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere, ſed Deum quidem orare ne eius meminerit, ipſum verò nunquam ipſius obliuiſci. Si eius nos non recordemur, Deus ipſius non obliuiſcetur. A nobis ipſis vltionem ſumamus, noſ ipſos accuſemus, ita placabimus iudicem. An non vides hic etiam Satisfactionem, quando ait: A nobiſipſis vltionem ſumamus, vt iudicem placemus. Et Caſſianus.

Caſſianus.

Quiſquis poſt baptiſmum & ſcientiam Dei in illud mortis corpus incurrerit, hoc eſt, in aliquod capitale crimen, ſciat ſe non quotidiana gratia Dei, id eſt, facili remiſſione, quā momentis ſingulis exoratus dominus noſter erroribus donare conſueuit, ſed aut diuturna afflictione pœnitudinis, aut pœnali dolore purgandum, aut certè pro his in futuro æterni ignis ſupplicijs adijciendum. His ſubſcribit etiam Leo Pontifex maximus, cognomento primus, vir tantæ ſanctitatis, vt ei in Concilio Chalcedonenſi à 630. Patribus, tertio ſanctus acclamatum ſit.

Oportet, inquit, vnumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere iudicem, ne conuerti ad dominum de die in diem differat, nec Satisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat, quem perículosè humana ignorantia concludit, vt ad paucarum horarum tempus ſe ſeruet incertum: & cum poſſet pleniore Satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inueniat ſpacium vel Confeſſio pœnitudinis, vel reconciliatio ſacerdotis.

Quid habebunt hic Aduerſarij quod reſpondeant, cum videant iſtos omnes, & alios hic non citatos, pedibus ire in Catholicorum ſententiam, cum videant eos vnanimi conſenſu de priuata ſatisfactione, q̃ ad remiſſionem peccatorum pertinet, non de publica illa, aut tragica Satisfactione loqui. Benè igitur ait Scotus, quem iſti derident, quod per ieiunia reddatur honos DEO, & compenſetur mors æterna. Nam omnes iſti, quos citauimus, dicunt, quod grande ſcelus grandem neceſſariam habeat Satisfactionem, quod ſeipſum iudicat, à Deo non iudicetur: quod qui ſacerdotis obſequitur iuſſis, animæ vitam recuperet, &c. Et ex his omnibus, hiſque ſimilibus ſuæ ſanæ doctrinæ Scotus lac exſuxit.

Defenditur Scotus.

Aduerſarij ita ſatisfactionem negant, vt ne vnam quidē ex ſacris literis aut à Patribus ſententiam habeant, qua peſtilens ſuum dogma fulciant. Si verbis tantum inanibus credere oporteret, eſſet hic quod arriperēt homines. At iſta tam ardua res verbis aut mendacijs peragi non debet, ſed neque calumnijs, ſed cum authoritate, cum grauitate, & cum ſigno rum claritate. Res enim Chriſtiana, & iſta Catholicorum doctrina, vt vides diuturnitate obtinuit. Et iſta quidem, quæ recenſita ſūt, ſufficere poterant ad reſtinguendum iſtorū errorem, ſed ne reſpuiſſe magis, quàm refelliſſe videamur eorum placita, breuiter his, quę aliquid videntur habere ponderis, reſpōdebimus.

Scripturæ citata ab aduerſarijs, inquiunt, *prorſus nihil loquuntur de Canonicis ſatisfactionibus, & de opinionibus Scholaſticorum, cum conſtet eas nuper natas eſſe. Quare mera calumnia eſt, quod detorquent ſcripturas ad illas ſuas opiniones.*

Tametſi ſacræ literæ à Catholicis citatæ nihil loquantur de Canonicis ſatisfactionibus aut opinionibus Scholaſticorum, tamen maniſeſtè teſtantur, poſt condonatam culpam, adhuc pœnam reliquam eſſe, ieiunijs, orationibus, eleemoſynis præuertendam, quod ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Quia verò ſacra ſcriptura non tantum internam, ſed & externam Pœnitētiam docet eſſe neceſſariam, quæ ieiunio, carnis mortificatione, oratione, eleemoſynis conſtat: ob hoc authore ſpiritu ſancto facti ſunt Canones illi pœnitentiales, & ob hoc, Patres tanto conatu, ante annos mille trecentos, ad Satisfactiones non ſolemnes illas tantum, ſed & ad priuatas populum adhortati ſunt, vt docuerunt affatim eorum ſententiæ iam nunc allegatæ. Et hoc doctri-

Culpa donata manet adhuc pœna.

næ genus magno conſenſu citra controuerſiam ſequuntur Scholaſtici, ne ad latum quidem culmum hinc deuiátes. Et hic nihil metuunt Theoninos iſtorum dentes, qui ſi aliena deeſſent, ſua ipſorum commenta lacerarent. Quod addunt Canonicas ſatisfactiones nuper natas eſſe, non citra mendacium dixerunt. Nam ſi tam heſterni ſunt Cyprianus, Origenes, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Chryſoſtomus, Caſſianus, Leo, vt iure nuper nati dici poſſint, concedemus etiam iſtas Satisfactiones, & de ijs Scholaſticorum opiniones recentes eſſe, & nuper natas. Itaque ſicut alia de fide & moribus doctrina non ex hominum opinionibus, ſed ex ipſiſſimis ſcripturarum ſontibus effluit: ita & iſta doctrina de Satisfactione, non habet aliam ſcaturiginem, quam earundem ſcripturarum. Et hanc ſententiam conſtanter ſequuntur Catholici, etiam ſi iſti inſaniant.

Satisfactiones Canonicæ non ſunt nuper natæ.

Nos, inquiunt, *dicimus quod Pœnitētiam, hoc eſt, conuerſionem ſeu regenerationem boni fructus bona opera in omni vita ſequi debeant. Nec poteſt eſſe vera cōuerſio aut vera contritio, vbi non ſequuntur mortificationes carnis & boni fructus. Veri terrores, veri dolores animi non patiuntur corpus indulgere voluptatibus, & cæt.*

Audi iſtos homines Protheo magis mutabiliores, nunc Satisfactiones reſpuentes, nūc accipientes vtpote neceſſarias, ſemperque ſibi ſimiles. Quod nunc pertinaciter inficiantur, nunc confidenter docent. Supra contendebant, ſolam fidem ad iuſtificationem ſufficere, nunc requirunt etiam conuerſionem, & veram Pœnitentiam. Si vt hic vere dicunt, non poteſt eſſe vera conuerſio ſeu vera contritio, vbi non ſequuntur mortificationes carnis & veri fructus, profecto tota errant via, qui priori doctrinæ fidem habentes, credunt ſaltem per Chriſtum ſibi peccata dimitti, nihil neque mortificationis carnis, neque bonorum fructuūm meminiſcentes. Si vera pœnitentia & vera conuerſio ad ſalutem requiruntur, fide vacua eſt ſententia, quod ſola fides iuſtificet: peſtilens eommētum eſt, quòd propter Chriſtū ſemper placati ſimus. Rurſus ſi nulla vera eſt interior pœnitentia, niſi pariat mortificationes carnis & bonos fructus, quod docēt etiam Catholici, cur ab iſtis audiunt aſini & blaſphemi, cum idem requirant, idem doceant, quod iſti? Cur tam impudenter traducunt ſanctos Patres, qui nihil à peccatoribus exigunt, niſi quod requirit Deus, ieiunia, abſtinētias, lachrymas, orationes, quibus pro pœnis poſt culpas ſuperſtitibus ſatisfaciant? Cum igitur Canones pœnitentiales nihil à lege diuina diuerſum ſtatuant, ſed per omnia ei quadrent, mirum ſanè cur ab iſtis contemnantur, cur abrogentur? Ad hæc cum corporis afflictiones, voluptatibus debitæ temporales pœnas exinaniant, haud iniuria Satisfactiones appellantur. Si, vt hic dicunt Aduerſarij, vera fides non eſt ingrata Deo, nec contemnit mandata Dei, compertū eſt, neminem fidem habere, niſi mādatis Dei obedientem. Et hinc colligitur, quod nemo per ſolam fidem iuſtificetur, niſi diuinis obtemperet mandatis. Quis non videat, quàm male ſibi dicta Aduerſariorum reſpondeant, & tamen volunt vt ab ipſis, ceu à delphico oraculo pendeamus ſine vlla cōtrouerſia. Dicunt præterea hoc modo.

Aduerſariorum in docendo multa varietas.

Et cum Chriſtus inquit: Agite pœnitentiam, certè loquitur de tota pœnitentia, de tota nouitate vitæ & fructibus: non loquitur de illis hypocriticis ſatisfactionibus, quas fingunt Scholaſtici tum quoq; valere ad compenſationem pœnæ Purgatorij, aut aliarum pœnarum cū fiunt ab his, qui ſunt in peccato mortali.

Sicut ſacra ſcriptura veras vbique requirit Satisfactiones, & vbique hypocriſim reijcit: ita & Catholici ſacratioribus literis imbuti, veram, non fictam exigunt Satisfactionem, vbique deteſtantur hypocriſim. Neque Euangelio diſſonum eſt, quod docent Catholici, Deum omnium remuneratorem beneficentiſſimum, bona opera, quæ fiunt ab his, qui in peccato ſunt mortali, ablatione pœnæ Purgatorij vel aliorum malorum compenſare. Ratum eſt enim Chriſti dictum: Quicunque, inquit, potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Quando tam vniuerſaliter dicit, Quicunque, neminem excipit. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Quicunque, ſiue iuſtus, ſiue peccator ſit, qui mei cauſa vel modicum fecerit, quicquid bene fecerit, beneficio reſundam. Peccator ergo ſi ad honorem Dei eleemoſynam dederit, illo quoque reſpectu vt à peccatis liberetur, ſanè non erit inanis eleemoſyna, ſed aut gratiam, qua conuertatur, impetrabit: aut merebitur vt ab aliqua liberetur pœna. Beati enim miſericordes, quonim ipſi miſericordiam conſequentur. Et Daniel cōſulebat Nabuchodonoſoro, vt peccata ſua eleemoſynis, & iniquitates ſuas miſericordijs pauperum redimeret. Vt autem eleemoſynæ efficaces ſunt: ita non vacant ſua virtute cæteræ bonæ operationes, ſed iuxta Apoſtolum, vnuſquiſque ſecundum laborē ſuum mercedem accipiet. Quod ſi quis charitate vacuus, non meretur pro bono opere æternam mercedem, conuenit tamen diuinę beneficentiæ, vt beneficium beneficio cōpenſet. Id quod & in Achab impio rege videre eſt. Hic enim cū ex Elia verbum Domini acciperet, quod induceretur ſuper ſe malū, adeò vt demeterentur poſteriora ſua, interficereturq; de domo ſua ad parietē mingēs, elauſus & vltimus in Iſrael, expauit, ſciditq; veſtimenta

Opera bona, quæ fiunt per [illegible] compēſantur.

Matth. 10.

Matth. 5.

Daniel 4.

1. Cor. 3.

3. Reg. 21.

menta ſua,& operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauit & dormiuit in ſacco,& ambulauit demiſſo capite. Præclara ſunt iſta Pœnitentię opera, tamen non ſuic vera pœnitentia. Audi autem quantum illi profuerit. Sequitur: Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humilitus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij eius inferam malum domui eius. Si tantum valuerunt Satisfactoria iniqui regis opera, vt mala, quæ iuſto Dei iudicio meruerat, anteuerterent, quantum putas valent bona opera, quæ ad diuini nominis maieſtatem facit peccator, vt Deus eius tandem miſereatut.

Achab quantum operibus ſuis promeruerit.

Hæc dicta ſcriptura, inquiunt *nullo modo pertinēt ad Scholaſticas ſatiſfactiones. Iſti fingunt ſatiſfactiones eſſe opera indebita, ſcriptura verò in his ſententijs requirit opera debita.*

Tametſi peccata nobis ſemper debeant diſplicere, non tamen æqualiter omnes ad pœnitentiæ opera obligamur, ſed vnuſquiſque quò maiora perpetrauit facinora, eò obligatur maiora pœnitentiæ opera facere. Hinc dicit Gregori. Cogitandum ſummopere eſt, vt qui ſe illic ita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere; quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere etiam debeat conceſſa. Sunt igitur nonnulla opera pœnitentiæ, quibus ſeſe obſtringere debent, qui grauiora commiſerunt, ad quę non tenētur illi, qui in innocētia fortiter perſtiterunt. Nam his, qui nulli ſunt crimini obnoxij, conceſſum eſt, vt communibus cibis & veſtib⁹ vtantur: contrà qui homicidio, qui idololatria & ſimilibus polluti ſunt, grauiſſimis ſe debēc pœnitentiæ legibus obligare, videlicet ſolo pane veſcantur, aquam bibant, cilicio ſe veſtiánt, & in ſaccis & cineribus dormiant. Et hæc eſt vox CHRISTI: Filia populi mei accingere ciliclo, conſpergere cinere, luctum vnigenlti ſac tibi planctum amarum. Cur hoc? quia noluerunt ambulare in via iuſtitiæ, quam dominus oſtenderat, quia noluerunt audire vocem clangentis tubæ. Vides igitur ſatisſactiones aliquibus eſſe debita, aliquibus indebita pro præuaricati mandati modo.

Gregorius.

Hier. 6.

Indulgentiæ,(inquiunt) *remittunt illas ſatiſfactiones, vt docet cap. Cum ex eo, de pœnitent. & remiſſ. At Indulgentia non ſoluunt nos illis præceptis: Agite pœnitentiam: Facite fructus dignos pœnitentia.*

Duplicem ob cauſam, qui lapſi ſunt, pœnitentiæ ſe debent operibus affligere: Altera, vt hoc modo diuinam iuſtitiam placent, eíque quoad poſſunt ſatisfaciant: Altera, vt proprijs concupiſcentijs, ne libetius inſoleſcant, dominentur, iuxta illam vocem Apoſtoli, Ne regnet peccatum in mortali eorum corpore. Licet vero illi quibus culpa & pœna cōdonata eſt, non teneantur duriſſimo ſe pœnitentiæ iugo ſubmittere, vt pœnæ accipiant remiſſionem, qua iam potiuntur, tenentur nihilominus ad laſciuientis ſubiugationem carnis, & ad prauorum concupiſcentiæ mortuum, ne animæ dominētut, mortificationem, iuxta ſententiam Apoſt. Omnes, qui Chriſ ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.

Duplex cauſa cur pœnitere debeant lapſi.

Rom. 6.

Cum ſcripturæ citatæ(inquiunt)*non dicant, quòd operibus non debitis pœna æterna compenſanda ſint, temere affirmant aduerſarij quod per Satiſfactiones canonicas pœnæ illæ compenſentur.*

Licet hic obnubilum pectus iſtorum, qui tam apertè Catholicorum ſententias deprauant. Catholici enim nuſquam tradiderunt. quòd operibus non debitis æternæ pœnæ compenſentur, temporales tantum dicunt operibus non debitis compenſari. Quod iſti de æternis pœnis nugantur, vt Catholicorum nomen obſcurent, Catholici de temporarijs pœnis intelligunt. Sciunt enim & ingenue confitentur, æternas pœnas non niſi meritis Chriſti pœnitentibus dimitti. Sed ſic placet dominis iſtis mendacia mendacijs, calumnias calumnijs copulare.

Mendacium

Quanquam igitur ſentimus,(inquiunt)*quòd Pœnitentia debeat bonos fructus parere, propter gloriam & mandatum Dei, Et boni fructus habent mandatum Dei, vera ieiunia, vera orationēs, vera eleemoſyna, &c. tamē hoc nuſquam reperimus in ſcripturis ſanctis, quod pœnæ æternæ non remittantur, niſi propter pœnam Purgatorij, aut ſatiſfactiones canonicas, hoc eſt, propter quædam opera indebita.*

Si iſta diligenter introſpicerent intelligētes & cordati viri, viderent orthodoxæ fidei Aduerſarios, partim eadem quæ Catholici docere, partim centones ſarcite. Nam quod tam pertinaciter negarunt hactenus, nunc vel nolentes, veritatis, quod arbitror, euidentia conuicti, cum Catholicis apertè docent, videlicet quod verè pœnitens, verę pœnitentiæ fructus parere debeat ieiunare, orare, eleemoſynas facere, propter gloriam, & mandatum Dei. Idem tenet Eccleſia, idem docent Catholici. Quia vero pleriſque multis miſere imponit φιλαυτία, ne de ſatisſactione æquum ferant iudicium, ideo ſpiritu ſancto authore, facti ſunt Canones pœnitentiales, ideò conſtituti ſunt ſpirituales iudices, peccatorumq́ue cenſores, quorum conſilio limitanda ſunt omnia pœnitentiæ opera. Mirum quod idem damnant, quod docent. Centones ſarciunt, quando dicunt Catholicos docuiſſe, quod pœnæ æternæ non remittantur, niſi propter pœnam Purgatorij, aut ſatiſfactiones canonicas. Nam nemo Catholicorum hoc docuit. Quomodo enim hoc docerent,

Mendacium.

cerent, quod nullum habet in ſcripturis veſtigiũ? Sed hac ratione, quod ſæpe diximus, facilè ſuis verba dare poſſunt. Videant autem hic iterum illuſtriſsimi Principes, cæterique boni viri, quàm inſynceriter negotiũ ſuum, quod volunt maxime Euangelicum eſſe, peragant:

Præterea mors Chriſti, (inquiunt,) *non eſt ſolum ſatisfactio pro culpa, ſed etiam pro æterna morte, iuxta illud: Ero mors tua, ò mors.*

Pœna & culpa quomodo relaxentur.

Vt non niſi meritis Chriſti fatentur Catholici culpam deleri, ita quoque æternam pœnam ſola mòrte Chriſti dicunt eſſe dimiſſam. Verùm vt ſine noſtra cõuerſione & pœnitentia, & culpa, & æterna pœna non relaxãtur: ita omnis tẽporalis pœna pro culpis libera voluntate commiſsis, quam iuſte & voluntariè ſubire deberet peccator, ſine omni eius afflictione, ſeu operatione non tollitur. Sed Deus pœnitentibus culpam & pœnam æternam miſericorditer remittens, vt miſericordiæ iuncta ſit iuſtitia, tẽporalem quandã relinquit pœnam, pro delictorum modulo maiorem vel minorem, noſtra qualicunque ſatisfactione redimendam, vt quod in Apocalypſi dicit Ioannes, Quantum ſe quiſque glorificauit, & in delitijs fuit, tantum detur illi tormẽti & luctus. Opera verò noſtra, quę non habent mandatum Dei, ſed ſunt propria voluntate aſſumpta, vt in nobis ipſis ſumamꝰ de crimine ſuppliciũ, ſi cum peccato mortali fiant, mortem æternam non redimunt, quod effrontes iſti homines nequiter & emẽdaciter dicunt docuiſſe Catholicos. Non piget me ſingula mendacia detegere, arbitror enim breui fore, vt agnitis mendacijs, boni viri peſtilens hæreſeos dogma, quod ab iſtis Cretẽſibus hauſerunt, euomant. Niſi me iſta cauſa perurgeret, incredibile eſſet, quanto cũ dolore hæc impia Aduerſariorum commenta detegerem, quæ qui cum iudicio expendit, non poteſt non ſuccenſere iſtis mendacium doctrinis, quæ authore diabolo confidenter diſperſerunt in vno aliquo orbis angulo (Eccleſia enim ex his nihil ſenſit incommodi,) vt opprimerent cognitionem veritatis Euangelicæ, & Eccleſiaſticæ politiæ.

Apoc. 18.

De lege ſic dicunt, (inquiũt iſti) *Deus condeſcendens noſtræ infirmitati conſtituit hominum menſuram eorum, ad quæ de neceſsitate tenetur, quæ eſt obſeruatio præceptorum, vt de reliquo, id eſt, de operibus ſupererogationis poſsit ſatisfacere de commiſsis. Sic fingunt homines legem Dei ita facere poſſe, vt plus etiam quàm lex exigit, facere poſsimus, &c.*

Homo quomodo poſsit legem Dei facere.

Quod Catholici docent, hominem ita legem Dei facere poſſe, cum diuina ope, vt etiã plus quàm lex exigit facere poſsit, non figmentũm, ſed rei veritas eſt. Nam adiutore Deo, qui libenter petentibus præſtò eſt, nihil non poteſt homo, alioqui quod dictu abſurdum eſt, præcepiſſet nobis factu impoſsibilia. Nũc verò apertè loquitur in Deutero. Mandatum, qđ ego ꝑcipio tibi hodie, nõ ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſsis dicere: Quis noſtrũ valet ad cęlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus? Neque trans mare poſitum, vt dicas & cauſeris: Quis e nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſsimus audire & facere, quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo vt facias illũ. Quid nobis æquè proximum atque cor noſtrum? Inſcripſit autem Deus cordi noſtro ſuam legem, vt eam non obliuiſceremur, ſed iuſtis operibus exprimeremus. Alibi quoq; per Prophetam dicebat: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribã eam. Cur inſcripſit legem ſuam humanis mẽtibus? Planè nullam ob aliam cauſam, quàm vt eo auxiliatore explerent eam. Quare eam ita temperatam eſſe oportuit, vt nõ eſſet ob ſeruatu impoſsibilis, ſed facilis. Impoſsibilis ſanè ſine Deo, poſsibilis verò & facilis cum Deo. Hinc dicebat Ioan. Mandata eius grauia non ſunt. Et apud Matth. ipſe Chriſtus: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Anathema ſit, inquit Hieronymus, qui dicit Deum impoſsibile præcepiſſe. Et in oratione ſua Chriſtus Apoſtolos ſuos patri commendat, quòd ſermonẽ ſuum obſeruauiſſent. Pater, inquit, manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerũt. Colligimus ex his Chriſti dictis, etiamſi inſaniãt Aduerſarij, quòd quotquot mundo renuntiant cum Apoſtolis, & Deo adhærent, legem Dei exactiſsimè faciant. Et aduerſus iſtos non clamat ſcriptura, quòd multum abſint ab illa perfectione, quam lex requirit, ſed ſunt cum Deo arctiſsima familiaritate deuincti. Et non ſolum faciunt, quæ lex præcipit, ſed addunt pleraque quæ liberæ ſunt voluntatis. Gloriatur quidem & Ezechias, quod legi Dei factis reſponderit: Memento quæſo inquit, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Et niſi legem verè ſeruaſſet, non audiuiſſet: audiui orationem tuam & ecce ſanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos, ſed iniquæ commendationis ſuæ iuſtas dediſſet pœnas. Lucas quoq; palam teſtatur Zachariam & Elizabetham iuſtos homines coram Deo inceſsiſſe, in omnibus mãdatis & iuſtificationibus dñi ſine querela. Et alia huius rei, multa teſtimonia ſuppeditant nobis ſcripturæ, ſed lõgum eſt & multi laboris ex õnibꝰ multa ꝑducere. Aduerſarij nullũ habẽt locũ, quo opinionẽ ſuã multò falſiſsimã

Deut. 30.

Hiere. 31.

Mandata Dei factu poſsibilia.

1. Ioan 5.

Matth. 11.

Hieronymus.

Ioan. 17.

4. Reg. 20.

Ezechias gloriatur quod legem Dei obſeruaſſet.

Lucæ 1.

communiant,niſi fortè vnum aut alterũ pro ſuo arbitrio nequiter detortum, ſed his nobis facilè fidem non fecerint. Poſſumus igitur,imò ꝑ gratiam Dei longè facillimè poſſumus mandata Dei ſeruare,non quidem ſecundum illam abſolutiſsimæ perfectionis normam,ſed ſecundum illam perfectionem quã ipſe ꝑcepit nobis, qua multi ſtrenuè hãc vitam exãthlati ſunt.

Opera ſupererogationis.

Poſſumus autẽ amplius facere,quàm præcepit Deus in lege. Hoc nõ eſſet obſcurum aduerſarijs, ſi vellent ſibi ꝑſuadere,multos Dei amicos,eoq́; exiuratiſsimos,quædam bona opera feciſſe, ad quæ tamen non obligabantur.

1. Cor. 9.

Sic Paulus diu, noctuq́; manuario labori inſiſtebat, vt victum ſibi pararet,cum tamen ei nihil magis præciperetur,ne ab eis,quibus Euangelizabat, vitæ neceſſaria reciperet,quàm alijs Apoſtolis, quibus Euangelizandi par cura erat. Conſtringuntur autem hic Aduerſarij, vt dicãt, vtrum Paulus ad hoc obligatus fuerit,an nõ. Si proprio cum labore victitare oportuit ex præcepto,mentitus eſt,cum diceret, ſe manducandi & bibendi ex ijs,quæ Apoſtolis adminiſtrare debebant fideles, poteſtatem habere. Sed id abſit. Si non tenebatur ſua opera viuere,& tamen vixit,vt plures lucriſaceret, ſtat vtique ſententia noſtra, quod plus fecit, quàm obligaretur.

Matt. 19.

Adhortatus eſt nos Chriſtus,vt omnia diuenderemus, daremuſq́; ea pauperibus,& ſequeremur eum. Hoc itaque aut præceptum,aut non præceptum eſt, ſed eſt conſilium. Si eſt præceptum, quod contendit inerme Anabaptiſtarum vulgus, tenentur omnes ſua abdicare,& nihil retinere. Sed hoc non eſt opus, alioqui iuſsiſſet Apoſtolus,vt à ſuis facultatibus diſcederẽt Chriſtiani. Nunc permittit illis rerum poſſeſsiones, permittit illos ſuarum facultatum eſſe dominos,vtq́ue ex his pro arbitrio dilargiãtur eleemoſynas. Et ex verbis Petri, quæ pro ſe Anabaptiſtarum colluuies putabat facere, eluceſcit, à nemine hominum exigi,vt bona ſua in commune conferat: Manens, inquit ad Ananiam, manebat tibi,& venundatum in poteſtate tua erat.

Act. 5.
Luc. 19.

Et Chriſtus commendat Zachæum, vtpotè dimidium bonorum ſuorum in pauperes diſtrahentem, haud probaturus hominis propoſitum, ſi omnia illi ſemel effundenda fuerant. Si non eſt præceptum vt res eſt,conſiliũ eſt,dicente Chriſto adoleſcenti: Si vis perfectus eſſe,vade & vende omnia, &c.

Matt. 19.

Quaſi diceret, non cogo te, ſed tuo te relinquo arbitrio: non impero,quod ad Demetriadem ſcribebat Hieronymus,ſed propono palmã, oſtendo præmia,tuum eſt eligere, ſi volueris in agone atque certamine coronari.

Hieronỹ. ad Demetriadẽ.

Ergò qui & exemplo Chriſti & amore eius vltro à ſe poſſeſsiones amandant, amplius vtique quàm tenentur,faciunt. Et in primitiua Eccleſia erant Hieroſolymis quidam pauperes,quorum crebrò meminit Apoſt. qui omnia vel propter Chriſtum reliquerant, vel venditorum precia ante pedes Apoſtolorum poſuerant. Certè & iſti plus fecerant, quàm tenerentur. Si fuiſſet iſta tantum externa & ciuilis iuſtitia, quæ nihil ad rem ſpectaſſet, nunquam Paulus pro eis tam ſollicitus fuiſſet. Extra controuerſiam eſt, cælibatum & virginitatem conſilium eſſe, quod quiſque, qui liber eſt, vel ſequi vel nõ ſequi poteſt. Sanè qui ſequitur, facit quod nulla lege cautum eſt, & plus quam tenebatur.

Luc. 11.

Et apud Lucã conſulit Dominus fidelibus ſuis, vt de eo, quod ſupereſſet veſtitus & victus neceſsitati,eleemoſynas darent: qui hoc facit,opus facit ſupererogationis,non neceſsitatis aut præcepti. Alibi præcipiunt ſcripturæ,vt ſobrij ſimus & abſtemij, ſed concedũt moderatum cibi ac potus vſum. Qui ergò à licito vſu earum rerum ſeſe cohibet,& contentus eſt pane tantum & aqua, nimirum facit quod non cogebatur facere. Quapropter iam ſatis eluxit, hominem non ſolùm diuina præcepta,ſed & conſilia, cum adiutorio diuino implere,& plura, quàm ad quæ iuramento conſtringitur, facere poſſe. Audi nunc iſtorum apertam calumniam,apertum mendacium.

Mendacium.

Iſti fingunt, legem Dei contentam eſſe externa & ciuili iuſtitia. Quando finxerunt hoc Catholici, ô hominum tenebrioſa pectora,omnium fallaciarum receptacula? Nõ viuam,ſi hoc quiſquam cogitauit. Si vocant iſtas ſupererogationes,quas produximus,& harum ſimiles, externam & ciuilem iuſtitiam,quod videtur,errant, quod dicitur,toto cœlo. Nam hæc ſunt,quæ perfectionis vitę nomenclaturam ex ſcripturis ſortiuntur. Si matrimonium promiſsionem habet, certè habet & cælibatus. Nam cælibatus authore Apoſtolo beatior eſt, quàm matrimonium. Si abſolutus eſt cum poſſeſsione rerum temporariarum ſtatus, abſolutiorem viuendi normam habent,qui propter Chriſtum omnibus renuntiauerunt.

1. Cor. 7.

Et ſimiliter de alijs dici poteſt, quæ ſi ad viuum diligenter excuſſeris,videbis quàm infirmæ,quàm languidæ ſint omnes, quas Eccleſiaſticis intentant caſtris machinæ.

Aduerſarij.

At(inquiunt,)iuſtitia Dei conuenit punire peccatum. Certè punit in Contritione, cum in illis terroribus iram ſuam oſtendit.

In contritione aduerſa. nulla punitio.

In contritione iſta nouicia ante paucos annos apud Aduerſarios & nata & educata, nulla prorſus aut exigua eſt punitio. Ille enim cui terribile iudicium Dei proponitur,peccator aut credit aut non credit. Si non credit, flocci facit futuri iudicij minas: quia

omnino

omnino non credit futurum eſſe, vt homines poſt cineres, diuinis illis tribunalib⁹ pręſententur. Si credit, iuxta Aduerſariorum ſententiam perſuaſiſsimum habet, quòd peccata ſint ſibi remiſſa per fidem propter Chriſtum, & quòd Deus ſit ſibi placatus, non hoc volunt vt ſemper ſecum ſtatuat peccator. Quomodo ergò metuet ille iudicium, qui confidit Deum ſibi eſſe amicum? Vide quam parum ſucci habeant iſtorum dicta. Catholici ex ſcripturis inſtructi, non tribuunt remiſsionem peccatorum ſoli fidei ſed addũt Contritionem. Et hæc Contritio poteſt eſſe tam magna, vt ſimul cum culpa pœnam abſumat. Verùm quia hoc nemo facilè ſtatuere ſecum poteſt, ideò peccator in ſeſe grauius animaduertit, vt ſicut nedum corde peccato conſenſit in peccatum, ſed etiam membra corporis peccato accommodauit, ita nõ tantum corde ſe peccaſſe doleat, verũ etiã in ſuo corpore peccatum puniat, mancipetque ſua membra iuſtitiæ, quæ prius diabolo ancillabantur. Qui hæc cũ iudicio legent boni viri, ꝑſpicient, q̃ inſynceriter, quã pernitioſe iſti veræ pœnitentiæ partes tractauerint, quàm prorſus obnubilauerint, quàm prorſus confuderint. Sed veniamus iterum ad articulos.

Vera contritio.

Ioannis Cochlæi Articuli duodecimi diſcuſsio.

IN hoc quoque Articulo, ſi non obſtaret pertinax, & innouandi & contradicendi communicandique ſtudium & libido, facilè parari poſſet concordia. Quemadmodum Auguſtæ olim inter ſeptem & ſeptem in colloquio ſuper hoc concordatum fuit. In hæc ſanè verba, quæ Philippus ipſe dictauit: Non recuſamus tres partes Pœnitentiæ ponere, ſcilicet Contritionem, quæ ſignificat terrores incuſſos conſcientiæ agnito peccato: Confeſsionem, ſed in hac oportet reſpicere ad Abſolutionem & illi credere. Non enim remittitur peccatum niſi credatur, quod propter meritum paſsionis Chriſti remittatur. Tertia pars eſt Satisfactio ſcilicet digni fructus pœnitentiæ. Hæc ille Auguſtę, qui paulò pòſt in Apologia prolixe per vigintiduo folia improba nugacitate multas ſine cauſa effundit calumnias, conuicia, & maledicta, quæ virum bonum & grauem minimè decent, qualia ſunt iſta.

Calumnia in [illegible]

1. Hæc eſt, inquit, propria vox Euangelij, quod fide conſequamur remiſsionem peccatorum. Hanc vocem Euangelij, damnant iſti ſcriptores Confutationis. At non damnant illi hanc vocem ſed iſtam, quòd ſola fide cõſequamur remiſsionem peccatorum. Et hæc falſa additio, pro qua ſine fine contendit verboſiſsimè Philippus, neque in Euangelio, neque in Paulo vſquam habetur.

2. Rurſus ait: Et poteſtatem clauium impiè extenuant. Sed re vera nemo magis extenuat illam, quàm ij, qui claues Petri deridẽt, & cuilibet etiam laico abſoluẽdi poteſtatem tribuunt, contempta ſacerdotum Catholicorum & legitimè ordinatorum poteſtate & officio.

3. Item, Tota (inquit,) hæc doctrina apud aduerſarios plena eſt errorum & hypocriſis, & obſcurat beneficium Chriſti, poteſtatem clauium, & iuſtitiam fidei. Hęc quidem dicit ſed minimè probat, niſi apparenter & in ſpeciẽ per ea, quæ falso eis imputat. Qualia ſunt, ſacramentum Pœnitentiæ ex opere operato conſerre gratiam ſine bono motu vtentis. Item, quòd oporteat Satisfactiones eſſe opera ſupererogationis & indebita. Item, quòd poteſtas clauium valeat ad remiſsionem criminum, non coram Deo, ſed coram Eccleſia. Sed quis vnquam aut vſpiam legit hæc & ſimilia in libris Catholicorum? Certè nullus eorum aſſerit, veram eſſe pœnitentiam ex opere operato, ſi ſit ſine bono motu vtentis, aut quod Satisfactiones ſint opera indebita & ſupererogationis, cum ſint pro peccatis impoſitæ & maximè debeantur? Inſignis eſt igitur malitia ſic calumniari Theologos, vt plebs amplius decipiatur.

4. Quinimò & in ſummum Pontificem, & quidem iamdiu vita functum, calumnię gladium (ſic ait Pſalmiſta, Lingua eorum gladius acutus) ſtringit & exerit dicens: At bulla Leonis apertè damnat hunc articulum de remiſsione peccatorum. Damnant & aduerſarij in Confutatione. Qua ex re apparet, qualis ſit Eccleſia iudicanda iſtorum. Qui nõ ſolũ decretis improbant hanc ſententiam, ꝙ remiſsionem peccatorum cõſequamur fide, ſed etiam iubent eam vi ac ferro abolere: Iubent omni genere crudelitatis perdere bonos viros, qui ſic ſentiunt. Hæc autẽ calũnia, (quæ ſæpiſsimè ab illo repetitur) iam ſuprà confutata eſt, quoniam nemo Catholicorum negat fide, conſequi hominẽ remiſsionẽ peccatorum. Omnes enim ſciunt & fatẽtur, fide opus eſſe ad rem. pec. Quia impoſsibile eſt ſine fide placere Deo. Rectè autẽ negãt falſam additionẽ noui dogmatis, ꝙ ſola fide iuſtificemur, aut conſequamur rem. pecca. Quia nõ ſufficit fides, ſed etiam requiruntur opera pœnitentiæ. Vniuerſa enim ſcriptura tam veteris, quàm noui Teſtamẽti clamat & hortatur ad opera pœnitentiæ, ſeu ad agendam pœnitentiam. Quid enim eſt aliud agere pœnitentiam, quàm opera pœnitentiæ facere? Peſsimè igitur & malicioſiſsimè excludit Apologia hæc opera pœnitentiæ, tanquã haud neceſſaria ad conſequendam remiſsionem peccatorum, creberrima repetitione ingeminas hanc ſuam, velut cuculi, vocem: Sola

Pſal. 56.

Heb. 11.

fide

fide conſequimur remiſsionem peccatorũ propterChriſtum,nó propter opera noſtra. Chriſtus enim nequaquam excludit,ſed valde ſerio requirit opera noſtra, opera pœnitentiæ. *Matt 4.* *Lucæ 13.* Prima enim eius vox in Euangelio eſt iſta: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorum. Et ſeueriſsima comminatione ait bis,in vno eodemque ſermone: Niſi pœnitẽtiam habueritis,omnes ſimul peribitis. Sic & præcurſor eius magnus ille pœnitentiæ prædicator,Ioannes Baptiſta. *Matth. 3.* Similiter exorſus eſt prædicationem ſuam, & quidem ijſdem verbis,quibus ipſe Dominus ſuum exorſus eſt Euangelium : Agite (inquit)pœnitentiam , appropinquabit enim regnum cælorum. Item : Ego baptizo vos in pœnitentiam. *Lucæ 3.* Item:Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ: *Rom 2.* Sic & magnus Euãgelij prędicator Paulus, increpans neglectorem pœnitentiæ, ait: Ignoras,quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? & mox addit de operibus,quod Deus reddat vnicuiq; ſecundum opera ſua. Sic & dilectus ille ſecretorum Dei inſpector Ioannes in Apocalypſi *Apoc. 2.* ait: Memor eſto vnde excideris,& age pœnitentiam,& prima opera fac. Sic omnes poſt illos ſancti & Catholici doctores prædicauerunt ſtudioſiſsimè opera pœnitentiæ. Quorum præclara teſtimonia per multa recitantur , & à Petro Lombardo in quarto libro Sententiarum , & à Gratiano in ſeptem de pœnitentia diſtinctionibus , quæ & lectu iucundiora , & fructu vtiliora longè ſunt, quàm eſt nugax & verboſa hæc de pœnitentia Apologia,in qua ſibi ipſi placet fœda philautia Philippus, *Malignitas Philippi.* dum calumnioſe reprehẽdit Catholicos, & fraudulenter negligentes operum pœnitentiæ reddit populos, ac nouitate verborum veram & antiquam de pœnitentia doctrinam atque ſententiam ſanctorum Patrum obſcurat,& inuertit, contra diuinum illud oraculum : Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: Maiores tuos, & dicent tibi. *Deut. 32.* Longè igitur & ſecurius & fructuoſius eſt, veram de pœnitentia cognitionem,& Dei ſententiam addiſcere ex libris & ſermonibus Eccleſiæ doctorum, Cypriani, Auguſtini, Ambroſij, Chryſoſtomi, &c. quã ex hoc tædioſo & prolixo Apologiæ verborum inuolucro.

Certè omnes Eccleſiæ doctores tam noui *Nouator improbus.* quàm veteres vno ore & ſenſu poſuerunt tres pœnitentiæ partes: Contritionem Cordis, Confeſsionem oris , & Satisfactionem operis. Nouatores autem iſti ponunt duas duntaxat partes: Contritionem & fidem. Quaſi hæc duo ſufficiant ad perfectam pœnitentiam, & ad conſequendam remiſsionem peccatorum , etiamſi peccator neque confiteatur ſacerdoti,neq; vlla ſatisfactionis opera faciat. Hæc libenter audiunt carnales & noui Chriſtiani,& facilè credunt atque recipiunt. Vnde fit, vt in eorum Eccleſijs,nulla ſint amplius opera pœnitentiæ,qualia olim fuerunt,etiam tempore Apoſtolorum. *Act. 2.*

In quanta enim abſtinentia vixerint homines in primitiua Eccleſia, ex Philone Iudæo, qui tunc vixit, recitat in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius. *Euſeb. hiſtoria eccleſ. lib. 2. cap. 17.* Abſtinuerunt enim & à vino,& à carne qualibet. Tantum aqua fuit eis potus , & panis cum ſale aut hyſſopo cibus. *Antiquorum pœnitentia.* Cibum verò potumque nullus eorum capiebat ante ſolis occaſum . Nonnulli autem etiam poſt triduum veniebant in communionem cibi; Imò aliqui nec quarto nec quinto,ſed ſexto demum die , non tam deſideratum,quàm neceſſarium corpori indulgebãt cibum. Sic & Paulus Apoſtolus ait: In labore & ærumna,in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis . Ab his autem operibus adeò longè facti ſunt per nouũ iſtud de pœnitentia dogma Proteſtantium populi , vt nullo prorſus die ieiunent, per totius anni circulũ,niſi forte ſanitatis gratia,& omnibus diebus veſcantur carnibus,etiam in ſacra Paraſceue,& per totam Quadrageſimam. Nullã autem poterunt in die Iudicij excuſationem habere,quod ſic contemnunt, poſt habent & irrident Eccleſiæ ieiunia, & antiqua pœnitentiæ opera , ij maximè , qui adeò turgent , & inflati ſunt ſcientia ſcripturarum, cunctos Eccleſiæ Doctores & Theologos præ ſe contemptui habentes, vt non vereantur vel antiquiſsimos Patres de Satisfactione docentes aut ſtatuentes reprehendere. Non enim ignorant , qualia fuerint opera pœnitentiæ Dauid Regis & Prophetæ; *2 Reg. 12.* & Achab Regis Iſrael; *3 Reg. 21.* & Manaſſe Regis Iuda; & Niniuitarum ad prædicationem Ionæ prophetæ. Meritò igitur exhorreſcere & timere deberent , ſi vlla eis eſſet ſalutis animarum cura, illud verbum iudicis : Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. *2. Par. 33.*

Qualia autem olim fuerint pœnitentiæ opera, ex Cypriano recitare operępretiũ fuerit. *Cyprianus in ſer. de lapſ.* Orare (inquit) oportet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare , ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, &c. Qualia & S. Athanaſius in vita D. Antonij, Gregorius Nazianzenus in oratione funebri pro Gorgonia ſorore ſua; item S. Hieronymus , de vita Paulæ nobilis Matronæ Romanæ permulta commemorat . Et D. Auguſtinus in libro de vera pœnitentia, & id genus alij complures antiqui celebreſque Doctores , & præcipua vetuſtiſſimaque Concilia,

33.q.3.cap. Laurem. Matth. 11.

Concilia, præcipuè Nicenum (quod ob hoc non verentur reprobare Lutherus & Philippus) & Ancyranum, & Canones pœnitentiales Theodori, aliorumq́ue inſignium virorum, quos referre longum foret. Recitantur autem nonnulli à Gratiano in volumine Decretorum. Nobis hic ſufficiat, quod ipſemet Dominus in Euangelio exprobrat quibuſdam ciuitatibus, quæ non egerunt pœnitẽtiam, quam vtique in cinere & cilicio acturæ fuiſſent Tyrus & Sidon, ſi Chriſti virtutes & ſigna vidiſſent, quæ viderũt ciuitates illæ.

Lutherus in aſſertio. artic. 5.

Poterunt & ex ore ipſius Lutheri, qui eſt præcipuus noui contra Satisfactionis dogmatis author, iuſtiſsimè damnari. Sic enim ſcripſit in ea, quam contra Bullam Leonis Papæ X. edidit aſſertione: Eccleſia (inquit) mater pio affectu præuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei. Sicut Niniuitæ operibus ſuis ſpontaneis prǽuenerunt iudicium Dei.

Exod. 32.

Hæc pœna eſt arbitraria, non in totum, vt illi volunt, ſed tamen neceſſaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata. Quod illi per Indulgentias tollunt omninò cùm ſi eſſent pij paſtores, potius imponerent pœnas, & Eccleſiæ exemplo præuenirent Deum, ſicut Moyſes eum præuenit occidendo filios Iſrael propter peccatum vituli aurei. Optimum autem fuerit, ſi nos ipſos puniremus. Hæc ibi. Quæ Auguſtæ in Colloquio ex ſcheda quadã recitata, mox Philippi vultum rubore ſuffuderũt oſq́ue eius, quod contra ſatisfactiones loquebatur, obturauerunt. Quare & hic poſſent ei obijci, ſi non eſſet iam fronte perfricta: Cui dicit Hieremias

Hiere. 3.

frons mulieris meretricis facta eſt tibi, & noluiſti erubeſcere.

Lutherus contrarius ſibi ipſi.

Et adhuc iuſtius obijcerentur ipſi Luthero, ſi adeſſet, quia & ipſe perſæpe contrarium ſcripſit, præſertim in ſua Poſtilla magna, & in paruo, quem contra ſacrum Canonem Miſſæ ſcripſit, libello, vbi ſic ait: Quilibet cõcludere ſciat quod omnia opera noſtra, quæ ideo intenduntur ad agendum pœnitẽtiam pro peccatis, atque ad effugiendam mortem, omnia blaſphema ſint, quæ blaſphemãt Deum & vituperant ſacrificium, quod Chriſtus peregit, eiuſq́ue ſanguinem. Quandoquidem per ea efficere volunt, quod ſolus Chriſti ſanguis efficiat neceſſe eſt. Hæc & id genus multa Lutherus contra pœnitentiæ opera, quem hic ſequitur Philippus cæcus cæcum, quos infelix & ingens cǽcorum multitudo ſtulte ſequitur. Quare omnes in foueam æternæ damnationis cadent, niſi reſipiſcant. Quia tota ſcriptura prædicat opeta pœnitentiæ, vt dictum eſt. Neque illa ſanguini aut morti Chriſti derogant detrahúntue quicquam, ſed per ſanguinem mortemq́ue Chriſti efficacia & Deo grata fiunt. Neque ideo paſſus eſt Chriſtus, vt nos pro peccatis noſtris pœnitentiam non agamus, ſed vt opera pœnitentiǽ credentibus in eum per meritum paſsionis eius, efficacia placabiliaque fiant, quæ ſine illo coram Deo ſufficere non poſſent.

Neceſſar ſunt opera pœnitent. Matth. 25. Ibidem. 7.

Sed non debemus morte Chriſti abuti per falſam & inanem fidem, (quam Philippus fiduciam vocat) tanquam ſit nobis peccantibus aſylum quoddam iniquitatis, & licentiæ, ad quod confugientes nihil teneamur pro peccatis noſtris facere, ſicut ſtultè putarunt in parabola, quinque fatuæ virgines, quæ non ſumpſerunt oleum ſecum. Et illi, qui in nomine Chriſti prophetare & ſigna facere potuerunt. Quia licèt per fidem dicerent Domine, Domine, tamen audierunt ſibi dici, Neſcio vos: diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Non vult itaque Chriſtus per mortem ſuam eſſe nobis neque operculum turpitudinis, neque aſylum iniquitatis, ſed ideo paſſus eſt pro nobis, vt ſequamur veſtigia eius. Tantò igitur magis ad

1. Pet. 2. Hebr. 6.

opera pœnitentiæ pro peccatis noſtris, quǽ poſt baptiſmum fecimus, tenemur, quantò per ea ſumus Chriſto redemptori noſtro magis ingrati, quaſi rurſum crucifigentes nobis filium Dei, & oſtentui habentes precioſum ſanguinem eius, quem ſemel pro peccatis noſtris in ara crucis obtulit, vt nos ſemel in morte eius baptizati, & à peccatis abluti, de cætero peccatis non ampliùs inquinaremur. Si autem iterum inquinamur, pro ſumma erga nos bonitate, & miſericordia ſua, in ſalutem nobis reliquit ſacramentum

Rom 6.

Pœnitentiæ, per quod à peccatis purgemur & liberemur, tanquam per ſecundam tabulam (vt vocat Hieronymus) naufragij.

Calumnia.

Sed ad hæc iraſcetur, & maledictis inſurget aduerſum nos, & dicet in Apologia ſua Philippus: Deus perdat iſtos impios Sophiſtas tam ſceleſtè detorquentes verbum Dei, ad ſua ſomnia vaniſsima. Ad quod reſpõſum volumus, quòd non ſunt ſomnia noſtra, ſed verba ſobria ſolidæ veritatis, verba Catholicæ Eccleſiæ (quæ columna & baſis veritatis à Paulo dicitur) verba Dei è ſacris ſcripturis prolata, & omnium ſanctorum Patrum, generaliumq́ue Conciliorum vnanimi conſenſu approbata. Cæterum verè vana & inania ſunt ſomnia, portentoſæ illæ verborum nouationes, quibus vtitur Apologia iſta in ſuperbia & abuſione, in mendacio & exſecratione ſua, quibus antè nullus Patrum, aut Theologorum vſus eſt.

1. Tim. 3.

Qualia ſunt hæc: Dicimus Contritionem eſſe veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato, & dolet ſe peccaſſe. In

his

Nouitas loquendi de pœnitentia. his terroribus aduerſarij noſtri nihil de fide dicunt. Ita tantùm proponunt verbum, qđ arguit peccata. Quod cùm ſolum traditur, doctrina legis eſt, non Euangelij. His doloribus ac terroribus dicunt homines mereri gratiam, ſi tamen diligunt Deum, &c. Quis autem Catholicorum vnquam ita docuit aut locutus eſt? Sed neque ſcriptura ſacra vſpiam ſic loquitur, ſed ait ſic: Rugiebam à gemitu
Pſal. 37. & 50. cordis mei, item: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies: hoc eſt opus Contritionis. Rurſus ait: Ego autem iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Ecce opus cófeſſionis. Et iterum: Quia
pſal. 101. cinerem tanquam panem manducabam, &
Pſal. 6. poculum meum cum fletu miſcebam, item: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meú rigabo. Hoc eſt opus ſatisfactionis pro peccato cómiſſo, quod prodeſt virtute & efficacia, ac merito paſsionis Chriſti, quæ eſt fons & fundamen-
Ioan. 15. tum omnis boni operis noſtri. Quia ipſe dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Sunt igitur tres pœnitentię partes, non duæ tantùm. Sed & iſta dicendi nouitas, vana & phãtaſtica eſt, vbi ait Apologia: Deus ideò terret, vt ſit locus conſolationi & viuificationi, quia ſecura corda, & non ſententia iram Dei, faſtidiunt conſolationem, &c. Ex his apparet, quàm vacuus & inexpertus veræ cõtemplationis circa diuina ſit iſte Philippus, qui falsò ac ſtultè putat ſecura corda, quæ irã Dei non ſentiunt faſtidire conſolationem, cùm nulla ſit verior aut dulcior conſolatio in toto mũdo, quàm ea, quam in hac lachrymarum valle habẽt in Deo ij, qui cum Paulo dicere poſſunt: Nihil
Cõſolationes contemplantium. mihi conſcius ſum. Ad quos ipſe Paulus ait: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico
1 Cor. 4. gaudete, Dominus enim propè eſt. Sic & Sa-
Philip. 4. piens ait: Secura mens, quaſi iuge conuiuium
Prou 15. eſt. Sic & Lucas ait, primitiuam Eccleſiam
Act. 9. ambulaſſe in timore Domini & conſolatione ſpiritus ſancti, quem Chriſtus ipſe paracletũ, hoc eſt, conſolatorem dixit: de quo canit Eccleſia: Conſolator optime, dulcis hoſpes animę, dulce refrigerium. In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.

Secura igitur corda hunc tam dulcem animæ hoſpitem, eiuſque conſolationem nequaquam faſtidiunt, ſed intimis amplexantur ſanctæ dilectionis viſceribus, & præ gaudio illius omnia huius mundi delectamenta faſtidiunt atque contemnunt, iuxta Chriſti parabolas de theſauro in agro, & de precioſa margarita, Matth. 13. Malè itaque didicit ſic loqui Philippus à magiſtro ſuo Luthero, qui ſimili veſania ſcripſit, eos ſolos rectè celebra-
Luther. in capt. Babylonica. re Miſſam, & dignè communicare, qui triſtes afflictas, perturbatas, confuſas & erroneas habent conſcientias, & ſecurè accedere eos, quicunque peccatorum ſuorum vexantur ſiue morſu, ſiue titillatione. Tales autem magiſtri nunquam rectè docebunt populũ, vel dignè communicare, vel veram pœnitẽtiam agere, qui ſic fouent, conſolaturque falſis blãdicijs, per ſolam fidem populum in peccatis ſuis.

Sic enim crebrò repetens falſum & ſcandaloſum dogma ſuum de ſola fide, velut primum & vnicum nouæ ſuæ doctrinæ fundamentum, ait Philippus: Certiſsimum eſt autem, etiam ſi omnes inferorum portæ reclament, remiſsionem peccatorum non poſſe accipi, niſi ſola fide, quæ credit peccata remitti propter Chriſtum. Et ſubinde addit contra Catholicos iſtam calumniam, quòd ſomnient corda pacata fieri ſine fide in Chriſtum. At hæc & alia multa, quæ ille verboſiſſima repetitione per vigintiduo folia incul- *Supra art. 4.*
cat, confutata ſunt ſuprà. Proinde nun eſt opus, vt hic iterum confutentur.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper duodecimo Articulo, iudicium.

QVod hic docent de pœnitentia, contritione, fide, & fructibus pœnitentiæ, mihi per omnia probatur. Quid enim neceſſe eſt de verbis contendere, quando de re ipſa nulla eſt controuerſia? Mallem quidem Aduerſarios loqui conſuetis verbis, etſi nõ purè quod forſan abhorrent, Latinis, ne nouitate verborum nobis viderentur fucum facere velle: at quoniam concordiæ cauſa aliquando etiam proprio iure cedendum eſt, agè nihil moremur inſolita verba, nihil moueamur nouis loquendi formulis. Lapſis, ſi reſipuerint, non negabimus abſolutionem: At pœnitentis eſt, ex agnitione peccatorum cõteri & concuti: quoniam certum eſt, Deum malitia noſtra valdè offendi. Eſt etiam pœnitentis, vt, licèt multa bona opera fecerit, tamen credat ſe merito paſsionis Ieſu Chriſti remiſsionem peccatorum accipere: at remiſsione accepta, neceſſum eſt, vt quantò peiùs anteà operatus fuerat, tantò feruentiùs poſteà virtutum operibus incumbat, vt fiat quaſi recompenſatio viciorum ſecũda pietas. Hæc ſiue fructus pœnitentiæ, ſiue ſatisfactionis voces, nihil moramur. De Confeſſione peccatorum, proximo capite tractatum eſt. Confeſsio peccati eſt, ait Hilarius: vt id, quod à te geſtum eſt, per cognitionem peccati, confitearis peccatum. Et paulò pòſt: Nullus autem id, quod peccatum eſſe confeſſus eſt, deinceps debet admittere: quia cõfeſsio peccati, eſt profeſsio deſinendi. Sed hæc parerga. Si Canones veterum reſpexerimus, facilè poterimus iudicare, quid in pœnitentia noſtra vel reijciendum, vel diſsimulãdum. Neque enim poſſumus diffiteri, quin

Augu-

Augiæ ſtabulum hic multas ſordes habeat: hoc quod non Scholaſticis, multò autem minus vetuſtis Patribus, ſed indoctis, impijs & auaris Conſeſſoribus adſcribimus. Hic autem rurſum periculum eſt, ne Zuingliani mordicus ſuum dogma de pœnitentia ſint deſenſuri, etiamſi Lutherani nobiſcum in doctrina pœnitentiæ conuenerint. Ioannes Caluinus non indoctus homo, in diſputatione ſuper pœnitentia, non fert, fidem eſſe pœnitentiæ partem, quod tamen Lutherani nuſquam non vrgent: inquit enim in Inſtitutione ſua, Quòd quidam fidem ſub pœnitétia complectuntur, pugnat cum eo, quod Paulus in Actis dicit, ſe Iudæis & Gentibus teſtificatum, in deum pœnitentiam, & fidem in Ieſum Chriſtum. Vbi tanquam duo diuerſa, pœnitentiam & fidem, enumerat: Hactenus ille totidem verbis, quibus non ita multò pòſt addit: Etſi ſeparari non poſſunt, diſtingui tamen debent. Iam ex eadẽ Schola audiamus Myconium. Primus ad Euangelij gratiam eſt gradus, reſipiſcere, id eſt, ſapere denuo: nam deſipit homo, dùm peccat: facit enim, quod eſt contra Deum ſuum, & dominum. Reſipiſcit, agnoſcens quid commiſerit: ſi deſtiterit, & deinceps omni ſtudio cauerit, ne relabatur, canis & porci ſimilis ſactus, &c. Vbi in ſententia hac vlla mentio fidei? An non hic dicit, quod in veteribus Apologia videtur contemnere? Apologia adducit: Pœnitentia eſt, mala præterita plangere, & plãgenda iterum non committere. Item: Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet ſe commiſiſſe. Hæc certè cum Myconio conueniunt. Nec ſtatim negatur fides, etiamſi taceatur: Sic Caluinus non exprimit fidem, dùm inquit: Pœnitentia eſt carnis noſtræ, veteriſq; hominis mortificatio, quam in nobis efficit verus ac ſyncerus Dei *a* amor. Butzerus fidei mẽtionem in definitione peccati facit, dùm inquit: Pœnitentia euangelica eſt accepta gratia peccatorum per ſidem in Chriſtum, perpetuum mortificandæ carnis ſtudium, ſed alacre, irremiſſaque, ſed lubens meditatiọ. Tantum Butzerus, qui, vt vides, poſt acceptam remiſsionem peccatorum, pœnitentiam locat: cùm meo iudicio, Pœnitentia, ſtudium mortificandæ carnis, remiſſam peccatorum præcedere debeat: Pœnitentiam agite, inquit Chriſtus, & credite Euangelio. Et apud Lucam præcipit prædicari pœnitẽtiam in remiſsionem peccatorum. Apologia item primò ponit contritionem, deinde fidem, poſteà bona opera fructus pœnitentiæ. Lutherus vt & hunc audias in Catechiſmo, dùm definit pœnitentiã, omninò nõ meminit fidei: Pœnitentia, ꝓpriè nihil aliud eſt, inquit, quã baptiſmus, & huius exercitiũ.

Ambroſ.

a Timor, forte legendum.

Marc. 1.

Quid enim pœnitentia poteſt dici aliud, quã veterem hominem magno adoriri animo, vt eius concupiſcentiæ coerceantur, ac nouam vitam amplecti? Hæc ille. Quæ autem hic mẽtio fidei? Ergò quòd Luthero, & alijs ſuæ farinæ hominibus non improperant, ab Eccleſia poſtulare deſiſtant, ne ipſis rurſus occinamus illud Horatianum, quod nobis Apologia ſuauiter ſcilicet cecinit: Egomet mihi ignoſco, momus inquit. Atreſpondebút, vt ad defenſionem ſui ſunt ſatis ingenioſi, alibi apud ſuos fidei nomenclaturam fieri, vt non neceſſe ſit illam toties inculcare: totidẽ verbis & noſtros excuſare licebit. Certè D. Bernardus ex noſtris eſt, quem tamen pro ſe adducunt Aduerſarij. Quòd ſi Scholaſticis pergunt faceſſere negotium, in promptu reſponſum eſt, nonnullum eſſe delectum inter Scholaſticos: Nec omnia Scholaſticorum dogmata ab Eccleſia eſſe recepta. An ne excludunt Scholaſtici fidem à pœnitentia, cùm illam volunt cauſam eſſe pœnitentiæ, non partem pœnitentiæ? Fatentur itaque fidem ſic ad pœnitentiam pertinere, vt ſine illa hæc nihil commodi habeat, penituſque caſſa ſit. Imò plus tribuunt fidei in hoc negotio, quã Aduerſarij ipſi: hi enim faciunt fidem partẽ pœnitentiæ, illi verò cauſam pœnitẽtię. Plùs autem cauſam eſt eſſe, quàm partem. Si verò tu ideò vocas fidem partem pœnitẽtiæ, quia hæc ſine illa nihil eſt: licebit & fidem omniũ bonorum operum partem dicere, quum hęc extra illam vtilia non ſint, & ſine fide impoſſibile ſit placere Deo. Hęc mihi eò dicuntur, vt Scholaſticos ab iniuria defendam, quam Apologia ipſis inurit tantę fidei. Sed non habent vllo opus defenſore Scholaſtici, vt quorum ſcripta apertiora ſunt, quàm vt quis per ſuadeatur, ipſos meritò à Philippo accuſatos eſſe. An non hæc Aquinas ſcripſit, quæ contiinenter ſubijcio? Actum pœnitentiæ, inquit præcedit fidei actus: quia accedentem ad DEVM oportet credere. Motus quoque fidei coniunctus eſt motui timoris: quia ex motu ſpei, habetur æſtimatio de poſsibilitate veniæ conſequendæ, &c. Hæc ille. Profectò fides ſic adnexa eſt pœnitentię, vt hæc ſine illa verè, ceu diximus, eſſe non poſsit. Quis enim pœnitentiam ageret, deſperata remiſsione peccatorum? Igitur ſi liuor ille edax, & vincendi libido abierint, facilè & in hoc Articulo ſarcietur concordia. Diſputationem autem potiùs altercationem, quam Apologia inſtituit ſuper Confeſsione & ſatisfactionibus, paucíſsimis reuellemus: quid enim iuuat verboſum eſſe, & ſæpè dicta toties, & ad nauſeam vſque repetere? Si Apologia Confeſsionem probat, & quandam peccatorum enumerationem prodeſſe iudicat, vt homines melius inſtitui poſsint,

Hebr. 11.

T ita

ita tamen vt omnia cum moderatione fiant, nobiſcum ſanè ſentit, qui tortores & carnifices conſcientiarum ex animo odimus. Recta quidem hæc ſunt, ſed limitanda eſt hæc enumeratio peccatorum, ita vt non ſolùm non ſit carnificina conſcientiarum, ſed etiam, vt non ſit cauillatio potiùs, quàm peccatorum enumeratio. Iam ſi enumeratio peccatorum ex ſacris ſcripturis probari non poteſt, id quod vrget Apologia, qui fit, quòd eá prodeſſe iudicat? Sed malè habet illos placidos conſcientiarum medicos, quod de enumeratione occultorum peccatorum docemus. Si quid hic peccatur, non cum Scholaſticis, ſed cum priſcis Patribus expoſtulēt: cum illis, inquam, qui non ſolùm de publica pœnitentia, ſed etiam de priuata occultorū peccatorum confeſsione loquuntur. Sic enim ſcribit D. Hiero. in Eccleſiaſten ſuum: Si quē ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo eum conſcio peccati veneno inſecerit: ſi tacuerit, qui percuſſus, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri: Magiſter, qui linguam habet ad curandum facilè, ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. Hactenus ille tam clarè, vt nemo tergiuerſari poſsit, quin loquatur de occultorum peccatorum Confeſsione, & non de publica pœnitentia. Addamus Hieronymo vetuſtiorem Adamantium, qui & ipſe profectò, non de publica illa, & veteri Eccleſię cōſueta pœnitentia loquitur, ſed de confeſſione noſtra, de qua iam agitur, in hæc verba ſcribit: Vide, inquit, quid nos edocet ſcriptura diuina, quia nnn oportet peccatum cælare intrinſecùs. Fortaſsis enim ſicut hi, qui habent incluſam intùs eſcam indigeſtam aut humoris aut phlegmatis, ſtomacho grauiter & moleſtè conuenientia, ſi vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, ſi quidem retinent in ſe peccatum, intrinſecùs vrgentur, & propemodū ſuffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dùm accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Hæc ille in Pſalmum 37. quem hoc loci penitiùs introſpicere operęprecium fuerit. Docet etiam atque hortatur Clemens ille vetuſtiſsimus in compendiolo ſuo, cogitationes malas, cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, & ſacerdotibus domini manifeſtare. Eius generis ſunt & alia apud eundem Clementem ad Iacobum fratrem Domini, epiſtola prima. Ergò ſi reuelauerimus peccata noſtra (Origenis vtimur, non tam verbis, quàm prudenti conſilio) non ſolùm coram Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris atque peccatis, delebuntur noſtra ab eo, qui ait: Ecce delebo, vt nubem, iniquitates veſtras, &c. Sunt etiam, quæ ad noſtrum inſtitutum facere poſſent, in D. Cypriani volumine, maximè in ſermone de lapſis, quæ, ne libellus in immenſum excreſcat, adſcribere non libet: ſatis enim putamus iam diſputatum de Confeſsione.

Cap. 10.

In Pſal. 37

Eſ. 44.

Reſtat vt & de Satisfactione nonnihil dicamus, quoniam & hanc camerinam mouet Apologia, ne ſcilicet non ſit ſatis verboſa, nihilq́; intemeratum relinquat Eccleſiæ. Scribit autem Philippus ille, ex ritu publicę pœnitentiæ reliquum nobis eſſe, quicquid ſatisfactionis apud nos eſt. Et neſcio quæ, figulus ille, nos toties fingere calumniatur. Nihil hic nos remoratur, vnde Satisfactiones illæ profluxerint. Sed de hoc eſt quæſtio, an ne Satisfactiones Euangelio contradicant. Si bonæ ſunt, atque Euangelio dignæ & conſentaneę retinendæ certè & obſeruandæ ſunt, ſiue publicæ ſint, ſiue priuatæ. Si malæ ſunt, doceat nos Apologia, qua ratione, quóue nomine malæ ſint. Nolumus hic recenſeri nobis longum catalogum abuſuum, quo plerunque imò ſemper reſpicit Apologia, quos nos etiā improbamus. Sed loquimur de ſententia Eccleſię, quam ſuper ſatisfactione habet. Hic rurſus audio Eccleſiam non lacerari, ſed Scholaſticos, qui multa abſurda finxerunt, ſi Philippo credimus, qui multa contraria ſcripſerunt, qui toto cœlo errarūt, qui remiſſionem peccatorum ſatisfactionibus, & non vni Chriſto acceptam ferunt. Hæc nimirùm eſt illa Helena. Tu porrò vide, ne eodem cum Scholaſticis hæreas luto: (fingam enim Scholaſticos rectè eſſe à te traductos). Scholæ malè audiunt, quòd aſſerunt ſatisfactiones fieri ad placandam diuinam offenſam. Eſto. Hæc doceant Catholici: docent certè ex ſententia ſcripturæ, ex ſententia Catholicorum virorum probatiſsimorum, ſcilicet Eccleſiæ Doctorum. Scripturæ ſacræ teſtimonia aperta, & cuiuis obuia ſunt, & quę Philippus ſua aſtutia eneruare nunquā poterit. De Patribus dicemus. Audi vel vnum Auguſtinum, quem etiam ipſi Aduerſarij non paucis præferunt: In melius eſt, inquit, vita mundanda, & per eleemoſynas de pręteritis peccatis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodò, vt ea ſemper liceat impunè cōmittere: nemini enim dedit Deus laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio cōgrua negligatur. Hacten⁹ ille in Enchyridio cap. 70. Audis hic de peccatis præteritis Deū eſſe propitiandum? Audis Deum delere peccata, ſi modò ſatisfactio congrua acceſſerit? Videtur autem Auguſt. alludere ad locum illū Eccle. 5. De propitiato peccato, noli eſſe ſine

Vide Hieronymum caput Danielis 4. Vide Eus 13 Vide Aug. de pœnitentiæ med. &c. lib. 2 cap. 4. & in expo. ad Roma. [illegible]

ſine metu. Iam ne quis exiſtimet D. Auguſt. de publica ſatisfactione loqui, huius in ſuperioribus meminit, dicens: Rectè conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentię, vt fiat etiam ſatis Eccleſię, in qua peccata remittuntur, &c. Chryſoſt. item homelia 80. docet, non à priſtinis tantùm malis deſiſtere, ſed etiam meliora ſequi officia, rectè pœnitentiam dici: nec ad ſanitatem ſatis eſſe nobis extraxiſſe tantùm ſagittas, verùm & medicamenta eſſe vulneri imponenda.

Quod Origenes hac de re habet in cap. Nume. 14. quoniam prolixum eſt, & iam nos æquo longiores fuimus, adſcribere ſuperſedebimus. Profectò pſentis ſeculi ſtatus, omni ſcelerum peſte corruptiſsimus, admonet, ne demulceamus capita impiorum, qui exſultât in rebus peſsimis, & lætantur cùm malefecerint: ſed multò magis veteris Eccleſiæ diſciplinam renouemus (vtcunque repugnent Aduerſarij) vt vel pœnæ timore diſcamus Iniquitatibus noſtris renunciare. Fatemur & in hoc negotio multos irrepſiſſe abuſus, qui re benè purgata, piè medica manu reijciendi ſunt. Quæratur Dei verus honos, quæratur Eccleſiæ decor, & Deus mitiſsimus noſtris conatibus non deerit. Delectet nos magis pœnitentiæ opera facere, quàm de pœnitêtia multum diſputare, & actum erit de zizanijs. Et hæc quidem putamus pro loco & têpore, ſuper hoc Articulo pijs ſufficere: Impiè moroſos nihil moramur. Prou. 2.

Alfonſi Virueſii Philippica nona, de Pœnitentia & Abſolutione.

HIs, quæ hactenus de iuſtificatione diximus, maximè connexa ſunt omnia, quæ de pœnitentia & abſolutione diſſeruntur, idcircò quamuis Articulis vndecimo & duodecimo confeſsionis veſtræ Germani tradantur, mihi viſum eſt hic de Pœnitentia diſputare, alioqui multa eorum, quæ modò diximus, eſſent nobis denuò repetenda. Hac de re veſtra Confeſsio ita ſententiam explicat, vt noſtram damnet: &, ſi Chriſto placet, hæreticorum ſententijs annumeret. Damnatis Anabaptiſtas, qui negant, ſemel iuſtificatos poſſe amittere ſpiritum ſanctum. Damnatis Nouatianos, qui nolebant abſoluere lapſos poſt baptiſma redeuntes ad pœnitentiam. Poſt hos ſubijcitis eos, qui non docent remiſsionem peccatorum per fidem contingere, ſed docent remiſsionem peccatorum contingere propter noſtram dilectionem & opera. Si qui ſunt, quià remiſsione peccatorum fidem excludant, tanquàm non neceſſariam aut inefficacem, meritò reijciuntur à vobis: nullos tamen credo hactenus ita deſipuiſſe, ſed doctores noſtri, vt ingenuè dicam, in hoc & alijs huiuſcemodi vobis imponunt, falſa dogmata ex vera theologorum doctrina confingentes, quo nos vobis reddant ſuſpectos & inuiſos, & ipſi habeant aduerſus quos inſurrexiſſe videantur, dùm in fictas opiniones maximo conatu, vti ſomniantes in propria ſimulachra inuehuntur, & fingentes ſibi monſtra, quę vincant, meras vmbras ducunt in triumphum. Fuerunt hactenus noſtri, fateor, propenſiores in charitatem & charitatis opera commendanda, quàm in fidem. Sed hoc non eò fiebat, quòd ignorarent fidem ante omnia neceſſariam eſſe, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, ſed quod viderent adeſſe tempora, de quibus Chriſtus ait futurum, vt iniquitate ſuperabundante, multorum charitas refrigeſceret. Id quod experimenta non pauca docent, totus enim mundus iniquitatibus abundat, à quo charitas propemodùm exſulauit. Quamobrem hoc opus; hic labor eſt, huc totis viribus adnitendum, ac velis remiſque (quod aiunt) incumbendum, vt homines ab iniquitatibus arceantur, ſtudeant charitati. Fidem enim, quatenus vulgus eam intelligit, & aſſequi poteſt, omnes ſeſe credunt habere, quicunque ſunt Chriſto per baptiſmum initiati. Priuatas Theologorum ſubtilitates de fide, non intelligunt, tantùm abeſt, vt & Lutheri hyperbolas, & paradoxa queant animo comprehendere. Siquidem, quòd Cicero veriſsimè dicit: alia eſt illa, cùm veritas ipſa limatur, in diſputatione ſubtilitas: alia cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. In qua etſi nihil debeat erroris ineſſe, veritatem tamen oportet vulgaris intelligentiæ captui adaptari. Quare de fide diſſerentibus, non eſt opus Lutheranas, aut Philippicas admiſcere hyperbolas, quæ vix in diſputationibus explicantur, ſed ex ipſa vulgari ſententia genus quoddam infidelitatis, quod hodiè fidelibus maximè nocet, exprobrare. Horum vtrumque facillimum eſt, quando videmus fidem ſemel in baptiſmo ſuſceptam non amitti, niſi aut incredulitate, aut hæreſi: remitti tamen, & velut extingui, ſi charitas deſit. Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum? Etſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Fidei ergò virtus & energia cùm ſit charitas, quia fides per dilectionem operatur, certiſsimum eſt, eatenus fidem in nobis augeri, quatenus charitatis operibus excitatur & accenditur. Ex his colligitur, noſtrorum doctrinam, non modò piam, verum & vtilem hactenus fuiſſe. Non de ijs loquor, qui ſuperſtitioſas preculas, aut inanes

Aduerſarij confingunt dogmata, quæ damnent & impugnent.

Heb. 11.
Matth. 24.

1. Cor. 13.

peregrinationes maximo venditant, & pro eis regnum cęlorum, modò pecuniola interſit, confidentiſsimè pollicentur, pſeudologi, cauponatores, non theologi doctores. Sed de ijs, qui cum Paulo excellentiorem charitatis viam nobis demonſtrant, beneficentiæ & communicationis nos admonét: talibus enim hoſtijs promeretur Deus. (Heb. 13.) At veſtrorum doctrina, vt impia non ſit, certè vtilis eſſe non poteſt, quia maximè ſibi vulgus per eam de nomine Chriſtiano blanditur, cùm audit, pœnitentiæ vim ſitam eſſe in fide, qua ſola peccatorum remiſsionem conſequantur: modò firmiſsimè credant, prolata duntaxat abſolutione, etiamſi cætera omnia neglexerint, ſe conſequutos. Et hac doctrina vſque adeò inſoleſcit Philippus, (Philippus.) vt dicat ſe & cæteros, qui Lutherũ ſunt ſequuti, beneficiũ abſolutionis & poteſtatem clauiũ ita illuſtraſſe & ornaſſe, vt multæ afflictæ cõſcientiæ, ex doctrina eorum conſolationem acceperint, poſtquàm audierunt, inquit, mãdatum Dei eſſe, imò propriam Euangelij vocem, vt abſolutioni credamus, & certò ſtatuamus, nobis gratis donari remiſsionẽ peccatorum propter Chriſtũ, & ſentiamus verè nos hac fide reconciliari Deo. Et addit: Hæc ſententia multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam apud omnes bonos viros attulit Luthero, cùm oſtendit certam & firmam conſolationem conſcientijs, quia antea tota vis abſolutionis erat oppreſſa doctrinis operum, cum de fide & gratuita remiſsione nihil docerent ſophiſtæ & monachi. Liceat mihi, viri Germani, veſtra omnium & eius obſecro pace, id reſpondere Philippo, quod veteri prouerbio vulgò iactatur: Oportet mendacem eſſe memorem. Nam vt hic nõ fuerit ſtudio mentitus, quod facilè credam, certè memoria lapſus eſt, in commemorando primam Lutheri doctrinã de pœnitentia. Primam dixi, quia variè hac de re, ſicut & de cæteris, quas nouo dogmate conuulſit, loquutus eſt aliquoties. Primò nanque non fidei, ſed charitati pœnitentiæ ſummam, vimque tribuerat, Theologorum Contritiones explodebat, irridebat attritiones, timores damnabat, nec à terroribus iſtis quos modò incutit, ſed à dilectione exiſtimabat inchoandam eſſe pœnitentiam. Hæc conſtant, tùm ex Concluſionibus, quas tunc temporis, cùm à Germanis theologis vrgeretur, miſit ad Leonem Pontificem Maximũ; tùm ex lucubrationibus, quibus mox, non proponendo iam vt priùs, ſed aſſerendo cœpit ea contentè defendere. Damnata verò ab eodem Pontifice, & ſunt à Luthero, non modò non mutata, aut commoda quapiam expoſitione lenita, verùm nouis aucta blaſphemijs procaciùs defenſa. Nunc veſtra Confeſsio, & Philippi Apologia Contritionem & timorem, tametſi mutato in Terrores nomine, exigit ad pœnitentiam, Theologos & communem Eccleſiæ doctrinam in hoc, etiamſi nolit, ſequuta, charitatem verò ab ea prorſus excludit. Reijcitis enim, & inter hæreticos annumeratis eos, qui docent remiſsionem peccatorum contingere propter noſtram dilectionem, aut craſsè nimis obliti, aut impiè damnantes, quod Chriſtus ait Lucæ 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Sed de his hactenus ſatis ſuperque diximus. Reliquum eſt, quæ ſpecialius de pœnitentia continet veſtra Confeſsio, in medium producere. Non ſatis eſt vobis, confeſsionem ſimpliciter proferre, verùm & doctrinam additis de partibus pœnitentiæ, quaſi neceſſarium ſit, vt qua de re, nec firmam quidem & communem omnibus opinionem, ſapientes ſunt aſſequuti, de eadem vulgus fidem habeat explicatam, quam conceptis verbis profiteatur. Pœnitentiam omnes Catholici credunt, de partibus eius non perindè conueniunt, quòd multa ſint ad pœnitentiam neceſſaria, quæ tamen non ſunt ipſius pœnitentiæ partes. Sicut multa ſunt ad politicam iuſtitiam neceſſaria, quæ iuſtitiæ partes non ſunt. Quamobrem, ſicut ſatis eſt vulgò vitare libidinem, & abſque eo, quòd eius omnes partes & ſpecies intelligat diſtinctè aut poſſit enunciare disertè: ita ſatis eſt ei, ſi ſacramenta ſuſcipiat à Chriſto, vt ſymbola eſſent gratiæ, inſtituta, abſque eo, quod diſtinctè intelligat vniuſcuiuſque ſacramenti diffinitiones & partes. Quando enim agricolarum & opilionum vulgus hoc aſſequetur? An omnes hos & id genus alios ab æternæ vitæ iure ſecludemus, quia non valent Lutheranæ fidei argutias, & ſacramentorum partes, de quibus inter eruditos minimè conuenit, intelligere? Cæterùm vt neceſſariò iſta (quod nunquam conceſſerim) in veſtra Confeſsione ſint poſita, diſpiciamus (Confeſſ. verba.) an verè Confeſsionis verba ſic habent: Conſtat autem pœnitentia propriè his duabus partibus, altera eſt Contritio, ſcilicet terroris incuſsi conſcientiæ, agnito peccato: altera eſt fides, quæ concipitur ex euangelio ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſciẽtiam, & ex terroribus liberat. Iſtam pœnitentiæ veſtræ conſolationem Philippus (Philippus.) auget in Apologia, præſcindens (vt dicit) à contritione illas ocioſas & infinitas diſputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Sed dicimus, inquit Contritionem eſſe veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato, & dolet ſe peccaſſe. Quàm vellem, vt Philippus iſtos

veros

veros terrores, quibus ſeriò conſcientia (ſic enim illos exponit) dolere conſueuit, à falſis mihi diſtingueret, quibus ioco dolere poſſit: vt ſublatis diſputationibus noſtris ocioſis de duplici Contritionis origine, aliquid lucidius ipſe, quod nulla indigeret quæſtione, pro noſtris diſputationibus ſubſtitueret. Nobis vera Contritio, verus timor eſt, qui iure dicitur filialis, etiamſi nô ſit vſquequaque perfectus, cùm animus nollet Deum offendiſſe, quem ſe tamen offendiſſe recolit. Nam triſtitiam ita definit Auguſtinus, vt ſit animi commotio de ijs rebus, quę nobis nolentibus accidunt: idcircò qualis fuerit res ipſa, propter quam triſtitia afficimur aut timore, talis erit timor noſter & triſtitia, ſiue vera, ſiue falſa. Hoc diſcrimen non poteſt dignoſci per affectus ipſos, quatenus ſunt qualitates animum immutantes, quoniam hoc modo æquè vera eſt vna triſtitia, ſicut alia, etiam ſi non ſint æquales, ſed dignoſcitur ipſa radice perturbationis, quam appellamus obiectum, ita vt triſtitia, quæ oritur ex vero malo, vera triſtitia ſit: quæ vero ex malo apparenti, dicatur apparens aut falſa triſtitia, tametſi, quandiu obiectum animo apprehêditur vt malum, æquè verè contriſtat & mœrore afficit animum, vt ſi vero malo eſſet commotus. Ita, quod ad ipſas affectiones attinet, nulla triſtitia non eſt vera triſtitia, atque adeò nullus dolor, nullus terror non eſt verus: nec vnquam anima non ſeriò dolet, quandiu quoquo modo dolet. Idem iudicandum eſt de timore: vtriuſque enim affectus, radix, & obiectum eſt malum, ſed triſtitiæ, re aut recordatione præſens, timoris verò, re aut opinione ſaltem futurum. Triſtritia ergò ſi ſit de peccato præterito, quod quiſquam nollet admiſiſſe, vera triſtitia eſt dicenda: quoniam de vero malo, adeoque digno, quod mœrore animum afficiat, oritur: ſi verò ita ſit de futuræ pœnæ, cuius reus iam tenetur animus, conſideratione, vt ſecluſo reátu, nihil alioqui moraretur ipſa peccata, non vera triſtitia eſt, aut ſaltem non eſt vera pœnitentia, quando illum non pœnitet offendiſſe Deum, ſed ipſum reatus incommodo læſiſſe. Et hæc pœnitentia atque triſtitia eſt, quæ propriè ex timore ſeruili oritur: ſeruorum eſt enim, non dominorum ſuorum offenſiones, ſed proprias timere pœnas. Philippus hæc omnia velut ocioſas diſputationes flocci pendens, tantùm exigit à nobis veros terrores, quibus anima ſeriò doleat, quos tamen errores qui poſsit à falſis diſcernere ſine his diſputationibus, non video. Et ſunt, qui ſpecie duntaxat verborum commoti, re verò minimè intellecta, nec animaduerſa quidem, pecudum inſtar ſequantur voces, quæ ipſis etiam, à quibus excogitatæ ſunt, nihil niſi claſsicum celeuma ſignificant. Nos verò verbis prætermiſsis, rem perſequamur. His veris terroribus præcipit Philippus ſuccedere fidem, qua conſcientia terroribus contrita, ad conſolationem erigatur. Et hanc dicit eſſe doctrinam, qua illuſtrauit & ornauit beneficium abſolutionis & poteſtatem clauium, & quæ multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam apud omnes bonos viros attulit Luthero. Quid Lutherus initio ſui dogmatis de Pœnitentia docuerit, attigimus modò, quod valde diuerſum fuit ab hac doctrina, qua piæ mentes erectæ, maximam cepiſſe conſolationem iactantur. Cæterùm conſolari conſciẽtias facillimum eſſet etiam nobis, niſi eſſet pax quædam & conſolatio animæ pernicioſa, quæ concipitur erroris perſuaſione ſemel ſuſcepta, de qua Hieremias: Curabant (ait dominus) contritionem filiæ populi cum ignominia, dicentes; Pax, pax, & non erat pax. Vera conſcientiæ pax & ſecuritas, etſi non poſsit eſſe ſine fide, non tamen poſsidetur per ſolam fidem, niſi adſit charitas, per quam operatur. Gloria, honor & pax omni operanti bonum. Nam quæ, per Deum, pax poterit eſſe animæ, quæ ita credit ſe per verbum Dei à peccatis præteritis abſolui, vt tamen futura non habeat in animo vitare? Dicetis (ſcio) hoc eſſe impoſsibile: Imò nihil frequentius vulgò veſtratium. Ita enim ſibi perſuaſerunt, nihil opus eſſe ad perfectam veniæ conſequutionem, niſi vt firmiſsimè credant ſe abſolutos, cùm audiunt abſolutionem, quæ innititur Euangelio. Rurſum dicetis, iſtam fidem perſeuerationem in peccatis minimè ferre, quia cùm præceſſerint veri terrores, ſeriò dolet ſe peccaſſe, quod eſt impoſsibile ei, qui adhuc peccare decreuit. At cùm veros terrores exigatis, tacitè fatemini eſſe falſos, quibus poſſet anima decipi: qui poterit ergò noſſe pœnitens veros ſe habere terrores, & ſeriò dolere, vt fide ſuccedente, pacationem & ſecuritatem accipiat, præſertim cùm hos terrores ita depingant Lutherus & Philippus, vt dicant illos non poſſe animam ſuſtinere, quin rueret in deſperationem, niſi ſuſtentaretur verbo Dei? Atque hinc colligunt diſcrimen inter pœnitentiam Petri & Iudæ, quorum vtrunque volunt habuiſſe veros terrores: Sed alter, hoc eſt, Petrus, erectus eſt verbo Dei, alter verò deſperauit, quia veri terrores ſuſtineri non poſſunt ſine verbo Dei. Cùm ergò tales deſcribantur à veſtris doctoribus veri terrores, ſine quibus mens non erigitur fide, quoſque partem faciunt veræ Pœnitentiæ, quis poterit ſcire, ſe veros habuiſſe terrores, aut vnde dignoſcet illos à falſis, ne illudatur?

Contritio.

Conſcientiæ pax & conſolatio falſa & vera.

Rom 2.

tur? Dicent, hos terrores concipi verbo DEI, cùm per illud arguuntur peccata. Audio, ſed interim nullam video notam diſcriminis, qua poſsim veros terrores diſtinguere à falſis, niſi præter hoc, quod Iudas, quos dicitur habuiſſe veros terrores, non videtur concepiſſe verbo Dei. Idem verbum Dei audiunt, qui verè conuertuntur, & quos falſo pœnitet: nec omnes qui verbi comminationes audiunt, dolent, quod peccauerint, ſed quod æternæ mortis reos ſeſe fieri peccando vident. Et ſentiunt quidem vehementes atque terribiles animi cruciatus, qui tamen non huc animum inducunt, vt doleat, quòd ipſe tam iniquus fuerit, ſed quòd deus tam ęquus ſit, aut quod ipſi iudicant, ſeuerus. Fac huiuſmodi hominem, quod genus multi ſunt, vrgentibus hiſce animi terroribus, audita Philippi doctrina, miſericordiæ fiducia erigi, leuamen abſolutionis quærere, ita tamen, vt ſibi (quando nihil ab eo niſi fides exigitur) perſuaſerit, cùm primum abſoluentis verba audierit, & abſolui ſe etiam non confeſſum crediderit, abſolutum eſſe, hoc eſt, pœnas illas, quas timuerat, euaſiſſe. Etenim talem quærebat miſericordiam, quale de ſua miſeria iudicium habuerat, exiſtimans ſe miſerum, non quòd peccauerat, ſed quòd vltionis ſe fecerat reum, & ideò eius concepit ſecuritatem ex abſolutione, cuius perceperat metum in comminatione. Dicetisne hunc hominem veros habuiſſe terrores? ſeriò doluiſſe? veram adhibuiſſe abſolutioni fidem, poſtremò veram pacem & ſecuritatem animi conſequutum? Quod ſi dixeritis, vt dicturos vos eſſe reor, nihil eorum, quæ huiuſcemodi homines aut agũt aut patiuntur, vera eſſe: ſupereſt nobis integra quæſtio, vt quo veram animi ſecuritatem poſsidere valeamus, oſtendatis nobis modum, quo poſsimus dignoſcere veros terrores, & cæteros affectus, à falſis diſcernere, quandoquidem vtrique concipiuntur externa verbi Dei perceptione. Eadem eſt nobis quæſtio de fide, quoniam ſi quamcunque probatis, & ſufficere dicitis in Pœnitentia ad peccatorum remiſsionem obtinendam, quid iudicabimus de ijs, qui ita credunt ſe à præteritis peccatis abſolui, vt à futuris tamen abſtinere nolint, imò qui fiducia iſta, quam de remiſsionis facilitate, ſimul atque abſoluentis verbo crediderint, conceperunt, proniores fiunt ad flagitia. Dicetisne hanc fidem illis ſufficere ad iuſtitiam & abſolutionem à peccatis, qua fide, quod ad certitudinem attinet, ita firmiſsimè credũt abſolutioni, vt nulli firmius. Quod ſi reſponderitis, haud quamcunque ſufficere fidem, ſed viuidam quandam ac minimè ocioſam, qualem etiam ante charitatem doctores veſtri comminiſcuntur, vtpote quę ſine charitate iuſtificat, quam obſecro ſecuritatem concipient illi, qui poſt conſciẽtiæ terrores, quos miſericordię fiducia atque fides excipit, abſoluti, nihilò minùs experiũtur ſeſe affectibus impugnari, interdum & expugnari, quàm anteà? Etenim perpauci ſunt, in quibus tanta fiat repentè mutatio, vt per eam poſsint cognoſcere præterita ſibi peccata dimiſſa. Vnde ergò cæteri tam multi ſcient, ſe habuiſſe fidem illam veram & efficacem, quæ opus eſt, & ſufficit abſolutioni? Quid? quòd terrores iſtos, quos oportet pręcedere fidem, tam graues, vt nequeat illos anima ſuſtinere, quin deſperet, & caliginis barathro obruatur, nemo eſt vnquàm nec in vobis expertus, nec Lutherus quidem ipſe, nec Philippus. Quid igitur opus eſt magnificis verbis fumos offundere in re, quam maximè oportet eſſe perſpicuam? Cùm itaque tantas tamque difficiles habeat doctrina veſtra quæſtiones, in quibus hęrere ac cęſpitare poſsit conſcientia, & ſcrupulis inextricabilibus implicari, quam conſolationem poteſt pijs mentibus adſerre? Obijcietis mihi fortaſsis experimentum, quo plurimorum conſcientiæ videntur erectæ ad Lutheri doctrinam, qua (vt Philippus ait) illuſtrauit & ornauit beneficium abſolutionis. Obſecro bone vir, qui poteſt miſellus homuncio Dei beneficium ornare & illuſtrare? Quis niſi prorſus impius & impudens ſibi audeat arrogare, aut hominum cuiquam tribuere iſta, quæ vos Lutheranis tribuitis adinuentis? At vitabit, ſcio, Philippus (quæ eſt eius ad omnia dexteritas) hanc inuidiam dicens, non eſſe illuſtrare & ornare, quicquam ipſi rei contuliſſe virtutis, aut addidiſſe decoris, ſed ſapientiæ Lutheranæ ſplendorem, quò faciliùs hæc poſſent intelligi, admouiſſe. De verbis nihil moror, neque nunc volo, quid ſignificent ea, neque quàm modeſta ſint, diſcutere: quibus poſt tot Eccleſiæ Concilia, poſt tot orthodoxos Patres, poſt tot Pontificum decreta, quaſi cornicum oculi configuntur. Tantum per communem ſalutem, de qua diſſerimus, vos conteſtor & admoneo, viri Germani, vt animaduertatis, quantas & quales potiùs tenebras offundat pijs mentibus dogma Lutheri, modò non perfunctoriè, vt vulgò periculoſiſsimè fit, ſed preſsiùs ac diligentiùs excutiatur. Nam vt ad experimenta reuertar, facilè mihi erit, multis aliorum atque certioribus experimentis refellere. Deprehendi, cùm eſſem in Germania, omnes fermè, qui Luthero credũt, nihil aliud intelligere de verbis eius, quàm fidem illam vulgarẽ, qua ſeſe Chriſtia-

nos

nos exiſtimāt, ſufficere eis ad iuſtitiam & peccatorum remiſſionem, modò firmiſſimè credant, ſeſe, quales quales fuerint, mox vt abſolutionis verba proferuntur, ab vniuerſis peccatis abſolutos euadere. Quem vulgi errorem, niſi communis eſſet, & quaſi populariter receptus, nunquam Eraſmus vir doctus & probus, ſed Lutheranis dogmatibus non perinde inſenſus atque furori, in Colloquijs, quæ vulgo ſcripſit, irriſione peracuta damnaret. Porro huic perſuaſioni cùm adiuncta ſit alia, qua Lutherus docet, non eſſe opus peccata ſacerdotibus confiteri, mirum ni maximam ex vtraque conſolationem conceperit vulgus, cuius ſemper fuit, iugum Chriſti detrectare, & veram cordis mortificationem exhorreſcere. Nam apud eos, qui in vobis ſūt doctiores & cordatiores, nihil aliud fecit Lutheri doctrina, quàm vt vtrinque perplexi & ancipites, nec illi, nec nobis credant. Equidē animaduertunt noſtrorum mores, & ſacrificulorum (quod negandum non eſt) quoſdā abuſus, ex quibus, occaſione accepta, Lutherus Catholicam doctrinam vehementer ſit inſectatus, & omnibus propter quorundam crimina negotium exhibuerit. Rurſus vidēt veſtrorū mores noſtris (vt modeſtè loquar) nihilo meliores, quibus adiungunt, quàm variè, quàm perplexè ſua dogmata prodat Lutherus, quàm frigidè probet, quàm multa magnificis verbis polliceatur, quàm nulla ſolidis argumentationibus præſtet, qui fit, vt ita nobis aduerſentur exteriùs, vt tamen interiùs Luthero minùs, quàm nobis credant. Nihil inexpertum loquor, multis congreſſibus, varijs colloquijs explorata mihi ſunt, quæ ſcribo. Sed interim, ne iſtorū claudicationē probare videar, identidem mihi repetendū eſt, non debere ſacras & pias Eccleſiæ doctrinas ac leges propter iniquitatem eorum, qui abutuntur illis, in ius vocari, aut quoquo modo contemni. Haud ergò, vt ad Philippi verba reuertar, apud bonos & ſapientes viros noua doctrina commendationem attulit Luthero, ſed apud ineptas mulierculas, apud rudis & vulgaris ingenij homines, animales, non percipientes, quæ ſunt ſpiritus Dei, quos peccare iuuat, confiteri pudet, emendari tædet, & aduerſus hæc omnia vnico ſe clypeo protexerunt, Lutherana fide, qua in medijs libi facinoribus blandiuntur: quippe quòd credunt (quid ni? cùm ſit facillimum) audito verbo abſolutionis, & à ſe peccatis omnibus abſolui, recepto, hac ſola fide iuſtificari. Hi ſunt, quibus Lutheri doctrina probatur, quòd illorum libidini tam indecorè ſeruiat, vt non ſit veritus, primam ſententiam, quò vulgi cederet affectibus, identidem, quod ſuperiùs oſtenſum eſt, mutare. Hactenus de veſtra cōfeſſione, Germani, & Philippica defenſione: nunc quibus eam fundamentis confirmet, audiamus. Primò, quam vocamus ſacramentalē Confeſſionem, reijcit tanquàm pœnitentiæ minime neceſſariam, tametſi quandam ſpeciem eius permittit arbitrio ſacerdotū, quò facilius poſſint doceri rudes. Hanc doctrinam qua vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem (vt nihil aliud addam) conuellit, nulla firmat authoritate: tantùm irridet noſtros Theologos, qui veſtræ confeſſioni obiecerūt c. cuius initium, Omnis vtriuſq; ſexus, quod habetur titu. de pœnl. & remiſſ. libro quinto Decret. de quo iudicat, ſicut de cæteris humanis conſtitutionibus, quòd non ſint cultus ad iuſtificationem neceſſarij. Probat verò iudicium, ne temerè pronunciaſſe videatur, per Panormitanum & alios iuriſconſultos, qui modò ſunt illi eruditi, cùm aliàs ſint Luthero ac Lutheranis omnibus prorſus graculi ad fides: *Citant Panormitanum.* Attamen ſi probatio noſtrorum per commune totius Eccleſiæ decretum viſa eſt vobis imbecilla, qualis erit Philippi probatio per Panormitanū & Canoniſtas? qui tantum humana iura profitentur, diuinum aut ignorant omninò, aut perfunctoriè duntaxat attingunt. Hoccine eſt ornaſſe beneficium abſolutionis, & poteſtatem clauium illuſtraſſe in re, quæ tota pendet ab arcanis literis, Panormitani teſtimonium afferre? Nos verò poteſtatem clauium, nec illuſtrare, nec ornare, pollicemur: qualis tamen & quāta ſit hæc poteſtas, in lucem ex ſacris literis dare conabimur, nihil nouum afferētes, ſed quod Patres orthodoxi tradiderunt, & Eccleſia ſequuta eſt, comprobantes. Quāta ſit hæc poteſtas, attingemus inferiùs, cùm fuerit de Eccleſia diſſerendum: qualis ſit, declarant Chriſti verba, cùm dicit Petro: Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Generalius vero omnibus ſimul Apoſtolis: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Vterque locus præ ſe fert poteſtatem hanc, de qua loquimur, eſſe iudicialem: aut, quod elegantius expreſſit Maximus, eſſe iudicandi poteſtatem. Ad iudices enim ſpectat, reum aut abſoluere, aut damnare, quod ſcriptura propria phraſi dixit ſoluere & ligare, remittere & retinere. Remittūtur peccata, cùm peccator abſoluitur: retinētur, cùm ei non confertur abſolutio: non enim vt remittere eſt abſoluere, ita retinere eſt dānare. Poteſt ſacerdos authoritate clauiū abſoluere reū à peccatis, dānare nō poteſt, niſi quatenus abſolutione iudicat indignum: idcircò non dixit Chriſtus Apoſtolis: Quos abſolue-

Qualis ſit poteſtas clauiū. Matth. 16. Ioan. 20.

ritis,

ritis,erunt abſoluti:quos damnaueritis,damnati:ſed loco abſolutionis poſita eſt remiſſio, quæ idem facit: pro damnatione verò,poſita eſt retentio,quæ non eſt damnatio, ſed iudicium, quo peccator pronunciatur indignus abſolutione. Hunc ſenſum verba Chriſti,vt dixi,ſimpliciſſimè accepta faciunt, neq; quiſquam eſt illi hactenus refragatus. Quamobrem nulla coactione, aut humano commento, ſed ſimplici ac perſpicua collectione ex verbis Chriſti deducitur, neceſſariam eſſe Confeſſionem pœnitentiæ,ſicut cauſæ cognitio neceſſaria,eſt iudici ad abſoluendum aut damnandum reum. Nec propterea quòd nomen Confeſſionis,vt nunc accipimus,non eſt expreſſum in Euangelio,eſt negandum, Cóſeſſionem eſſe iure diuino neceſſariam,quando nulla ſermonis conſuetudo habet, nec intelligentiæ ordo exigit, vt cui commiſſum fuerit,ſententiam in cauſa ferre, eidem cauſæ cognitio apertioribus verbis committatur. Etenim ſatis eſt, ſi princeps magiſtratui dicat:Eſto iudex huius vel illius cauſæ, aut penes te ſit poteſtas in alterutram huius cauſæ partem pronunciandi, abſque eo quod ſuperſtitiosè præcipiat,audiri reos,adhiberi teſtes, interrogari, examinari, & cætera fieri, quæ iudicialis proceſſus, vt vocant, requirit. Nam cuius principis poteſtate de totius rei ſumma ſententiam eſt prolaturus, eiuſdem authoritate faciet omnia illa, etiam ſi præcepta non fuerint, ſine quibus legitimè pronúciare non poteſt. Et vt iuribus vtamur aduerſus iuriſconſultos,præter hoc,quod nihil diximus,cui communis animi conceptio, modò libera ſit, non aſſentiatur, nihil eſt in iure compertius, quàm cui maiora committútur, eidem & minora, quæ commiſſis inſeruiant, eſſe mandata. Eſt iuris regula, hoc expreſsè continens in Digeſtis, & Paulus antiquorum omnium celeberrimus iuriſconſultus, notat In prima lege tituli de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio. Negat nihilominùs Philippus,poteſtatem,qua ſacerdos abſoluit,eſſe iudicialem, qui tamen improbat,quod ipſa verborum facies oſtentat. Non hic habet Panormitanum & Canoniſtas illos doctiſſimos, quibus iuuari poſſit. At quod teſtimonijs & auctoritate nequit aliorum, ſua ratiocinatione confirmat. Quia non eſt, inquit,niſi poteſtas alieni beneficij. Ego, vt ſum parú Latinꝰ, vix intelligo, qđ ſibi velit, poteſtas alieni beneficij. Quicquid tamé ſit,vnde probat? Nuſquá eſt:ſed vt donemus ei eſſe verú,quid tum poſteà: nú ſtatim ſequitur,quod nó ſit iudicádi poteſtas? Imò omnis poteſtas iudicádi,& ſecernédi iuſtos,ab iniuſtis ab altero accepta,eſt poteſtas alieni beneficij,népe principis,cuius vices in iudicádo geruntur,qui princeps,& ꝑ eú qui principis fungitur officio,nó illis modò,qui abſoluútur,eſt beneficꝰ verú toti Reipub.in qua æquis legibꝰ,& legitimis magiſtratibus indignos ſecernit à dignis, iuſtos ab iniuſtis.Haud ergò, etiáſi alieni beneficij poteſtas, dicatur abſoluédi facultas,cóſequés eſt, vt nó ſit iudicialis, ꝑſertim cú nó remittendi tantú peccata, verùm & retinédi vim habeat, qđ nó eſt ſolúmodò beneficiú cóferentis,ſed & ſeueriſſimè indignátis fungi poteſtate. Intellexerút hæc,& prodiderút literis ſanctiſſimi iuxtà atq; doctiſſimi proceres Eccleſiæ,ne quis cauſetur neotericorú hoc eſſe cómentú. Ná diuus Maximus, perinde maximus atque vetuſtus,Catholicæ pietatis antiſtes, vt cæteros prætermittá, quos noſtri citarút,ita exponit Chriſti verba illa: Tibi dabo claues regni cœlorum,&c.Ne quos nos fratres,de creditis Petro clauibꝰ regni, more noſtrarú clauium cogitatio terrena permoueat. Claues.n. cœli, lingua eſt Petri,quia ſingulorú merita céſendo Apoſtolꝰ, vnicuiq; regnú cœlorú aut claudit aut aperit. Nó eſt ergò clauis iſta mortalis artificis aptata manu, ſed data à Chriſto poteſtas eſt iudicádi. Deniq; ait eis:Quorú remiſeritis peccata,remiſſa erút,& quorú detinueritis,detenta erút. Non igitur recentiorú cómentú,ſed cùm antiquorum Patrú,tú Eccleſiæ totius ſentétia eſt, poteſtaté clauiú eſſe iudicádi facultatem. Ex quo perſpicuú fit,quo iure neceſſaria eſt abſolutio ſaluti, eodé iure, népe diuino, neceſſariá eſſe Confeſſioné abſolutioni. Siquidé peccatoris cauſæ iudicandæ neceſſaria cognitio eſt, quando nullis alijs agendú eſt teſtibus, niſi ſingulorú cóſcientijs. Teſtimonium illis reddente cóſcientia ipſorú,& inter ſe inuicé cogitationibus accuſantibus,aut etiá defendentibus, in die cú iudicabit Deus occulta hominum,&c. Illic ſufficiet cogitationis accuſatio aut defenſio,vbi is erit iudex,cui perſpecta eſt hominis cogitatio,népe Chriſtus. Hic aút opus eſt etiá verbis,ſine quibus nó pót (ꝙ Maximus clauibꝰ tribuit) homo hominis merita céſere. Neminem exiſtimo vſqueadeò proteruú,aut impudété fore,qui ambigere audeat,vter meliꝰ intellexerit verba Chriſti,D.Maximus,an Panormitanus,etiáſi Philippꝰ illi accedat, cú ille iuris humani,hic diuini fuerit profeſſor & interpres, népe Theologus,& Theologorum omniú ętate,ſapientia, pietate,tantùm non maximus. Alioqui dicant mihi obſecro Canoniſtæ illi eruditi, quorú authoritate fretus Philippus, negat confeſſioné eſſe iure diuino neceſſariam,ante Confeſſionem inſtitutam à Pontificibus illis, quos primò volút eam induxiſſe. Vndè Petrus céſere potuit ſingulorú merita, vt ait Maximꝰ,ſi nó erát illi priùs quoquo modo nota? Quòd ſi dixerint,illum Apoſtolum potuiſſe arcana hominum, non facta modò, verùm & cogitata cognoſcere: hoc certè

Confeſſio eſt neceſſaria iure diuino.

Rom 2.

vt

vt aliquando datum ſit Apoſtolis, generatim ſolius eſt Dei, quod ſibi potiſſimum in ſacris literis conſueuit ſumere. Sed omittamus Apoſtolos, neque enim cum illis extincta eſt hæc cenſendi ſingulorum merita & iudicandi poteſtas, quando non tam illorum, quàm totius eſt Eccleſiæ. Vndè rogo ſacerdos ante Confeſſionem inſtitutam à pontificibus, aut nunc ſine Confeſſione ſumere poteſt cenſuræ rationem atque delectus, quo ex peccatoribus quibuſdam aperiat, quibuſdam claudat regna cælorum? hoc eſt, quoſdam abſoluat, quoſdam verò ſine abſolutione prætereat: vtrumque eſt enim illi à Chriſto commiſſum, cùm dicit: Quorum remiſeritis peccata, remittentur: & quorum retinueritis, retenta erunt. Qui poteſt ſcire ſacerdos, duobus ſibi peccatoribus propoſitis, vtri illorum ſit abſolutio conferenda, vtri neganda, niſi vtriuſque conſcientias fuerit diligenter per Confeſſionem perſcrutatus? Dicetis mihi fortaſsè, non hic agi de Confeſſionis vtilitate, quam veſtrorum multi fatentur, ſed an fuerit à Chriſto præcepta, quod etſi aſſeramus, ſtatim vt præceptum ex ſacris literis proferatur, exigitis. Atqui nos (ne præcepti vox offendiculo ſit inueniendæ veritati) non tãtùm vtilem eſſe monſtrauimus, verùm & neceſſariam abſolutioni, quæ eſt præcipua poteſtas clauium, idque eiuſdem poteſtatis naturam per ſacras literas perſcrutati, eruimus in lucem. Quis autem vel mediocriter in illis verſatus, neſcit eſſe quædam, quæ ſe ſcripturarum verba legentibus ſimplici apprehenſione non offerunt, eadem tamen penitùs indagata, in eiſdem ſcripturis retruſa inueniuntur: nec poſſunt ſimplici teſtimonio literali, vt vocant, probari: ea tamen facilè eſt in eiſdem literis oſtendere, modò contentionis affectum ad ſcripturarum intelligentiam, aut dogmatis alicuius affectationẽ non afferas. Huius theorematis exempla prætermitto, tùm quòd multa ſint ab alijs producta, qui hoc idem vel docendi vel redarguendi hæreticos gratia, & nunc demùm aduerſus Lutherum confirmauerunt: tùm quòd ſapientibus ſcribens, nolim ſimplicibus, qui mordicùs verba ſectantur, offendiculum in fide præbere. Scitis enim, quales tragœdias, & quã ingens negotium exhibuerint cuidam primi nominis Theologo hæ voces: Hoc non habetur expreſsè: illud apertè ſcriptura non dicit: illud iterum aut tertiò duntaxat inuenies, & id genus aliæ, quæ minus eſſent intolerabiles ſi de hiſce rebus, quas nunc perſcrutamur, & nõ de totius fidei noſtræ ſumma, eſſent prolatæ. Sed de quacunque re, ſuſcepta ſit cõtrouerſia, hoc certè nullam habet, quod bifariàm poſſit per ſcripturam ſacram finiri, aut teſtimonium producẽdo, quod formaliter (vt dici ſolet) & expreſsè alterutram partem contineat; aut ex contentis neceſſaria collectione deducendo (quod dicitur virtualis continẽtia) id quod modo de Confeſſione fecimus. Hæc negare haud Chriſtianæ ſapientiæ eſt, ſed Iudaicæ ſuperſtitionis. Quòd ſi dubiretur, vtri ſit potiùs aſſentiendum, contentione formaliter, an ex contentis legitima collectione deducto: mihi ſuperuacanea videtur huiuſcemodi quæſtio. Ea eſt enim ſanctarum ſcripturarum conſtantia, veritas, conuenientia, vt non ſibi magis illa duo, quàm veritati veritas aduerſari queant. Vtcunque tamen conferantur, hoc citra difficultatem eſt in cõfeſſo, quòd omnibus illis, quæ neceſſaria deductione colliguntur, eſt firmiſſimè aſſentiendum, nec poſſunt niſi impiè dubitari, quãdiu apertius teſtimonium aduerſus ea non profertur. Hæc cùm ita ſint, ego viciſſim à vobis & Philippo requiro teſtimonium de ſcripturis, quo valeatis improbare, quod nos ex eiſdem ratiocinando probauimus, & multis alijs locis eſt à Doctoribus confirmatum, ſi non literalibus & expreſſis, certè talibus, quales vos nunquam aduerſus Confeſſionẽ produxiſtis. Nam quòd CHRISTVS ſine Confeſſione quibuſdam peccata remiſit, non magis facit aduerſus confeſſionem, quàm aduerſus baptiſma, quod nonnullos ſaluos fecerit ſine baptiſmo. Rem ergò vtilem, vt veſtrorum plurimi fatentur, neceſſariam, vt noſtri probant, quorum argumentationes grauioribus non refellitis, diuturna conſuetudine & totius Eccleſiæ conſenſu firmatam, temerè procul dubiò (ne quid acerbius dicam) abſtuliſtis, aut mutaſtis, ſola Canoniſtarum quorundam authoritate, qui, vt citat Philippus, dicunt non eſſe iure diuino neceſſariam. Iam quod Philippus addit, impoſſibile eſſe omnia peccata confiteri, propter illud ex propheta: Delicta quis intelligit? nihil obſtat Eccleſiæ decreto, quod omnia peccata quotannis confiteri, quod alias neceſſarium erat abſoluendis (vt probauimus) præcipit: ea videlicet, quæ poſſunt mente recoli: poſſunt verò etiã ab obliuioſiſſimo quoq;, quæ ſatis ſunt ad hoc, vt (quod præcipit Sapiens) paſtor pecoris ſui vultum diligenter agnoſcat, & ita dignum aut indignum iudicet abſolutione. Cæterùm qui præcepti huius occaſione anxiam ſingulorum operũ, verborum, cogitationum, locorum, temporum, viciſſitudinum, innumerabilium denique circũſtantiarum, in quibus perſcrutandis, computandis, recenſendis, & velut fabulis enarrandis, conſcientiæ cruciantur, interdum & refricatione memoriæ nouo vulnere ſauciantur, inuexerunt: etiam ſi ſint ex noſtris, mihi non poſſunt probari. Quinimò maximè ab illorum ſentẽtia diſcedo, qui

Pſal. 18

Omnium peccatorũ enumeratio.

pusillo-

puſillorum & imbecillium conſcientias huiuſmodi ſarcinis onerare non verentur, quibus tum publicè tum priuatim pro mea virili populum Chriſtianum ſemper leuaui. Theologi verò illi, qui cõfutationem Auguſtæ conſcripſerunt, cum dicunt neceſſariam eſſe integram Confeſſionem, non intelligũt omnium peccatorum, etiam illorum, quæ memoriæ non ſuccurrunt, enumerationem. Sed integra Confeſſio illis & omnibus Catholicis rectè cogitantibus eſt, in qua pœnitens nullum peccatum, ſaltem mortale, data opera aut craſſa nimis negligentia, vel potiùs neglectu prætermiſit. Quia impium eſt, vt ait Auguſtinus, dimidiam à Deo exſpectare veniam. Hæc viris ſapientibus ac liberis de Cõfeſſione, quam reiecit Philippus, ſufficiant. Nam cæteris quid ſufficiet? Nunc ad pœnitentiæ partes, quas vos deſcripſiſtis, & Philippus confirmat, accedamus. De contritione, quam veros terrores & ſerios dolores Philippus appellat, nulla, vt ex verbis eius apparet, fuit cõtrouerſia inter illum & noſtros theologos. Fidem eſſe pœnitentiæ partem, noſtri negauerunt. Quod idipſum tam abominandum viſum eſt Philippo, vt querulus & indignans Cæſaris pietatem aduerſus nos inuidioſis verbis imploret: Quid hic Carole Cæſar inuictiſſime faciamus? Hæc eſt propria euangelij vox, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum. Hanc vocem euangelij damnant iſti ſcriptores confutationis. Nos igitur nullo modo aſſentiri confutationi poſſumus. Non poſſumus ſaluberrimam vocem euangelij, & plenam conſolationis damnare. Quid eſt aliud, negare, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum, quã contumelia afficere ſanguinem & mortem Chriſti? Rogamus igitur te Carole Cæſar inuictiſſime, vt nos de hac re maxima, quæ præcipuum euangelij locum, quæ veram Chriſti cognitionem, quę verum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias, & cognoſcas. Comperient enim omnes boni viri, nos in hac re præcipuè docuiſſe vera, pia, ſalubria, & neceſſaria vniuerſę eccleſiæ Chriſti. Comperient ex ſcriptis noſtrorum, plurimum lucis acceſſiſſe euangelio, & multos pernitioſos errores emendatos eſſe, quibus antea obruta fuit doctrina de pœnitentia per Scholaſticorum & Canoniſtarum opiniones. Hęc Philippus in primo paragrapho, ſed hoc exordio non contentus, quaſi parum inuidiæ nobis, parum ſibi glorię comparaſſet, addit in ſecundo: Omnes boni viri, omnium ac theologici ordinis etiam, haud dubiè ſatentur, ante Lutheri ſcripta confuſiſſimam fuiſſe doctrinam Pœnitentiæ, & cæt. Pœnitentiæ doctrinam (videte Germani, quàm facilè veritati cedamus) per ſe quidem, vt à Chriſto & eius apoſtolis eſt tradita, lucidam & apertam, non negamus confuſam fuiſſe hactenus, & aliquot inuolutam ſcrupulis per quoſdam, quibus aut zelus Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, aut gloriæ affectus impoſuit, quando nulla imbecillitatis humanæ habita ratione, de alienis cruciatibus ingenium oſtentare voluerunt, à phyſicis qualitatibus ad animi affectiones & opera, calculationes transferentes, & imponentes puſillorum conſcientijs onera grauia, quæ tamen ipſi nec digito quidem attingere voluerunt, ſed quòd has tenebras Lutherus diſcuſſerit, & pro eis lucem inuexerit veritatis, hoc negamus. Tum quod veritas nunquam Eccleſiæ CHRISTI defuit, quam & ante Lutherum natum multi boni viri literis & verbis profeſſi ſunt, & operibus exſecuti: tum quod Lutheri doctrina de Pœnitentia, vt ſuperius demonſtrauimus, confuſiſſima eſt & illa, quam in ſophiſtis & Canoniſtis damnant, obſcurior. Nec Philippus eſt in hac re dilucidior, qui præter cæteras inconſtantias, quos modo eruditionis commendatione chauerat Canoniſtas aduerſus theologos, nunc cũ eis vt pœnitentiæ euerſores & contaminatores condemnat. Et quanquam de [illegible]ibus Pœnitentiæ variè licuit hactenus opinari ſapientibus, qui tamen nunquam ab ea confeſſionem excluſerunt, quapropter ego nihil grauate ceſſiſſem Luthero, ponenti fidem eſſe Pœnitentiæ partem: tamen vt appareat noſtros theologos id iure non admiſiſſe, paucis Philippo reſpondendum duxi. Cogor autem in eo deſiderare rurſus, quod ſuperius illi deeſſe monſtraui, nempe rei ſiue rerum, de quibus cum aduerſario diſputat, tranquillam conſiderationem, & lucidam ſuppoſitionem in primis rhetori neceſſariam, dialectico verò non magis prætermittendam, quàm ipſa dialectica. Non de fidei neceſſitate noſtris aduerſus Philippum ſuſcepta erat controuerſia, non quærebatur, an fide nobis dimittantur peccata, non ambigebatur, fidé eſſe vocem euangelicam, conſolationis & ſalutis plenã. Hoc tantùm vertebatur in quæſtioné, an fides ſit pars Pœnitentiæ, quod nullũ euangelium dicit, nihil ad ſalutem, nihil ad conſolationem refert. Nam non eſt idem, aliquid eſſe neceſſarium virtuti, & eſſe partem virtutis. Prudentia neceſſaria eſt ad habendã fortitudinem, non tamen eſt pars fortitudinis. Fides ſimiliter neceſſaria eſt ad charitaté, non tamen eſt pars charitatis. Eadem eſt ratio in ſacramentis, quibus quædam ſunt neceſſariæ, quæ tamen non ſunt illorum partes, vt ſacerdotium neceſſarium eſt ad Eucharistiam, cum non ſit pars eius: volun-

Pœnitentiæ partes.

Philippi verba.

tas

tas conſecrandi, neceſſaria eſt ad ſacramentũ, cuius non eſt pars. Ad eundem modum noſtri non negant fidem neceſſariam eſſe ad pœnitentiam, quod eis tragicis ac planè odioſis verbis obijcit Philippus, negant tamen partem eſſe Pœnitẽtiæ. Et quanquam Philippus nunc oſtentet, nunc deſpiciat, & exoſam videtur habere dialecticam, haud verebor illi ignorantiam eius exprobrare. Vnde enim valet conſequentia iſta, qua millies ita colligit? Fides neceſſaria eſt ad pœnitentiam: ſine fide nũ remittuntur peccata: fides ergo eſt Pœnitentiæ pars? Aut vnde valet ea, qua in theologos noſtros inuehitur? Theologi negauerunt fidem eſſe pœnitentiæ partem: negant igitur fidem eſſe neceſſariam ad peccatorum remiſſionem, negant propriam euangelij vocem, quę peccatorum remiſſionem fidei pollicetur? Non equidem plus valet prior collectio, quàm ſi dicas: Cognitio eſt neceſſaria ad diligendum, eſt igitur pars dilectionis. Poſterior verò haud plus valet, quàm ſi dixeris: Theologi negant fidem eſſe partem beatitudinis, negant ergo fidem eſſe neceſſariam ad beatitudinem, negant propriam euangelij vocem, quæ credentibus in CHRISTO beatitudinem pollicetur. Quanto aptiùs nos colligere poſſemus aduerſus Philippum ita: Philippus negat nobis per dilectionem peccata dimitti, negat igitur propriam euangelij vocem: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Negat vocem conſolationis & ſalutis plenam: Quod supereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. &: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis in via, recipiant vos in æterna tabernacula. Quibus vocibus quid poteſt eſſe dulcius, quid ſalubrius, dum intelligit animus, quàm primum reſipiſcendo dilexerit, quem antea peccando neglexerat, quicquid æternum amiſſum eſt, temporalibus officijs poſſe penſari? Sed hæc alias ſuo ſunt loco diſcuſſa. Cæterum huius nunc ſatis ſit meminiſſe, quod vt fidem, quamuis neceſſariam ad peccatorum remiſſionem, nõ facimus pœnitentiæ partem, ita nec charitatem. Vrgebit nos tamen Philippus teſtimonijs illis, quæ ſuperius adduxit pro fide, ex quibus ita poterit colligere: Fructus Pœnitentiæ eſt peccatorum remiſſio & peccatorum remiſſionem conſequimur ſola fide, ergo vis Pœnitentiæ ſita eſt in ſola fide, atque adeò fides erit pars pœnitentiæ præcipua. Nihil huic argumentationi reſpondeo, ne videar ſtudio non bene aduerſarij cauſam protuliſſe, quo facilè mihi eſſet improbare, tametſi nunc nulla ſe mihi offert ratio firmior, qua poſſet vti aduerſus noſtros. Huius autem multa ſunt, quæ non concederentur. Vnum eſt, quod non præteribo. Minus aberraſſet (mea quidem ſententia) Philippus, ſi partes pœnitentiæ Abſolutionem & fidem poſuiſſet, quam contritionem & fidem ponendo. Eſt enim Pœnitentia ſacramentum: porrò Lutheranos omnes, ſi conſtare ſibi velint in doctrina, oportet ſacramenti cuiuslibet partes diſtribuere in verba & fidem. Pœnitentiæ verba ſunt abſolutio, quibus verbis adiuncta fides, efficit ſacramentum: nam terrores & Contritio non tam ſacramenti pars eſſe videntur, atque conditio aut diſpoſitio quædam ſacramentum ſuſcepturi. Sed de his viderint ipſi, nobis enim fides neceſſaria eſt ad Pœnitentiam, non tamen eſt pars eius magis, quàm alterius ſacramenti, aut quàm cuiuſuis officij Chriſtiani, quibus tamen omnibus eſt neceſſaria, quia ſine ea impoſſibile eſt placere Deo. *Heb. 11.* Teſtimnnijs verò, quibus Philippus probat, ſola fide remitti nobis peccata, etſi ſuperius ſit reſponſum, ne peruitioſa tamen confidentia (quando multa eorum nunc repetit) illis innixi ſimplices Chriſtiani, cætera ad pœnitentiam neceſſaria negligant, denuò mihi recenſenda ſunt, ſi tamen prius nonnulla ſcitu neceſſaria de Pœnitentiæ ipſius ratione monſtrauero: ſed ea alterius diſputationis principio reſeruemus.

Marginal notes, left: *id eſt neceſſaria eſt ad pœnitentiã, non tamẽ eſt pars eius.* — *Luc. 7.*

Philippica X. De vera pœnitentiæ ratione & ſacramento.

Pœnitentia. POEnitentia, cuius nomen frequens eſt in ſacris literis, præſertim in nouo teſtamento, vt nominis tantùm rationem nunc explicem, diſplicentiam incepti operis aut conſummati cum reſipiſcentia ſignificat, id quod Græce ſcientibus verbum μετάνοια, quo Chriſtus & eius Apoſtoli ſemper vtuntur, præ ſe fert, pro quo vulgata editio habet: pœnitemini & pœnitentiam agite, hoc eſt, reſipiſcite, tametſi pœnitentia aliquid videtur addere ad reſipiſcentiam. Reſipit enim aut reſipiſcit, qui cum deſipuerit, hoc eſt, quoquo modo à rectitudinis regula aberrauerit, tandem redit in viam. Pœnitet autem eum, qui dolens damnat opus, quod cœperat aut patrarat. Non erit abſurdum, ſi in vera nominis Latini ratione perſcrutanda Latiniſſimi poetæ, tametſi ethnici, verbis vtamur. Scelerum ſi bene pœnitet, ait Flaccus, eradenda Cupidinis praui ſunt elementa. Sed ſacris literis, quod ſecurius eſt, inſiſtamus. Scriptura ſacra de diuinis operibus humana verba fabricans, quippe quod hominibus loqueretur, pœnitentis animi ſpeciem in Deo ipſo, cui homines diſplicebant, luculenter adumbrauit. *Pœnitentis animi ſpecies in Deo.* Videns, inquit, Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum,

eum, quod hominem feciſſet in terra, & præcauens in futurum, tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ: pœnitet enim me feciſſe eos. His verbis propriùs & expreſſius, quàm vllis alijs, pœnitentis animi affectiones explicantur, & ob hoc, vt omittamus nunc reconditiora myſteria, tam accurate, credo, à legislatore fuiſſe deſcripta, vt quando homines legis tranſgreſſione identidem pœnitenda deſignant, ſciant quid pati, quid cauere, quid præſtare debeat verè pœnitẽs: ac per hoc, pœniteátne illum animo an verbis ſolummodo, diligenter exploret. Etenim quem rei alicuius pœnitet, primum res ipſa diſplicet, mox diſplicentiam proximo loco ſequitur animi dolor, vt complacentiam voluptas, poſt hæc cui verè diſplicet opus, ceſſat ab eo, quod Latinis eſt reſipiſcere: neque hoc tantùm, ſed apud ſemetipſum damnans quod fecerat, quãtum in ſe eſt, vellet infectum: quod ſi non poteſt, præcauet in poſterum, ne fiat vlterius.

Omnes hoc gradus cõplexa ſunt verba Moyſi, quos pœnitentiæ ratio & nomen includit, & res ipſa debet, ſi modo vera ſit, continere. Alioqui cui horum aliquid deeſt, haud ſe exiſtimet animo pœnitere, ſed ſpecie quadam & vmbra pœnitentiæ cerebro conficta decipitur. Id quod Sauli primo Iudæorum regi cõtigit, & Chriſtianorum multis hodie contingit. Pœnitentia denique nihil aliud eſt, quàm intima animi ad Deum conuerſio, quæ nemi-

Mortificatio. ni poteſt contingere, niſi ſe ſimul auerterit à creaturis, ad quas conuerſus peccauerat. Hãc auerſionem à creaturis Paulus familiari ſibi tropo mortem & mortificationem appellat, conuerſionem verò ad Deum, vitam & reſurrectionem. Ad hæc omnia fides operatur, qua ſumus inſiti Chriſto, ſicut & ad vniuerſa pietatis officia. Nam conuerſio animæ ad Deum non fit niſi amicitiæ fœdere, quo anima, quæ per peccatum Deo diſplicuerat, per nouam gratiam incipit illi placere, & eſſe grata: id quod nemini datum eſt niſi per Chriſtum: quoniam gratificauit nos pater, ait Paulus, in dilecto filio ſuo in gratia, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius in remiſſionem peccatorum. In vno itaque Chriſto Ieſu patri complacent, quicunque diſplicuerãt extra illum. Hoc gratificationis opus bonum illud eſt, quod iuxta Prophetam nemo eſt qui faciat, nemo vſque ad vnum, ſcilicet Chriſtum. Cæteri omnes declinauerunt, & inutiles facti ſunt. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eũ, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quid ego ſcripturæ ſanctæ loca enumerem, quibus hæc acceptionis gratia vni Chriſto tribuitur, & refertur accepta? Cum tota fermè clamet, & palàm faciat hominibus legis aut philoſophiæ doctrina confiſis, non ſe magis poſſe reficere, poſtquam ſemel peccando defecerint, quam ſe potuerant facere, antequam eſſent: quin quemadmodũ omnia per Chriſtum facta ſunt ſemel, ita per eundem, quotiès opus eſt, vniuerſa reficiuntur, per quem non modo tunc, cum ſeipſum moriens obtulit patri, verùm & quotiès fuerit opus, habemus acceſſum per fidem in gratia. Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccatis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. *1 Ioan. 2.* Huius fidei profeſſio ſuſcipitur in baptiſmo, fructus verò eſt, non modo gratia illa prima, quam in illo ſacramento accepimus, verùm quæcunque alia gratia, quę nobis vel pœnitentibus reſtituitur, cuius ſymbolum eſt Abſolutio, vel augetur proficientib⁹. Haud tamen ex hoc ſequitur, fidem eſſe pœnitentię partem, tametſi veriſſimum ſit, quod ſine fide pœnitentia eſſet inefficax, quemadmodum & oratio inefficax eſt ſine fide, quia nihil promiſſum eſt nobis, niſi quod credentes petierimus. Fides etiam diffinitur ab Apoſtolo, quod ſit ſperandarum ſubſtantia rerũ: non tamen propterea fides eſt pars orationis nec ſpei, quamuis vtriq; vim cõferat & fœcũditatem. Hæc obiter. Sed iã ad ſcripturarũ loca, quorum occaſione Pœnitentiæ nomen & virtutem expoſuimus.

Duo ſunt hominum genera, quos Chriſt⁹, Prophetæ, & Apoſtoli ad pœnitentiam inuitant, quibuſque peccatorum condonationẽ, ſi pœnitentiam egerint, pollicentur. Alteri erant infideles & impij, vtpote qui pro DEO vero fictis numinibus inſeruiebant, & dæmoniorum colebant ſimulacra, quibus annumerandi ſunt etiam Iudæi, qui Chriſtum non ſuſcipientes, nec Deum verum, cuius filius erat, de cætero habuerunt, ſed pro eo proprium quoddam ſimulacrum Dei cuiuſdam inertis & infœcundi, qui nuſquam eſt niſi in illorum opinione. Nullus eſt enim alius Deus, niſi pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius Deitatis eſſentiali communione idem filius verus eſt Deus: ita vt non duo aut tres ſint dij, ſed vnus Deus pater & filius & ſpiritus ſanctus, eſſentiæ ſimplicitate idem, ſubſiſtendi verò ratione diſcretus. Quamobrem Iudæi, ex quo Chriſtum Dominum abiecerunt, deſierunt etiam verum habere Deum. *Iudæi verò deſierunt habere Deum.* Omnis qui negat filium, nec patrem habet. Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti? Alterũ genus hominum, quibus pœnitentia prædicabatur, erant pij quidem, quod ad veri DEI cultum & fidei profeſſionem attinet, ſed moribus flagitioſi atque ſcelesti. Horum vtroſq;

propheta

prophetę & apoſtoli admonent, ſuadent, obſecrant, obteſtantur, & tan ... m no ... gunt, vt pœnitentiam agentes reſipiſcant, præcedentium omnium delictorum veniam promittentes pœnitentibus, & ad Chriſtum conuerſis. Erat tamen iuxta delinquentium varietatem diuerſa promiſſio. Nam infideles, quorum maximum peccatum, & cæterorum omnium caput eſſe videbatur incredulitas, tantùm admonentur, vt ab ea reſipiſcant per fidem, futurumque promittitur eis, vt ſimulatque ab infidelitate ſua & impietate conuerſi, crediderint in Chriſtum, omnium peccatorum remiſſionem accipiant. Hinc illæ voces Apoſtolorum in Actis & epiſtolis: Credite & baptizemini. Et illud Eſai. quod Petr⁹ & Paulus apoſtoli citāt: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Et omnis ferè apoſtolica prædicatio circa fidei locum præcipuè verſatur, quia commune erat tunc temporis toto orbi peccatum infidelitatis, non modo gentibus, verùm & Iudęis veri Dei, quondam cultoribus. Porrò credentibus cùm pœnitentia prædicatur, tantùm præcipitur, vt reſipiſcant à peccatis, nec ſibi de fidei nomine blandiantur, cum ſint quodammodo infidelibus deteriores. Melius enim erat illis viam iuſtitiæ non cognouiſſe, quam poſt agnitionem, retrorſum auerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Hinc illæ Prophetarum voces: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, &c. Item, Reuertatur vnuſquiſque à via ſua praua. Item: In quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et illud Hierem. Si pœnitētiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. In his & id genus propheticis obiurgationibus & promiſſionibus nulla fit mentio fidei: quia illis fiebant, qui veri Dei cultum, & fidem ꝓfitebantur, quinimò admonentur, ne huiuſmodi profeſſioni fidentes, præcipuam pietatis partem, quæ in charitate ſita eſt, negligerent. Hinc illud Hierem. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini eſt, &c. Et illud Ioannis Baptiſtæ: Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Sunt & in apoſtolica doctrina aliquot huiuſmodi loca, tametſi rara, quia vt diximus, vniuerſum orbem eo temporis obruerat infidelitatis obducta caligo, quam neceſſe erat primum lucis euangelicæ ſplendore depelli. Petrus tamen apoſtolus cum Simonem, qui iam crediderat, & baptiſma ſuſceperat, dura obiurgatione corriperet, & ad iniquitatis ſuæ pœnitentiam hortaretur, non ab eo denuo fidem exigit, ſed vt à ſcelere ſuo reſipiſcat, & veniam precetur à Deo. Pœni-

Ioel. 2.

Matth. 3.

... m inquit, age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Paulus etiam credentium Corinthiorum, quos in priori epiſtola obiurgauerat, pœnitentiam probans, & pœnitentis affectus ſingulos quaſi membratim diſtinguens, nullam fidei admiſcuit mētionem: Gaudeo, inquit, non quia cōtriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex vobis. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſeculi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, &c. Hinc, vt & hoc attingam, habemus diſcrimen triſtitiæ in Pœnitentia (quod Philippus damnauerat) haud eſſe omninò inepte & ſine ſcripturarum authoritate à theologis obſeruatum. Habemus præterea varias Pœnitentiæ partes, quarum precipuę ſunt triſtitia & reſipiſcentia. Has theologi Contritionē & Satisfactionem appellant. Fidem tamen Apoſtolus cum tam copioſè, atque diſtincte de pœnitentia diſſereret, non conumerauit. Quare hoc? Quia non cum infidelibus agebat, nec incredulitatis, ſed incontinentiæ & prætermiſſæ charitatis crimina illis exprobrabat. Alioqui cum Iudæos aut cæteros infideles hortatur ad pœnitentiam, ad fidem eos tanquam ad ianuam pietatis & aſylum inuitat. Atque ex huiuſmodi concionibus ſumpta ſunt omnia loca, quæ Philippus pro ſuo dogmate citat, pia quidem illa, & ab ipſis veræ pietatis fontibus hauſta; ſed ad cauſam, qua de nunc agimus, aut minimè pertinentia, aut inconſideratius accommodata. Pertinent enim non ad pœnitentiæ, ſed ad Baptiſmatis ſacramentum, cuius virtus eſt fides, quamuis ipſa prima fides non ſuſcipitur, niſi ab iis, quos prioris pœnitet infidelitatis & vitæ, vnde & pœnitentia ſimul & fides illis proponitur ad conuerſionem. Nunc autem de pœnitentiæ ſacramento diſquirimus, quod ſacramentum non ſuſcipitur niſi à fidelibus, nec adhibetur niſi peccatis poſt fidei profeſſionem admiſſis, de quibus Philippica teſtimonia non loquuntur, ſed illa quæ nos in altero pœnitentium ordine produximus. At Philippus in omnibus his oſtēdit ſubeſſe fidem, licet non explicetur, cum intercedat promiſſio, & propterea negat pœnitentiam inueniri poſſe ſine fide, præſertim ſi pœnitentiæ affectui accedat abſolutionis, qua ſacramentum perficitur, effectus. Hæc nobis maximè probantur, & vltro fatemur, pœnitentiam eſſe nullam ſine fide, quinimò addimus, nullum

1 Cor. 7.

Diſcrimen triſtitiæ in pœnitentia.

Pœnitentiæ partes.

pietatis opus à nobis fieri poſſe abſque fide. Sunt omninò vires human æ ad quodcunque opus bonũ prorſus inualidæ, niſi illis diffiſi, fidamus Chriſti meritis & promiſsioni. Quis tamen ex hoc theoremate colligat, fidem eſſe cuiuſuis boni operis partem? Hæc ſatis per ſe quidem ſunt plana atque perſpicua, ſed quò fieri queant apertiora, repetenda nobis eſt illa collatio dilectionis ad cognitionem, ſine qua non poteſt eſſe, cum tamen non ſit pars eius. Quod ſi Philippus dixerit dilectionem & cognitionem eſſe diuerſi generis affectiones, propterea non poſſe alteram alterius eſſe partem, hoc idem reſpondebimus ei de fide & pœnitentia, quarum fides eſt in intellectu: pœnitentia verò in voluntate. Triſtitia enim voluntatis eſt affectio, reſipiſcentiam autem ſeu ceſſationem à peccato oportet etiam eſſe in voluntate, cui peccatum inerat, nam & gratiæ, quæ in Abſolutione confertur, aut quoquo modo iuſtificat, ſubiectum eſt voluntas. Quanquam vt illuſtrior ſit victoria, etiam ſi donemus in ea potentia & eiuſdem generis eſſe pœnitentiam & fidem, & hanc illi eſſe neceſſariam, vt procul dubio eſt, non tamen ſequitur eſſe partem eius, quod ſequens exemplum demonſtrat. Species intelligibilis neceſſaria eſt ad intellectionem, & eiuſdem generis affectio, puta cognitiui, cuius eſt & intellectio, nec tamen ſpecies ipſa, nec actus, quo intellectum immutat & memoriam fœcundam format, eſt pars intellectionis. Hic videor mihi videre vos ô Germani, quotquot Lutheranæ cauſæ fauetis, aut per contemptum porrecto naſo ſupercilium obducere, & hęc omnia faſtidire, aut præ animi indignatione clamare: Philoſophica ſunt iſta, ſophiſtica ſunt, indigna quæ fidei cauſæ admiſceantur. Euangelica doctrina verbis ſimplicibus & planis, non philoſophorum eſt argutijs, ex ſacris literis expromenda. Vera ſunt iſthæc vniuerſa, non diffiteor, inſipiens factus ſum, ſed vos me coegiſtis in tam ſcrupuloſam diſputationem deſcendere, qui in Confeſſione veſtra, non contenti Pœnitentiæ ſacramentum probaſſe, quæ huic ſacramento viderentur indigna reieciſſe, quod ſatis erat ijs, qui ſimplicem confeſſionem, non methodicas præceptiones inſtituebant, pœnitentiæ partes ad viuum (quod aiunt) reſecare voluiſtis. Adhæc Philippus theologis noſtris inuidiam conflare conatus eſt, quaſi totius euangelij euerſoribus, quod partitionem veſtram non probauerint. Rem ergò inutilem, aut certè non neceſſariam à vobis ſuſceptam, coactus ſum perſequi: tametſi, vt ſuperius dixi, ego haud grauate ceſſiſſem vobis & Philippo, aſſerentibus fidem eſſe Pœnitẽtiæ partem, non quod verùm ſit, ſed quòd illæſa poſſit pietate præteriri, modo ſola fide contenti, non excluderetis confeſſionem illam poſſibilem & modeſtam, ſine qua Pœnitentiæ altera pars, nempe abſolutio, vobis conſtare non poteſt, quamque Eccleſia ſanctarum ſcripturarum authoritate præcepit, nec Satisfactionem, quę nihil aliud eſt, atque quaten⁹ fieri valet, infectum reddere, quod factum eſt, perperam, & præcedentis vitæ ſtudia in diuerſum mutare: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Non furari eum, qui fuerat antea furatus, ſed honeſtis ſe operibus alere, reſipiſcentiæ eſt: ſuis verò laboribus etiam indigenti parare, ſatisfactionis, non illius, qua dominis ablata redduntur, nam hæc reſtitutio ſpecialius appellari conſueuit, ſed huius, quam diximus veræ pœnitentiæ eſſe partem. Vtranque complexus eſt & profeſſus Zachæus ille verè pœnitens: Domine, inquit, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Et quãquam Philippus ſibi videatur in hac materia regnare, ita vt aduerſus theologos, qui confutationem ſcripſerunt, indignis Chriſtiana modeſtia verbis inſoleſcat, haud tamẽ omnia, quæ theologi dicunt, ſunt perinde leuiter & citra ſcripturarum authoritatem, atque videntur illi, prolata. Sunt quidem Catholici nonnulli viri boni, qui tamen nihil præter Summas confeſſionum & aniles fabulas didicerũnt, à quibus nullus eſt circunſtantiarum, nullus ſcrupulorum nodus non obſeruatus. Atqui eccleſiæ Catholicæ fides & inſtituta, in nullius horum verba iurarunt, nec illos in hoc certamine, quo receptas ab vniuerſo populo Chriſtiano Satisfactiones damnare præſumit Philippus, proponere ſibi debuit vt antagoniſtas, ſed egregios viros, Auguſtinum, Hieronymũ, Chryſoſtomum, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambroſium, & cæteros eiuſdem claſſis, quos Chriſtianorum grex in vniuerſum ſequitur, quóſque ſuæ pœnitentiæ & ſatisfactionum habet authores. Nam cætera, quæ Philippus inſectatur, priuatæ ſunt quorundam ſuperſtitiones, aut certè opiniones, quibus fateor Chriſtianorum conſcientias, quarum ſalus non ab humanis traditionibus, ſed à diuinis legibus pendet, obligandas non eſſe. Porrò humanæ traditiones nobis ſunt, nõ omnia, quæ nobis homines tradiderunt, nihil eſt enim ferme, quod non per homines Deus hominibus tradiderit, ſed ritus quidam, luſtrationes & expiationes, non ad DEI gloriam, ſed ad propriam, aut glorioſam aut commodum excogitata, aut quod nõ raro accidit, vana pietatis opinione commen-

Ephe. 4.

Summulæ.

Traditiones humanæ.

menta. Cæterùm quæ ſancti viri illi, quorum modo meminimus, ad Dei gloriam, & animarum vtilitatem ex ſacris literis deprompta, nobis tradiderunt, non humanæ ſunt adinuentiones exiſtimanda, ſed vt diuina oracula, aut certè illis finitima ſuſcipienda, vt ſuſcepta ſunt ab Eccleſia. Quantumuis enim Lutherus & Philippus illos quaſi homines contemnant, ac præ ſe faſtidiant, nunquam tamen obtinebunt, vt ab vniuerſo populo Chriſtiano non ſuſcipiantur vt diui, vtpote qui ſanctarum ſcripturarũ arcana ſanctiſſimè ſimul & religioſiſſimè tractauerunt, non ex eis ſua commoda & vtilitates, non errorum latebras, aut nouorum dogmatum præſidia, ſed ſolius Dei gloriam aucupantes. Omnes omninò illorum conatus, vniuerſa ſtudia horſum ſpectabant, vt Deus à cunctis hominibus & agnoſceretur per fidem, & per charitatem amaretur. Quã obrem veriſimile eſt, quinimo pro veriſſimo haberi debet, purius illos atque ſimplicius ſcripturas ſanctas intellexiſſe, quàm iſti, qui ad propriam gloriam & ſuſceptas contentiones illis abutentes, cum omnia ſuſque deque habeant, conuellant, euertant, ſe ſolos diuini verbi ſpiritum adeptos nunquam non perſtrepunt, nobiſque quod huiuſmodi ſpiritus expertes omninò ſimus, quoties eis noua docentibus non aſſentimur, exprobrant. Nos verò tantorum virorum præiudicio freti, fidenter audemus Lutheranos ſpiritus & Philippicos contemnere, vni totius Eccleſiæ ſpiritui credere, & ſecundum illum aſſerere Satisfactiones, non quidem illas canonicas, quę iamdudum inſoleſcere deſierunt, ſed tum ſolennes & communes, tum priuatas & peculiares, quibus etiam nunc Eccleſia vtitur, eſſe diuina authoritate probandas & amplectendas. *Satisfactionũ aſſertio.* Supereſt nunc, vt quando Chriſtianæ ſatisfactionis authores veteris eccleſiæ ſapientes eſſe diximus, aliquot eorum teſtimonia proferamus, ea tamen lege, ne quis à me Satisfactionis nomen ſuperſtitioſe velit exigere. Satis erit, ſi peccatorum remiſſionem ſatisfactione, redemptione, ablutione, placatione, ſolutione, & cæteris huiuſcemodi vocibus aut locutionibus per noſtra bona opera oſtenderimus, nobis poſſe contingere. Siquidem Philippus ſola contentus fide, nullis noſtris operibus, nec religionis quidem aut charitatis, locum in peccatorum remiſſione relinquit. Hæc eſt doctrina, quam à Catholica veritate diuerſam oſtendere nitimur, idque Patrum, vt polliciti ſumus, teſtimonijs, paucis quidem (ne creſcat in immenſum opus) ſed proprijs, & ad quam diſſerimus cauſam, omninò pertinentibus. Neque enim omnia, quæ antiqui ſancti de eleemoſynis, ieiunijs, vigilijs, lachrymis & precibus præceperunt, quæ innumerabilia penè ſunt, ad ſatisfactionem pertinent aut pœnitentiam, quandoquidem illorum multa aut officij cauſa, aut pietatis debito, aut cohibẽdæ libidinis neceſſitate p̃ſtãtur. Quę, etiãſi ſatisfactionis fructu nõ careãt, ſecernenda tamen ſunt ab ijs locis, quibus præcipuè eiſdem operibus ſatisfacere & pœnitere docemur, ne incidamus in vitium peculiare Philippo, parerga pertinentibus admiſcere, & ſpecie tantùm verborum mordicus arrepta, nullum diſcrimen cauſæ, temporis, rationis, qua prolata ſint, obſeruare. Hieronymus igitur Latinorum omnium (quod cæterorum pace dixerim) in ſacris literis eruditiſſimus, in commentarijs Eſaiæ cap. 40. Et hoc notandum eſt, inquit, quòd non ſoluantur peccata noſtra, niſi de manu domini receperimus ea. Nec idem eſt ſolui peccata, atque dimitti. Cui enim dimittuntur, ſolutione non indiget, audiens in euãgelio: Confide filia, dimittuntur tibi peccata tua. *Matt. 9.* Cur enim ſoluuntur? propterea ſoluuntur, quia purgata ſunt, & ſoluta per pœnas. Huius diſcriminis, ꝙ in remiſſione peccatorum obſeruatum eſt à Hieronymo, ignorantia (ne quid ſeuerius iudicemus) Philippum auertit à conſideratione verborum: tametſi multa ſint in ſcripturis ſanctis, quæ nos peccata, non ſolùm futura vitare, verùm & præterita luere pietatis operibus & corporis caſtigatione docent, de quibus inferius: nunc rurſus Hieronymum audiamus: Si rex, inquit, neſciens Deum, hoc facit pro altero, nempe ieiunare, quanto magis nos pro peccatis proprijs inedia & vigilijs debemus Deum ad clementiam flectere? Locus eſt in commentarijs Danielis. Nec docuiſſe tantùm hæc, verùm & ſe feciſſe declarat Hieronymus ad Pammachium ſcribens. Sed Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopum conueniens his verbis: Ob id & ego, inquit, Antiochiam, & ille (Innocentius videlicet presbyter) Conſtantinopolim vrbes celeberrimas deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus, & cæt. Stultè quidem Hieronymus, ſi Philippus verus eſt author, nam inter popinarum eructationes & puellares amplexus potuiſſet nullo labore, nullo negocio, ſola tantummodo fide, CHRISTI miſericordiam obtinere. Verùm progredi præſtat, ne Patribus, qui ſemel loqui cœperunt, obſtrepamus. Succedat ergo Hieronymo, Cyprianus loco, tametſi tempore, dignitate atque adeò authoritate illum anteceſſerit: Dominus orandus eſt, inquit Cyprianus in ſermone de lapſis, Dominus noſtra ſatisfactione placandus,

V 2 qui

qui negantem negare ſe dixit, qui omne iudicium de patre ſolus accepit, & cæt. Eſt quidem Chriſtus Ieſus propiciatio noſtra, qui ſolus pro peccatis electorum patri ſatisfecit, eundemque placauit in cruce, quem tamen ſatisfactione noſtra nobis eſſe placandum, admonet Cyprianus, ita tamen, vt hæc ſatisfactio noſtra ſit opere, eius verò cui fit, & qui placatur, virtute. Quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere. Rurſus in eodem ſermone Cyprianus: Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud dominum grata eſt, & c. Et paulò inferius: Ad dominum toto corde redeamus, iram & offenſam eius ieiunijs, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Apertiſſima quidem omnia hæc, ſed inſtituto noſtro proxima ſunt, quæ ad Cornelium contra hæreticos iam tunc ſuborientes ſcribit & queritur: Datur, inquit, opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus iuſtis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera, falſæ pacis mendacio tollitur: ſalutaris ſinus matris, nouerca intercedente, præcluditur, ne de pectore atque ore lapſorū fletus & gemitus audiatur. Quibus obſecro coloribus Philippi temeritas proprius poſſet adumbrari? Iā Cypriano proximus ſit Auguſtinus, Afer Afro, epiſcopꝰ epiſcopo: cuius multa ſunt hac de re teſtimonia, ſed nos vt in cæteris pauca referemus.

Gal. 5. 1 Cor. 6. Enchiridij ad Laurentium cap. ſeptuageſimi verba ſunt hæc: Sanè cauendum eſt, ne quiſquā exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidiè redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non Satisfactio congrua negligatur. De quotidianis autem breuibus leuibusque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Item contra Creſconium Grāmaticum libro 2. cap. 12. omnes in eo Donatiſtas alloquens: Ideò vobis non videntur, inquit, mundari, cum ad nos à vobis tranſeunt, quia non denuò baptizantur: quaſi ſolo baptiſmo, quem repeti non oportet, cum idem atque vnus eſt, homines ab errore mundentur. Mundantur & verbo veritatis ab illo qui ait: Iam vos mundi eſtis propter verbum quod loquutus ſum vobis. Mundantur & ſacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum eſt: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Mundantur & eleemoſynis ab illo, qui ait: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Mundantur ipſa, quæ ſupereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apoſtolum Petrum dixit: Charitas cooperit multitudinem peccatorum, & cæt. 1. Pet. 4. Quid? charitatem poteſt habere is, cui opus eſt emundari peccata? Viderit Philippus, cuiuſmodi peccata ſint, quæ, parta charitate, ſuperſunt eadem charitate mundanda. Nam Auguſtinus non aſſerit modò, verùm & probat, interdum peccata charitate mundari. Sed de hoc paulò inferius diſſeremus. Idipſum quod nunc eleemoſynæ, alià tribuere ſolet ieiunio & orationi, quas in iuſtificationis noſtræ ſocietate coniungit: Hæc, inquit, iuſtitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemoſyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium & eleemoſynam, & c. Iure quidem ieiunio, orationi & eleemoſynæ iuſtitia noſtra tribuitur, cum eiſdem rebus & peccata remittantur, & peccatores iuſtificentur. Nec valet hic Philippus iuſtitiam quandam inualidam, & quæ ſolo nomine iuſtitia ſit, comminiſci; cum præter hoc, quod omnia hæc ad Deum, quem reſpicit vera iuſtitia, retulit Auguſtinus, dixerit paulò ſuperius: Ergò ex animo fac, vt ille, qui intus videt, adhuc loquente te dicat, Ecce adſum. Non igitur externam & politicam, ſed ſpiritalem & intimam docet iuſtitiam, cum illam orationi, ieiunio & eleemoſynæ tribuit. Appellat verò iuſtitiam huius vitæ, hoc eſt, gratiæ iuſtitiam, vt diſcernat ab alterius vitæ iuſtitia, de qua Petrus apoſtolus epiſtola ſecunda: Nouos, inquit, cœlos & nouam terram & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. 2. Pet. 3. Hæc eſt iuſtitia gloriæ, cui non opuſerunt ieiunia, preces & eleemoſynæ, quę hominis iuſtitiam in hac vita eſſe dicit Auguſtinus. Locus eſt in enarratione pſalmi quadrageſimi ſecundi. Contra Iulianum verò Pelagianum teſtimonio etiam vtitur Magni Baſilij, ad commēdationem ieiunij, id quod non communis interpretis, ſed eiuſdem Auguſtini verbis aſſcribam, vt in vno teſtimonio duorum clariſſimorum hominum complectar authoritatem. Sed audi, Auguſtinus ait, quod ad rem præſentem ſpectat, quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat ille ſanctus ſine vlla ambiguitate Baſilius, quod etſi reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum è verbo malui transferre de Græco. In ſermone de ieiunio: Ieiunium, inquit, in paradiſo lege conſtitutum eſt. primum enim mandatum accepit Adam: A ligno ſciendi bonum & malum non manducabis. Gen. 2.

cabis. Non manducabis autem, ieiunium eſt, & legis conſtitutionis initlum. Si ieiunaſſet à ligno Eua, non iſto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valentes medico, ſed male habentes. Aegrotauimus per peccatnm, ſanemnr, per pœnitentiam. Pœnitentia verò ſine ieiunio, vacua eſt, & cæt. Si ieiunium pœnitentiæ non adiunxiſſet Baſilius, poſſet ambigi, vtro de ieiunio loqueretur, de illóne, quo vitare peccata ſutura, an de illo, quo præterita luere conſueuimus. Verùm cum pœnitentiam præteritorum eſſe peccatorum, nemo ſit qui neſciat, quem niſi ſatisſactionis locum poteſt in pœnitentia habere ieiunium? qui pœnitentiæ virtus aſſeritur, & de quo Baſilius in eodem ſermone dixerat paulò ſuperius: Satietas corporis habet hilaritatem, ieiunium vero animæ lucrum atque ſalutem. Gaude ſi ſapis, quod tibi à medico pharmacum necans peccatum præbetur. Porrò autem cum Auguſtinus à Latinis nos tranſtulerit ad Græcos, iure Chryſoſtomus periclitanti pœnitentię nunc ferret ſuppetias, niſi tanta ſe copia verborũ effunderet, vt periculum ſit, ne ſemel admiſſus, omnia occupet, neque vnquam eleemoſynas & ieiunia commendandi finem ſaciat. Idcircò aliquot loca carptim attingamus potiùs, quàm producamus. Scripſit de pœnitentia eiuſq́ue partibus & virtute multotiès, decem præſertim homelias, in quarum prima ſic ait: Ieiunium ſeruos exiſtentes nos (peccati ſcilicet) atque ligatos inueniens, vincula remittit, & tyrannide liberat, priſtinamq́ue in libertatem reducit. ¶Et paulò inſerius. Quemadmodum ieiunio ſpreto, mortē ſpernenti addidit: ſic iterùm eodem honorato, de morte reuocat. Nam & volens tibi oſtendere rei virtutem, poteſtatem ipſi dedit, poſt ſententiam, poſt abductionem, abductos media rapere de via, atque reducere ad vitam, &c. Commemoratoque Niniuitarum exemplo, quos poſt ſententiam damnationis dicit ieiunio reductos ad vitam, alijsq́ue exemplis adiunctis, ita colligit: Igitur ieiunium mirare, pronisq́ue manibus ſuſcipe, quoniam quidem & in camino ſert opem, atque in leonum cuſtodit lacu, dæmonesq́ue fugat, & Dei reuocat ſententiam, & cæt. Faſtidiat, quantum velit, Philippus noſtrorum ieiuniorum ſatisſactiones, nos de voce nunquam contendemns, rem verò dicimus eſſe, placare Deum, eiusq́ue pro peccatis noſtris meritam mutare ſententiam. Rurſum Chryſoſtomus ſermone de confeſſione ſuper illud pſalmi: Confitemini Domino, quoniam bonus, & cæt. Spiritus ſanctus medelam purgandi facinoris, & curam amiſſi delicti obtulit, dum qualiter iram Del placaremus, oſtēdit. Non vult peccatoribus inferre vindictam, qui dare quærit confitentibus veniam. Et paulò inſerius: Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat. Satisſactio veniam ſibi diuina pietate conciliat. Et in fine ſermonis: Confeſſio reddat, quod peccatum detraxerat, curet pœnitentia, quod delictorum macula ſordidauerat: ſerpentinum virus, Satisſactionis antidoto recuretur: peccatorum venena, precum inſtantia depellantur, vt dominum, quem nobis delicta ſecerant iracundũ, reddant obſequia digna placatum: & qui à nobis ſuerat peccatis offenſus, Confeſſione nobis reddatur miſericors & pius. Quæ verò aut cuiuſmodi ſint hæc obſequia, innumerabilibus penè locis declarat idem Chryſoſtomns, ſed nos breuitati ſtudemus. Concione tamen quarta de Lazaro ſic ait: Vt igitur neque puniamur, neque pœnas demus in alio ſeculo, ſuam quiſque conſcientiam ingrediatur, vitamq́ue explicet, cunctisq́ue commiſſis diligenter excuſſis, condemnet animam, quæ hæc patrauit, puniatq́ue cogitationem, affligat crucietq́ue ſuam ipſius mentem, ſupplicium ſeipſo exigat à peccatis, per condēnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confeſſionem, per ieiunium, per eleemoſynam, per continentiam, per charitatem, vt poſſimus omnes, omni modo hic depoſitis peccatis, multa cum fiducia illuc proficiſci. Et in opere de pœnitentia, quod modo citauimus, homelia quinta: Illic, nempe in vniuerſali & poſtremo iudicio, magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur, dignitati non condeſcendit, non veneratur perſonam, ſed tremendum & implacabile iuſti iudicium. Hic verò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia, magis autem, ſi verum dicere oportet, clemens ipſe piusq́ue pecunia ſuadetur, non ipſe manu, ſed per inopem accipiens. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris. Hæc autem dico, ſratres, alliciens vos, quoniamquidem pœnitentia ſine eleemoſyna mortua eſt: & ſine plumis nequit volare pœnitentia, pennas eleemoſynæ non habent. Et paulò inferius alio tropo: Num negociationis alia eſt ratio, quàm quod minori empta maiori precio vendat, atque duplicatam ſibi ſummam inueniat? Tales igitur nobis Deus nundinas propoſuit, modico iuſtitias eme, quò multo vendas in ſeculo ſuturo, &c. Quàm ergo ſatisſacit emptor venditori in legitima mercatura, tam fideles eleemoſynæ & ieiunia ſatisfaciunt Deo, ſed meritis CHRISTI, à quo nos eleemoſynas dandi atque ieinnandi virtutem: ieiunia verò & eleemoſynæ vim ſatisſaciendi gratis accipiũt. Haud ſecus intelligenda ſunt verba Cyrilli, quibus in Leuit. lib. 15. ait, pœnitentiæ & bonorum operum precio redimendam eſſe cō

ſcientiæ domum, ſi nobis peccantibus venu-
2.Cor.5. dari contingat. Citat illud Pauli: Domum ha
bemus non manufactam, æternam in cœlis,
& addit: Hæc eſt ergo domus, quam ædifica-
re nemo poteſt, niſi in ſimplicitate mentis, &
puritate cordis. Sed quoniam accidere ſolet,
vt etiam qui bene ædificaverit, & domum ſi-
bi cæleſtem bene agendo, & bene viuẽdo, ac
rectè credendo conſtruxerit, incurrat alicu-
ius peccati debitum, & hãc à crudeliſſimo fœ
neratore venundare cogatur, ac labores ſuos
transfundere in alium: pietas & clementia le
giſlatoris occurrit, vt intra certum tempus
redimi poſſit. Si tamen inuenerit, inquit, ma-
nus tua precium, quod reſtituat. Quale pre-
cium? Pœnitentiæ ſine dubio lachrymis con-
gregatum, & manibus, id eſt, labore boni o-
peris inuentum, &c. Hæc lib. 15. Libro verò
2. eiuſdem operis ita dixerat: Audiſti, quanta
ſint in lege ſacrificia pro peccatis: audi nunc
quantæ ſint remiſſiones peccatorum. In euã-
gelio eſt iſta prima, qua baptizamur in remiſ
ſionem peccatorum. Secunda remiſſio eſt in
paſſione martyrij. Tertia eſt, quę per eleemo
ſynam datur. Dicit enim ſaluator: Veruntamen date quæ habetis, & ecce omnia munda
Luc. 11. ſunt vobis. Quarta nobis fit remiſſio pecca-
torum, quãdo & nos remittimus peccata fra-
tribus noſtris. Sic enim dicit ipſe Dominus &
ſaluator: Quia ſi remiſeritis fratribus veſtris
ex corde peccata, & vobis remittet peccata
veſtra pater veſter. Quod ſi non remiſeritis
fratribus veſtris ex corde, nec vobis remittet
pater veſter. Et ipſe in oratione nos dicere
docuit, Remitte nobis debita noſtra, ſicut &
nos remittimus debitoribus noſtris. Quin-
ta peccatorum remiſſio, cũ conuerterit quis
Iacob. peccatorem ab errore viæ ſuæ. Ita enim dicit
ſcriptura diuina: Quia qui conuerti fecerit
peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animã
eius à morte, & cooperit multitudinem pec-
catorum. Sexta quoque fit remiſſio, per ab-
undantiam charitatis, ſicut & ipſe Dominus
dicit: Amen dico tibi, remittuntur ei pecca-
ta multa, quoniam dilexit multum. Et Apo-
ſtolus dicit: Quoniam charitas operit multi-
tudinem peccatorum. Eſt adhuc & ſeptima,
licèt dura & laborioſa, per pœnitentiam re-
miſſio peccatorum, cum lauat peccator la-
chrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ
ſuæ panes die ac nocte: cum non erubeſcit ſa-
cerdoti Domini indicare peccatum, & quæ-
rere medicinam, ſecundum eum qui ait: Di-
xi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam
meam, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.
Longum eſſet nunc, tranſcribere diſtributi-
onem, qua Cyrillus omnes has peccatorum
remiſſiones refert ad legis veteris ſacrificia:
ſatis ſit, eius authoritate probaſſe, noſtris e-
leemoſynis ac cęteris operibus bonis peccata
remitti, condonari: & cũ debita ſint, quæ nos
diuinæ iuſtitiæ reddunt obnoxios, pœniten
tię & bonorũ operũ ſatisfactione ſolui. Quod
idipſum Irenæus etiam declarat, dicẽs: Doce
bat (nempe Chriſtus) vt facerent præcepta,
quæ ab initio præcepit Deus, & vt veterẽ cu-
piditatẽ per opera bona ſoluerent, & ſeque-
rentur Chriſtũ. Quoniam autem ea quæ poſ-
ſidentur pauperibus diuiſa, ſolutionem faci- Luc.19.
unt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit ma-
nifeſtum: Ecce, dicens, dimidium bonorum
meorum do pauperibus, & ſi cuius quid de-
fraudaui, reddo quadruplum. Locos Irenæi
eſt libro 4. aduerſus hæreſes Valentini cap.
35. Sed iam ad Latinos reuertamur, nempe ad
Ambroſium, nam Auguſtini à quo digreſſi
ſumus, teſtimonia vniuerſa tranſcribere, res
eſſet iuſti voluminis. Ambroſius verò de pœ
nitentia lib. 2. cap. 8. ſic ait: Plura ſoluendi ha-
bet ſubſidia qui Deo, quam is qui homini de-
bet. Homo pecuniam pro pecunia repoſcit,
quæ non ſemper debitori præſtò eſt: Deus
affectum exigit, qui in tua poteſtate eſt. Ne-
mo pauper eſt, qui Deo debet, niſi qui ſeip-
ſum pauperem fecerit. Et ſi non habet quæ
vendat, habet quæ ſoluat. Oratio, lachrymæ,
ieiunia, debitoris boni cenſus eſt, multoq; v-
berior, quàm ſi quis ex precijs fundorum pe-
cuniam ſine fide deferat. Denique pauper e- Act.4.
rat Ananias, cum vendito agro pecuniam de-
ferret ad apoſtolos, vnde nec ſoluere ſe po-
tuit, ſed implicauit. Diues illa vidua, q̃ duo ę-
ra minuta in gazophilaciũ miſit, de qua dictũ
eſt: Hæc vidua paupercula plus omnib⁹ mi-
ſit. Non.n. pecuniã Deus, ſed fidẽ quærit. Nec
ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis
poſſe minui peccata, ſed ſi fides cõmendet ex
penſas. Quid enim prodeſt collatio patrimo-
nij ſine gratia charitatis? &cæt. Quid? ſoluunt
Deo, qui precantur, qui ieiunant, qui lachry-
mas fundũt, & nõ ſatisfaciũt? An põt quiſquã
creditori ſoluere, cui nõ ſatisfecerit? Hæreat
in vocabulis Philippus, mordic⁹ verba tene-
at, nos rem ipſam, quocunq; vocabulo ſigne-
tur (nam multis poteſt explicari) diſquirim⁹.
Iam quod Ambroſius iniquior eſt eleemoſy
næ, & parum illi videtur tribuere, propter
eos facit, quos Auguſtinus (vt ſuperius citaui
mus) dicit quotidiè perpetrare crimina, &
quotidiè eleemoſynis redimere. Hi enim ſi-
ne gratia charitatis, quam in eleemoſynis re-
quirit Ambroſius, conferunt patrimonia. A-
lioqui plures habet eleemoſyna promiſſio-
nes, quàm reliqua ſiue religionis ſiue pieta-
tis opera, de qua vide, quid alibi dicat Am-
broſius: Si tam graue peccatũ fuerit, vt mini-
mè ſolis fletibus abluatur, addam⁹ miſericor
diæ oleum, acrimoniamq́ue ieiunij. Nullũ.n.
tã graue delictum eſt, quod nõ purgetur ab-
ſtinẽtia, eleemoſynis exſtinguatur. Ait enim

S.Pro-

Eccli. 3. S. propheta: Sicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna exſtinguit peccatum. Magna ergo eſt eleemoſyna, quę ardentiũ criminum globos beneuolentiæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: vt quáuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemoſynis, quẽ diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodámodo dũ cõpellitur, pactibus noſtris mutare ſententiã; & in vno eodẽ homine nunc ſeueritate iudicis permoueri, nũc patris pietate blãdiri. Pater enim nobis Deus eſt, cũ bene agimus: iudex noſter eſt, cum peccamus. Locus eſt in ſermone de natiuitate Dñi. Et enarrãs illud Chriſti, qđ habetur apud Lucam: Date eleemoſynam: & ecce omnia mũda ſunt vobis. Vides, inquit, quanta remedia? Mundat nos miſericordia, mundat nos Dei ſermo, iuxta qđ ſcriptũ eſt: Iam vos mũdi eſtis propter ſermonẽ, quẽ loquutus ſum vobis. Nec hoc loco ſolùm, ſed etiã alijs, quãta gratia ſit expreſſum tenes. Eleemoſyna enim à morte liberat, &: Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit in die malo, &c. Similis eſt Auguſtino & Ambroſio, Hilarius in improbanda vana ieiuniorũ & eleemoſynarum fiducia, qua legitima cõmendat vtilius. Nos, inquit, ſi ſemel ieiunamus, ſatiſfeciſſe nos arbitramur. Si aliquid ex horreo domeſticarũ facultatũ inopi damus, impleuiſſe nos iuſtitiã credimus, ieiunantes vt aut placeamus hominibus, aut corpora cibis feſſa releuemus, & inter ipſa ieiunia, ſtupra, iniurias, odia cogitantes: donantes autem exiguum neſcio quid, dum pulſantẽ fores noſtras inopẽ non ſuſtinemus: aut dũ bonitatis famã inani & ocioſa hominũ opinione ſectamur, & deberi nobis, vt audiamur, exiſtimamus. En opera, quibus meriti fiduciam detraxerunt pietatis antiſtites: quorum verbis abuſa Lutherana temeritas, vniuerſis negare conatur. Obſecro ꝑ Deũ, ſi nulla ieiunia, nullæ ſatisfaciunt eleemoſynæ, aut quicquã merentur, quid opus erat illis duntaxat, tũ ieiunijs, tũ eleemoſynis ſatisfaciẽdi vim adimere, q̃ parce, q̃ maligne, q̃ inaniter, & humanis tantùm affectibus aſſumuntur? Quanto ſimplicius erat & facilius, qđ Philippus facit, vnico verbo cunctis operibus noſtris, optimis etiã, meritũ & ſatisfactionem detrahere? Sed hoc nemo ſanctorũ auſus eſt Patrũ. Prauos hominum corrigebant affectus, quo faciliùs bona opera merendi fructum aſſequerẽtur: inanẽ prætere a confidentiã cohibebãt, bona verò opera nunq̃ damnabant, neq; auſi ſunt illis ſatisfaciẽdi vſum, & Chriſti gratiæ promerendæ virtutẽ negare. Fidei quidẽ ſalutis noſtræ ſummã, vt pietatis baſi & fundamẽto
Heb. 11. tribuũt, quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo: nemo tamen eorũ hoc aſſerit, ꝙ ſola ſit fides, quæ placeat, atque adeò ſola placet, & mereatur, quin fidenter pronunciant, noſtris bonis operibus (vocant autẽ bona opera, ieiunia, preces, eleemoſynas) ſatisfieri deo atque adeo placari nobis Deũ & promereri, eiuſq; mutari ſententiam. Nam his omnibus verbis vtuntur & alijs huiuſcemodi. Iam vt omnia hæc hominum commenta fingat eſſe Philippus, & velut humanas cõtemnat adinuẽtiones, quid dicturus eſt ad ſcripturarum teſtimonia, quibus luce clarius apparet, vtiles eſſe, ne dicam neceſſarias, ad placandum Deũ, & peccatorum veniã promerendã, huiuſmodi Satisfactiones? Apud Lucam: Quod ſupereſt, date eleemoſynã, & ecce omnia mũda ſunt vobis. Item apud Matthæũ: Tu autẽ cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciẽ tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui videt in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſconſo, reddet tibi. Quid obſecro reddet pro ieiunio? Bona fortaſsis temporalia, quæ nequiſsimis quibuſque nepotibus & helluonibus interdum largius conceduntur. Præclarum ſcilicet munus, pro quo Chriſtus ieiunium commendarit, & ieiunandi modum tantopere nobis tradiderit. Quid ergo dabit, niſi peccatorum veniam viuentibus, & gloriam decedentibus? Pſa. 83.
nam gratiam & gloriam, vt ait Propheta, dabit dominus. Hæc nimirum ſunt dona, quibus nos inuitat Chriſtus & allicit, quæ per ſeipſum & in abſcondito reddit pater. Nam cætera per homines & elementa largitur, aut potiùs pene citra diſcrimen euulgat, qui facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Porrò gratia delictorum veniam continet, ſine qua nemo poteſt gratus effici Deo. Quòd per ſemetipſum Chriſtus hic de ieiunio docet, per Prophetas ſuos ante docuerat ieiuniorum faciens delectum, quorum legitima probat, notha condemnat, quemadmodum in Iona. Niniuitæ ad prædicationẽ Ione 3.
Ionæ credentes prædicauerunt ſolenne ieiunium, veſtiti ſaccis à maiori vſque ad minimum, & dicentes: Conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ? Et addit ſcriptura: Et vidit Deus opera illorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, &c. Quòd Niniuitę crediderint in Deum, quòd conuerſi ſint à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ erat in manibus eorum, neceſſitatis fuit. Oportet enim, vt ſuperiùs diximus, quem verè pœnitet, vt ab opere ceſſet & reſipiſcat, & quòd peccatum vſqueadeò illi diſpliceat, vt nollet omninò peccaſſe. Ex quo affectu, quando non poteſt, quod ſemel

factum eſt, infectum reddi, procedit, vt ieiunijs & lachrymis & afflictionibus vltionẽ de ſuis facinoribus ſumat, quod ſpõtaneum quidem eſt, niſi tamen eſſet vtile, & ad diuinam vltionem deprecandam maximè conduceret, nunquam ſacris literis probaretur, nec ad pœnitendi exemplum eſſet nobis ab eiſdem propoſitum, vt eſt apud Eſaiam: Nolite ieiunare, ſicut vſque ad hãc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Er addit cõditionem, qua legitimum ſit ieiunium, nẽpe reſipiſcentiam à peccatis præteritis, cui additum, miſericordiam Dei cùm ieiunium tùm eleemoſyna adipiſcitur. Tunc inuocabis, inquit, & dominus exaudiet; clamabis, & dicet, Ecce adſum, qui miſericors ſum Dominus Deus tuus.

Philippica XI. Confutat reſponſiones Philippi, atq; obiter de merito ſupererogationis agit, & gemina ſolutione peccati.

PHilippus dicit ieiunia, quæ in ſacris literis probantur, non eſſe ſatisfactiones, quia finguntur, vt inquit, à nobis, ſatisfactiones eſſe opera indebita, ille verò veras orationes, veras eleemoſynas, vera ieiunia, dicit habere præcepta. Atqui ſi quoties hæc, & id genus alia opera probantur in ſcripturis, præcipiuntur, vt neceſſariò fiant, plura ſunt in euangelica lege præcepta, quàm fuerint in Moſaica. Chriſti verba de ieiunio nullam vocem pręcipientis habent, ſed probantis & docentis, quomodo ieiunare debeamus. Non dicitur, Ieiunate; ſed, cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Prætereà vt ſint omnia hæc præcepta, quæ non eſſe, quis non videt? Philippus tamen non negat, à nobis interdum poſſe fieri ſine Chriſti præcepto, & tunc dicit eſſe humanas traditiones, de quibus Chriſtus ait:
Matth. 15. Fruſtrà colunt me mandatis hominum. Sed quid, ſi incidat caſus, vt fiant ſine Chriſti pręcepto, & hominum traditione? num etiam tunc temporis Deo non erunt accepta? nihílne huiuſmodi operibus merebimur apud patrem? de quo filius ait: Et pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi, idq́ue non modò ſemel & iterum, verùm & tertiò repetit de ieiunijs, precibus, & eleemoſynis, quæ legitimè fiunt. An quæ gratuitò & liberè, nemine cogente, fiunt, non poſſunt rectè fieri? Atqui myſticus ille Samaritanus, Quodcunque, inquit, ſupererogaueris, reddam tibi. Quid eſt obſecro, ſupererogare? niſi aliqnid in obſequiũ Chriſti conferre, quod ita ſit illi acceptum, dùm exhibetur, vt tamen pręter mittenti nõ
Supererogare quid. ſuccenſeret, cuiuſmodi ſunt multæ eleemoſynæ, ad quas proculdubio nullo præcepto tenemur, eſſe tamen bonas ac pias, atq; adeò de illarum numero, quas pater in abſcondito videt, nemo poteſt, niſi impiè negare. Nã Paulus Apoſtolus, maximè de huiuſmodi operibus gloriatur, & præter communem mercedem, quam cum cæteris, qui in cuncto euangelizandi munere gnauiter functi eſſent, erat acecpturus, aliam ſperabat velut auctuarium ex eo, quod iuri ſuo, quo cæteri Apoſtoli paſſim vtebantur, ſponte cedens ſine ſumptu, vt dicit, prædicabat Euãgelium. Quis neget, hoc ſupererogationis fuiſſe, ad quod cæter. Apoſtoli non tenebantur, quodq́ue ſolus Paulus liberè præſtabat? Nam quòd huiuſmodi erogatio propria mercede ſir digna, eiuſdem Pauli verbis apparet: hanc enim eſſe dicit ſuam mercedẽ, vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu poneret Euangelium, & poteſtate ſumendi ſtipendium, quo vtcunque in dicm [illegible] eret, quam habebat cum cæteris co nm [illegible] mi nimè vteretur. Et ad Theſſalonicen [illegible] bens: Cùm poſſemus, inqun [illegible] oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli, ſed fact [illegible] umus paruuli in medio veſtri. Et addit: Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium. Quæ cùm ita ſint, vehementer admiror, qua fiducia Ph[illegible]ppus audeat aſſerere, nulla bona opera poſſe fieri à nobis, quæ dicantur ſupererogationis, ſed ad omnia, quæ ſancti viri fecerunt, & nunc multi boni viri faciunt, teneri præcepto: qua ſententia nihil ſcrupuloſius, nihil pericuIoſius, & pijs conſciẽtijs magis incommodum doceri poteſt. Nam vos, Germani, rogo, ſi ad omnes preces & eleemoſynas, quas quotidiè, nacta occaſione, offertis Deo, præcepto tenemini, quàm periculosè eædem aut eis ſimillimæ ſubinde prætermittuntur à vobis, de quibus nullam poteſtis diſcriminis rationẽ afferre? An toties peccatis mortaliter, quoties ieiunia, preces, eleemoſynas, nullo præcepto deſtinatas, ſed ſolo pietatis amore conceptas, occcaſione fortaſsis non perinde graui prætermittitis ant differtis? Id tametſi abſurdum, concedendum eſt à Philippo, qui dicit huiuſmodi opera, quatenns bona ſunt, eatenus eſſe præcepta: quæ verò præcepta non ſunt, mala eſſe, & inania hominum mandata, etiam ſi vobis illa nemo mandauerit, ſed ſtudium ſuggeſſerit pietatis. An quicquid anim° cõcipit vt ſtudioſum & piũ, mox incipit eſſe præceptum? Videte in quas falebras, in quæ pericula vos conijciat iſta doctrina, qua negatur, vllum opus bonum alieno conſilio aut pietatis noſtræ motu poſſe fieri à nobis abſque pręcepto, nam hoc

voca-

vocamus opus ſupererogationis, quod Philippus negat. Et hæc doctrina vna eſt de pręcipuis baſibus, quæ ſuſtinent Lutheranos errores: quàm firma verò ſit & conſtans, vos ipſos viri Germani, conſciētias veſtras, pietatē, experimenta conſulite. Nam ſi quicquid nō præcipitur in ſacris literis, eſt alienum à verbo Dei, atque adeò inanis hominum traditio, qui poteſtis vitare, aut periculum ſuperſtitionis humanæ, in multis huiuſcemodi operibus, quæ vltrò quotidiè exhibetis? aut peccati mortalis diſcrimen, in eiſdem aut ſimilibus, quoties à vobis leuioribus cauſis (vt fit) prætermittuntur? Nos, ſi debitum large intelligatur, ſcimus, nihil boni operis à nobis citra debitum exhiberi: ſi vero debitum ſit tantum illud, ad quod præcepto tenemur, firmiſsimè credimus, multa bona opera à Deo grata atque probata poſſe à nobis fieri, quæ nulla aut minima culpa prætermitterentur, quæ ita commendantur, probantur, & conſulunrur in ſacris literis, vr non tamen ſemper, neque vbique, nec omnibus præcipiantur: quinimò ſunt, quæ nūquam, & nemini, & hæc ſunt, quæ nobis Patrum authoritate appellantur Supererogationes: Multa ſunt, ait Auguſtinus, facienda, non iubente lege, ſed libera charitate, & ea ſunt in noſtris officijs gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus. Hæc verba Auguſtini ſunt, ſententia vero totius Eccleſiæ, celebris, vetuſta, communis, & omnium ſanctorum literis prædicata. Vtris verò potiùs credendum ſit, illis, an veſtris doctoribus nouis, ne quid amarulentius dicam, & contentiònis ſtudio receptiſsima quæque euertentibus, viri Germani, vos videritis: ſimulq́ue veſtræ prudentiæ erit, expendere, qualia ſint dogmata, quæ nequeunt defendi niſi tam abſurda ſententia admittatur, quinimò niſi negetur, quod Catholici Patres omnes ad vnum aiunt, aſſeueretur, quod negant. Nam ſi non omnium communis eſt hæc noſtra doctrina, proferte vel vnum de tanta caterua veterum ſanctorum, qui Philippico iſti dogmati faueat, & nec vnum quidem verbum prætereà commutabimus. Philippus verò tantæ lucis, quæ ſeſe illi, vt reor, offerebat vltrò, ſplendorem nō ferens, cùm decreuiſſet, de ſententia, cui maxima pars erroris ſui innititur, non diſcedere, nullas non latebras quærit, non quò veritatem poſſit inuenire, ſed quò tutò poſsit errare. Nemo, inquit, poteſt perfectè ſatisfacere legi Dei. Et citat totam ſcripturam. Ego verò vno tantùm loco eſſem contentus, quia nullum hactenus me vidiſſe memini. Attamen vt hoc ſit verum, quod tamen eſſe non credo vt tamen verum ſit, quod in ijs, quæ lex præcipit, nemo illi hactenus præter Chriſtum ſatisfecerit, qui conſequitur, vt ego non poſſim facere aliqua bona opera, quæ nulla mihi ſint lege præcepta? Quis hoc neget, niſi qui præter quotidianum experimentum, Apoſtolum Paulum velit negare, qui iuri ſuo, quod habebat ad ſumendum ea, quæ in quotidianos vſus erant illi neceſſaria, liberè & gratuitò ceſsit, nullo cogente præcepto: id quod multis argumentis adſtruit, atque in hoc ſuam quandam ſuam propriam mercedem eſſe dicit.

Philippus.

Traditiones.

Iam vt ad humanas redeamus traditiones, ſi fieri poteſt, vt aliquoties præcepto diuino minimè cogente quædam operemur, quæ non poſſunt negari, quin bona & pia ſint, atque adeò grata Deo, cui bona cuncta placent, quid impietatis acceder huiuſcemodi operibus, ſi contingat per Pontifices aut Concilia inſtitui, vt certis locis & temporibus fiant? Nulla, inquies, ſed Chriſtiana libertas non fert huiuſcemodi onera imponi fidelibus, quos Apoſtoli nullis voluerunt grauari: nec poteſt vlla, etiam totius Eccleſiæ, authoritate propter huiuſmodi opera damnari anima, cùm ſolus Chriſtus, ſicut & ſeruandi, ita & damnandi habeat poteſtatem. Audio, ſed nunc non de Eccleſiæ poteſtate ſuſcepta nobis eſt diſputatio, quæ inferiùs ſuum habebit locum: ſed de operibus bonis, quæ citra diuinæ legis præceptum à nobis fieri contingit: de quibus duo quæruntur, an ſcilicet conferant ad placandum Deum, & aliquid ab eo quoquo modo promerēdum, putà peccarorum veniam, gratiam & gloriam: & an per Pontifices communi lege, aut quoſuis ſacerdotes priuato in pœnitentia iudicio iniuncta, eandem vim habeant, quinimò maiorem. Horum prius euidentibus adſtructum eſt ſcripturarum teſtimonijs: poſterius indignum eſt, de quo dubitetur, nec illud Aduerſarij improbant vllo teſtimonio præter verba Chriſti: Sine cauſa colunt me mandatis hominum. Quæ verba nihil nobis obſunt, quando mandata hominum, vt ſuperiùs attigimus, appellat Chriſtus iuſtificationes quaſdam prorſus externas & inutiles, quæ ſunt ab hominibus proprij commodi aut inanis gloriæ cauſa excogitatæ, non bona opera, quibus iamdudùm authoritate publica aut priuato conſilio tēpus præfinitur. Porrò quòd eleemoſynæ, quod ieiunia, quòd preces ſint bona opera, probatur Chriſti ipſius verbis, qui de ſingulis diſtinctè ait: Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Nec puto Philippum & Aduerſarios tam pertinaces fore, vt negent inter cætera, quæ pro huiuſmodi operibus pater eſt redditurus, peccatorū remiſsionem eſſe annumerandam, cùm idem

Opera bona, quæ citra diuinæ legis præceptum fiunt, conferunt ad placādum Deum, & communi lege omnibus & priuato iudicio in pœnitentia impoſita, eandē immò maiorem vim habeat.

Chriſtus

Sine cauſa me colunt, &c. Chriſtus alibi dicat: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, de peccatis nimirum loquens. Et Nabuchodonoſoro regi conſulit Daniel, vt peccata ſua eleemoſynis redimat. Et niſi precibus dimitterentur peccata, Chriſtus non docuiſſet, vt orantes diceremus: Dimitte nobis debita noſtra, &c. Dicet Philippus (ſcio) his omnibus intereſſe fidem quandam ſpecialem, ſine qua peccata nullo modo remitterentur. Quis hoc illi negabit, aut quis ignorat, in cunctis quæ agimus, fidem in primis eſſe neceſſariam? Ecquis vnquam acceſsit ad confeſsionem, niſi abſolutionis fiducia duceretur? Ecquis eleemoſynas largiretur, niſi crederet Chriſto dicenti: *Matth. 25.* Quotieſcunque vni de minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quis ieiunaret, niſi fidem haberet Chriſto prædicanti, patrem relaturum eſſe gratiam pro ieiunio, quod fit in abſcondito? Quis oraret, niſi fiducia illius magnificæ promiſsionis: *Ioan. 14.* Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis? Hæc eſt fides illa ſpecialis, quam tanto ſupercilio prædicat Philippus, & tanta ſeueritate exigit, vt ſignificet, à nemine ante Lutheri dogma eſſe agnitam: cùm nemo fuerit vnquam vſqueadeò ſimplex Chriſtianus, quin illam vltrò præſtiterit: tantùm illam non oſtentabant, & odioſè inculcabant, in quo nos à Luthero ſuperari fatemur. Eſt ne aliud, quod in nobis Philippus deſideret? At non eſt hæc fides in Chriſtum, cùm credamus opera noſtra peccata fore, tantum abeſt, vt peccatorum remiſſionem mereantur, niſi intercederet Chriſti gratia, qua iuuamur, & promiſsio, cui innitimur? Haud ergò obeſt fidei, probaſſe per ſacras literas eſſe quædam opera, propter quæ, fide intercedente, dimittantur peccata. Quod quum luce clarius ſit demonſtratum, nũc demùm percunctor, quid peccati, aut quæ peccata huiuſmodi operibus remittantur? nam huiuſcemodi diſputationem, cui Auguſtini verba ſuperiùs dederant occaſionem, in hunc locum, ne multa commiſcerentur, diſtulimus. Catholici diuina veritate coacti diſtinxerunt inter culpam & pœnam, ſeu pœnæ reatum: quarum vtraque in ſcripturis, vt ſuprà oſtenſum eſt, peccatum appellatur. Culpam dicunt in ſacramento pœnitentiæ, abſolutionis virtute dimitti, plectuntur tamen nihilò minùs temporaliter interdum illi, quibus eſt in vniuerſum culpa dimiſſa: non quòd malignè Deus conferat ſua dona (temporalis enim animaduerſio non excludit magnã illam miſericordiam, quam implorabat Propheta) ſed quòd pœnitentis animus à terrenis cupiditatibus non ſatis explicatus, neceſſe habeat in camino tribulationis excoqui, vt temporalis animaduerſio ſuppleat, quod minus præſtitit charitas pœnitentis. Niſi fortè velit Philippus dicere, nihil deeſſe pœnitentium fidei & charitati, quod opus ſit aliunde ſuppleri: quod certò ſcio illum minimè dicturum. Alioqui purgatoria pœna ſuperflueret, quam tamen nec ipſe, nec Lutherus hactenus negauerunt. *Pœna purgatoria.* Quinimò docent morientes cum imperfecta charitate ſecum adſerre non modò cauſam, verùm & maximam partem purgatorij cruciatus. Cũ igitur vniuerſi doctores veſtri fateantur aliquid ſupereſſe morientibus in charitate, atque adeò ius æternæ felicitatis ſecum deferentibus, quod poſt hanc vitam diuina exigente iuſtitia plectatur, qui poſſunt receptæ totius Eccleſiæ ſententiæ refragari, qua docemur accedere quoſdam ad pœnitentiæ ſacramentum [illegible] fragili fide & imperfecta charitate, vt [illegible] abſolutionis beneficio peccatorum rem[illegible]em, quatenus propter illa peccata ius æternæ felicitatis amiſerant, fuerint con[illegible] perſit tamen illis, quod per p[illegible]erdotis arbitrio vel ſpontaneè [illegible] lucre teneantur, plectendi alioqui [illegible] purgatorio, niſi viuentes præuenerint cruciatus, qui manent illic imperfecta charitate deceſſuros. Reſpondebit, quantum ex ipſius & Lutheri doctrina coniectare poſſum, Philippus: ſupereſſe quidem non modò morientibus, verùm & pœnitentibus (vtrumque enim poteſt homini in eadem animi diſpoſitione contingere) quod pœnarum inflictione perficiatur, iuxta illud Iacobi Apoſtoli: *Iacob. 1.* Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes inciderítis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Fatebitur ergo Philippus, Deum in nobis hanc integritatẽ & perfectionem efficere, cùm in hac vita variis nos laboribus & cruciatibus exercendo, tùm in alia purgatorio igne, velut in fornace, quod reliquum fuerit, excoquendo. Hanc tamen expurgationem nullius hominis poteſtati ſubeſſe, cùm ſolius ſit Chriſti, argentũ examinare atque conflare, & purgare filios Leui. Et Eſa. *Eſa. 1.* Conuertam, inquit Dominus, manũ meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriã tuam, & auferam omne ſtannum tuum, &c. Itaq; cùm purgationis huiuſcemodi ac perfectionis munus Chriſto ſoli tribuant ſacræ literæ, non modò temerè, verùm & impiè facere videntur Luthero, quicunque illam ſibi auſi ſunt arrogare. Quod ſi dixeris, ſupremam poteſtatem Chriſti ſolius eſſe, miniſterium tamen eius hominibus traditũ ab eo-

dem

dem,ſcripturarum mox teſtimonium efflagitant,nihil alioqui , quantumuis antiqua conſuetudine ab Eccleſia receptum , crediturі.Nam priſcas ſanctorum Patrum ſatisfactiones,quas pœnitentiales Canones appellabant,ad politici iuris claſſem relegant , ab Hierarchici prorſus excludunt. Si verò poteſtatem clauium allegare velis,negant huic poteſtati aliud ſubeſſe, quàm vim abſoluendi peccatorem,etiam non confeſſum,modò ſupplex abſolutionem petierit,& firmiſsimè crediderit verbis abſoluentis . Hic iam de ſcripturarum intelligentia agitur: nam cùm Chriſtus claues in plurali nominauerit,plures poteſtates,aut plures modos remittendi peccata viſus eſt ſignificare . Cùm etiam ſacerdos peccata non dimittat,niſi Chriſti fungens authoritate,credibile eſt,qui illi maximum commiſit,hoc eſt,abſolutionem à culpa,& minimum commiſiſſe,quod eſt peccati reliquijs poſſe mederi.Sed negant quicquā peccati ſupereſſe abſoluto, quod vel ſponte ſua,vel alterius iudicio luat,tametſi multùm ſuperſit,quo fide & charitate proficiat. Nec tamen hactenus,quod viderim, explicauerunt,quæ ſint illa peccata,ſi iſta non ſunt, de quibus dicitur, quòd mundentur eleemoſyna: quandoquidem etiam iuxta illos opus eſt abſolutione, qua neglecta nihil prodeſſent eleemoſynæ: & illa accepta, nihil opus eſt eleemoſynis ad remiſsionem peccatorum , quorum poſt abſolutionem nihil ſupereſt remittendum . Quid igitur agas cum huiuſmodi hominibus , qui tertio quoque verbo ad ſcripturas prouocant,& ſi illas non produxeris,nihil credunt , quaſi Eccleſia, quæ nobis potuit dare ſcripturas , quibus crederemus(niſi illi dicant ſe habere aliunde)non poſsit dare, quod ſine ſcripturis etiā credamus?Sed vt donemus,non eſſe credendum,niſi quod ſcripturis probari potuerit, quid remedij nobis reliquum erit,vbi de earundem ſcripturarum intelligentia fuerit dubitatum? Nihil inquiunt, dubium aut ambiguum nobis adferri volumus, nam ſcriptura ſacra nihil ambiguitatis continet , ſed omnia ſunt aperta & intellectu facillima. (2.Pet.3.) Atqui non talis viſa eſt antiquis ſapientibus, quin & Petro quidem viſę ſunt epiſtolę Pauli difficiles intellectu , quum tamen extra Propheticam caliginem poſitæ, lucem euāgelicam præ ſe ferant. Nec video, quomodo ſcriptura ſacra ſit facilis intellectu,quę quingentos & mille annos vſque ad Lutheri tempora in aliquot ſuis locis, vt illi videtur non eſt intellecta. Cæterùm quando diuinæ veritati nunquam defuit ſcripturarum præſidiū operæprecium erit nobis , oſtendere huic etiam, quam de ſatisfactionibus credimus, minimè deeſſe. Etenim quantumlibet ,quidam proteruiant,& oculos , ſuſcepti ſemel dogmatis errore præuenti,ſuperbe à veritatis auertant ſplendore, bona tamen ſpes eſt, inter vos fore non paucos,qui (quæ eſt Germanorum ingenuitas) integri velint diſputationem noſtram ſuſcipere.

Ex ijs,quæ hactenus differēdo coegimus, conſtat Deum in nobis misericorditer temporaneis corrigere diſciplinis, quicquid æternis cruciatibus vlciſci non decreuerit. Nam ob id peccantes tam multis exercemur afflictionibus, nec in alium vſum Purgatorius eſt ignis inſtitutus, id quod apertiſsimis verbis Propheta deſcribit in eo pſalmo, qui à miſericordijs domini in æternum cantandis exordium auſpicatur : in quo poſteaquàm longiore ſermone Chriſti magnitudinem,potentiam ac celſitudinem vaticinatus fuerat,adiungit dominus, cuius perſonam Propheta gerit in loquendo: Si autem dereliquerint filij eius legem meam,& in iudicijs meis non ambulauerint,ſi iuſtitias meas prophanauerint,& mandata mea non cuſtodierint,viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum : miſericordiā meam non diſpergam ab eo , neque nocebo in veritate mea, &c. Chriſti filios quis neſcit eſſe Chriſtianos,haud quidem omnes,ſed illos,de quibus dicitur, quòd non ex ſanguinibus,neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,ſed ex Deo nati ſunt? De quibus etiam alibi Ioannes: (Ioan.1.) Omnis qui natus eſt ex Deo,non peccat . Hi quantumuis dicantur non peccare , idcircò quòd inſtituti ſui ac profeſsionis ſcopum tandem aſſequuntur derelinquunt tamen interdum plurimi legem Dei , & in iudicijs domini non ſemper ambulant,quorum iniquitates dominus viſitat in virga,& in verberibus corrigit peccata eorum : quia quos dominus diligit , caſtigat:& flagellat omnem filium,quem recipit. Hoc cùm ita ſit,quis credat , non poſſe filios apud patrem,huiuſcemodi verbera, precibus,lachrymis,ieiunijs,& eleemoſynis vltrò ſuſceptis,deprecari ; cùm Niniuitæ precibus (Ione.3.) & ieiunijs excidium & euerſionem ſint deprecati? Ezechias prece ac fletibus deprecatus fuerit mortem . Achab ſeueriſsimam in ſe Domini ſententiam, & multi cùm improbi,tùm probi diuinam vltionem precibus,ieiunijs,& eleemoſynis depulerint? Denique fideles,qui erant Hieroſolymis,Petri Apoſtoli liberationem , cùm in cuſtodia ab Herode teneretur, precibus impetraſſe videntur. Oratio enim fiebat ab Eccleſia ſine intermiſsione ad Deum pro eo: & redditus eſt, vt narrat Lucas, multis orantibus in domo fœminæ cuiuſdam , nomine Mariæ.

Et Paulo ieiunanti & oranti donata eſt à domino incolumitas omnium, qui cum eo naufragium paſsi fuerant. Quid opus eſt loco communiſsimo iuxtà atque apertiſsimo immorari? Quid eſt in ſacris literis frequentius hoc, quod quorundam exemplis confirmare volumus, diuinam ſcilicet maleſtatem orantium precibus, lachrymis, ieiunijs, & afflictione placari? His & id genus alijs ſupplicationibus multa bona leguntur à domino impetrata, innumera mala depulſa: & non poterunt fideles, qui filiorum Dei nomine honeſtantur, meritas pœnas, quæ diuina iuſtitia peccantibus infert, etiam cùm noxias condonat, impetrare? Quod ſi poſſunt, quid iam ſupereſt, quo Satisfactiones negantur à Luthero? Nos enim nihil aliud nomine Satisfactionum intelligimus, quàm huiuſmodi ſupplicationes, quibus diuinę iuſtitię quadantenus ſatisfaciendo, eius ſententiam immutamus. Cur iam Philippus Eccleſiæ ſuccenſeat, quòd id genus ſupplicationes certis temporibus, quando non poſſunt aſsiduò præſtari, Chriſtianis indicit? Aut cur ſacerdos iuxta menſuram affectus, quem explorauerit in pœnitente, non iniunget illi huiuſmodi opera, quibus vtcunque ſatisfaciat, quod minus præſtitit charitate? Vereor, vt Philippus (quæ eſt eius in euadendo verſutia) reſpondeat, nihil horum aduerſus illum quicquam efficere: tum quòd omnes illi, quorum adduximus exempla, non pro caſtigatione, quam ad vtilitatem noſtram aſsiduè nobis dominus infert, ſed pro quibuſdā priuatis periculis precabantur, quę nobis etiam licet, quoties ingruerint, deprecari: tū quòd pœnæ illæ, de quibus nunc agimus, ita nobis pro peccatis infliguntur, non vt pro præteritis ac dimiſsis ſatisfaciant, ſed vt præſentibus, quæ ſemper adſunt, quandiu charitas eſt imperfecta, medeantur. Quicquid enim imperfecta fides, & fragilis charitas in animo deſtituit, occupant infidelitas & concupiſcentia, quarum tyrannidem dominus varijs in nobis afflictionibus vlciſcitur: & exſtinguit, atque adeò indies fidem & charitatem huiuſmodi pœnis perficit & auget: idcircò nemo poteſt id genus pœnas, ſiue abſoluendo, ſiue commutando à nobis auferre. Quod ſi maximè quiſquam poſſet, minimè tamen expediret. Idem reor de purgatorijs cruciatibus reſponſurum, in quibus Lutherus contra omnium ſententiam docet, charitatem perfici & augeri. Quicquid hæc reſponſio continet, vt ſit verum, vt eſſe de viuentium profectu atque perfectione duntaxat, ego non dubito, haud tamen obſtat, quin ſint aliæ pœnæ, quæ pro peccatis, etiam quorum culpa remittitur, infliguntur: & quas non ſit inutile quoquo modo deprecari. Horum

prius probant illa Prophetæ verba: Viſitabo
in virga iniquitates eorum, & in verberibus
peccata eorum: miſericordiam autem meam
non diſpergam ab eo, &c. Poſterius verò,
quin & vtrunque ſimul, confirmat Apoſto-
lus Paulus Corinthios obiurgans, quòd pec- 1.Cor.11.
carent in Chriſtum irreuerentia, in ſeipſos
crapula & voracitate, in proximos contem-
ptu, dominicis corporis & ſanguinis myſte-
rijs abutendo, & adiungit diuinam vltionē:
Ideò inter vos multi infirmi & imbeciles, &
dormiunt multi. Porrò quòd huiuſmodi
animaduerſio deprecabilis eſſet, vt quæ non
ad internecionem, ſed ad correptionem pec
cantibus infligebatur, & de illarum numero
erat, quas deſcripſerat Propheta: Viſitabo in
virga iniquitates eorum, & in verberibus
peccata eorum: miſericordiam autem meam
non diſpergam ab eo, &c. declarant verba,
quæ ſubiungit Apoſtolus: Quod ſi noſmet-
ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur:
cùm autem iudic[illegible] à domino, corripi-
mur, vt non cum [illegible] mundo da[illegible].
Iudicare ſcriptur[illegible] dixit, pro
vlciſci, quemadmodum Chriſtus [illegible] de iu-
ſtis dicit: In iudi[illegible] nō veniet. Et princeps
huius mundi iam [illegible] eſt. Et idem A- Gal.5.
poſtolus: Qui [illegible] os, portabit iudi-
cium. Docet itaque, [illegible] dò ſumendam eſſe à
nobiſmetipſis pec[illegible]orum vltionem, vt di-
uinam præueniendo vitemus. Loquitur au-
tem de peccatis, quorum culpas dominus ita
remittit, vt [illegible] tantùm ad illorum vtili-
tatem, qui plectuntur, exigat. Addit enim:
Cùm iudicamur autem à Domino, corripi-
mur: vt non cum hoc mundo damnemur.
Corripit ergò dominus pœnarum irroga-
tione, quos non vult perpetuò damnari.
Quod non video, quid aliud ſit, quàm pœ-
nas exigere ab illis, quibus culpas condonat.
Hoc eſt quod Propheta dixerat, viſitare in
virga iniquitates filiorum, & in verberibus
peccata eorum; miſericordiam autem non
auferre à Chriſto, hoc eſt, à filijs propter
Chriſtum, qui iuxta eundem Prophetam ac- Pſal.67.
cipit dona in hominibus. Lutherus & Phi-
lippus non poſſunt ferre hanc doctrinam,
quòd illis videatur Chriſti gloriam obſcu-
rare, cuius meritis innititur remiſsio pecca-
torum, ita vt ſi dicamus, in abſolutione non
conferri abſolutam ac plenam omnium pec
catorum, tam quò ad culpam, quàm quò ad
pœnam, remiſsionem: videamur aſſerere, aut
eius merita non ſufficere, aut parcè & malig-
nè ab eo nobis eſſe communicata. Sanè quod
ex ſententia noſtra nihil gloriæ Chriſti de-
cedat, quin accedat plùs multò, quàm ex ad-
uerſa apud omnes, quibus fuerit vtraque li-
berè & attentè perpenſa, abundè ſuperiùs eſt
demonſtratum à nobis. Nunc verò reſpon-

demus

demus Philippicæ obiectioni, de operibus Dei non eſſe noſtrum iudicare: tãtùm ſcimus Dei perfecta eſſe opera, quomodo verò aut quibus modis illa prouehat atque perficiat, ſcire non poſſumus: quoniam operatur omnia, non ſecundum animi noſtri ſententiam, ſed ſecundum conſiliũ voluntatis ſuæ. Porrò conſilium domini nemini eſſe notum, Eſaias aſſerit. Idcircò Catholici in tanta rerum caligine id eligunt, ꝙ maximè ex ſcripturis colligi poteſt, quibus frequens eſt pœnarum deprecatio, ieiunijs, precibus & eleemoſynis impetrata. Quòd ſi ſcripturæ ſanctæ alicubi in ſpecie ſibi videntur aduerſari, eligendum eſt ſenſus aliquod medium, in quo conueniant: alioqui cogeremur ab infidelibus, confiteri, ſacras literas alicubi feſelliſſe: id quod non poſſe fieri, vt nihil certius eſt habendum, ita nihil firmius credendum. Quãobrem cùm videamus ſcripturas nunc poteſtati illi, quam Chriſtus contulit Apoſtolis, peccatorũ remiſsionem tribuere: quia quorum remiſeritis, inquit, peccata, remittuntur: & quorum retinueritis (hoc eſt, quorum vos non remiſeritis) retenta erunt: nunc verò pœnitentiam exigere, hoc eſt, animi pœnitudinem cum reſipiſcentia: nunc denique pœnas ſumere ab ijs, quibus peccata condonat, & quas ipſi de ſe ſumunt probare, interdum & præcipere, aut certe conſulere, & quibuſdam illarum condonare peccata, preces & gemitus frequentius attendere, ſi huiuſmodi pœnis & afflictionibus offerantur: tandem quotquot ſanctorum veteris ſeu noui teſtamenti peccatorum ſuorum noxas aut vltionem ſunt deprecati, hiſce ſupplicationibus vſos fuiſſe. Cùm, inquam, hæc & id genus alia pro ſatisfactionibus videamus, libentiùs (etiamſi nullo Eccleſiæ præiudicio teneremur) ſententiam illam amplectimur, quæ omnia hæc vtilia, interdùm & neceſſaria eſſe pœnitentibus aſſerit: quàm quæ oppoſitum docet, quando facilius in illa conſtantiſsima ſcripturarum ſanctarum veritas, & omnium ſuarum partium ſyntagma, & quaſi concentus ſeruatur. Atque hinc orta eſt ſolennis illa pœnitentiæ partitio trimembris, in Contritionem, Confeſsionem & Satisfactionem.

Pœnitentiæ partes.

Confeſsio abſolutionem continet, cui deſeruit. Quod ſi quis contendat, has non eſſe pœnitentiæ partes, ſubſtituat autem pro illis vel illarum aliqua fidem, ego non magnopere illi aduerſarer, modò neceſſarias eſſe non neget, quando ipſa pœnitentiæ ratio, vt ſuperiùs [illegible] poſuimus, omnia iſta cõplectitur. Nec ſatisfactio, quia ſub hoc nomine in ſacris literis non præcipitur, eſt à pœnitentia ſeiũgenda, cùm nihil aliud ſit, quàm conatus infectum reddendi, quod factum eſt, qui conatus maximè indicat verè pœnitentis affectum, atque adeò quaſi ſummam manũ pœnitentiæ imponit. Ab hoc enim ſtudio oritur reſtitutio, non quæcunque, ſed tam locuples, vt fœnus reddat pauperibus rerum, ſi quas abſtulerat à diu[illegible]us: Ecce, inquit Zachæus ille verè pœnitens, dimidium bonorum meorum do pauperibus: & ſi quem fraudaui, reddo quadruplum. Huic pœnitẽtiæ ſtatim ſalus, hoc eſt, peccatorum condonatio eſt promiſſa. Hinc & Paulus: Qui furabatur, iam nõ furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti.

Luc. 19.

Ephes. 4.

Quid opus eſt tanto labore, ſi inutilis eſt ſatisfactio? An non ſatis eſt ei, qui reſipuit à peccato, ſi de cætero manum ab alieno contineat, & proprio ſibi labore victum paret? Sed quem locum in pœnitẽtia dabimus huiuſmodi labori? Dicemus ne eſſe terrores illos, quos Philippus exigit? Nequaquàm, nam illi præcedunt, & inchoant pœnitentiam, hi vero ſequuntur & perficiunt. Erunt ne fides & abſolutio? Minimè: nam abſolutio in verbis eſt, fides in mente, nõ in opere manuum & pauperum ſubuentione. Supereſt, vt ſit Satisfactio, qua ſuas etiam res, eaſdemq́; non ſine labore partas, vertat in alienos vſus, qui in ſuos fuerat alienis abuſus, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Quibus verbis non tantùm peccatorum, quæ in proximum admittuntur, & ad iniquitatem pertinent, verùm & illorum, quæ cuiuſuis voluptatis libidine perpetrantur, & immundos nos reddunt, ſatisfactionem nobis ſuadet Apoſtolus: ſatisfactionem, inquam, illam, qua per quæ quis peccauerat, putà rei alienæ interceptionem, luxum aut voluptatem, per eadem etiam puniatur, hoc eſt, per largitionem, laborem, & carnis caſtigationẽ. His & id genus alijs rebus, quis non videat ſaluberrimum eſſe, congruum tempus, locum & modum negligentibus aut conniuentibus pręſcribi?

Obiectio.

Roget me fortaſsè quiſpiam, Quid ergò nobis contulit paſsio Chriſti, ſi pro nobis non ſatisfecit? aut quomodo ſatisfecit, ſi adhuc nobis ſupereſt neceſsitas ſatisfaciendi? Vnde perfectiſsimo operi, hoc eſt, Chriſti paſsioni contingit iſta imperfectio? An quia non ſufficiebat pro tantis & tam multis peccatis ſatisfacere, partem pœnæ nobis remiſit, & partem dimiſit, ita vt nõ ſublata, ſed diminuta videatur, vt ex æterna fieret temporalis? Quis hoc ſanus & Chriſtianus dicat? Nemo equidem: ſed ego illum, quem ex aduerſo dicere feci, viciſsim rogabo, quid ſit illud, quod paſsionibus Chriſti defuit, quod Paulus in carne ſua ſupplebat

pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia? Aut quid nobis contulit Chriſti crux, quibus opus eſt aſsiduè propriam portare crucem, Solutio. carnem cum vicijs & concupiſcentijs crucifigere? quidue profuit Chriſtum pro nobis mori, quibus non ſemel, ſed quotidiè moriẽdum eſt? iuxta illud, quod ex propheta Paulus adducit: Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Rom. 8. Reſpondeat mihi ad hæc omnia Philippus, qui ſe putat multum tribuere Chriſti paſsioni, ſi Chriſtianis detraxerit pœnitentiæ onus. Nobis ſiquidem in promptu eſt reſponſio huiuſcemodi omnium difficultatum, nempe Dei voluntas, & eius incomprehenſibilis ſapientiæ arcana diſpoſitio, cui viſum eſt, ita nobis expedire, vt diuerſis identidem agitemur & exerceamur laboribus, cruciatibus & ærumnis, quamdiu viuimus: Rom. 6. vt, quod ait Paulus, deſtruatur in nobis corpus peccati, & veterem hominem prorſus exuamus, nouo & interiore ad perfectionẽ prouecto, qui renouatur de die in diem in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum. Pulchrè, inquies, & catholice, ſed idem Paulus docuerat eundem veterem hominem ſimul cum Chriſto crucifixum fuiſſe & commortuum, vt videatur hac ſententia, nnn eſſe opus de cætero alia mortificatione. Quòd ſi adhuc alia opus eſt, cur Chriſtus, ſi potuit, noluit: aut ſi voluit, quomodo non potuit ſemel in nobis perficere gratia, quod tamdiu in nobis fecit laborum tolerantia? Viderit Philippus, quid reſponſurus ſit: illum enim vrget argumentatio, qui omnes in Chriſto renatos onere pœnitendi leuare conatur. Nos verò rurſus agnoſcimus ita nobis expedire, & ex hoc plùs Chriſti gloriæ accedere, quàm decedere, dùm ipſe quotidiè in membris ſuis triumphos celebrat victoriæ, quam aduerſus principem mundi huius & rectores tenebrarum iſtarum ſubinde obtinet poſt illam inſignem, qua ſemel illum expolians traduxit confidenter, palàm triumphans illum in ſemetipſo. Ad hæc nos varijs tentationibus fragilitatis noſtræ admoniti, humiliamur ſub potenti manu Dei, vt ſublimitas ſit virtutis eius, & non ex nobis, ita vt ne nimia confidentia & ſecuritate pereamus, quemadmodum non modò homines primi, verùm & angeli perierunt. Hæc & alia fortaſsis meliora reſponderi poſſunt ijs, qui poſt Chriſti labores, crucem & mortem, mirantur tot ac tantos nobis ſupereſſe labores, perpetuas cruces, quotidianas mortes. Atque ea ipſa nobis reſpondere poſſe videmur his, qui Satisfactionis doctrinam vetuſtam, Catholicam, piam, & exercendis fidelibus vtilem, ob hoc eleuare contendũt, quod Chriſtus ſemel pro omnibus nobis ſatisfecerit. Eadem, inquam, reſpondere poſſumus, quoniam prorſus eadem eſt reſponſio vtrobique, quatenus rerum, quæ humanæ rationis vim longa intercapedine excellunt, poteſt ratio inueniri. Geſta ſunt omnia hæc occulta diſpenſatione, quorum vſus & vtilitas tantummodo nobis conceditur, cõſilij ratio penes illum eſt, qui fecit, & eo modo fecit, quo magis illi viſum eſt expedire nobis, quibus fiebat. Nam alienum eſt opus eius ab eo. Veriſsimum ergo eſt, vtilius eſſe electis (quibus omnia cooperantur in bonu) per gradus quoſdam prouehi, & ſemper obnoxios eſſe diuinæ iuſtitiæ. vt eius miſericordiam ardentius implorent, & pœnarum omnium, quas patiuntur, ſeſe debitores ſemper agnoſcant. Quæ perſuaſio vt veriſsima, ita & receptiſsima ſemper fuit apud omnes, qui piè viuere ab orbe condito ſtuduere: non autem eſſet vera, niſi Deus interdum condonaret culpas illis, à quibus exigit pœnas. Huic exactioni per pœnitẽtias ſatisfacimus, has pœnas ſpontaneis ſatisfactionibus deprecamur, ab Apoſtolo Paulo præmoniti, quod ſi noſmetipſos iudicauerimus, hoc eſt, ſupplicium de nobis legitime ſumpſerimus, no vtique rurſus à domino iudicabimur, quandoquidem, vt ait Propheta, non conſurget duplex tribulatio, vel quod alia tranſlatio habet, non vindicabit Deus bis in idipſum. Noſtras verò ſatisfactiones omninò inualidas & inefficaces eſſe credimus, niſi Chriſti Ieſu meritis innitantur: imò niſi eius eſſent præcipue merita, qui hæc in membris ſuis quotidie operatur. Hæc cùm ita ſint, bonos viros, ad quos ſubinde prouocat Philippus, nunc appello, vt mihi totis animi viribus adſint ad retinendam doctrinam, quæ ſcripturis ſanctis non modò non aduerſatur, verùm eiſdem luce clarius innititur, quæ ſanctorũ omnium literis & exemplis firmata, totius Eccleſiæ perpetuo conſenſu roboratur, quæ Chriſtianorum vulgo ad frugalitatem & modeſtiam maximè confert, nec patiantur ſe verborum illecebris abduci, pietatis quidem ſpeciem habẽtium, fortaſsis & affectuũ, ſed non ſecundum ſciẽtiam, niſi illa, quæ inflat animum habentis, & in cæterorum omnium contemptum extollit. Sed iam Satisfactionibus me feciſſe ſatis exiſtimo, quibus adiuncta, quæ ſuperiùs de iuſtificatione dixeramus, vniuerſis, quæ pet Philippum maiori verborum copia, quàm neceſsitate coacta ſunt, abundè reſpondet: quamobrẽ operæprecium erit ad XIII. cap. &c. quæ vt iuſtificationi adnecteretur pœnitentia, interpoſita ſunt, expedienda reuerti.

CON-

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XIII. De vſu Sacramentorum.

DE vſu Sacramentorum docent, quòd ſacramenta inſtituta ſint non modò vt ſint notæ profeſſionis inter homines, ſed magis vt ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui vtuntur, propoſita. Itaque vtendum eſt ſacramentis ita, vt fides accedat, quæ credit promiſſionibus.

Damnant igitur illos, qui docent, quòd ſacramenta ex opere operato iuſtificent.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XIII. De vſu Sacramentorum.

DE vſu Sacramentorum docent, Sacramenta inſtituta eſſe, non modò vt ſint notæ profeſſionis inter homines, ſed multò magis, vt ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos propoſita, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui vtuntur eis. Itaque vtendum eſt Sacramentis ita, vt accedat fides, quæ credat promiſſionibus, quæ per ſacramẽta exhibentur & oſtenduntur. Hac fide accipimus promiſſam gratiam, quam Sacramenta ſignificant, & Spiritum ſanctum.

Damnant igitur Phariſaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in vſu Sacramentorum requiri, quæ credat propter Chriſtum nobis gratiam dari, ſed fingit homines iuſtos eſſe propter vſum ſacramentorum ex opere operato, & quidem ſine bono motu vtentium.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimumtertium reſponſio.

TRedecimus Articulus nihil offendit, ſed acceptatur, dùm aiunt, ſacramenta eſſe inſtituta, non modò vt ſint notæ profeſſionis inter homines, ſed magis vt ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos. Petendum tamen ab eis erit, vt quod hic in genere de ſacramentis perhibent, ſpeciatim quoque de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ fateantur, & in ſubditis ſuis obſeruari procurent.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimumtertium animaduerſio.

ITa vaniloqui iſti fidem deſcribunt, vt non euangelizare, ſed Iudaizare deprehendantur. Sacramenta ſigna eſſe faciunt diuinę beneuolentiæ, ſed ſanctitatem aliquam ſua natura præſtare negant. Ex eorum ſententia ſi quis ſyncera fide, qualis tamen in Lutheranis minimè inuenitur, Baptiſmum ſacramentalem, Abſolutionem, & Euchariſtiam percipiat, ratione ſuſcepti ſacramenti nihilò efficitur ſanctior, ſed vnica ſanctitatis cauſa fidei ſoli, qua vnumquodque ſacramentum ſuſcipitur, deputanda eſt. Exempli gratia: ſi adultus cùm baptizatur, certò credit ſibi remitti peccata propter Chriſtum, ſit ſceleratus, ſit voluntate parricida, ſit ſacrilegus, ſit adulter, propter illam tamẽ fidem beneuolentiæ Dei peccata remittentis, non dubium eſt illis, quin ſanctificetur, eiuſque rei certũ eſt teſtimonium in baptiſmi ablutione. Itẽ, ſi quis impurum apoſtatam vel carnificem quempiam, Principis vel magiſtratus voluntate ad verbi vel ſacramentorum miniſterium citra vllam ordinationem eccleſiaſticam euocatum accedat, & coram illo petita abſolutione generatim ſe peccatorem agnoſcat, mox cygno efficitur candidior. Sed tamen firma fides huic abſolutioni accommodãda, periclitatur alioqui ſalus, omniſque tam ſanctæ Pœnitentiæ fructus, qui totus in hoc cernitur, quòd teſtatur diuina illa carnificis benedictione credentem ab omnibus peccati ſordibus abſolui. Rurſus ſi quis lutulentus ſus, & omni viciorum genere fœdatus altare communicaturus accedat, ſi veram fidem de Dei beneuolentia habeat, quòd ipſum alat, quòd ipſum ſibi vniat, quòd vitam æternam præſtet, nõ dubium ipſis eſt, quin hæc ipſa perficiantur, non tamen virtute ſacramenti, ſed fidei illius adulterinæ merito. Nam Euchariſtia ipſis nudũ eſt ſignum & teſtimonium, quod Deus ſuperiores illos fructus velit producere, merito fidei illius, qui accedit. Sed quid cætera proſequamur? Sic inſaniunt, ſic blaſphemant illi, qui terminos Patrum ſemel ſunt tranſgreſſi. Catholicos non ferunt, quòd vim ſanctificandi in ſacramentis nõ tam fidei aut præparationi, qua ad ſacramenta accedunt, tribuant, quàm Deo per ſacramenta operanti: & interim tantam vim inani &

tuæ fidei ſuæ adſcribunt, vt eius merito omnia, quæ ſacramentis ſignificantur, ſe acquirere putent. Si hoc non ſit gloriam Dei conculcare, ſi hoc non ſit os ſuum in cœlum ponere, ſi hoc non ſit ſpem ſuam ponere brachium ſuum, ſi hoc non ſit ſibi inniti, quid tandem erit? Si his credimus, ſacramenta inſtituta non ſunt vt ſanctificẽt, ſed legitimus, ac vniuerſus illorum vſus in hoc conſiſtit, vt promiſſiones diuinas, quæ fide apprehentur, ſignificent, & velut imagine quadã oſtẽdant, teſtenturque. Exſurgat igitur Zuinglius, exſurgat & iuſtificetur Caluinus, in Imperialibus comitijs toties condemnatus. Si enim Euchariſtia ſit nudum ſignum, & teſtimonium duntaxat ſanctitatis, quæ fide in vſu ſacramenti ſit apprehenſa, ſacramentum igitur corporis & ſanguinis domini non ſanctificat. Si verò non ſanctificet, quomodo fons & ſcaturigo omnis ſanctitatis ibi verè & realiter eſſe agnoſcetur? Quomodo verum erit, quod Lutherani tanta contentione aduerſus Zuinglianos propugnarunt? Certè ſi res expendatur ex hoc capite, imprudentes in idem recidunt, & cùm ſe, tùm ſibi adhærentes Satanæ deuouent, eamque gratiam Principibus ſua fraude ſeductis referut, qua nulla horribilior excogitari poteſt. Nec tamen fuit ſatis iſtis Reipub. Chriſtianæ peſtibus tam impiorum dogmatum fundamenta in primo ſuo exemplari ſternere, niſi mox altero anno, poſtquàm illud Cæſari Carolo obtuliſſent, in exemplari octauæ formæ eundem Articulum nouis impietatibus auxiſſent. Adijciunt enim iſtud: Damnant igitur illos, qui docent, quòd ſacramenta ex opere operato iuſtificent, nec docent fidem requiri in vſu ſacramentorum, quæ credat remitti peccata. Nos, ne actum agamus calumniam illam toties repetitam de ſuppreſſa à Catholicis fide, iam præteribimus. Sed quàm iuſtè homines toto orbe damnatiſsimi Eccleſiam Chriſti condemnent, quia docet quòd ſacramenta ex opere operato iuſtificent, paucis excutiamus. Agnoſcunt igitur Catholici, in ſacramentorum vſu duas actiones concurrere, alteram externam, quam materia præſente, miniſter forinſecùs exhibet: alteram verò intimam, quam Deus occulta vi concurrente ſecundum eius inſtitutionem hominis externo miniſterio, præcipuè perficit & exſequitur. Poſteriorem hãc actionem Eccleſiaſtici doctores locutione ſcholis vſitata vocant opus operatum, hoc eſt, opus eiuſmodi, quod non tam reſpicit externam illam functionẽ miniſtri, quàm inſtitutionem Chriſti, occultioremque illam vim, quam Deus aquæ, oleo, pani, cæteriſque rebus, quarum in ſacramentis eſt vſus, præſtat & adhibet. Priorem verò miniſtri actionem vocant opus operantis, hoc eſt tale, in quo non tam habetur ratio Chriſti inſtitutionis, virtutiſque diuinæ, quæ occulta ratione circa ſacramenta operatur, quàm qualitatum miniſtri exteriùs ſuam operàm accommodantis. Sed vt imperitis magis conſulam, hoc ipſum aliter nobis eſt explicandum. Dicit Chriſtus de muliere, quæ duo minuta in gazophylacium proiecerat, quòd maiorem eleemoſynam fecerit, quàm illi, qui longè magis theſauros templi auxerant. Faciamus ditiores illos decem aureos obtuliſſe, vbi illa paupercula duntaxat duos obulos erat largita. Quo igitur pacto plus cæteris illa miſit in gazophylacium? certe non ex opere operato, ſed ex opere operantis, hoc eſt, non ſecundum rem ipſam, ex ſua natura conſideratam, ſed ſecundum affectum & deuotionem largientis. Ex opere enim operato, id eſt, ex actione in ſe ponderata pluris eſt dare decem aureos, quã duos nummos. Eadem ſanè eſt ratio in Sacramentis, in quibus opus operatum includit omnia illa, quæ ſecundum diuinam inſtitutionem in eorundem vſum concurrunt, vt materiam & formam, externum ſacerdotis miniſterium, ac intimam Dei operationem. Opus autem operantis, deuotionem, omnemque diſpoſitionem affectionemue miniſtri reſpicit. Quid quæſo, his intellectis, habet incommodi, quid veritati, quid Chriſto detrahit Catholicorum ſententia, dùm affirmant ſacramenta ex opere operato iuſtificare? Quid enim aliud volunt, quid aliud inculcare ſtudent, quàm quod ſacramẽtorum virtus non ſit tam metienda ex deuotione & dignitate miniſtri, quàm ex Dei bonitate & omnipotentia? qua efficitur, vt res externæ intrinſecùs etiam in anima operentur. Vt, exempli gratia, aqua in baptiſmo abluit corpus, & tamen intùs vitia animæ purgat. In confirmatione frons Chriſmate inungitur, & intùs anima donis gratiarum perfunditur: & ita in cæteris. Sed quid hæc dona gratiarum agnouerint, qui omnem Dei gratiam in ſe extinxerunt? Quid virtutem Spiritus ſancti intùs per ſacramenta operantis videant, qui non niſi patrato in Spiritum ſanctum ſcelere ſuæ fidei articulos cudunt, & recudunt? Si Philippus Melanchthon quid Catholici per opus operatum vellent non intellexit, ſycophantam fuiſſe oportet impudentiſsimum, qui quæ ignoraret, calumniari ſit auſus. Sin verò Catholicorum ſententiam agnouit, cùm inconſtantem, tùm in Eccleſiam Chriſti, Deique verbum impium eum fuiſſe neceſſum eſt. Si enim ſacramenta ex opere operato non valeant,

Marc.

cur

eur Articulo octauo affirmanit, vtilicere ſacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, illaque eſſe efficacia, etiamſi per malos exhibeantur? Nec certè quicquam clarius eſſe poteſt, quàm ſacramenta non tantùm per miniſtrum extrinſecùs, ſed intùs maximè à Deo diſpenſari. Hoc enim teſtimonium ab ipſo Chriſto ſe accepiſſe ſanctus Ioannes affirmat, cùm ait: Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Cui ſententiæ congruit, quod ait Apoſtolus 1. Corinth. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quo ſanè loco inſigni metaphora oſtendit, quòd quemadmodum arboribus nihil obeſt eorum improbitas, quorum manu ſatæ ſunt: ita nihil vitij aliena culpa contrahi illis poſſe, qui malorum hominum miniſterio ſacramenta percipiunt. Vt igitur hoc argumentum concludamus, dicimus Catholicos ſua doctrina de opere operato nihil aliud tradere, quàm quod tota vetuſtas tradidit, & expreſſum Dei verbum comprobat, nimirum non eſſe qnicquam in vſu ſacramentorum, quod gratiæ diuinæ fructum impedire poſsit, niſi qui ea ſuſcipiunt, ſeipſos tanto bono fraudare, & ſpiritui ſancto obſiſtere velint. Vndè etiam retegitur & altera calumnia, quam Confeſsioni ſuæ, anno 1540. variatæ, Melanchthon aſſuit: Damnant, inquit, Phariſaicam opinionem, quæ fingit homines iuſtos eſſe propter vſum ſacramentorum ex opere operato, & quidem ſine bono motu vtétium. Certè ſi iuxta vim linguæ Hebrææ, Phariſæi dicantur qui diuidunt, & animos coniunctos, ſchiſmate ſeparant, nulli vnquam peſtilentiores Phariſæi inueniuntur Philippo Melanchtone & Luthero, qui fratres vnanimes, fortiſsimoſque anteà Germanos in tot diſsidia vocarunt. Sed ipſis calumniæ relinquantur, rem, quam hic reprehendunt, expendamus. Si Euangelicis ſit impium & Phariſaicum, ſacramenta aliquãdo ſine bono motu vtentis iuſtificare, cur igitur infantes ſunt baptizandi, qui per ætatem nec ſciunt, nec intelligunt, quid in baptiſmo geratur? Quare cùm illud tanto faſtu reprehendant, viderint quàm propè ſe Phariſæis Africanis, hoc eſt, Donatiſtis coniungant. Viderint etiam quantum cùm ſuo, tùm ſuorum Principum honori conſulant, qui toties in Imperialibus comitijs Anabaptiſtas condemnarunt. Ceterùm ſi hic Catholicos arguere velint, quaſi generatim de omnibus ſacramentis affirmét, quod ſine bono motu vtentis ex opere operato iuſtificent, faciunt certè quod ſolent, mentiuntur & calumniantur ſplendidè. Nunquam docuit, nunquam hunc errorem Eccleſia Catholica probauit. Quod vt fiat manifeſtum, loquũtur Patres Concilij Tridentini, Seſ. 14. cap. 4. de pœnitentia: Fuit, inquiunt, quouis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius: & in homine poſt baptiſmum lapſo, ita demùm præparat ad remiſsionem peccatorum, ſi cũ fiducia diuinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua, coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramẽtum requirũtur. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint ſacramentum pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, neque ſenſit. Hęc illi. Se igitur Euangelici Infernales, qui Satanicis artibus Principis tenebrarum regnũ tantoperè locupletare ſtudent, de calumnia aliquando purgent.

Ioan. 1.

Ioannis à Dauentria Articuli decimitertij refutatio.

HIc Articulus nihil complectitur incommodi, ideoque vt ſyncerus à Catholicis agnoſcitur. Quia verò de ſacramentorũ numero nil reuocant, exſtetq; Illuſtriſsimi Regis Anglorum Henrici, huius nominis octaui, de ſeptem ſacramentis tractatus eruditus iuxta ac Catholicus, conſultò hic ſuperſedemus, ne nimia Lectores onerentur prolixitate. Porrò nos ingens tenet admiratio, quos hic damnent erroneæ doctrinæ. Nam neque veterum quis hæreticorum adeò deſipuit, vt diceret per ſacramenta ſine fide quempiam, modò is ratione polleret & ingenio, iuſtificari. Incidentes verò in Apologiam iſtam ſpurcitiarum ſentinam, inuenimus quòd hæc in Catholicos doctores iaculẽtur, vtpote qui docuerint, quòd ſacramenta ex opere operato ſine fide iuſtificent. Sic verò tradunt in Apologia.

Henricus Rex Anglorum.

Hic (inquiunt) *damnamus totum populum Scholaſticorum Doctorum, qui docent, quòd ſacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato, ſine bono motu vtentis. Hæc ſimpliciter Iudaica opinio eſt, ſentire quòd per cæremoniam iuſtificemur, ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide. Et tamen hæc impia & pernicioſa opinio, magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio.*

Iſta eſt aperta in Catholicam Eccleſiam, & in omnes ſacros Doctores blaſphemia. Apertum eſt mendacium, quod nulla indigeret reſponſione, niſi quod nolumus iſtos rabulas in ſinu gaudere, qui ſolis mendacijs luctaturi

Argumentum mendacij.

nobiſcū in arenā deſcenderunt. Omnis itaq; Scholaſticorū doctorū populꝰ ſemꝑ docuit, & nūc docet, ꝙ nullū ſacramentū gratiā vllis hominū, modò ſit rationis cōpos, cōferat: niſi q percipit, pœniteat ſe peccaſſe, niſi melioribus ſtudijs, veterē vitā ſe correcturū ſecum ſtatuat, & ꝑ Sacramētorū ſuſceptionē gratiā apud Dūm ꝗrat. Quis nō videat hic hæc fieri non poſſe ſine fide? Neminē peccati pœnitet, nemo vitā corrigit, nemo gratiā quęrit, niſi q credit: nā fides pœnitētię, correctionis, & orationis radix eſt, & ideò iſta nō poſſūt niſi ex fide naſci. Hęc eſt totiꝰ populi Scholaſticorū doctorū vna ſentētia. Quomodo ergo docerēt ô maleuoli, Sacramēta dare gratiam, ſine bono motu vtētis nō ponēti obicē, qui docēt neminē ſine fide Deo placere poſſe, q docēt fidē in omniū receptione ſacramētorū neceſſariā eſſe qua ſine, q ſacramētū accipit, iudiciū nō gratiā accipit. Firma eſt. n. Chriſti ſentētia Qui nō crediderit, cōdēnabitur, ſed hic breuiter ſolos excipimus paruulos, qui in fide Eccleſiæ baptizātur, qua & ſaluātur, ſi cōtingat eos à tenerioribus vnguiculis hac vita defungi. Hęc eſt inꝗ Catholicorū celeberrima ſentētia, quā iſti hoc patiētiſſimo voluerunt mēdacio obſuſcare, ne viderētur illi rectè ſēſiſſe de ſacramētis. Cōfidūtur peſtilētiſſimi iſti homines, vt ſemel tādē poſſimꝰ cū bonis viris ab eis ſeductis, ſœdera pacis cōponere.

Fides in omni bono opere neceſſaria.
Marc. vlt.
Baptiſmus paruulorum.

Ioānis Cochlæi articuli decimitertij diſcuſſio

HAbet hic Articulꝰ quędā in Cōfeſſione, ꝗdā etiā in Apologia puncta, ꝗ nouitate ſua errorē ſapiūt, proinde facilè tranſiri aut diſſimulari nō debēt. Etenim in Cōfeſſione Sacramēta inſtituta eſſe, vt ſint ſigna & teſtimonia volūtatis Dei erga nos. Hæc nouitas duos occultè continet nouæ huius doctrinæ errores: Vnū ſanè ꝙ Sacramenta nouæ legis tantū ſint ſigna, quæ ſignificent quidē ſed nō cōferāt gratiā ijs qui nō ponūt obicē. Hic autē error iā pridē à Leone Papa decimo dānatus eſt, & à multis ꝑ ſcripturas lucidè reꝓbatus: Alterū verò, ꝙ oēs, qui ſacramētis vtūtur per hoc Deo placeāt, quia ſint ſigna volūtatis Dei erga nos. Hūc errorē tetigimꝰ ſuprà, abſurdū Lutheri dogma, de ijs q cōmunicāt triſtes, cōfuſas, & erroneas habētes cōſcientias, recitādo. Reꝓbatur autē error iſte manifeſtè à Paulo, vbi ait: Qui autē mādu cat & bibit indignè iudiciū ſibi māducat & bibit. Dānāt ꝓterea illos in Cōfeſſione, q docēt, ꝙ Sacramēta ex opere operato iuſtificēt. Et in Apologia idipſum ſub alijs verbis repetitur, in hunc modū: Hic dānamus totū populū Scholaſticorū, qui docēt ꝙ ſacramēta nō ponēti obicē cōferant gratiā ex opere operato, ſine bono motu vtētis. Nos quidē nō ita loquimur vniuerſaliter. Verūtamē de baptiſmo paruulorū ita ſentimus, ꝙ certiſſimè ꝑ baptiſmū accipiāt gratiā, & remiſſionē peccatorū ex opere operato (hoc eſt ex inſtitutione Chriſti, q opus baptizādi mādauit, & inſtituit) etiāſi ꝑ ſe neq; credūt, neq; bonū motū cordis per ſe habēt, ſed reſiſtūt quantū poſſunt, neſcientes quid faciāt, aut quid circa eos fit. Et hæc non noua, ſed vetuſtiſſima eſt omniū Catholicorū ſententia, maxime Auguſtini, vt dictū eſt ſupra, quā & Lutherꝰ amplexari coactꝰ eſt, quādo ſcripſit cōtra Anabaptiſtas. Sufficit. n. eis fides Eccleſiæ, cū ꝓpriā fidē ꝑ ætatē nondū habeāt. Sic & Miſſam rectè celebratam ex opere operato ſemꝑ bonā dicimus, etiāſi nō ſit bonꝰ ſacerdos, qui Miſſam celebrat. Ratio eſt iſta: quia Miſſæ celebratio eſt ex inſtitutione Chriſti, q ſemꝑ bona eſt in ſe, licet malus ſit aliquādo, qui ea vtitur. Nō enim ſuis, ſed Chriſti verbis cōſecrat ſacerdos. Quicūq; igitur negat, vel paruulorū baptiſmū, vel Miſſā qualiſcūq; ſacerdotis ritè celebratā, ex opere operato valere, is blaſphemus eſt in verba, opera, & Sacramenta Chriſti, meritò maledicēdꝰ, quia cōfidit in homine, & ponit carnē brachiū ſuū, falsò exiſtimās, ꝙ virtꝰ & gratia Sacramentorū magis depēdeat ex bonitate operātis, ꝗ ex opere operato, ꝙ inſtitutū eſt à Deo. Certū eſt igitur, hos Nouatores nō Dei, ſed Satanæ inſtinctu ſic deteſtari ac reprobare ſanā Catholicorū doctrinā de opere operato. Quod nihil aliud eſt, quàm opus & inſtitutio Chriſti. De quo ait Euangeliſta: Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto.

Rectè intelligentia de opere operato.
1. Cor. 11.
Duo errores de Sacramentis.
Supra Articulo ſecundo.
Hiere. 17.
Ioan. 1.

Lōgè igitur melius, ſecuriuſq; & certius eſt ſequi antiꝗ Catholicæ Eccleſiæ ſentētiam, & circa numerū, & circa vſū ſeptē Sacramētorū ꝗ inſtabiles & ꝓfanas nouitates huiꝰ Apologiæ, & omniū huius tēporis ſectarū. Quarum Moabitica ſuperbia vbiq; in ſcripturis dānata legitur, eò ꝙ inflati vana ſciētię exiſtimatione, dimittūt antiꝗ legē matris Eccleſiæ, & nouas ſibi ſodiūt ciſternas, quę aquā verę ſapiētię non habēt. De qua ſcriptū eſt: Cibauit illū Dn̄s pane vitæ & intellectꝰ & aqua ſapiētię ſalutaris potauit eū. Itē in Euāgelio ait ipſe Dn̄s: Qui credit in me, flumina de vētre eiꝰ fluent aquę viuæ. Et ad mulierē Samaritanā: Omnis (inqt) q biberit ex hac aqua, ſitiet iterū: q autē biberit ex aqua, ꝗ ego dabo ei, non ſitiet in ęternum, ſed aqua, ꝗ ego dabo ei, fiet in eo fons aquę ſaliētis in vitā ęternā. Hic aūt fons, & hæc aqua viua, extra Eccleſiā in ſchiſmate nullo reperiri poteſt. Fruſtra igitur ſuperbiūt Schiſmatici, quicūq; de ſcripturarū ſciētia, aut de linguarū peritia, qa abutuntur his Dei donis in ꝑniciē & ſuā & multorum, quos ſecū trahūt. Id ꝙ Apoſtolus ad Corinthios clariſſimè teſtatur dicēs: Si linguis hominū loquar & angelorū, & ſi habuerim ꝓpheticā, & nouerim myſteria omnia & omnē ſciētiā, & ſi habuero omnē fidē, ita vt montes tranſ-

Aqua ſapientiæ non eſt hæreticorum.
Eſaiæ 16.
Hiere. 48.
Hiere. 2.
Eccl. 15.
Ioan. 7.
Ibidem. 4.
1 Cor. 13.

tráſſerã, charitaté autẽ nó habuero, nihil sũ.

Ioannis Hoffmeiſters ſuper Articulo decimotertio iudicium.

DE Sacramentorum virtute & efficacia in ſuperioribus, Articulo videlicet quinto, ſententiam noſtram, quam nó dubitamus vniuerſalis eſſe Eccleſiæ, expoſuimus, vt non fuerat neceſſè rem rurſus tractare. Verùm quoniam Aduerſarius noſter ita vult, agè, in illius gratiam vadam & adhuc vnum atque alterum miliare cum ipſo. Et hunc igitur probamus Articulum, quo ad priora eius membra: modo intelligi velint hæc omnia de adultis, qui poſſunt corde credere ad iuſtitiam, ore autem confiteri ad ſalutem. Verè enim teſtantur nobis Sacramenta de Dei voluntate, & excitant, multoq; magis confirmant fidem noſtram. Et quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & accedentem credere oportet, rectè requiritur fides ſuſcipientis: non quidem ad veritatem Sacramenti, id quod & ſupra admonuimus, ſed ad fructum ſuſcipientis. Sacraméta enim Eccleſiæ vera ſunt, certa ſunt, vbicunq; ſunt: ſed eis, qui ponunt obicem (ſiue hanc incredulitatem, ſiue propoſitum peccandi voces, nihil moramur) non ſunt frugiſera, ſed maximè noxia, non ex infirmitate Sacramenti, ſed ex malitia & impietate, vti iam diximus, ſuſcipientis. Nota ſunt, quæ ſcripſit olim Proſper Epiſcopus Reglenſis, & indubitata ſunt.

Heb. 11.

Auguſtinus epiſt. 23.

Magnum præſidium eſt ſacro libamine paſci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat ſibimet peccati pondera, quiſquis,
Quæ bona ſunt, ſumit, quæ mala non refugit.

Quod paruulos attinet, iam ſupra reſponſum eſt: ab his qui fidem requirat, è pumice aquam poſtulat, & quare non pari ratione ab eiſdem Confeſſionem fidei requirunt? Cauẽdum autem hic, ne Pædobaptiſtarum furori ac impoſturæ, ianua aperiatur. De cantatiſſimum eſt, qua ratione Eccleſia vſu communicandi infantes aboleuerit, qui tamen apud ſuperioris ſeculi Patres fuit celeberrimus. Proinde appendix huius Articuli non omninò prudenter in Scholaſticos inuehitur. Meo certè iudicio, vidétur Aduerſarij idem ſentire cum noſtris eruditioribus Scholaſticis, vtcunque de verbis digladientur. Certè nemo noſtrorum dicit fidem efficere corp' Domini, lauacrum regenerationis: neque enim alligauit Chriſtus veritatem ſacramentorum ſuorum fidei noſtræ, ſed verbis ſuis: hoc quod etiam Lutherus multis in locis teſtatur: Incredulitas enim noſtra, fidem Dei euacuare non poteſt. Et veritas Sacramentorum non poteſt niti fide noſtra, quam, iuxta hunc Articulũ, illa in nobis & excitare & cõfirmare debẽt. Nihil igitur aliud eſt op' operatũ, niſi veritas verborũ Chriſti, & huius infallibilis promiſſio, adeoq; eiuſdẽ nunquam violanda ordinatio. Cogor hic verboſus eſſe, velim, nolim. Iã de numero Sacramentorum (nam & huius meminit Apologia) quid dicemus? Et placet, & diſplicet Aduerſarijs Eccleſiæ ſeptenarius numerus, Sic enim illis diſplicet, vt iam duo tantùm velint habere Sacramenta, nimirum Cœnam Domini & Baptiſmum: totidem enim communis Lutheranorum ſchola numerat, nec plura. Iã addit Cõfeſſio etiam tertium, Abſolutionem videlicet, quã in gratiam Aduerſariorum ſcilicet, noluit, iuxta Eccleſiæ cõſuetudinem, nominare Pœnitentiã. Ergo tria ſunt. Quod ſi ex Zvvinglij dogmatibus addideris Manuũ impoſitionem (& huic non arridet Eccleſiæ ſolitum nomẽ Ordo) habebis quartũ. Vides cõcordiam. Butzerus ſic ſcripſit in præfatione epiſtolarum Zvvinglij: De noſtris Eccleſijs ne patiare tibi perſuadere, in eis de Sacramẽtis aliter doceri, quàm ipſæ tradunt ſcripturæ, docent S. Patres, & ab initio Chriſti Eccleſia credidit. Eandem cantilenam, ſed verè, canit Eccleſia. Iam ſic placet Aduerſarijs numerus Sacramentorum ſeptenarius, vt huic longè plura addãt. Apologia confirmationẽ, & extremã vnctionẽ vocat ritus à Patrib' acceptos, & ad ſalutem nó neceſſarios. Sacramẽtũ Ordinis ſi intelligatur de miniſterio verbi, Apologia non grauatim vocabit Ordinẽ ſacramentum. Matrimonium ſic dignatur ſacramenti nomine, vt tamẽ ab alijs prioribus diſcernat. Habes iam quid Aduerſarij ſentiant de Eccleſiæ ſacramentis. His addit Apologia, Magiſtratum poſſe vocari Sacramentum, orationem, eleemoſynas, afflictiones: etiam alios ſtatus & officia, quæ habent mandatum Dei, & quibus additæ ſunt promiſſiones. In Locis poſterioribus ait Philippus, nõ opus eſſe rixari de Sacramentorum numero, cum tamen ipſi adhuc non ceſſent rixari, homines ſcilicet pacis cupidiſſimi. Ego neq; de Sacramentorũ virtute, neq; de ipſorũ numero, hic cum aliquo rixabor. Exſtant hac de re doctiſſimorum virorũ lucubrationes, quibus profectò vix quicquã addere poſſis, quod nõ ſuperfluum videbitur. Qui illis nõ mouetur, nec meã inſantiam audiet. In hoc mihi videtur plus ſudãdum, vt Epiſcopi noſtri Sacramenta Eccleſiæ fideliter adminiſtrent, horum virtutem, & verum vſum diligenter doceant, & ſua ipſorum negligẽtia, ne dicam impietate, res illas diuinas non faciant exoſas. Tolle auaritiã, quæ plus hac in re Eccleſiæ incommodat, quàm ſuperſtitio: tolle Prelatorum negligentiam, & Curtiſanorum impoſturam, & videbim' in Eccleſia noſtra, Sacramenta in ſummo loco poſita. At cũ Epiſcopi quidam ignorent, quid Sacramenti vox ſignificet, quum ipſos pudeat Sacraméta

Cœna Domini. Baptiſmus. Abſolutio. Ordo.

per

per ſemetipſos conſerre, quum omnia apud ipſos ſint venalia, cum Eccleſiam defraudẽt quidam ſuis ſacramentalibus, quæ vocant, quæ poteſt eſſe Sacramentis, apud ſimpliciores reuerentia? Iam quod ad Parochos, & Eccleſiaſtas attinet, vix centeſimus quiſq; de Sacramentis vllam facit mentionem in ſuis ad plebem concionibus, hic ex ignorantia, ille ex negligentia. De luxu, qui in adminiſtratione Sacramentorum fit, nihil diximus. Hæc repurgentur, . & non erit vllus locus de Sacramentorum vel dignitate, vel numero, cõquerendi. Et hactenus quidem de Sacramentis iterùm, quantum Dominus, cuius illa ſunt, pro ſua in nos benignitate benigniſſimè dedit.

Alphonſi Virueſij Philippica XII. De vi & numero Sacramentorum.

DE Sacramentorum numero virtute & vſu, quędam ſunt ex ſacris literis deprõpta, & totius eccleſiæ conſuetudine recepta: quædam verò priuata quorundam opinione vulgata, quæ omnia Philippus miſcet, vt illorum, qui citra ſcripturæ teſtimonium liberè ſunt opinati, lapſus in vniuerſorum inuidiam conuertat. Et primum quaſi nihil re- Philippus. ferat, quid quo nomine appelletur, nunc ijs, quæ verè ſunt ſacramenti, nomen adimit: nunc rebus, quæ non ſunt, liberè permittit: Nos, inquit, ſentimus, præſtandum eſſe, ne negligantur res & cæremoniæ in ſcripturis inſtitutæ, quotcunque ſunt; nec multum reſerre putamus, etiam ſi docendi cauſa, alij numerant aliter, & cæt. Et inferius quinto paragrapho: Si Matrimonium propterea habebit appellationem ſacramenti, quia habet mandatum Dei, etiam alij ſtatus ſeu officia, quæ habent mandatum Dei, poterunt vocari ſacramenta, & addit exemplum magiſtratus, orationem & eleemoſynam. Hoc modo de ſacramenti nomine philoſophatur, cui nos reſpondemus, vtendum eſſe nominibus ab Eccleſia receptis, ne prophanas vocum nouitates induxiſſe videamur, in quibus nouis vocibus non parua, iuxta Paulum apoſtolũ, fidei peſtis latet. Porrò quod ad nominis ra- 1.Tim. 6. tionem attinet, acceptionibus illis, quibus arcanum aliquid aut iuſiurandum Sacramẽti nomen ſignificat, prætermiſſis, non quicquid habet Dei mandatum & promiſſionẽ, eſt ſacramentum, neque quod ſine promiſſione traditur, etiam in ſacris literis, eſt hoc nomine appellandum, quia Sacramentum à Patribus deſcribitur ſacræ rei efficax ſignũ. Sacramentũ quid. Vnde qnatenus ſignum eſt, omnia illa excludit, quæ non ſunt à Chriſto inſtituta vt ſigna, ſed vt virtutes aut officia approbata, & cæleſtis præmij promiſſionib⁹ ornata. Quod genus ſunt eleamoſynæ, preces, ieiunia, & magiſtratuum functio legitima. Quatenus verò dicitur Efficax, excluduntur omnes cæremoniæ & ritus, qui non babent promiſſionem Chriſti, in qua vna ſita eſt omnis Sacramenti virtus & efficientia. Hæc apertiora ſunt theologis, quàm vt probationibus indigeant, & de nominis ratione loquenti ſatis eſt oſtendiſſe, quid apud probatos authores perpetuò ſignificet. Nec vos aliter Sacramenti nomen accipitis, cum in Confeſſione veſtra, Germani, dixeritis, Sacramenta non tantum eſſe notas Chriſtianæ profeſſionis inter homines, ſed magis ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem, & c. Supereſt, vt oſtendamus, quænam ſint illa, quibus hæc nominis deſcriptio conueniat. De Sacramẽtorũ diſtin. baptiſmo, pœnitentia, & Euchariſtia conuenit inter nos, de cæteris variat Philippus, diſtinguens illa à ſuperioribus: cui diſtinctioni & nos quadantenus aſſentimur, vel ob id, quod non ſunt æque neceſſaria ſingulis mẽbris, tametſi totius eccleſiæ corpus perficiatur eiſdem & prouehatur. Verum Philippus aliud etiam diſcrimen adiungit, dicens, quatuor reliqua ſacramenta non habere mãdatum Dei, nec promiſſionem. Quod ſi ita eſt, ſequitur, apoſtolos ſine Dei mandato baptizatos manuum impoſitione confirmaſſe. Nam in Actis miſſi ſunt ab apoſtolis Petrus & Ioannes, vt baptizatis in nomine Ieſu manus imponerent. Quid obſecro erat huiuſmodi manuum impoſitio, quam apoſtoli, ne prætermitteretur, tantopere ſatagebant? Nos Confirmationem (in gratia videlicet baptiſmali) appellamus, quia ſequitur ibidem: Tunc imponebant mauus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Et ba- Act. ptizatis Paulus manus imponebat, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Hæc acceptio non erat primæ gratiæ, qua iuſtificantur ad vitam, ſed acceptæ in baptiſmo augmentum & confirmatio. Alioqui ſufficiebat illis ad iuſtificationẽ fides & baptiſmi perceptio: quoniam qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Dicet fortaſſis Philippus: Confirmationis nomen ſe nihil morari, modo ſacramentorum numerus non augeatur, quia ſi ſacramenta, inquit, vocamus ritus, qui habẽt mandatum Dei, & quibus addita eſt promiſſio gratię, facilè eſt iudicare, quę ſint proprie ſacramenta. Nam ritus ab hominibus inſtituti, non erunt hoc modo proprie dicta ſacramenta: non eſt enim authoritatis humanę promittere gratiam. Quare ſigna ſine mãdato Dei inſtituta, non ſunt certa ſigna gratiæ, etiã ſi fortaſſe rudes docẽt, aut admonẽt aliquid. Ex his dictis colligit in hũc modũ: Verè Philippus. igitur ſunt ſacramenta Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio, quæ eſt ſacramentũ pœnitẽ-

tiæ,

riæ,&c. Hæc in ſecundo paragrapho,quibus adiungit in tertio, Confirmationem & Extremam vnctionem eſſe ritus acceptos à patribus, qui mandatum Dei non habent,& ſic ab eorum numero, quæ ſunt proprie ſacramenta, illos prorſus excludit. Ego verò ex verbis eius & ſcripturæ locis, quæ modò citaui,facillimè colligam,hæc duo eſſe vera Sacramenta æque proprie vt tria illa, quæ ipſe fatetur. Porrò collectio poteſt in hunc modum ordinari: Quicquid poteſt cõferre gratiam,vel ad cuius poſitionem regulariter cõfertur,habet promiſſionem diuinam :at manuũ impoſitio erat huiuſmodi, ergo habuit promiſſionem diuinam. Antecedentis priorem partẽ probat Philippica propoſitio, ſcilicet, non eſt poteſtatis humanæ promittere gratiam:poſteriorem verò continent apoſtolorum Acta. Collectio apertior eſt, quam vt queat dubitari. Nunc ex verbis etiam Philippi rurſus argumentor. Manuum impoſitio habet gratiæ promiſſionem, & non eſt de numero illorum, quæ probantur vt bona, ſed quæ traduntur vt ſigna. eſt ergo ſacramentum,per locum à diffinitione. Pari argumẽtatione efficitur,Extremam vnctionem eſſe ſacramentum,ſi loco verborum, quæ citauimus ex Actis apoſtolicis, (Iacob. 5.) Iacobi apoſtoli verba ſubſtituas: Infirmatur quis in vobis? (ait Iacobus) inducat presbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum,& alleuiabit eum Dominus,& ſi in peccatis fuerit,remittentur ei. Hic promiſſionẽ gratiæ nihil obſcuram habemus, non autem humanam, quia non eſt authoritatis humanæ,promittere gratiam: ergo diuinam. Niſi fortè dicas, Apoſtolum Chriſti Eccleſiã fefelliſſe, promiſſionem ei offerendo, quam non habebat à Chriſto, aut propria authoritate pollicendo, quod præſtare non poterat: quia gratiam & gloriam dabit dominus,non homo, etiam ſi ſit apoſtolus. Habet igitur vnctio promiſſionem Chriſti, quæ Vnctio cum non ſit de numero illorum, quæ probantur vt bona, ſed quæ traduntur vt ſigna, ſupereſt,illam eſſe ſacramentum. Ad hoc (Marc. 6.) profecto Sacramentum præluſiſſe videntur apoſtoli,quando,vt narrat Marcus, vngebãt oleo multos ægros,& ſanabantur. Non erant medici apoſtoli, vt vnctionib⁹ aut malagmis curarent, quos in nomine Ieſu Chriſti poterant ſolo verbo ſanare, quod & ſæpiſſimè fecerunt,ſed voluit Chriſtus huiuſmodi miraculis commendari hominibus vnctionem, quæ futura erat poſtea ſymbolum gratiæ, quemadmodum Helizæi quondam miraculoſa tinctio in Iordane, & Ioannis in eodem (Matth. 3.) flumine baptizatio futurũ Chriſti baptiſma cœpit hominibus commendare: & linguarũ cognitio, quæ per manus impoſitionem dabatur fidelibus, Confirmationis dignitatem commendabat, ſimul & officij ſui admonebat Confirmatos. Nam hoc faciebat interiùs, fidem ſcilicet & gratiam roborare, vnde & Confirmatio dicta eſt, ad quod linguarum vſus & cognitio, quandiu durauit in Eccleſia,ſeruiebat. Quanuis autem ceſſauerint Vnctionis,Confirmationis,& omnium denique promiſſionum externa miracula, nunquam tamen deeſt interna eorundem operatio. Nam horum priùs dabatur ad tempus credendi difficultati,quæ maxima tunc temporis erat. Linguæ in ſignum non ſunt fideli- (1. Tim. 14.) bus, ſed infidelibus. Poſterius verò perpetuò donatur fidei integritati,per quam Chriſtus nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſeculi: quæ fides cum iam ad iuſtum robur & integras vires, ad veritatem adſtruendam & deſtruendos errores peruenerit,non ſunt illi opus tam crebra miracula. Habemus itaque quinque ſacramenta proprie dicta. Tria confeſſus eſt Philippus (nam veſtra Confeſſio neſcio quomodo numerum prætermiſerit,cum partes Pœnitentiæ tã disertè connumerauerit)duo nos ex eiuſdẽ Philippi verbis collegimus, & ad præſcriptum eius p ſacras literas demonſtrauimus. Nunc ſacramẽtum Ordinis ad ſuperiores regulas expẽdamus. Quanquam & hoc non grauatur Philippus appellare Sacramentum, modo inter illius functiones non adnumeretur oblatio: quia nullum vult in nouo teſtamento eſſe ſacrificium, quod aſſiduè per ſacerdotes offeratur, cuius rei diſputationem nos in poſterum reſeruamus, locum proprium in ordine veſtræ Confeſſionis habituram. Cęterùm quotquot & quales habeat Sacerdotium ſunctiones,conſtat tamen eſſe ſacramẽtum proprie dictum,quia habet promiſſiones. Chriſtus Euchariſtiæ ſacramentum & Sacerdotium ſimul inſtituit. Euchariſtiam his verbis: Hoc eſt corpus meum,Hic eſt ſanguis meus. Sacerdotium verò, hoc eſt, poteſtatem perpetuò faciendi,quod ille tunc inchoabat, ſequentibus: Hoc facite, quotieſcunque fece- (1. Cor. 11.) ritis, in meam commemorationem: quibus verbis conſecrationem præcipit, & corpus ſuum & ſanguinem conſecrantibus pollicetur. Alioqui non poſſent facere idem, quòd ille fecit,& ita inane eſſet præceptum illud: Hoc facite,quotieſcunque feceritis,&c. Item apud Ioan. Chriſtus ſpiritum ſanctum diſcipulis dans,pollicitus eſt eis fore, vt quorum remitterent peccata, eſſent remiſſa, & quorum retinerent, retenta: quæ promiſſio non eſt apoſtolis morientibus exſtincta, ſed manet in eorum ſucceſſoribus,quia non põt magis Eccleſiæ deeſſe, quam remiſſio peccatorum. Ad hæc bene vtentibus hac duplici po-

teſtate, cuius promiſſiones cedunt in totius
eccleſiæ commodum, non deſunt etiam aliæ
promiſſiones ipſorum propriæ & peculiares:
1.Tim.3. quoniam qui benè miniſtrauerit (vt ait Pau-
lus) bonum gradum ſibi acquirit. Sed hoc de
Diaconibus, nam Presbyteris copioſius infrà
pollicetur. Haud eſt opus hic immorari,
quando & Philippus fatetur, Eccleſiam ha-
bere non ſolùm promiſſiones ad ordinem
pertinentes, verùm & mandatum de conſti-
tuendis miniſtris, quod epiſcopi munus eſt,
iuxta illud Pauli ad Timotheum, quem epi-
ſcopum Epheſiorum ordinauerat: Noli
negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt
tibi per prophetiam cum impoſitione ma-
nuum presbyterij. Et infrà: Manus, inquit,
cito nemini impoſueris, neque communica-
ueris peccatis alienis, quoniam epiſcopus te-
merè ſacris initians indignum, delictorum e-
ius omnium, quæ admiſerit in miniſterio, ſe
participem facit. Habet ergo Sacerdotium
ſuos ritus externos, quibus confertur: habet
ſuas promiſſiones vtriuſque gratiæ bonis, ma
lis verò ſaltẽ alterius, nempe eius, quæ in alio
rum vſus accipitur. Haud enim poſſent con-
ſecrare, vel peccata remittere, niſi ſpiritum
ſanctum vtcunq; haberent, quem dominus
ſimul tradidit cum poteſtate. Ex quibus col-
ligitur eſſe ſacramentum proprie dictum.

Iam Matrimonio quis audeat adimere no
men ſacramenti, quod illi tribuit Paulus? Ve
runtamen videamus, an ſit ſacræ rei ſignum
efficax. Si referatur ad myſterium Chriſti &
eccleſiæ, ſignum quidem eſt, non tamen effi-
cax rei, cuius imaginem gerit. Si verò ad po-
liticam conuentionem verba illa contrahen
tium referantur, longè abſunt à Sacramenti
ratione, tum quod non ſint ſacræ rei ſignum,
tum quod ſint de numero illorum, quæ et-
iam ſi non ſint ſigna, bona tamen ſunt, & di-
gna quæ euangelio probarentur, vtpotè mu
tuo conſenſu conciliantia, quæ ſunt natura
coniungibilia, virum ſcilicet & fœminam,
inter quos coniugium contrahitur. Eſt ta-
men aliquid in Matrimonio Chriſtiano, ad
quod naturæ leges non attingunt, nec Moſai
ca lex vnquam præſcripſit, & hoc eſt, propter
quod Matrimonium ſacramenti rationẽ po-
teſt habere, quia ſola CHRISTI inſtitu-
tione verba contrahentium illud ſignificant
& efficiunt. Quid, inquies, hoc eſt? Tam ſa-
crum fœdus & arcta coniunctio, vt neutri
coniugum liberum ſit, vtroque viuente, al-
terum deſerere, aut noui coniugij acceſſio-
ne priorem coniugem vel minima ſui iuris
(quod par eſt vtrique) portione fraudare,
hoc eſt, quod nulla lex, quandiu Matrimo-
nium non fuit ſacramentum, vnquam præ-
ſcripſit: quandoquidem Patribus ante legem
Moſaicam licuit plura matrimonia contra-
here, natura non refragante, quo minus v-
nus vir habere plures fœminas, tametſi nun-
quam tulerit, vnam fœminam ſimul habere
legitimè plures viros. Hoc, inquam, eſt quod
ſola Chriſti Ieſu inſtitutione ſignificãt & ef-
ficiunt, quod nunquam antea effecerunt. Sa-
crum ſcilicet illud & prorſus inuiolabile fœ-
dus, quod ita verbis contrahentium ſignifi-
catur & fit, vt etiam myſticè ſublimiora ſa-
cramenta ſignificet, nempe vnionem verbi
ad naturam humanã, qua vnus Chriſtus De-
us & homo in duab⁹ ſubſiſtit naturis, & eiuſ-
dem Chriſti ad Eccleſiam, qua vnione ex ca-
pite & membris vnum corpus myſticè con-
ſtat. id quod Paulus ad Epheſios ſublimi ſua
philoſophia eſt proſecut⁹. Quæ cum ita ſint, Ephes.5.
conſtat Matrimonium multis nominibus eſ-
ſe ſacramentum. Supereſt tamen, vt oſtenda-
mus, illud ſuas habere promiſſiones, quas cir
ca fœcunditatem carnis Philippus nõ negat,
ſed eis nihil efficitur, niſi etiam promiſſiones
gratiæ oſtendamus. Paulus apoſtolus: Salua- 1.Tim.2.
bitur, inquit, mulier per filiorum generatio-
nem, ſi permanſerint in fide, & dilectione, &
ſanctificatione. Hic rogo, an huiuſmodi pro-
miſſiones habuerit vnquam naturale coniu-
gium, quale fuerat à primis coniugibus vſq;
ad Chriſtum? Nam quàm magnifica ſit iſta
promiſſio, non opus eſt uobis exponere ad-
uerſus Philippum, qui ea ſola Matrimonium
non modò cælibatui, verùm & monaſticæ
profeſſioni glorioſiſſimis verbis anteponit:
hæc verò promiſſio, cum ſit ſalutis, qui pote-
rit efficax eſſe ſine gratia? Adde, quod Apo-
ſtolus matrimonium ſanctificationem appel
lat, quod nunquam illi potuit contingere, ni
ſi Chriſti munere. Repetita igitur Philippi
ſententia illa, non eſt authoritatis humanæ
promittere gratiam, facilè colligitur ex his,
quæ citauimus, Matrimonium eſſe ſacramẽ-
tum, atque adeo nõ iniuria Catholicos theo-
logos exegiſſe, vt Confeſſio veſtra ſeptem ſa-
cramenta numeraret, cuius adnumerationis
prætermiſſio iure fuit illis ſuſpecta in Con-
feſſione, quæ tam ſcrupuloſe partes Pœniten
tiæ, quæ præteriri potuerant, connumerauit.

Supereſt nunc, vt de ſacramentorum vſu Sacramẽtorũ
& efficacia diſſeramus, quo in loco damna- vſu & effica. Philipp.
mus, inquit Philippus, totum populũ Scho-
laſticorum doctorum, qui docent, quòd ſa-
cramenta non ponenti obicem cõferant gra
tiam ex opere operato ſine bono motu vten-
tis. Miraberis certè, vt exiſtimo, lector, tam
arrogantem Philippi cenſuram, ijs verbis au
ſpicatam, quibus vix Eccleſia tota in dam-
nandis apertis & conuictis hæreſibus ſolet v-
ti, ſed audi nũc modeſtiora: Hæc, inquit, ſim-
pliciter Iudaica opinio eſt, ſentire ꝙ per ce-
remo-

remoniam iuſtificemur. Hæc Philippus & his ſimilia de vniuerſo theologorum ordine: imo de totius eccleſiæ ſententia, vt poſtea demõſtrabimus. Ego verò non dicam, quales ſint eius opiniones, aut quale ſit, extra Eccleſiam damnare, quod à quibuſdam theologis ſuis gymnaſticis verbis dictum, & ab ipſa Eccleſia catholicè receptum, ab ijs qui damnare ſunt auſi, minime intelligitur. Verùm hoc leue eſſet, damnare Scholaſticos omnes aperte, tacite verò reliquos, ſi quenquã reliquiſſent, quem non expreſsè damnarent. Nam additur in Apologia: Et tamen hæc impia & pernicioſa opinio, magna authoritate docetur in toto regno Pontificio. Pontificia poteſtas totam complectitur eccleſiam, in qua nihil liberũ à Iudaica ſuperſtitione vult eſſe Philippus. Vt ſe tamen habeat religionis & fidei cauſa, quid obſecro nunc opus erat, theologos & vniuerſos Eccleſiæ ordines vſque ad ipſum ſummum Pontificem, tragicis & contumelioſis verbis laceſſere? Si theologi pro veritatibus ſomnia quædam aut commenta, ſi Chriſtiani pro pietate ſuperſtitionem, ſi pontifex pro miniſterio regnum inuexit, argumentorum robore & in primis verbi diuini gladio erant feriendi, concutiendi & euertendi, non conuicijs irritandi.

Conuicia. Nunquam enim ſuam virtutem & energiam vtentium modeſtia abſtulit verbo Dei, neq; contulit inſolentia. Quanquam quid alienius potuit hic adduci, quam regnum Pontificis, cui nihil lucri aut cuiuſuis alterius temporalis commodi accedit ex opinione, quam Philippus vult inſectari? Neque pontificis intereſt, etiamſi pro regno tyrannidem velit obtrudere, Sacramenta conferre, aut non cõferre gratiam ex opere operato. Sed ſuis cõuicijs Philippo relictis, nos inſtitutum proſequamur.

Eſt quorundam theologorum opinio, quòd Sacramenta ex opere operato, vt dicunt, ſine aliquo animi motu in ſuſcipiente, conferant gratiam non ponenti obicem ipſi gratiæ. Quid habet incommodi hæc opinio? Primo in ijs, quibus datur Sacramentum, ratione nondum vtentibus, vt Baptiſmus datur infantibus, veriſſima eſt opinio. Haud enim hic admiſceo quæſtiones de genere cauſalitatis, vt vocant, quam habet ſacramentum ad gratiam. Sit cauſa illa, quam gymnaſtici vocant, ſine qua non, quam, cum nihil efficiat, neceſsè eſt tamen regulariter effectũ præcedere. Cõfert ergo baptiſma infantulis gratiam abſque aliquo bono motu ſuſcipientis. Occurret Philippus, & dicet: tunc temporis ſacramenti virtutem inniti totius Eccleſiæ fidei generali, & ſpeciali ſuſcipientium, quos Patrinos appellamus, profeſſioni. Reſpondebit Scotus ita eſſe, addet etiam, quinimò & præferret Chriſti Ieſu promiſſionem & merita, nihilominus tamẽ obtinebit, [illegible] illum cõſequi gratiam ſine aliquo b[illegible] motu ſuſcipientis ex opere operato ſacra[illegible] hoc eſt, non propterea, quod ſuſcipie[illegible] quam agat erga ſacramentum, ſed p[illegible] id, quod ſacramentum efficit in ſuſc[illegible]. Quod ſi omnia Sacramenta habeant ea[illegible] vim, idem poterunt omnia ſacra[illegible] num animi motum actualem in ſuſc[illegible], dum tamen habitualis non deſit ad[illegible] ei quicquam alioqui obſit. Nam Eccl[illegible]æ fides haud minus confert cæteris Sacramentis, atque Baptiſmo. Præterea hæc opinio eatenus eſt ab Eccleſia ſuſcepta, qua[illegible], cum docet, ſacramenta conferre gratia[illegible] opere operato, omne meritum ſuſcip[illegible] excludit ab efficientia ſacramenti. Ita[illegible] intelligit non vna theologorum ſecta, [illegible] niuerſus ordo, gratiam ſacramentalem, [illegible] prima ſit, qua renouamur & iuſtificam[illegible] ue alia, qua prouehimur atque perfici[illegible] non dari nobis propter noſtra merita, ſed propter pactum Dei, quod per Chriſtum pepigit cum Eccleſia, & in huiuſmodi fœdere atque pactione dicunt eſſe ſitam Sacramẽti vim ad iuſtificandum, non in meri[illegible] ſcipientis. Hoc perſpicuum eſt legenti [illegible]orum ſcripta. In hoc enim tam aperta ſunt, vt etiam à Philippo queant intelligi, modo legere non dedignetur. Quamobrem in[illegible]tio aut quiuis alius bonus animi motus, [illegible] dum neceſſarius eſt, ad ſuſcipientis potius diſpoſitionem pertinet aut qualitatem, quã ad ſacramenti virtutem & efficaciam. Hæc opinio tantùm abeſt, vt Philippo debeat improbari, quod nulla magis eſſet illi probanda & amplectenda. Nam quam ipſe vocat promiſſionem, eam Scholaſtici, receptis inter ſe nominibus rerum, de quibus diſſerunt, nec inepte neque impropriè vocant pactum ſeu pactionem. Habet enim omnis pactio promiſſionem, tametſi promiſſio poſſit eſſe ſine pactione: & in fœdere ſeu pactione aliquid ab vtraque parte præſtatur, ſeu in ſacramentis, quibus hac de cauſa aptius fortaſsè conuenit nomen pactionis, quàm promiſſionis. Atqui promiſſio, inquies, non apprehenditur ſine fide, & hanc illi ſecludunt, cũ dicunt, ſacramenta conferre gratiam abſq; bono motu animi. Quid ſi illi negent hanc hypotheſim, qua ſubinde vtitur Philippus, & dicant promiſſionis vim non ineſſe fidei audientis, ſed veritati pollicentis, quandoquidem multa promiſſa præſtantur etiam non credentibus? Quid? quod multoties promittitur vni, quod eſt alteri exhibendũ, vt ſi quis promittat patri inſanientis filij ſanitatem? Sed nõ negabunt theologi, quod illis negatu nõ eſt opus, quodque fermè ſemper verum eſt, & in

hiſce rebus, de quibus diſſerimus, ſemper veriſſimum. Attamen reſpondebunt, ſe fidem ſecludere à præcedenti merito gratiæ ſacramentalis, ſed non ab actu, aut certè non ab habitu. Nam quis vnquam adultus, modò ſui compos eſſet, Sacramentum ſine fide ſuſcepit? Quis baptizaretur, niſi crederet Deum redditurum, quod pollicitus eſt credentib⁹, & baptiſma ſuſcipiẽtibus? Quis confiteretur, & abſolutionem ſupplex imploraret à ſacerdote, niſi abſolutione crederet ſe à peccatis liberum euaſurum? Nam quod theologi fidẽ nnn ſecludant ab actu ſuſcipientis, cum dicũt ſi ſacramentum ex opere operato iuſtificare, vel ex hoc apparet, quod ſuſceptio ſacramenti in adulto & ratione vtẽte eſt, vt nihil aliud habeat virtutis, ſaltem actio humana, quando nemo niſi ſciens & volens ſuſcipit ſacramentum, quoniam requiritur intentio in ſuſcipiente. Quæ cum vera ſint, colligitur ex eis, omnem ſuſcipientem propter finem aliquem ſuſcipere. Porrò Sacramentorum finis cum ſit gratia & gloria, non concipitur niſi fide in Chriſtum, cuius promiſſione ſcimus, ad hoc eſſe huiuſcemodi ſymbola inſtituta, vt ſuſcepturis eſſent ſigna & cauſæ iuſtificationis & gratificationis, quam promiſſionem Scholaſtici, vt diximus, pactum ſeu pactionem appellant fœderis, quod gratuito Deus in Chriſto pepigit cum Eccleſia. Iam fidem à merito Philippus etiam excludit, non ſolùm in Sacramentis, verumetiam in cunctis, quibus fide intercedẽte iuſtificamur, aut quoquo modo meremur. Non enim dicit, nos fide iuſtificari, quia fides quicquam mereatur, alioqui non poſſet omne meritum noſtrum ſuſtuliſſe cum Luthero: ſed quia promiſſio ipſa, qua iuſtificamur, non poteſt eſſe efficax ſine fide, ita vt fidelitas potius ſit conditio ſuſcipientis ſeu diſpoſitio, quàm eius rei, quæ accipienda eſt, meritum aut hoſtimentum. Theologi verò quanuis humana merita alias non euertunt, in ſacramentorum tamen efficacia quadam, quæ eſt illis peculiaris & propria, nullum locum noſtris meritis relinquunt, quantum ad neceſſitatem: tametſi docent gratiam maiorem vel minorem in ipſis etiam Sacramentis contingere poſſe ſuſcipienti, quo maiore vel minore fide ac pietate acceſſerit ad Sacramenta. Nec video, qui poſſint Lutherus, Philippus & cæteri doctores veſtri, hoc negare noſtris, niſi dixerint, omnes qui Sacramenta ſuſcipiunt, parem gratiam in illis accipere. Quod vſqueadeo abſurdum eſt, vt hactenus, quod meminerim, nemo dicere ſit auſus, tametſi ex ijs, quæ de merito & iuſtificatione docet Philippus, apertiſſime colligatur. Nam ſi nihil tribuamus meritis ſuſcipientium Sacramenta, haud video, vnde poſſit illis contingere diſparitas gratiæ, quam ſuſcipiunt. Verum de hoc diſſeruimus abunde ſuperiùs. De Sacramentis vero communis eſt omnium fidelium ſententia, quam Auguſtinus in expoſitione Pſalm.33. ponit, ſacramenta nouæ legis gratiam conferre, quam veteris legis ſacramenta promiſerant. Huic doctrinæ quæ Catholica eſt, & omnium veterum conſenſu probata, recentiores innixi, variè ſunt philoſophati de Sacramentorum efficientia, alijs dicentibus Sacramenta ipſa cauſare gratiam, vt ipſi loquuntur: alijs, tantùm diſpoſitionem quandam in anima ſuſcepturis: alijs, quod ego verius exiſtimo, nihil prorſus Sacramentum efficere aſſerẽtibus, niſi quod eſt ſignum, eatenus efficax, quatenus nunquam illi deeſt effect⁹ diuinæ propitiationis: idque habet non ex ſe, ſed quia is, qui promiſit, fallere omninò non poteſt, nec committere, vt Sacramenti pignore, quod ipſe interpoſuit, exhibitio, quicquid pollicitus eſt, non præſtet. Quod ſi hæc diſplicent Philippo, viderit ipſe de ſuo iudicio, nobis ſatis eſt Eccleſiæ fidem & ſanctorum Patrum, quotquot præceſſerunt, doctrinam in ijs, quæ creditu neceſſaria ſunt, ſequi, etiam ſi in alijs non aſſequamur.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XIIII. De ordine Eccleſiaſtico.

DE ordine Eccleſiaſtico docent, quòd nemo debeat in Eccleſia publicè docere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XIIII De ordine Eccleſiaſtico.

DE ordine Eccleſiaſtico docent, quòd nemo debeat publicè in Eccleſia docere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus. Sicut & Paulus præcipit Tito, vt in ciuitatibus presbyteros conſtituat.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimum quartum reſponſio.

QVod autem Articulo quartodecimo confitentur, neminem debere in Eccleſia verbum Dei & Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus, intelligi debet,

cum

eum ritè vocatum, qui ſecundum formam Iuris, iuxta Eccleſiaſticas ſanctiones atque decreta, vbique in orbe Chriſtiano hactenus obſeruata, vocatur, non ſecundũ hæreticam vocationem, ſeu plebis tumultum, aut quamlibet aliam inordinatam intruſionem, nec vocatus ſicut Aaron. In hac itaque ſententia Confeſſio acceptatur. Admonendi tamẽ ſunt, vt in ea perſeuerent, vt neminem neque paſtorem neque concionatorem, niſi ritè vocatum, in ditionibus ſuis admittant. Heb. 5.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimum quartum animaduerſio.

O Vulpes doloſas, ne fraus mox deprehendatur, ne impietas nudata caſtigetur; ne diabolica hæc, & nequitia & audacia Principum authoritate ſtatim reprimeretur, ſimulant innocentiam, & in tradendis fidei dogmatibus, quod potiſſimum ſentiunt, occultant, quod minimè volunt, per hypocriſim oſtentant. Serpens columbam induit, vt & ſecurius lateat, & aculeum tandem acerbius figat. Scriptis & factis ipſa religionis fundamenta aliàs reuellũt, & interim religionem excitare hic videri volunt. Nulla parte magis laborant, quàm vt ſublato Ordine Eccleſiaſtico, rem Chriſtianam confundant, & peruertant. Nunc dicunt Eccleſiam CHRISTI ſacramentum Ordinis ignorare, nunc Ordinem ſacrum affirmant eſſe figmentum ab hominibus inuentum, nunc aſtruunt nullum eſſe in Chriſtianiſmo externum ſacrificium, & interim de Ordine Eccleſiaſtico occulta verborum fraude hoc loco ita loquuntur, vt ne vel tantillum à communi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu recedere videantur. Volunt vt nemo in Eccleſia publicè doceat, vel ſacramenta adminiſtret, niſi ritè vocatus. Id volunt & Catholici. Sed Lutheri grex aliter tamẽ quàm iſti, aliter quàm tota antiquitas, aliter quàm Apoſtoli & diſcipuli Chriſti. Legitimam & veram vocationem, qui noſtra ætate altare aduerſus altare, & cathedram aduerſus cathedram erexerũt, volunt eſſe, cum Principes, Magiſtratus, aut populus contra omnem Eccleſiæ conſuetudinem ſibi magiſtrum prurientem auribus, & puluillos ſub omni cubito cõſuentem deligit, aut paſtore iuxta præſcripta Eccleſiaſtica ordinato, è ſuo gradu deiecto, ſceleratum aliquem vel lenonem, vel apoſtatam ad miniſteria Eccleſiæ euocat. Digna certè vocatio talibus ſacrificis. Digna temeritas, quæ talibꝰ caſtigetur Magiſtris. Certè ſi ita ſatis ſit, homines poteſtatem miniſterij ſacerdotalis accipere, quid diſcriminis fuerit inter vocationem Pharaonicam & Lutheranam? An non & Ieſabel ſacerdotes Baal legitimè vocaſſe cẽſebitur? Sin iſta peccauit, quia erexit altare cõtra altare, quia ſacrificia inuſitata inſtituit, quia à cultu, qui in cathedra Moyſi docebatur, populũ retraxit, cur innocentes ſint Magiſtratus, qui ab ea cathedra populum ſeuocant, quæ in Cathedræ Moyſi locum ſucceſſit? cur credamus impunè laturos Principes, ſi nõ receptas à maioribus colendi Dei rationes ſequantur? ſi noua ſacra, nouos ritus, noua inſtituta in Chriſtianã Remp. introducãt? Aſt dicent: Nõ noua ſunt, quæ vel agimus, vel inſtituimus, duntaxàt quę iampridem in vſu fuerunt, renouamus. Producant igitur ſuos authores. Oſtendant ſuæ religionis primogenitores. Scriptis vel teſtimonijs teſtentur eam vocationem, quam quintum vſurpat Euangelium, aliquando fuiſſe in vſu. Diligentiſſimus fuit in perſcribendis primitiuæ Eccleſiæ conſuetudinibus ante mille trecentos annos Tertullianus. Si is in conſilium adhibeatur, nihil de Lutherana vocatione aliud docebit, quàm quod hæreticorum ſit, ex ſacerdotibus laicos facere, ſacerdotaliaq; munia laicis iniungere. Docent Lutherani, Epiſcopatum nihil differre à presbyterio, omneſque ſacerdotes Epiſcopis pares eſſe. Aſt ex Auguſtino diſcimus, huius hęreſis parentem eſſe Arium, qui dum Epiſcopatum adipiſci non poſſet, docere auſus eſt, Epiſcopatum à presbyterio nulla differentia ſecerni. An non igitur Lutherani Arianizant, qui eundem errorem hodiè reſuſcitant? Quid Arianizent tantùm? Nónne & illis multo ſunt deteriores, cum omnes, qui baptizati ſunt, ſeu viri ſint, ſeu mulieres, ſacerdotes creant & faciunt? Sed nos ſumus, inquiunt, genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta. Fatemur Petri ſententiam, agnoſcimus quod Chriſtianorum dignitas tanta ſit, Deo gratias agimus. 1. Pet. 2. Sed an inde concludendum eſt, Chriſtianos omnes eſſe Presbyteros? An ideò ordinem omnem Eccleſiaſticum confundemus? An ideò iuxta Apoſtolicam traditionem ordinatos ſuo gradu iure deijciemus? Videant Principes, quibus aures ad eiuſmodi nouitates pruriunt, ne per ſimile argumẽtandi genus multorum animos aduerſus ſe excitent. Nam ſi verè ex eo Petri loco concluditur, omnes Chriſtianos ita eſſe ſacerdotes, vt non ſit agnoſcendum in Eccleſia peculiare aliquod ſacerdotum genus, qui cæteris Chriſtianis & functione & dignitate pręſtet, cur non ex eodem loco æquè verè & efficaciter concludatur, nullos apud Chriſtianos eſſe Reges aut Principes cæteris ſuperiores? Si illa machina ſacerdotes ſuo gradu iure deijciunt, ſuiſque ſedibus propellunt, cur non eodẽ tormento & reges ſuis ſolijs deturbẽt,

ac in ordinem reuocent? Vtrumque enim eo loco Petrus coniungit, nec tantùm ſacerdotij, ſed etiam regni meminit. Eadem ferè verba dicta ſunt populo Iſraelitico, nec dubium eſt, quin Petrus ſuam ſententiam ex Moyſe hauſerit, an ideò plebeius quiſque ſacerdos aut rex factus eſt? Exod. 19. Hæc dices, inquit Moyſes, domui Iacob, & annunciabis filijs Iſrael: Eritis mihi peculium de cunctis populis (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Fueritne hoc ſingulis è plebe dictum, an verò omnibus in vniuerſum Iſraelitis? Si collectim vniuerſæ multitudini iſtud dictum velis, cur & non dictum Petri eodem modo interpretaberis? Si autem quiſquam adeò impudens inueniatur, qui vtrinque ſententias dicat non modo ad totam illam multitudinem ſibi cohærentem pertinere, ſed etiam ad ſingulos, expreſſiſſimum certè Dei verbum eum falſitatis & mendacij mox coarguet, acerbiſſima Dei iudicia mox eum reuincent. Conſtat enim duplex fuiſſe in veteri populo ſacerdotium, alterum interius, alterum externum. De priori loquens Dauid: Sacrificium, inquit, Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpiciet. De externo autem ſacrificio nemini ignotum eſſe poteſt, quàm multa Moyſi & Aaron præcepta tradiderit, quodque integram tribum Leuiticam huic functioni deputarit. Sed quia ſpiritales illas contriti cordis victimas omnes offerre poterant, an ideò nullus fuit externi ſacerdotij ordo, à quo cæteri remouerentur? An quia reſpectu interni ſacrificij omnes dici poterant ſacerdotes, ideò omnibus patuit ad externum ſacrificium aditus? Licuitne Principi aut Magiſtratui politico, ex ea ratione quemlibet è vulgo ad externum ſacrificium euocare? Qui hoc in veteri illo populo auſi fuerunt, an impunè vnquam tulerunt? 3. Reg. 12. Quod Hieroboam aliquando hoc tentauit, quod populum ab eo cultu, qui in cathedra Moyſi docebatur, abduxit, quod de plebeis & fece populi præter Dei ordinationem ſacerdotes conſtituit, an approbauit vnquam Dominus? An nō, qui poſtmodum apud Iſraelitas impij iſtius regis facta ſunt æmulati, ſeueritas diuina ſemper ſuis flagellis excepit? Si tanti fuerit, Deo cultum illum vmbratilem ſeruare integrum, ſi indigniſſimè tulit, quod ſacerdotes crearentur laici & populares Iudęorum, ſi indignatus eſt quod rex impius nouos cultus, nec antea receptos inſtituerit, populumque prohibuerit aſcendere Hieroſolymam, quinam qui viuit in ſecula ſeculorum, nec vnquam mutatur, eadem in eo cultu approbaret, qui poſt reuelatam lucem tenebras diſpulit? Quid verò aliud, quàm olim Hieroboam, hodiè faciunt Lutherani, dum populum ab Apoſtolica ſede auocant? dum Petri cathedram proculcant? dum Romanam Eccleſiam infamant? Author eſt tamen Cyprianus, quod vt ab Eccleſia Hieroſolymitana ſacerdotij Aaronici legitima ſucceſſio & agnitio repetebatur; ita etiam ab Eccleſia Romana ſacerdotij Chriſti vnitas proficiſcatur. Vt igitur in veteri lege, ita etiam in noua lege duplex ſacerdotium agnoſcendum eſt, intimum & externum.

Quod ad intimum Chriſtianorum ſacerdotium attinet, omnes ſanè fideles, poſtquam ſalutari aqua abluti ſint, ſacerdotes dicuntur, præcipuè verò iuſti, qui ſpiritum DEI habent, & diuinæ gratiæ beneficio Ieſu Chriſti, ſummi ſacerdotis viua membra effecti ſunt. Hi enim fide, quæ charitate inflammatur in altari mentis ſuæ ſpirituales Deo hoſtias immolant. Quo in genere bonæ omnes & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt. Quare in Apocalypſi ita legimus: Apoc. 1. Chriſtus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo, & patri ſuo. Externum verò ſacerdotium non omnium fidelium multitudini, ſed certis hominibus conuenit, qui legitima manuum impoſitione, ſolemnibusque ſanctæ Eccleſiæ cæremonijs inſtituti, & Deo conſecrati ad aliquod proprium ſacrumque miniſterium aſcribuntur. Quod quidem poſtremum ſacerdotij genus, author Confeſſionis variatæ anno 1540. vel agnoſcere videtur, vel ſacrilegè voluiſſe ſcripturam peruertere, certum eſt. Adijcit enim ad Confeſſionem Cæſari oblatam, vt iudicet, quos ſentiat ritè vocari, hanc clauſulam: Sicut & Paulus præcipit Tito, vt in ciuitatibus presbyteros conſtituat. Aſt in hoc Patres omnes conſentiunt, Paulum & Titum per impoſitionem manuum, iuxta ritum in Eccleſia conſeruatum, presbyteros ordinaſſe.

Quod ſi fateantur Lutherani, falſa igitur ſunt illa, quæ tanta ſuperbia aduerſus Chriſtianum ſacerdotium hactenus eructarunt, quodque omnium eſt miſerrimum, nullum ita apud eoſdem legitimum aut docendi Euangelij, aut porrigendi ſacramenta fuerit miniſterium. Quare neceſſum eſt, vt quicunque huic factioni ſunt aſſociati, fame & ſiti, cùm verbi Dei, tùm ſacramentorum exareſcant, aut pereant, & ad extremum cum factione Chore viui in infernum deſcendant. Præſertim tamen illi, qui non vocati tanquam Aaron, in ſummi ſacerdotij ignominiam, ſacerdotalis miniſterij honorem ſibi aſſumunt. Quanta autem ſit huius ſceleris magnitudo, non aliunde quis clarius intelligat, quàm ex magnitudine ſupplicij, quod hic inuſitata ratione diuinitus eſt irrogatū. Erat Chore Leuitici generis, erat inter ſuos

Prin-

Princeps, erant ducenti & quinquaginta viri, qui Chore ſe adiunxerunr clari, & proceres ſynagogæ, nec tamen vltrices Dei manus effugerunt. Et laici qui ordinem Eccleſiç hodiè peruertunt, vel omnes Chriſtianos perinde ſacerdotes eſſe volunt, pœnas condignas aliquando non ſuſtinebunt? Qui hodiè dicunt non Moyſi, vel Aaroni, ſed Chriſto, ſed Petro, ſed Petri ſucceſſori, ſed Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus. Sat, ſuperque ſit vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, an leuiores pœnas exſpectauerint, quàm qui viui in infernum deſcenderunt? Vtinam quò tam horribilem miſeriam declinent, tempeſtiuè pedem reuocent.

Ioannis à Dauentria Articuli decimiquarti refutatio.

HIc Articulus recipitur à Catholicis viris, & à ſe mutuatum agnoſcunt. Quare nihil haber incómodi, quod examinetur. Vtinam ſic omnes eſſent ac Eccleſia mutuati, ſanè non periclitaretur tot tumultibus religio Germanica, non eſſent in vno Germaniæ angulo tot ſchiſmata.

Ioannis Cochlæi Articuli decimiquarti diſcußio.

HIc Articulus in Confeſſione nihil incommodi habet, quantũ ad verba ſpectat, ſed quantum ad ſenſum verborũ, & ad publicam practicam attinet, magnum eſt inter nos & illos Chaos. Nos enim ritè vocatos eos dicimus, & intelligimus eos, qui ad ſacros Ordines à Catholico aliquo Epiſcopo admiſſi, & legitimè deputati, ſacto deputantur miniſterio, & eius authoritate ad publicum munus recipiuntur & inueſtiuntur. Illi verò ritè vocatos dicunt eos, qui à ſeculari domino & Magiſtratu deputantur, vel ad cócionandum plebi, vel ad officium paſtorale, ſiue legitimè ordinati & conſecrati ſint, ſiue non. Nam & laicos ad huiuſmodi munia recipiunt, qui nullos prorſus ſacri Ordinis gradus ab vllo Epiſcopo Catholico ſuſceperũt. Hoc nos maximè deteſtamur, quia contra ſcripturam, & contra leges & Canones faciunt, qui ſic præficiunt Eccleſijs infames Apoſtatas, vxoratos ſacerdotes, & indoctos laicos.

Qui ſint ritè vocati.

Nam Hieroboam rex Iſrael ob id maximè reprehenſibilis fuit, quod fecit fana in excelſis, & ſacerdotes de extremis populi, vt quicunque vellet, impleret manum ſuam, & fieret ſacerdos excelſorum. Longè igitur aliter quàm nos, ritè vocatos dicunt Proteſtantes. Eorum enim Principes & magiſtratus conſtituunt Sacerdotes, non vt Dauid & Salomon, ſed ſicut Michas & Hieroboam.

3 Reg. 12. & 13.

Iudic. 17. & 18.

Quamuis verò Philippus in Apologia dicat, ſuos ſumma voluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos etiam diuina authoritate, mox tamen inuidiosè per calumniam detorquet omnem culpam in Epiſcopos noſtros, quos ſæuitiæ accuſat, tanquam eos, qui noua & inaudita & nona crudelitate miſeros & innocentes eorum ſacerdotes occidant. Id quod probare nunquam poterit. Iniuſtè igitur imputat eis Eccleſiæ diſſipationem. Ipſis verò longè verius imputatur, qui Epiſcopos vi, nullo iure, Eccleſiaſtica iuriſdictione ſpoliant. Malè item ibidem perſtringit Reges & Principes Catholicos, tanquam eos, qui edictis, verbum Dei delere conentur, & rectè atque vera docentes trucidenr. Hæc profectò non magis vera ſunt, quàm illud, quod verã Eccleſiam parti ſuæ arrogat.

Calumnia in Epiſcopos & Reges.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimoquarto iudicium.

QVinam illi ſint, qui Ordinem Eccleſiaſticum turbauerint, adeoque ex integro perditum cupierint, notius eſt, quàm vt negari poſſit: nec deſunt hodiè, qui non ritè vocati, nec Canonicè ingreſſi, concionentur non CHRISTI, ſed ſuum Euangelium, textores, calcearij, imò lenones & carnifices. Vnde prodierunt Anabaptiſtę? Quis huic peſti occaſionem ſic tumultuandi dedit? Sed nolim hanc Camerinam mouere. Lutherus ex impura & ſceleſtiſſima quorundam Eccleſiaſticorum vita, ſumpſit occaſionem cõtemnendi Ordinem eccleſiaſticum: & ſatis feſtiuè ſcilicer triumphauit de raſis & vnctis illis miſeris. Ex contempto Ordine Eccleſiaſtico ſe ingeſſerunt alij, ad ſtiuam, quàm ad ſacerdotium aptiores. At quoniam recepi me examinaturum, quod iam proponitur, non quod ante hæc tempora ſcriptum eſſe conſtat ab Aduerſarijs, mitto iam hanc accuſationem. Malis ſacerdotibus, peiores ſucceſſerunt laici. Articulus porrò hic decimus quartus placet, nec quicquam habet incommodi: niſi quis in quæſtionem velit vertere, quidnam illud ſit, Ritè vocatum eſſe, & penes quos ſit ius vocandi apud Aduerſarios? Scimus Pauli mentem, de ordinatione & vocatione Epiſcoporum, ſcimus etiam veteris Eccleſiæ vſum: &, ita me Deus amet, ſummè neceſſarium eſt, vt in hoc negorio, nihil oſcitanter agatur. Da bonos paſtores, & habebis oues meliores. Peccatum eſt quidem hac in re plurimum ab Aduerſarijs: at nihilò minus peccatum eſt ab Epiſcopis noſtris, & hactenus grauiſſimè peccatur, dũ numerantur potiùs ordinandi, quàm examinantur: & quantum quis nummorum ha-

bet, tantum etiam habet fauoris apud quoſdam. Quæ hic premo, prudens Lector intelligit. Nolim enim hic referre, quales Epiſcopos, Decanos, Canonicos, Paſtores, & cæt. nobis ſubinde intrudat potiùs, quàm ordinat Romana Curia. Regum item & Principum aulæ, qui omnes (iuxta iocum cuiuſdam) familiam ſuam ſatiant (ſi modò tales beſtiæ ſatiari poſſent) muneribus ſacris. Iam quoniam Apologia teſtatur, Aduerſarios ſumma voluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos etiam humana authoritate, ipſosq; non ignorare, bono & vtili conſilio à Patribus Eccleſiaſticam diſciplinam hoc modo, vt veteres Canones deſcribunt, conſtitutam eſſe. Hæc inquam, cùm ita ſe habeât, hic receptui canere poſſumus. Pia Synodus diſpiciet, & vt arbitror, conſultè hic aget, ne vel ſæuitiæ Epiſcoporum, vel temeritati Aduerſariorum vllus locus pateat. Nos interim rogemus Dominus meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Currunt etenim multi, quos nemo miſit: & prædicant multi, quibus nō eſt loquutus Dominus. Sed de hac re nonnihil adijciemus in ſequentibus.

Alphonſi Virueſij Philippica XIII. De Eccleſiaſticis muneribus & functione.

ARticulus quartus decimus veſtræ Confeſſionis ita eſt à vobis poſitus, vt nihil in eo deſiderari poſſe videatur: ita per Philippum explicatus, vt nihil penè habeat cum Catholica veritate commune. Verba veſtra hęc ſunt: De Ordine Eccleſiaſtico docent (Eccleſiæ ſcilicet veſtræ) quòd nemo debeat in Eccleſia publicè docere, aut ſacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus. Quæſierunt Theologi, qui intererant conuentui Auguſtenſi, quænam eſſet vobis legitima vocatio, experti nimirum, quòd in multis artificio verborum ſimularetis cōuenire nobiſcum, in quibus maximè diſſidetis: nec veſtræ ſunt hæ & id genus aliæ technæ, ſed veſtrorum doctorum, qui veritatis luce in arctum compulſi, illam ſimulare potiùs ſuperbè volunt, quàm ingenuè confiteri, id quod non ſemel, aut nunc recens vſu venit dogmatiſtis. Reſpondet itaque veſtro omnium (vt ipſe vult) nomine Philippus, vos ſumma voluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos etiam humana authoritate, eſſe tamen cauſas quaſdam, quæ impediunt, quò minùs ſacerdotes veſtri agnoſcant Epiſcopos. Quænam obſecro ſunt huiuſmodi cauſæ? Quia Epiſcopi, inquit, ſacerdotes noſtros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confeſſi ſumus, abijcere ac damnare, aut noua & inaudita crudelitate miſeros innocentes occidunt. Siccine nulli Epiſcoporum potuit hactenus doctrina veſtra probari? Et non pudet vos fateri doctrinam ſequutos, quam Epiſcoporum nemo, cùm tamen multi ſint hodie doctiſſimi inter illos, non improbauerit, ſed igne & ferro, quod aiunt, eradicandam decreuerit, & vt facinoris genus ſeueriſſimè vlciſcendam? Sed hac in re, inquit Philippus, noſtræ conſcientiæ nihil habent periculi: quia cùm ſciamus Confeſſionem noſtram, veram, piam & catholicam eſſe, non debemus approbare ſæuitiam iſtorum, qui hanc doctrinam perſequuntur. Et eccleſiam eſſe ſcimus apud hos, qui verbum Dei rectè docent, & rectè adminiſtrant Sacramenta, non apud illos, qui verbum Dei non ſolùm edictis delere conantur, ſed etiam recta & vera docentes trucidant, & cæt. His verbis quid aliud vult agere, niſi vt oſtendat, apud vos ſolos eſſe Eccleſiam, apud nos verò ſęuitiam & tyrannidem? Ita Caroloſtadus, Oecolampadius, Zuinglius, Pellicanus, & cæteri eiuſdem claſſis, nec apud vos Eccleſiam eſſe credūt, ſed apud ſe, & ſuos ſectatores. Qui poterimus ergo dignoſcere, vtri veſtrum habeant veram Eccleſiam, vt ſi qui forte ſunt, quibus noſtra diſplicēt, vobis poſſimus accedere? Nam vtroſq; veſtrum habere impoſſibile eſt, cùm ab alteris alteri non modò pro hæreticis, verùm pro furioſis & phanaticis, & rurſus alteri ab alteris pro idololatris viciſſim habeamini. Et tamen vtrique iactatis euangelium, vtrique veſtra quidem ſententia, ritè adminiſtratis Sacramēta, vtrique verbo Dei nobis inſultatis, cui vobis inniti videmini, quod apud vos ſolos purè doceri obſtinatis animis deieratis. Neque hic morbus eſt vobis peculiaris? eodem labore laborant Anabaptiſtę, & reliqua hæreſum portenta, quę poſt Lutheri diſceſſionem ab Eccleſia, nata ſunt in Germania. Eodem etiam morbo laborauerunt ſemper hæretici, qui morbus Arianorum tempore totum fermè orbem infecerat. Eccleſia tamen, quæ vera eſt, nunquam multitudine hęreticorum obrui potuit, ſemper hæreſibus alijs poſt alias ſuccedentibus, manet eadem, quæ à Chriſto capite orta, & in Apoſtolis ac martyribus propagata, per varios gradus Chriſtianorum eādem fidem profitentium, & obedientiam Pontificibus & cæteris hierarchis præſtantium hucuſque perſeuerat. Hæc non poteſt eſſe in ijs, qui noua dogmata comminiſcuntur, quibus vetera antiquentur & inoleſcant. Nam vt donemus, eſſe veteribus vtiliora Eccleſiæ, certè neceſſaria eſſe non poſſunt: alioqui maiores noſtri, qui huiuſcemodi dogmata neſcierunt, haud habuiſſent Eccleſiam. Etenim Eccleſia minimè vocanda erat illa, cui aliquid tanto tempore defuit ad ſalutem, nec ū

Eccleſia apud aduerſarios non eſt.

tantillo

tantillo quidem defuiſſet. Quod ſi dicatis, vos habere verbum Dei, cui ſoli innititur Ecclesia, facilè eſt verbum Dei iactare verbotenus: & non ſemel eſt olim Ecclesia vera hoc themate ab hæreticis laceſſita, quæ tamen Chriſti promiſſionibus fidéter innixa, illud ex Propheta vſurpat, imò vt ſibi proprio refellendis ſimul ac propellendis hoſtibus vtitur: Et reſpondebo, inquit, exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis. (Pſal. 118.) Et ego vehementer admiror prudentiam veſtram, cùm videatis nos nihil vobis obijcere, niſi verbum domini, qua fronte nos tam importunè ad verbum domini prouocetis, quaſi nos ſcripturas ignoremus, aut citra illarum authoritatem quicquam doceamus. Imò ignoratis, inquit Lutherus, quando verum illarum ſenſum non eſtis aſſecuti, ſed pro ea humana ſomnia inuexiſtis. Bellè quidem ac ſatis cenſoriè dictum, ſi dixiſſe ſatis illi eſſet, extra Germaniam. Veruntamen illi credere, qui nemini præter ſe credit, quo iure tenetur orbis? Qui poſſumus ergò ſcire, vtri noſtrum habeant verum ſcripturarum intellectum, niſi ab Ecclesia doceamur? Hanc dicitis vos habere: vnde probatis? Quia Eccleſiam eſſe ſcimus, ait Philippus, apud hos, qui verbum Dei rectè docent. Si dixerimus nos rectè docere verbum Dei, negatis: & nos etiam, quod verbum Dei rectè doceatis, non concedimus. Quis erit huius controuerſiæ iudex? Verbum Dei, quod omnis controuerſiæ iudicem facitis. Atqui modò non poteſt eſſe, quia de illo nobis eſt altercatio ſuſcepta. Quorſum igitur, aut quouſque progredietur tam perplexa contentio? Ecquis erit iudex huius litis? Nos nullum alium agnoſcimus, niſi Eccleſiam, quæ in vobis iure ſuſpecta nobis eſt propter nouitatem: in nobis verò ſcimus eandem eſſe, quæ fuit ante annos quingentos, octingentos, mille & vltrà, vſque ab Apoſtolis: eandem, inquam, perpetuo fidei tenore ſeruato, tametſi moribus poſt mille fermè annos in deterius prolapſis. Quod ſi dixeritis, quędam etiam nunc inter nos credi, quæ olim haud ita explicitè credebantur, id nihil obſtat, quando nihil nouè creditur, cuius oppoſitum ſit aliquando creditum à maioribus. Sed tantum quædam ab hæreticis in dubium vocata, apertioribus verbis ſunt in ſynodis explicita. Et vos ſi ea propoſuiſtis, de quibus hactenus in neutram partem fuiſſet pronúciatum, haud grauaremur, quæ vtilia viderentur, accipere: quæ vera, fateri: quæ veriſimilia, ad ſcripturarum trutinam expendere: quæ falſa, boni conſulere: quando non vni dat cuncta Deus. Verùm enimuerò cùm omnia fermè, quæ proponitis, ſint olim à Patribus aut Cōcilijs per ſcripturas excuſſa & improbata, nō poſſumus credere, in vobis eſſe Eccleſiam, ne cogamur confiteri, aliquando nuſquam fuiſſe, tunc ſcilicet, cùm vos nondum eratis, & omnes Chriſtiani oppidò diuerſa à vobis credebant. Iam cùm Eccleſiam ſine nobis habere non poſſitis, qui poteſtis rectàm miniſtrorum vocationem & ordinationem habere? (Aduerſarij rectam miniſtrorum vocationem & ordinationem non habēt.) Chriſtus ex multis diſcipulis duodecim ſelegit & ordinauit Apoſtolos. His tradidit poteſtatem conſecrandi, quia cum ſolis cœnabat, cùm dixit: Hæc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem. Eiſdem tradidit poteſtatem ligandi & ſoluēdi. Horum numerus cùm eſſet (damnato Iuda) reficiendus, non temerè, non humano iudicio, aut populi rogatione duodecimus eſt ſubrogatus, ſed omnium Apoſtolorum ſuffragijs deſignati ſunt duo, quorum alterum Chriſtus ſorte probauit. Neque ad hanc dignitatem cuiquam patuit aditus, niſi Chriſti Ieſu ordinatione, qui per ſpiritum ſanctum iuſſit ſibi ſegregari Paulum & Barnabam ad Apoſtolicum munus. (Act. 13.) Apoſtolis ordinatis à Chriſto, quemadmodum ille, creſcente numero diſcipulorum, adiecerat eis alios ſeptuaginta duos, qui ſecundum locum poſt Apoſtolos obtinerent: ita & Apoſtoli in Eccleſia, creſcente numero fidelium, ordinauerunt presbyteros, diaconos & cæteros miniſtros, qui neceſſarij erant ad eccleſiaſticam hierarchiam. Quæ vt ex Dionyſij, Clementis, Ignatij, & cæterorum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ſcriptis & ſynodalibus actis apparet, perpetuò durauit hucuſque, vtpote ſine qua nec veros epiſcopos, nec veros miniſtros Eccleſiæ haberemus. Nec epiſcoporum crimina excuſare quēquam poſſunt à ſchiſmate, qui illorum contempſerit ordinationem. Nam vt quæ per homines ſunt inſtituta, poſſint hominum abuſu & inſolentia aboleri, ſiue in melius aliquid commutari, non tamen illa, quæ Chriſtus inſtituit, à quo non tantùm doctrina, verùm & opere quaſi per manus tradita nobis eſt eccleſiaſtica ordinatio. Hac contempta, vos videritis cuius ordinatione poſſitis habere verbi diuini & ſacramentorum miniſtros, aut quam intelligatis vocationem, in illis verbis Confeſſionis veſtræ: Nemo debet in Eccleſia publicè docere, aut ſacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus. Nam Philippus, vt dixi, verba vera, pia quidem in ſpecie atque catholica, maxima ſchiſmatis onerauit ſuſpicione.

(·:)

moratis non ſatis intelligatur, certè huius Articuli appendix non obſcurè declarat: cū quæcunque Eccleſia Catholica diuinitùs edocta, ad promerendam gratiam, Deumq́ue placandum inſtituit, Illi tanquàm Euangelio, & doctrinæ fidei aduerſum, reijciunt ac proculcant, ipſorumq́ue iudicio dies Rogationum, maioreſq́ue Litaniæ ſint inutiles, & minimè ad ſalutem neceſſaria. Contrà autem vt carni & libidini ſeruias, cælibatum & vota Deo nuncupata violare, ipſis ad ſalutem eſt neceſſarium. Hac enim parte potiſsimùm quinti Euangelij libertas interuertitur. Sed vt hanc fœtidiſsimam cloacam pluribus non commoueamus, illud iam diſpiciamus, quanta conſtantia hic Articulus ſit deſcriptus, & Confeſsionem anno quadrageſimo interpolatam cum Prototypo paucis conferamus.

In Prototypo generatim de omnibus ritibus Eccleſiaſticis loquuntur, in exemplari autem variato, ad eos duntaxat cōtrahit, qui humana ratione ſint inſtituti, agnoſcentes fortaſsè generalem illam reprehenſionem eſſe impiam, & temerariam. Secundò, cùm in Prototypo ad Ritus, qui ſine peccato obſeruari poſſent, feſta etiam retuliſſent, ne impiè viderentur egiſſe, qui feſta ferè omnia Chriſtianorum in ſuis Eccleſijs abrogaſſent, in exemplari variato nullam feſtorum mētionem faciunt, eorumq́ue loco cantiones reponunt, quę ferè eiuſmodi floſculis ſunt exornatæ, vt ſalſiſsimè ad eos ritus referantur, qui ſine peccato ſeruari poſsint. Tertio, in Prototypo omnes admonent, nullis omninò Ritibus conſcientias eſſe onerandas, nec nec vllos ritus eſſe eiuſmodi, qui ad ſalutem ſint neceſſarij, quod cùm animaduerterent manifeſtè repugnare ſcripturæ, Actorum 15 vbi dicitur: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos benè agetis: cùm, inquam, viderent hæc generali illi ſententiæ aduerſari, vela contraxerunt, docentes prioris generis ritus ita eſſe obſeruandos, vt tamen conſcientię ſuperſtitioſis opinionibus non onerentur, deindè quos cultus priùs affirmant ſimpliciter ad ſalutem non eſſe neceſſarios, hic cum reſtrictione dicunt, non eſſe neceſſarios ad iuſtitiā fidei. Adijciunt præterea cauſam ſcandali, ꝗ ſi ſubſit, tūc neceſſariò ſeruari debent. Quartò, cùm in Prototypo viderent ſe clariſsimis ſcripturis repugnare, ex quibus docemur pietatis operibus (vt de Niniuitis conſtat, & alioqui ipſe dominus ad ſimilia opera in Euangelio nos hortatur) Deum placari, in variata Confeſsione eandem clauſulam, quę agit de Deo placando, ſuſtulerunt. Quintò, cùm in Prototypo hic nulla fieret mentio Cælibatus, nunc in Confeſsione, quam emēdatam vocant, & Cælibatus, & vota ſine peccato obſeruari non poſſe affirmant. Sextò, cùm in Prototypo inter ea, quæ Euangelio repugnarent, annumerarentur traditiones de diebus, hic in Confeſsione nullam prorſus mentionem faciunt Traditionis de obſeruantia dierum. Inſigni procul dubio aſtutia, ne apertiſsima contradictio, quæ in Prototypo inuoluebatur, fieret manifeſtior. Nam cùm in priori huius Articuli parte ad eos ritus, qui ſine peccato ſeruari poſſent, feſta etiam retuliſſent, paulò pòſt, neſcio quo œſtro agitati, voluerunt Traditiones de obſeruatione dierum doctrinæ fidei & Euāgelio aduerſari. Eiuſmodi harmoniam ſubinde pluribus explicamus, vt qui imprudēter ſeducti ſunt, tempeſtiuè ſe à vertiginoſis iſtis Prophetis retrahant. Nam qui hęc velut ad oculum demonſtrata videt, & nihilominùs in errore perſiſtit, eius ſalus deplorata videtur, ſalutarem Pauli monitionem contemnens, qua Chriſtianos omnes ſuæ ſalutis ſtudioſos hortatur, vt eos obſeruēt, qui diſſenſiones in dogmatibus faciunt, eoſdem qua agnitos ſedulò declinent & fugiant.

Ioannis à Dauentria Articuli decimiquinti refutatio.

PRior huius Articuli pars quidem probat 1.
Eccleſiaſticos ritus, ſed non ſine morſu, cùm ait 1 Qui ſine peccato ſeruari poſſunt, quaſi ſit aliquid in Eccleſiaſticis ritibus, qui ſpiritu ſancto authore inſtituti ſunt, quod citra peccatum ſeruari non poſsit. Sed morſus tam leuis nihil lædit Catholicos, & ſi hūc ſuſtuleris è medio, nihil à vera fide alienum docet Articulus. Et admonendi ſunt hic Aduerſarij, vt quod ſermone probāt, reipſa nō improbent. Et cùm huius rei Catholici in Comitijs eos admonerent, ſic reſponderūt:

Hac de re in hoc conuentu ſæpè teſtificati ſumus (inquiunt) *nos ſumma voluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos etiam humana authoritate. Scimus enim bono & vtili conſilio à Patribus Eccleſiaſticam diſciplinam hoc modo, vt veteres Canones deſcribunt, conſtitutam eſſe.*

Si perinde, atque ingenuè dicunt, Eccleſiaſticam politiam vtili & bono cōſilio à Patribus ſpiritu ſancto authore inſtitutam, cupiunt obſeruare, cur tanto ſtudio moliūtur ei interitum? Cur ritum Miſſæ inuertūt? cur Canonem inde eximūt? cur Canonicas Deo laudes non perſoluunt? cur Quadrageſimæ ſacrum tempus ieiunijs non redimunt? cur ſacra cœnobia ſubuertunt? Hæc enim & alia omnia vtili & bono conſilio à Patribus inſtituta, ordinata, roborataq́; ſunt tot annorum

centenarijs. Poſſemus hic ſingulorum canones referre, ſed nolumus in re explorata piũ Lectoris animum grauare. Quòd ſi velit lector ſcire, quid hic ſacri dicant Canones, introſpiciat tantùm Conciliorum generalium ac prouincialium, Decretorum ac Decretalium ſyllabos, qui facilè oſtendent ſingulorum ſingulos Canones, magna Patrum authoritate celebres. Sed audi nunc, quomodo ſe excuſent, cur nolint Epiſcoporum quibuſdam decretis ſubſcribere.

Epiſcopis cur nolint obedire.

Sed Epiſcopi (inquiunt) *Sacerdotes noſtros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confeßi ſumus, abijcere, ac damnare, aut noua & inaudita crudelitate miſeros & innocentes occidunt. Hæc cauſa impediunt, quò minùs agnoſcant hos Epiſcopos noſtri ſacerdotes.*

Bella planè, ſi Deo placet, ratio, quòd nolunt Epiſcopis obedire. Apud Epiſcopos eſt authoritas definiendi ea, quæ debent ſacerdotes populum docere. Et ob hoc dupliciter peccantes, primùm, quod inobedientes ſunt, deinde quod hæretica doctrina ſua populum ſeducunt, iuſtè vt nocentes occiduntur. Et in hac cauſa velim non ſolùm Epiſcopos, verùm etiã omnes Principes aliquanto eſſe crudeliores, nõ quòd cupiã peruerſorũ ſanguinẽ, ſed quòd deſiderẽ Eccleſiã ſemel ab hæreticis eſſe vacuã. Quòd ſi nõ cõpeſcerent erroneos eorum conatus, nũquid tunc verè Epiſcopi, verè Paſtores habendi eſſent? Nihil minùs, ſed mercenarij, & quibus oues nõ eſſent curæ, optimo iure dicerẽtur. Hoc, inquiunt, doctrinæ genus, nouũ planè & inauditũ, & apud Lutherũ & conceptũ & malo omine mũdo editum, qđ ſæpè ſpecialẽ fidẽ vocarunt nouo miraculo. Quòd ſi hoc doctrinæ genus Euangelicũ eſt, & Apoſtolicũ, cõſequeretur, catholicã Eccleſiã ab Apoſtolis hucuſq; erraſſe, & ſpiritum ſanctũ eam nõ rexiſſe: nũc autem cõpertum eſſe, hæreticam prorſus & nociuã eſſe doctrinã, quæ Epiſcoporũ & paſtorum doctrinæ nõ quadrat. Sed vnde prodierũt oẽs hæreſes, niſi ex eo, quod Eccleſiæ authoritati, & Epiſcopali dignitati non obtemperatum eſt? Hinc Cyprianus:

Epiſcopi excuſantur.

Cypria. lib. 1. epiſtolar.

Nec aliundè, inquit, obortæ ſunt hęreſes, aut nata ſchiſmata, quã indè, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur? Nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecũdum magiſteria diuina obtẽperaret, vniuerſa fraternitas, nemo aduerſus collegium quicquã moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Epiſcoporum conſenſum iudicem ſe non Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſsidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſim conderet, &c. Et hoc tempore ſi obtemperaretur Pontifici in cauſis fidei, non eſſent tot hæreſes, tot ſectæ in Germania. Et iſti volunt, vt deſerto & cõtempto Pontifice, ſubſcribamus Luthero bis apoſtatæ, ſemel à fide Chriſtiana, ſemel à ſuo inſtituto, & nunc à cæteris hominibus neque vita, neque conuerſatione, neque habitu diſcreto, cui perpetuo in thalamo & in lecto & in ſinu ſouetur concubina. Certè vt ſubſcriberemus ei, oporteret eũ nouis prodigijs, nouis miraculis clarere, nouam & angelicam vitam viuere. Fuit, & adhuc rumor eſt, quod ſi Luthero integrum eſſe potuiſſet vt vxorem, qua cum nunc dulciter quieſcit, haberet in cœnobio, non eſſent ei tot excogitata mala. Sed nos nolumus tã ſiniſtrè de eo ſuſpicari, ſufficiat nobis, quòd doctrina eius non eſt ſana, cui credamus. Retrahit nos tamen haud parùm malum noui Apoſtoli exemplum. Apoſtoli reliquerunt vxores, vt expeditiores eſſent & ſecuriores in rebus Euangelij: Lutherus ducit vxorem, vt non ſibi ſit opus laſciuientem carnem caſtitatis lege domare, & tamen vult nouus Apoſtolus audiri. Apoſtoli Chriſti vt populum docerent Euangelium, vniuerſum peruagati ſunt orbem. Lutherus ſolummodò Vuittẽbergæ, & in thalamo cum amaſia latitat. Cõfirmabant Apoſtoli ſuas Eccleſias etiam inter gentes duriſsimas, & in medijs periculis. Lutherus non putat ſibi ſatis conſultum, vt inuiſat vel inter Chriſtianos. Hinc eſt, quòd multæ ſectæ ſub vno militent Luthero, quæ parùm inter ſe in doctrina Euangelij cõcordant. Et ferè tot ſunt opiniones, quot ſunt homines, quorũ dominatur Lutherus. Fortè iam ſatis multa extra cauſam, ſolum hoc ſufficere poterat, vt excuſaremus Epiſcopos quos iſti accuſant oppreſsionis doctrinę ſuę, multis modis periculòsè, & quòd huius doctrinæ miniſtros, ſi quando nolunt ſubſcribere Catholicæ ſententiæ, iuſtè occidant.

Lutherus bis apoſtata.

II. Secundum quòd dicunt, non eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt obediatur Eccleſiaſticis conſtitutionibus, nemo non improbat, præſertim cùm ſacra ſcriptura apertè eum teſtetur contemnere Deum, qui iuſtis Prælatorum decretis non paruerit. Qui vos ſpernit, inquit, me ſpernit, &c: Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem ſibi adſciſcit. Et quòd nedum propter timorem, ſed & propter conſcientiam maioribus obediendum ſit. Imò ipſi Aduerſarij inferiùs in Confeſsione palàm docent, Epiſcopis, qui ſuæ poteſtatis limites non excedunt, neceſſariò & de diuino iure parendum eſſe iuxta vocem Chriſti: Qui vos audit, me audit. Fatentur etiam, quòd ad eorum ſpectet officium cognoſcere de doctrina, vt Euangelio conſentanea doceatur, diſſentanea reijciatur

Luc. 10. Rom. 13. Epiſcopis quatenus obediendum ſit. Luca 10.

tur,& quòd eorum ſit, impios, quorum nota eſt impietas, à communione Eccleſiæ arcere. Quòd ſi vt verè aſſerunt, de diuino iure legitimis Eccleſiæ præceptis, quæ non fiunt niſi ab Epiſcopis, neceſſariò obtemperatur, cur hic contrarium docent, quòd non neceſſariò eis obediatur? Si hæc non pugnant, nulla inter ſe pugnant. Sed ad Epiſcopos pertinet, vt de doctrina cognoſcant, quę ſana ſit, quæ inſana, cur accuſant eos, quòd cogunt ſuos ſacerdotes hoc peſsimum doctrinæ genus vel abijcere, vel iugulum exhibere? Certè alterum neceſſarium eſt, vt vel ſanam doctrinam accipiant, vel pereant. Iubent enim eos perire Cæſareæ leges, quæ, vt ipſi dicunt Aduerſarij, & nos ſimiliter fatemur, habent mandatum Dei, vt iuſtè pereãt, quorum contagione cæteri inſici poſſent.

151. *Quibus traditionibus placetur deus*

Tertium, quod ſuos admonent, nempe quòd Traditiones ad placandum Deum, & promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis inſtitutæ, Euangelio aduerſentur, impium eſt & erroneum. Diuina enim teſtimonia, quorum irrefragabilis eſt authoritas, palàm iudicant, Deum pœnitentia, eleemoſynis, orationibus, ieiunijs placari, quodque eiſdem gratiam promereamur, & ſatisfaciamus pro peccatis, iuxta vocem Domini in Ezechiele: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, &c. & in Zacharia: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Exploratum quoq; eſt, Deum mandaſſe, vt obediatur præpoſitis. Quod ſi feceris, expleſti voluntatem & mandatum Dei: ſi neglexeris, non paruiſti mandato Dei, ſed quaſi Deum ſpreuiſti in prælatis. Sanè ſi negligẽdo prelatum, Deum dehoneſtas & offendis, in obediẽdo eidem, Deum colis & placas: ſi inobedientia iraſcitur, vtique obedientia reconciliatur. Sequitur igitur, quòd Traditiones & vota ad reconciliationem, ad ſatisfactionem, ad gratię ſuſceptionem inducentia, nihil repugnent Euangelio, neque inania ſint. Si humanæ Traditiones ad placandum Deum, ad promerendam gratiam & ſatisfaciendum pro peccatis inſtitutæ, Euãgelio, quod iſti generatim de omnibus dicũt, aduerſantur, percupio ſcire, quę Euangelio cõſonent, num illę, quæ temporaria magis quàm cæleſtia nos docent inueſtigare? num quæ externa magis quàm interna promouent? num quæ humanam magis quàm diuinam offenſam nos docent mitigare? Certè Paulus dicit: Poteſtatem datam eſſe in ædificationem. In quam putas ædificationem, ſpiritualem an corporalem? virtutum an diuitiarum? Nemo facilè ſine Euangelij iniuria dixerit, quòd ob rerum corporalium commoda poteſtas inſtituta ſit in Eccleſia: ſed magis dicet, quòd ad hoc præſit, vt homines doceat gratiam quęrere, pœnitentia Deum placare, vitia exſtirpare, virtutes inſerere, vt grauitatem pœnarum, ineffabilitatem gaudiorum denunciet. Sicut ait in Ezechiele Spiritus ſanctus: Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, &c. Et ad Hieremiam dicit Dominus: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Et in hanc prouinciã poſt Prophetas deſignati ſunt Apoſtoli, Euangeliſtæ, Paſtores, & Doctores, ſicut ait Apoſtolus, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Ad vitiorum exſtirpationem, ad virtutum inſitionem, ad offenſæ diuinæ placationem pertinent omnes illæ Prælatorum traditiones, ordinationes, decreta. Quæ ſi contemnas, perinde eſſet, ac ſi vitia in te nolis exſtirpari, virtutes inſeri, & Deum tibi placari. Vide ergò quàm vtiles ſint Traditiones illæ, quas iſti docent ad placandum Deum, ad ſatisfaciendum pro peccatis, impotentes eſſe & elumbes. Addit quoque non parùm roboris noſtræ ſententiæ, quòd omnes Traditiones, quas Aduerſarij odio Catholicorum ſemper humanas vocant, diuino ſpiritu, qui in legitimis Patrum ſynodis, vbi iſtæ fiunt, præſentiſsimus eſt, ſtatuuntur. Et nos arbitramur ſpiritum ſanctum non minùs adeſſe Patrum concilijs, quàm adfuit concilio illi Apoſtolorũ, de quo legimus Actuum 15.

Ezech. 18.
Zacha. 1.
Heb. 13.

Obedientia Deus placatur, inobedientia offenditur

Poteſtas in ædificationẽ ſpiritualem rerum.

Ephes. 4.

Tunc ſcriptura (inquiunt) *vocat traditiones doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quòd ſint cultus vtiles ad promerendam remiſsionem peccatorum, & gratiam, &c.*

Recipimus ſcripturam, quaſdam hæreticorum Traditiones, doctrinam dæmoniorum appellantem, ſed damnamus iſtorum opinionem, qui fingunt Traditiones Patrũ ſpiritu ſancto authore inſtitutas, tunc doctrinas eſſe dæmoniorum, quando docetur, quòd ſint cultus vtiles ad promerendam remiſsionem peccatorum, & gratiam, vt ſuum hæreticũ inſtitutũ ſtatuant, quo docent ſola fide in Chriſtum remiſsionem peccatorum cõtingere. Nam hic nihil aliud quàm ſua placita loquuntur. Nuſquam enim in ſcripturis dicitur, quòd iuſta Patrum decreta nõ tam humana, quàm diuina docuiſſe, dæmoniorum ſit doctrina, ſed ſic placet iſtis Catholicos iniurijs & conuicijs laceſſere. At nos docuimus, quòd ſine peccato negligi non poſſint ſancta Patrum decreta. Si eſt in negligentia peccatum, certè erit in obſeruãtia meritũ. Et nulla dicendi arte poſſunt hoc refellere. Si autem in obſeruantia meritum eſt, quod nemo negare poteſt, quomodo nõ cõferent ad remiſsionem peccatorũ & ad gratiam

Traditiones Eccleſiæ, doctrinas dæmoniorum vocari non poſſunt.

tiam

tiam promerendam? Neque qui Traditiones illas diuino ſpiritu inſtitutas, dicunt ad remiſsionem peccatorum, & gratiam promerendam pertinere, Iudaizant, quod iſti nequiter dicunt, neque doctrinis dęmoniorum obruunt Euangeliũ, neque cõſtituunt alium mediatorem quã Chriſtũ, ſed docent Euangeliũ, ſed ſana doctrina Illuſtrant gloriam Chriſti, ſed vnicum agnoſcunt mediatorem Ieſum Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Si audit Chriſtum, qui prælatum audit, ſi ſpernit Chriſtũ, qui prælatum ſpernit, vtique qui maiorum decreta contemnit, decretorum Chriſti temerator eſt, & omninò vna dãnatio eſt decretorum Chriſti, & Traditionum, quas conſtituerũt per ſpiritum ſanctum orthodoxi Patres. Vt igitur præceptis Chriſti obtemperare vtile, imò neceſſarium eſt ad ſalutem & ad promerendam gratiam, iuxta illam Chriſti vocem: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: ita iuſta eccleſiaſtici Magiſtratus ſtita obſeruare, ad ſalutem, adeoque ad remiſsioné peccatorum facit; & contemnere, haud parùm animæ incommodat, & habent iſtę traditiones mandatum Dei, vt fieri debeant, alioqui non diceretur: Obedite prępoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, &c. &: Quæcunque dixerint vobis, facite. Si in hac cauſa Chriſto obſequamur, nimirũ oportet aliquod eſſe obſequij brauium, videlicet remiſsionem peccatorum, & gratiam, quæ hac ratione promerentur. Et multæ ſunt Traditiones Patrum, quę ad ſatisfactionem pertinent, quæque ad eam vtiliſsimæ ſunt, adeò vt ſancti eas ad vnguem obſeruari voluerint quaſi hæ maximè ad remiſsionem peccatorum, & ad gratiam promerendã pertineant. Suprà longa diſputatione docuimus, quod quidem gratis iuſtificemur propter Chriſtum, ſed non omninò ſine noſtra opera. Nã & ipſe iuſtificator noſter requirit à nobis, vt pœnitentia præteritas peccati maculas abluamus: exigit vt in nos peccantibus ignoſcamus, ne nobis veniæ apud deum nó pateat oſtium. Et prætereà diximus, quod ob hoc ipſe Chriſtus nihil imperfectior, ſed multò abſolutiſsimus mediator ſit atque ſaluator, vtpote qui in nobis operetur, quę ſancta sũt, & qui patiatur nos ſecum noſtram operari ſalutem. Et quòd tam immẽſæ bonitatis ſit, vt quicquid eo adiutore facimus benè, nobis adſcribat, faciatque ſua dona noſtra merita, quibus nos & remuneret & ſaluet, & qđ omnia noſtra opera, qualiacunque tandem ſint, inefficacia ſint, & oleant ſine Chriſti meritis. Quia igitur hæc ſuprà copioſè explicuimus, non eſt quòd iſta nos hic rurſus cogãt, vt vel inuiti acta agamus. Si demas ex hac Apologia Aduerſariorum verba mendacia, conuitia, blaſphemias, bone Deus, quãtum erit reliqui? Iacto falſo fundamento, oportet ſanè reliqua omnia mendacia eſſe. Fũdamentum, quod docuimus falſum eſſe, fuit, quòd ſola fide propter Chriſtum iuſtificemur, & huic ſanè omnia, quoad potuerunt, concordarunt. Et hoc vt ſtatuant, ſæpenumerò ſine ratione, ſine iudicio, ſine ſcripturis, ſine Patrum teſtimonijs, turpiter epilogizant. Et hac inani multiloquentia putant ſe Catholicorum ſententiam & authoritaté fracturos, quam nó fregerint, etiamſi ipſam loquentiam loquacitate vincant. Sed redeamus vnde digreſsi ſumus.

Mat. 19.

Heb. 13.

Mat. 23.

Calvus quomodo velit ad iuſtificationem.

Paulus (inquiunt) ad Galathas dicit: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, id eſt, ſi ſentiatis vos mereri obſeruatione legis, vt iuſti coram Deo reputemini, nihil proderit vobis Chriſtus.

Bella planè verborum Apoſtoli exegeſis, ſi quis eam accipere velit. Paulus, vt palam docet contextus, loquitur his, qui cum obſeruatione Euangelij putabant Moſaicæ legis obſeruantiã ad rem pertinere, quaſi lex Chriſti infirmior ſit, quàm quæ ſola iuſtificare & ſaluare poſſit. Paulò enim antè dixerat: Si circũcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Iſti effrontes homines, aduerſum omnium, qui ſacras literas tractarũt, ſententiã, ita torquẽt dictum Pauli, vt vel ex obſeruatione legis Chriſti neminem iuſtitiam, & ſalutem poſſe conſequi dicant. Sed quid hoc poſsit eſſe abſurdius? quid periculoſius? Nam affirmare, quòd lex Chriſti ſuis obſeruatoribus neque iuſtitiam, neque ſalutem afferat, Chriſtum legis Euangelicæ latorem blaſphemare eſt, & gloriam eius obſcurare. Perinde enim eſt, ac ſi imperfectam, mutilamque tradidiſſet legem: tradidiſſet mandata, quorum obſeruatio, neque remiſsionem peccatorum, neque iuſtitiam, neque ſalutem meretur. Si nó meretur eorum obſeruatio peccatorũ remiſsionem, quã Aduerſarij ſoli fidei attribuunt, eadẽ ratione non merebitur tranſgreſsio damnationẽ, & labaſcit totum Euangeliũ. Vide nunc quã dextrè iſti nobis Paulum expoſuerint. Certè Dominus in Leuitico: Cuſtodite, inquit, leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis, & in Prouerbijs ſpiritus. Serua mandata mea, & viues. Frequenter in ſcripturis diuinorũ obſeruatoribus mandatorũ vita promittitur, & iſti nolunt, quod ſtatuamus nos coram Deo ex obſeruantia legis Chriſti iuſtitiam & remiſsionem peccatorum mereri. Sed qualis, inquis, vita promittebatur illis, corporalis, an ſpiritualis, an vtraq;? Sanè Deus ſpirituali magis vita quàm corporali delectatur. Viuebant enim naturaliter multi Iudæi, & oẽs in vniuerſum gentiles, ſed vtriq; mandatorum Dei temeratores. Etiamſi nónullorum

Paulum ad ulceram.

Galat. 5.

Leuit. 18.

Ezech. 26.

Prou. 7.

Mandata qui obſeruant, vita promittitur.

Dei

Dei mandatorum publica tranſgreſsio antiquitùs ſola morte explabatur, non tamen æquè ſingulorum tranſgreſsio mandatorum, quod docent furti, detractionis, odijque peccata. Igitur diuinæ legis obſeruatoribus non tantùm corporalis, ſed & ſpiritualis & æterna vita pollicebatur. Id quod & ipſe apud Euangeliſtam teſtatur Chriſtus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et Legis ille peritus, vbi conſuluiſſet Chriſtum quod potiſsimùm eſſet ad cœleſtis regni adeptionem neceſſarium, iubereturque ipſe reſpondere quid legiſſet, audijt: Hoc fac, & viues: manifeſtè inſinuando, quòd in primis ſit opus ei, qui ſeruari velit, legis obſeruatione: & iſti tamen impudentes homines dicũt, quòd ſola fide ſaluemur, ſine vllo opere. Sed omnibus hiſce nugis, quas hic de lege, de fide, de iuſtificatione replicant Aduerſarij, ſuprà longa diſputatione obuiauimus.

Matth. 19.

Lucæ 10.

Nulla (inquiunt) *traditio à ſanctis Patribus hoc conſilio inſtituta eſt, vt mereamur remiſsionem peccatorum, aut iuſtitiam, ſed ſunt inſtituta propter bonum ordinem in Eccleſia, & tranquillitatem.*

His nihil eſt veritatis.

Hic quia ſine vlla probatione manifeſtè falſum docèt, nulla ſunt reſponſione digni: conſtat enim inſtituiſſe ſanctos Patres, vt vel ſemel ſaltem ad minus annuatim omnia peccata noſtra ſacerdoti proprio confiteamur, vtque ſemel annuatim Euchariſtiam ſaltem acclpiamus. Cur ita? niſi vt per Sacramentorum bonum vſum gratiam mereamur, & remiſsionem peccatorum. Conſtat proinde, & ferias aliquot ab Eccleſia eſſe inſtitutas non ob aliud, quàm vt poſitis temporariarum rerum curis, Deo liberiùs vacãtes, gratiam & remiſsionem peccatorum peteremus, petentes acciperemus. Eadem ratione indicta ſunt ieiunia, ſolennes preces, & canonicæ laudes, vt huiuſmodi medijs diuinam gratiam & remiſsionem peccatorum ab vnico mediatore noſtro Chriſto mereamur. Et hanc Euangelicam, & certiſsimam ſententiam tenebunt Catholici, etiamſi inſaniant omnes in vnum Aduerſarij. Sic prædicabunt fidem, vt tamen opera non excludant. Sic efferent opera, vt tamen fidem nõ exinaniant, vt Chriſto, vt Euangelio ſuus ſeruetur honos.

Traditiones cur inſtitutæ.

Doctrina veriſsima de fide & operibus.

Et vt velint (inquiunt) *aliquis inſtituere certa opera ad promerendam remiſsionem peccatorum aut iuſtitiam, quomodo ſciet illa opera Deo placere, cùm non habeat teſtimonium verbi Dei?*

Tantum hic fortaſsè vtiliter dixero, quòd ſancti Patres maiores noſtri, imò Catholica Eccleſia vel externo nonnunquam, vel non nunquam interno verbo, quo nunquam priuatur, iuxta vocem Chriſti, ordlnat quędam, quæ certum eſt, cùm ad gratiam, tùm ad remiſsionem peccatorum accipiendam, vtilia eſſe & accommoda. Et hæc, qui benè Chriſtianus eſt, non modò credere, ſed & opere explere tenetur, vt hac ratione fiat voti ſui compos.

Nonne vbique prohibet (inquiunt) *in Prophetis inſtituere peculiares cultus ſine ſuo mandato? Ezechielis 20. In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec &c.*

Vnum locum ex Prophetis citant Aduerſarij, & tamen confidenter dicunt: Nonne vbiq;, &cæ. Et idem citatus locus imperat, vt obſeruemus iuſtas Patrum inſtitutiones, tãtùm abeſt vt prohibeat, ne obſeruemus. Quãdo enim mandat per Prophetam, ne malam Patrum ſuorum vitam imitentur, addit, vt legem Dei obſeruent. Sed vt eluceſcat magis quid dixerit hic dominus, commodum erit vt latiorem faciamus huius dicti exegeſim. Paulò itaq; ſuperius, quàm iſta diceret Propheta ex perſona Domini, etiam ſic ait: Ego leuaui manum meã ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis, fluentem lacte & melle, præcipuam terrarũ omnium: quia iudicia mea proiecerunt, & in pręceptis meis non ambulauerũt, & ſabbata mea violauerunt: cór enim eorum poſt idola gradiebatur. Et paulò poſt: Dixi autem ad filios eorum in ſolitudine: In præceptis patrũ veſtrorum, & cætera, quæ ſequuntur. Quis eſt tam obtuſi acuminis, qui non videat, mala fuiſſe patrum iſtorum ſtudia, & peſſima iudicia, vt iure filij abſterreantur, ne patrum veſtia ſequantur? Quod enim magis impiũ poteſt eſſe iudicium, quod contẽpto Deo præcipiatur, vt idola vaniſſima ſequantur homines. Et, vt horum, nimirum peſſima traditio peſſundanda erat, ita iure contẽnuntur peſſimorum decreta Eccleſiæ Prælatorum. Et hoc quoque ingenuè nos dicimus, perdunt, quos ſeruare debuerant. At hinc non ſequitur, quòd iuſta maiorum præcepta contemnere debeamus, imò contrariũ prorſus præcipitur, cùm dicitur: In præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite. Et iuſta Eccleſiaſtici ſenatus pcepta pari obedientia, vt ſua obſeruari voluit, iuxta illud: Quæcunq; dixerint vobis, facite, & qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Si obſeruatio mãdatorum Dei, quod nemo Catholicè inficiari poteſt, mereretur gratiam & remiſsionem peccatorum, oportet vt & ſancta Pontificum ſcita, quæ non aliter atque ſua mandata obſeruari voluit Chriſtus, mereantur remiſsionem peccatorum & gratiam. Et omninò non cuſtodit iudlcia Dei, qui inuiolabilia Patrum non facit præcepta. Hic planè Iudaizant Aduerſarij, quando dicunt, quòd vna ratione Eccleſiaſticæ & omnium gentium, & Hieroboami traditiones approbandæ ſunt. Nam ſi agnoſcerent ſpiritum

Locus aduerſarijs [illegible] Ezech. 20.

Ibidem

Traditiones [illegible]

Matth. 23. Lucæ 10.

[illegible]

ſanctum

ſanctum eſſe Eccleſiæ Dei moderatorem, & quod nihil prçter eius ſingularem aſſenſum ſtatuatur in Eccleſia, non tam pertinaciter, neque tam Inuerecundè dicerent, idem lus eſſe Gentibus & Iſraelitis ſtatuendi, cultus ad promerendam & remiſsionem peccatorum vtlles, quibus tamẽ nihil cum Chriſto, nihil cum ſpiritu ſancto, nihil cum Chriſtiana ſide commune eſt. Sed ſic verbis tantùm volũt errorem ſnum, ne putetnr error, protegere. Nam omnia quæ citant, aut torquent, aut data opera corrumpunt. Et infiniti eſſet laboris, etiam minutiora detegere. Catholicam ſententiam ſatis adiuuero, ſi ea, quæ videntur aliquid habere roboris, quoad poſſum, denudauero.

Paulus ad Coloſſenſes (inqulnnt) *planè dicit: Nemo vos iudicet in cibo, potu, aut ſtato feſto, aut nouilunio, aut ſabbatis: quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Hic ſimul & legem Moyſi, & humanas traditiones complectitur.*

Quis hic non admiretur prudentium iſtorum ſcillicet hominum exoculationem? Si in tam clara luce offenderent Catholici, ô Deũ immortalem, quoties aſini, quoties nebulones audirent. Sed nolumus conuicium conuicio cõpenſare. Sine vlla ſcrlptura, ſine vllo teſtimonio, imò aduerſus ipſius dicti, quod citant, veritatem, nedum abſurda, ſed & tam manifeſtè falſa inſerunt, vt nemo eorum

Pauli verba adulterant. falſam ſtructuram non videat. Dicunt hac ſententia Paulum ſimul & legem Moſi & traditiones hnmanas complecti, cùm tamen Paulus palàm indicet, ſe de veteris legis obſeruantijs ſolùm locutum. Teſtatur enim ea ipſa, de quibus loquitur, vmbram ſuturorũ eſſe, non præſentium cæremoniarum, quæ tunc necdum exſpirarũt, quarum nũc nulla

1. Cor. 10. vmbra, ſed ipſiſsima veritas emicat, iuxta vocem Pauli: omnia in figuram contingebant illis. Tam euidenter hic textus de legalibus & vmbraticis illis ænigmatlbus diſputat, vt nemo ſanctorum auſus ſit eum alio referre.

Hieronymus Hinc D. Hieronymus hunc locum exponẽs ait: Nullum in hoc iudiciũ eſt, quod eſt vmbra, & ceſſauit corpore veniente, quia imagine opus non eſt, veritate præſente. Nullam

Ambroſius. facit hic nouç legis mentionem. Ambroſius quoque hnnc locum ſic abſoluit.

Gen. 5. Quidam Iudæorum, inquit, ſolent iudicare fideles, quòd ea, quç interdicta per Moſen ſunt, edant de cibis, cùm Deus omnia munda fecerit. Indigni autem iudicati Iudçi de his edere, prohibiti ſunt à melioribus. Solent iterum reprehendere nos, quia dies ſeſtos eorum ſpernimus, aut quia initia mẽſinm non ſeruamus, quæ neomenias vocant: maximè autem quòd dies ſabbathorum nõ cuſtodimus, vt otio & epulis cum luxuria tranſigantur: quod magis ad offenſam pertinet, quàm ad gratiam. Hæc autẽ omnia ſunt corpus Chriſti, quia elementorum per effectus ſunt vocabula. Hinc eſt vnde in Euangelio dicit: Dominus eſt enim filius hominis etiam ſabbathi. Per ipſum enim omnia. Quæ *Heb. 10.*
quidem ſic data ſunt per Moſen, vt vmbra eſſent, vel figura futurorum, vt apparente veritate figura ceſſaret. Hæc llle, ſed nihil de humanis traditionibus loquitnr, niſi fortè pntent Aduerſarij, legem Moſi humanas eſſe traditiones. Et Beda putat D. Auguſtinũ *Auguſtinus*
hunc locum ſic voluiſſe exponere, cùm ſic *contra Fauſtum.*
loquitur aduerſus Fauſtum.

Patres noſtri, qui Deo placuerunt, tenuerunt ordinem ſuum in ipſa obedientia, vt quicquid Deus temporibus lubendo diſtribuit, ſic obſeruarent, quemadmodum ille diſtribuit. Itaque non ſolùm carnes ad cibos datos, cùm omnes naturà mundæ eſſent, quaſdam tamen nonnulla ſignificatione lmmundas, illo tempore non ederunt, quo eas non edendi præceptum erat, vt talibus ſignificationib⁹, ſutura rerum manifeſtatione præfigurarentur. Sed & azimum panem, & cçtera huiuſmodi, in quibus ſuiſſe vmbram futurorum Apoſtolus dicit, propter quæ tã rei eſſent illius temporis, & illins populi homines, ſi obſeruare contemnerent, quando iſta ſic fieri, & illa qnæ nunc reuelata ſunt, ſic pronnnciare oportebat, quàm nos inſipiẽtes eſſemus, ſi nunc iam manifeſtato nouo teſtamento illas prænunciatiuas obſeruationes aliquid nobis prodeſſe pntaremus. Hactenus Auguſt. & hactenus eum ſnper hoc loco recitat Beda. Vnde affatim doceris, quàm ſiniſtrè Aduerſarij dixerint, hunc locum legem Moyſi & Traditiones ſub noua lege, quas Catholici non tam humanas quàm diuinas nuncupant, complecti. Et multo melius vldent Catholici in hac cauſa, quam vniuerſus Eccleſiaſticorum ſcriptorum chorus defendit, atq; Aduerſarij noſtri, qui aut verborum phaleris aut perſonatæ veritati innituntur. Superuacaneum planè fuerit veritatem multiloquentia adornare, cum ſe ipſa ſua maieſtate illuſtret. Hoc tantùm dico, vt tu magis Catholicis, qui Catholicos proferunt teſtes, quàm Aduerſarijs, qui tantùm ſua verba dicunt, fidem habeas.

Si Euangelium, (Inquiunt) *negat cæremonias Moyſi, quæ erant diuinitus inſtitutæ, iuſtificare: quanto minus iuſtificant traditiones humanæ?*

Pulchrum planè & ad decipiendum ſimplices quoſquè excogitatum figmẽtum, ſed non capientur eo illi, quibus eſt aliquantum acuminis. Nuſquam Enangelium tradit obſeruationem cæremoniarum veteris lnſtrumenti, dũ nõ eſſent abolitæ, ad iuſtificationẽ nihil profuiſſe: imò ipſe dñs & legiſlator prçcipuus affirmat illas cæremonias ſibi fuiſſe

Cæremoniarum obſeruatio aliquādo fuit vtilis.
Gen. 26.

tam acceptas, vt non ſolùm obſeruatoribus earum, ſed & poſteris eorum multa bona contulerit: Nam ex ſcripturis recens eſt memoria eorum, quę Iſaaco dicebat Dominus: Dabo poſteris, inquit, tuis vniuerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abrahã voci meæ, &c. Verùm euulgato iam Euangelio veteres illæ cæremoniæ non modo inutiles, ſed & ſupervacaneæ ſunt, & quæ ſui obſeruatorem perpetuò damnẽt. Et ob hoc tanto ſtudio eas inſectatus eſt apoſtolus, ne quis putaret eas ad iuſtificationem pertinere. Iſti tam pertinaciter malitioſi, & tam malitioſè pertinaces ſunt, vt quicquid aduerſus pernitioſam legalium cæremoniarum obſeruantiam dictum eſſe clarum eſt, ad Iuſtarum Traditionum demolitionem adferant.

Nec habent (inquiunt) *Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus tanquam iuſtificantes aut neceſſarios ad iuſtificationem. Imò Apoſtoli, Act. 15. dicunt: Quid tentatis Deum, imponentes iugum, &c. vbi velut magnum peccatum accuſat Petrus hoc conſilium onerandæ Eccleſiæ. Et ad Galat 5. vetat Paulus, iterum ſeruituti ſubijci.*

Ephes. 4.

Hanc Aduerſariorum ſententiam ſi ſimpliciter vertas, & dicas: Habent Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus tanquam iuſtificantes & neceſſarios ad iuſtificationem, nihil omninò pecces, imò Catholicam protuleris ſententiam. Conſtat enim apud legitimos Eccleſiarum Epiſcopos, ſummam eſſe definiedi, ſtatuendi, quæ cum ad politiam, tum ad animarum ſalutem pertinent, & quod apud eos poteſtas ſit in ædificationẽ corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia, ad inſtaurationem ſeu conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virum perfectum. Aduerte omnia, quæ apoſtolus memorat, Eccleſiæ miniſtrorum nomina, & vide quam δὶς διὰ πασῶν pugnẽt cum ſingulorum etymologia, præcipuè tamen aduerte, quàm parum erit ἐπίσκοπος, qui Epiſcopi nomine inſignitur, ſi non licebit ei inſtituere cultus, ad iuſtificationem, ad ſalutem ſuorum neceſſarios. Neque rectè dicetur ille ſuis ἐπισκοπεῖν, qui non corrigit deuiantes, qui non ſanat ægrotantes, qui non paſcit eſurientes. Si hic dicant Aduerſarij, quod ad hæc omnia ſufficiat verbum Dei, reſpondebimus, etiam Apoſtolos decreuiſſe nonnulla ad ſalutem animarum vtilia, quorum ne vnus quidem apex in ſacris literis habebatur, & quod Apoſtolorum, & huius tempeſtatis Epiſcoporum vna ſit authoritas, & quod decretorum, quæ vtrique ſtatuerunt, ſimilis ſit transgreſſio. Quamquam quid hic longa altercatione opus eſt, cum iſti non modo negent Epiſcoporum & Apoſtolorum decreta, ſed & Euãgelicorum obſeruationem præceptorũ ad iuſtificationem pertinere. Tam inuerecundi ſunt & pertinaces aduerſus veritatem, vt ſuum de ſola fide iuſtificante errorem ſtatuant. Quod ex actis Apoſtolicis proferunt, iterum legales cæremonias reſpicit, & nihil incommodat noſtro inſtituto. Sic enim legis ibi: Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorũ, qui crediderunt, dicẽtes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq; Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. *Act. 15.* Cum autẽ magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimoniũ perhibuit dans illis ſpiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificãs corda eorum. Nunc ergò quid tentatis Deũ imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum quod neque nos, neq; patres noſtri portare potuimus? De circũciſione, quod audis, & de alijs legis oneribus loquitur: nam verbo vtitur præterito, nempe Potuimus, alioqui ſi de Traditionibus, quæ authore ſpiritu ſancto in Eccleſia ſtatutæ ſunt, loqueretur, verbo vteretur futuri tẽporis, videlicet poterimus. *[illegible]* Oportebat hic Aduerſarios omnia incómoda prius proſpicere, quàm aduerſus veritatẽ Euangelicam, & authoritatem Epiſcopalem definirent. Nam ex hoc eodem capite, quod nobis demonſtrarunt, colligimus argumentum, quod eorum ſententiam, quã putabant irrefragabilem, prorſus labefactat. Nam ex Gentibus ad Chriſtum conuerſis ſic ſcribebant Apoſtoli: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachorum, & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis. *Qui fuerunt Apoſtoli [illegible]* Apoſtoli iſti primi in religione Chriſtiana fuerunt Epiſcopi, fuerunt & homines, ſicut noſtrates Epiſcopi, ſed tamen decreuerunt iſta, quę erant ad iuſtificationẽ neceſſaria, quæ ſi contempſiſſent quibus ferebantur, arguendi eſſent vt diuinæ legis præuaricatores, & quod ſequitur, non potuiſſent iuſtificari etiam ſi bene crederẽt. At ſi forte obijciant hic Aduerſarij, quòd hæc ob Iudæorum ſcandalum obſeruatu fuerint neceſſaria, nihil refragabimur, nam & hoc modo iuuat inſtitutum noſtrum. Valdeenim neceſſarium eſt, vt caueamus, ne quem *Matth. 18.* fratrum verbo aut facto offendamus. Væ *Rom. 14.* enim homini eſt, iuxta vocem Chriſti, per quem ſcandalum venit. Et Paulus: Qui propter cibum ſcandalizat fratrem ſuum, nó ſecundum

cundum

cum iſti non modo negent Epiſcoporum
Apoſtolorum decreta, ſed & Lutheranorum
obſeruationem præceptorũ ad iuſtificatio-
nem pertinere. Tam inuerecundi ſunt &
caces aduerſus veritatem, vt ſuum de ſola
de iuſtificante errorem ſtatuant. Quod
actis Apoſtolicis proferunt, iterum legis
cæremonias reſpicit, & nihil incommodat
noſtro inſtituto. Sic enim legis ibi: Surre-
runt quidam de hæreſi Phariſæorum, qui
diderunt, dicẽtes: Quia oportet circumcid
eos, præcipere quoque ſeruare legem Mo
Conuenerunt q; Apoſtoli & ſeniores vide
de verbo hoc. Cum autẽ magna conquiſi
fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri
tres, vos ſcitis quoniam ab antiquis die
Deus in nobis elegit per os meum au
gentes verbum Euangelij, & credere. Et
nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit
illis ſpiritum ſanctum ſicut & nobis. Et nil
diſcreuit inter nos & illos, fide purificans
da eorum. Nunc ergò quid tentatis Deum
ponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum
quod neque nos, neq; patres noſtri por
potuimus? De circuciſione, quod pa
alijs legis oneribus loquitur, non vide
tur præterito, nempe Potuimus, ſi loqui
Traditionibus, quæ authore ſpiritu
in Eccleſia ſtatutæ ſunt, loqueretur,
vteretur futuri tẽporis, videlicet potes
Oportebat hic Aduerſarios omnia
da prius proſpicere, quàm aduerſus
Euangelicam, & authoritatem Epiſcop
definirent. Nam ex hoc eodem cap.
nobis demonſtrarunt, colligimus argu
tum, quod eorum ſententiam, quã
irrefragabilem, prorſus labefactat.
Gentibus ad Chriſtum conuerſis
bant Apoſtoli: Viſum eſt ſpiritui ſancto
nobis, nihil vltra imponere vobis,
neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis
mulachorum, & ſanguine & ſuffocato
nicatione, à quibus cuſtodientes vos
agetis. Apoſtoli iſti primi in religione
ſtiana fuerunt Epiſcopi, fuerunt
nes, ſicut noſtrates Epiſcopi,
decreuerunt iſta, quæ erant ad
neceſſaria, quæ ſi contempſiſſent
rebantur, arguendi eſſent vt
præuaricatores, & quod ſequitur,
fuiſſent iuſtificari etiam ſi bene
ſi forte obijciant hic Aduerſarij,
ob Iudæorum ſcandalum obſeruata
neceſſaria, nihil refragabimur,
modo iuuat inſtitutum noſtrum.
nim neceſſarium eſt, vt caueamus,
fratrum verbo aut facto offendamus
enim homini eſt, iuxta vocem Chriſti,
quem ſcandalum venit. Et Paulus:
pter cibum ſcandalizat fratrem ſuum

ſecundum charitatem ambulat. Qui non ambulat iuxta charitatem, non iuſtificatur, ſed manet in morte culpæ. Iuſſerunt igitur iſta Apoſtoli, vt ea quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria, tantum abeſt vt noluerint nos Traditionibus, quæ inſtinctu ſpiritus ſancti fiunt, ceu ad ſalutem non neceſſarijs obedire.

Gal. 5. Iam quod Paulus dicit: State & nolite iterùm iugo ſeruitutis contineri, nõ cogit nos, ne ſanctis Patrum decretis obtemperemus, *Heb. 13.* *2. Theſ. 2.* alioqui ipſe ſecum pugnaret Apoſtolus, alio loco dicens: Obedite præpoſitis veſtris, &c. & alio loco: State & tenete traditiones, quas didiciſtis, &c. Et accuſandus eſſet inſanæ doctrinæ, nam vt fert Lucas: pertranſiens cum *Act. 16.* Sila & Timotheo ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Nam non eſt credendum, Paulum aliter hic, aliter ibi docere voluiſſe. Iugum igitur, quò non vult fideles Chriſti onerari, onus eſt legalium cæremoniarum & iniquitatum, quibus prius forte fuerant irretiti. Et hinc palàm pronuntiat: State, in fide videlicet & in iuſtitia, & nolite iterùm iugo ſeruitutis contineri: perinde atque diceret: Fuiſtis antehac graui peccatorum pondere onerati, cum peccatorum eſſetis ſerui: ſatagite deinceps, quando vos Deus ſua gratia dignatus eſt, ne iiſdem iterùm vicijs ceu iugo opprimamini. Hæc eſt germana verborum iſtorum exegeſis, quam etiam Aduerſarij, ſi nollent eſſe obſtreperi, ſequi debebant.

State & nolite, & c. tenere quomodo exponi debeat.

Ioannis Cochlæi Articuli decimiquinti diſcuſſio.

CIrca hunc Articulũ multa profectò ſunt reprehenſibilia, præſertim in Apologia, licèt in Confeſsione quoque non omnia admitti queant. Scopus vtrobique cõſiſtit, & in falſo, ac planè diabolico illo de ſola fide dogmate, & in malitioſo calumniandi ſtudio, atque etiam in hac falſa ſuppoſitione, quòd cultus Dei, qui non eſt verbo Dei in ſcripturis expreſſus, non valeat. Nos autem dogma illud de ſola fide ſuprà ad longum confutauimus. Suppoſitionem vero hic falſam eſſe paucis oſtendemus.

Suprà arti. 5 & infrà ar. 20.

Certè negare nemo poteſt, Deo acceptum fuiſſe illum cultum, quo coluerũt eum ſanctiſsimi homines, Abel, Noe, Abraham, Iſaac, & Iacob. At nullas habebant ſcripturas ex verbo Dei de illo cultu. Nulla enim ſcriptura fuit ante Abel. Nec vſquam deinceps ſcriptum eſt, quod iuſſerit aut præceperit ei Deus, offerri ſibi de primogenitis pecorum, & de adipe eorum. Nihilominus fuit Deo cultus ille gratiſsimus. Reſpexit enim ad Abel & ad munera eius. Neque item præcepiſſe legitur Deus Noe aut Abrahæ ædificare altare, & offerre hoſtias, & tamen id ſibi gratum fuiſſe teſtatur ſcriptura, dicens: Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis ſuper altare. Et laudatur de Cæremonijs Abraham, quas Deo exhibuit, & tamen nuſquam legitur eas à Deo ſibi præceptas fuiſſe.

Non oportet omnes cæremonias ſcriptas eſſe.

Gen. 4. 8. & 22.

Gen. 26.

Dies Dominica. Sic Eccleſia mox tempore Apoſtolorum ſuſcepit cultum, & Cæremonias diei Dominicæ. De quo nullum habebat in ſcripturis præceptum, & reliquit antiquum cultum ſabbati, de quo plena erat ſcriptura. Et tamẽ gratum hoc Deo fuiſſe vel ex hoc conſtat, quod S. Ioanni in die Dominica ſecretiſsimum reuelauit ſua ſecreta, ſed & reliquas Cæremonias Eccleſiæ, de quibus nihil in ſcripturis habemus, multis Deus comprobauit miraculis, ſuamque de illis volũtatem ex facto declarauit. *Apoc. 1.*

Quemadmodum Lutherus ipſe contra Anabaptiſtas ſcribens, de Baptiſmo paruulorum argumentatus eſt. Ex cuius ſanè verbis & noſtras Cæremonias antiquas contra Apologiam iſtam facilè defendemus. Sic enim ait: Nihil debet ſubuerti aut mutari, niſi quod claris ſcripturis ſubuerti, aut mutari poteſt. Eſt enim Deus mirabilis in operibus ſuis. Quicquid habere non vult, hoc ſatis teſtatur in ſcripturis. Quod autem ibi non teſtatur, hoc permittatur tanquam opus eius. Vbi enim conſpicitur opus Dei, non minus cedendum & credendum eſt, quàm vbi auditur eius verbum. *Verba Lutheri.*

Cum igitur Deus tot iam ſeculis in Eccleſia ſua tolerauerit, quinimò ipſo facto approbauerit externum ſacerdotium, Miſſarum celebrationem, Quadrageſimam, conſecrationem ſalis & aquæ, templorum item & altarium atque ſacrarum veſtium, & id genus reliquas Cæremonias noſtras, neque eas in ſcripturis vſpiam prohibuerit, nõ debent ſubuerti, aut mutari, aut haberi cõtemptim pro humanis traditionibus, ſed pro operibus Dei, quia non humana cogitatione, ſed diuino inſtinctu ſpiritus ſancti ſũt inſtitutæ. *Generalis pro Cæremonijs ſequentia.*

Non eſt enim ocioſus in Eccleſia Chriſti paracletus ſpiritus ille veritatis. Scriptum namque eſt: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael, hoc eſt, Eccleſiam. Poſſent igitur hic in temeratores & abolitores Cæremoniarum noſtrarum rectè dici ea, quæ Lutherus dixit in cæleſtes Prophetas: O Chriſticidæ, & animicidæ, quis vobis dedit poteſtatem abolendi, aut prohibendi ea, quæ Deus nuſquam aboleuit, aut prohibuit? Cur voſmetipſos Deo maiores facitis? &c. *Pſal. 120.*

Calumniã verò quã frequẽtiſsimè paſsim repetũt & inculcãt, cõfutare difficile nõ eſt.

Cæremoniæ enim noſtræ non ſunt principaliter inſtitutæ ad iuſtificandum, aut ad promerendam gratiam, aut ad ſatisfaciendum pro peccatis, aut ad remiſsioné peccatorum per eas conſequendam, vti falſò nobis centies imputant Confeſſio & Apologia iſta, ſed potius ad cultum & laudem Dei, in gloriam & honorem Chriſti, ad venerationem & memoriam Dei genetricis, & omnium ſanctorum, ad conſeruandum in Eccleſia decétem ordinem, ad excitandum populi deuotionem, ad commemoranda Chriſti erga nos beneficia, ad exercitium colendi & orandi Deum, ad gratiarum commemorationem, & ad alia multa id genus Chriſtianæ religionis ac verè pietatis bona, quæ non poſſunt breuiter omnia enumerari. Sceleſtiſſima igitur impietate irriſit eas totiès Lutherus, & fecit ex ijs facies quaſdam Antichriſti.

Calumnia. Nec ſunt contra Euangelium ſicut ſepiſſimè calumniatur Philippus, qui Theologos ait propter eas apertè Iudaizare, apertè obruere Euangelium doctrinis dæmoniorum, nec intereſſe inter noſtras traditionet & Moſaicas Cæremonias, illos præterea ſimpliciterea per eas cóſtituere regnum Antichriſti. Hæ & id genus aliæ eius calumniæ, graues profectò ſunt & impiæ blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum, cuius opera & Inſtituta ſunt (vt iam ſupradictum eſt) Cæremoniæ Catholicæ per orbem Eccleſiæ, quas impugnare aut abolere inſolentiſſimæ eſt inſaniç, ſicut Auguſtinus ait: Habent enim ſtabile ac certum in ſcripturis fundamentum. Sic enim ait magnus ille populi ad Cæremonias & cultum Dei exhortator Moyſes: Et nunc Iſrael, quid dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in vis eius, &c. Et Sapiés, Honora (inquit) Dominum de tua ſubſtantia. Ad colendum enim Deum creati ſumus, vt ſeruiamus ei cultu perpetuo in ſanctitate & iuſtitia, intus & extra, vt poſſimus cum Pſalmiſta dicere in tabernaculis Domini, per externas Cæremonias excitati, Cor meum & caro mea exaltauerunt in Deum viuum. Sicut dixit mater Auguſtini Monica.

Auguſt. epiſtola 118 ad Ianuarium.
Deut. 10.
Prou. 3.
Luce 1.
Pſal. 83.

Non rectè igitur ait Philippus, Cæremonias Eccleſiæ (quas impio contemptu vocat traditiones humanas) eſſe contra Euangelium. Reprobauit quidem Chriſtus eas Iudæorum traditiones, quæ mandatis Dei aduerſabantur, ſed non reprobauit Cæremonias legis Moſaicæ, quæ fiebant in templo, quibus ipſemet pleramque interfuit, in Paſchate, in Pentecoſte, in Scenopegijs, in Encænijs, & cæt. Nec deſtruxit templum aut altare propter malos ſacerdotes, ſcribas, & Phariſæos, ſicut in nouis nunc ſectis plerique faciunt, ſed corripuit tantùm abuſus illorum: templum autem & altare, tanquam ſanctum & dedicatum Deo, honorificauit. Ait enim: Stulti & cæci, quid maius eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Cæci, quid maius eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum?

Traditiones.
Matth. 15.
Ioan. 7.

Nec rectè comparat Philippus Euangelicæ legis Cæremonias legis Moſaicç cæremonijs. Tum quia Moſaicæ iampridem prorſus abrogatæ, & Chriſtianis interdictæ ſunt Cæremoniæ, ſicut Paulus atteſtatur in ſuis Epiſtolis. Euangelicæ autem tot iam ſeculis ſunt approbatæ, vt vſque ad conſummationèm ſeculi durabunt, ſicut durat ſpiritus ſanctus in Eccleſia, qui earum eſt author. Quicquid igitur dicit Philippus, in obſeruationes rituum Eccleſiaſticorum, quaſi opinione noſtra mereamur gratiam aut iuſtificationem, aut remiſſionem peccatorú, nihil aliud quá calumnia eſt. Nos enim quando à peccatis liberari & iuſtificari cupimus, non ad ritus & Cæremonias currimus, ſed cótrito corde cófugimus ad ſacerdotem, vt per ſacramentum pœnitentiæ gratiam Dei, & peccatorú remiſſionem conſequamur. Ritus autem & Cæremonias proſequimur ꝑcipuè propter amorem, honorem, & laudem Dei, tum etiam ꝑpter amorem & ædificationem proximi. Nó loquimur ſanè, ſicut falsò nobis imputat Philippus de Cæremonijs Eccleſiç, quaſi per eas & non per Chriſtum velimus vel iuſtificari vel gratiam mereri. Non ita dicimus. Chriſtú enim, ſine quo nihil poſſumus, nuſquam excludimus. Sed neque Chriſtus excludit opera Cæremoniarú, quæ in amorem, laudem & honorem eius à nobis fiunt. Quoniam ſicut increpauit Apoſtolos, dicentes: Vt quid perditio hæc vnguenti? Ipſe reſpódens ait: Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me. Ita & nunc meritò Increpatiſtos Cæremoniarum reprehenſores, quibus dicere poteſt: Quid moleſti eſtis huic mulieri, Eccleſiæ ſcilicet, ſponſæ meæ, matri veſtræ? quam dicitis inaniter perdere pecuniam in Cæremonijs ſuis, dum altaris miniſterium, & reliqua diuini cultus officia & exercitia exornat argento, auro, lapidibus pretioſis, polymitis, ſericis, holoſericis, & id genus alijs vario ſplendore exornatis operibus, vaſis, & alijs rebus. Amen dico vobis, quia hæc fecit & facit in laudem, honorem, & memoriam mei. Ergo bonum opus operatur in me.

Vtinam verò hoc Chriſti reſponſum Euangelicum, percipiant corde Proteſtantes iſti, eiqúe plus credant, quàm ſuis Paſtoribus & Concionatoribus Apoſtatis, & vxoratis, qui non quæ Chriſti, ſed quæ ſua ſunt in antiquis abolendis ritibus quærút. Nemo .n. ignorat, Germaniam longè melius habuiſſe

in

In omnibus, quouſque veteres ſanctorũ Patrum traditiones Cæremoniasque retinuit, ac deuotè obſeruauit in cultu diuino, quàm habet hodiè in iſce locis & prouincijs, vbi Apoſtatæ rituum priſtinorum vaſtatores in templis regnant. Multo enim maiorem vidimus hiſce annis omnium rerum penuriã, poſteaquam vſus veterum rituum, & Sacerdotum cenſus, Eccleſiarumque bona irreligiosè ſubtracta ſunt, quàm antea viderunt maiores noſtri homines religioſi & Catholici, qui cultum & honorem Dei in Eccleſijs opibus ſuis adauxerunt.

Qua de re ſerio loquitur ipſe Dominus, primum ſanè in Deuteronomio, vbi tot enumerat maledictiones, quæ superuenient in eos, qui mandata & Cæremonias eius non ſeruãt. Deuter. 28. Deinde per Malachiam Prophetam, dicens: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixiſtis, In quo reuertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis & primitijs. Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam, &c. Quemadmodum & Paulus ait ad Corin. Qui parce ſeminat, parce & metet. Qui autẽ ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, &c.

Malach. 3.

2. Cor. 9.

Vide ſunt Regum proſpera & adverſa.

Hiſtoriæ quoque clarè atteſtantur, eos Imperatores, Reges ac Principes, qui largiter promouerunt opibus ſuis cultum DEI, longè magis abundaſſe diuitijs & potentia, quàm eos, qui ſacerdotes Dei perſecuti ſunt, & in bona Eccleſiarum ſacrilegas manus miſerunt. Quis enim ex Imperatoribus noſtris, poſt tranſlatum à Græcis ad Germanos Imperium Rom. potentior aut fortunatior, victorioſiórue fuit Carolo Magno, Ottone primo, & Henrico ſecundo? At quot, & quantas fundauerunt illi Eccleſias? quot Monaſteria? Certè de iſto Henrico habetur ſcriptum Bambergæ in aula publica, quod circiter mille Eccleſias erexit, fundauit, aut inſtaurauit. Non enim mentiri poteſt verbum Dei, quod in Prouer. 6. à Salomone probatum ſic habet: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. Alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Quæ autem obijcit Philippus de traditionibus non ſcriptis, quod ſine verbo Dei placere Deo non poſſint, hoc ſupra iam confutatũ eſt, ex ijs quæ de Abel, Noe, & Abraham recitata ſunt.

Addi poteſt, Eccleſiæ traditiones & Cæremonias nõ eſſe ſine interno verbo Dei (quod loquitur in nobis Spiritus Paracletus) inſtitutas. Cæterùm ad externum verbum, quod in ſcripturis comprehenditur, Eccleſiæ poteſtatem nõ eſſe alligatam aut reſtrictã. Quia multa poteſt dicere, credere, ſtatuere, decernere, quæ in ſacris literis non ſunt expreſſe ſcripta. Quod & fecit mox ab initio poſt aſſcẽſionem Domini, antequàm eſſet vlla Euangelij aut Epiſtolarum Pauli ſcriptura. Act. 4. 15.

Paulus Cæremoniarum aſſertor.

Porrò quod Paulum contra Cæremonias noſtras patronum ſibi arrogat Apologia, nõ leuis eſt error atque impudentia. Tum quia Paulus non contra nouæ, ſed contra veteris legis Cæremonias vbique contẽdit, propter Act. 15.
eos, qui ad obſeruationes Moſaicæ legis adſtringere volebant gentiles in Chriſtum credentes, ſicut actus Apoſtolorum apertè teſtantur. Tum quia Eccleſiam vbique defendit, vocans eam ſponſam Chriſti, domum Dei, columnam & firmamentum veritatis. Quomodo eſſet igitur patronus eorum, qui contra Eccleſiam ſchiſmata (quæ ille vehementiſſimè deteſtatus eſt ſemper) faciunt, & Eccleſiæ Cæremonias impugnant & abrogant? Tum denique, quia Paulus Eccleſiæ traditiones diligentiſſimè & prædicauit, & cuſtodiri iuſſit. Ita enim teſtatur de eo Lucas in Actibus Apoſtolorum: Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Et rurſus: Cum autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Et ad Corinthios ſcribens poſt multas rationes de velãdo capite mulieris, finaliter ita ſubiunxit: Si quis autem videtur eſſe contentioſus, nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei. Quaſi dicat, aduerſus contentioſos ſufficit nobis authoritas & conſuetudo Eccleſiæ Dei.

Epheſ. 5.
1. Tim. 3.
1. Cor. 1.

Act. 15. 16.

Falſum eſt & iſtud Apologiæ: Volunt (inquit) Apoſtoli in Eccleſia manere hanc libertatem, ne iudicentur illi cultus legis aut traditionum neceſſarij eſſe. Hoc autem non eſſe verum, clariſſimè conuincit Apoſtolorum & ſeniorum decretum, quod recitat Lucas in eodem capitulo, quod hac de re obijcit nobis Philippus. Viſum eſt (inquiunt) Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos benè agetis, valete. Ecce apertè dicunt, nihil oneris, quàm hęc neceſſaria. Nequaquam enim probauerunt Apoſtoli hanc libertatem (quam docet Apologia) contradicendi Romano Pontifici, & ordinarijs Epiſcopis, in ſuis ſtatutis & ordinationib. Eccleſiaſticis, aut recuſandi, aut temerè præuaricañ- Act. 15.

ricandi, ac tranſgrediendi traditiones, & præcepta Eccleſiæ ad cultum Dei pertinentia.

1.Pet.2. Hanc enim malam, ſcandaloſã, & ſeditioſam libertatem Petrus vocat maliciæ velamen.

Graue peccatũ in præuaricatione rituum. Contrarium itaq; volunt in allegato decreto Apoſtoli. Quamuis enim in ſcripturis noui Teſtamenti nuſquam prohibitum ſit, ſanguine aut ſuffocato veſci: Apoſtoli tamẽ & ſeniores id ꝓ tẽpore prohibuerũt, & neceſſariũ eſſe dixerunt, vt ab eis abſtinerent fideles. Sicut igitur peccaſſent tunc fideles ex Gentibus non abſtinentes à ſanguine & ſuffocato propter fideles ex Iudæis, ita & hodiè peccãt traditionum & conſuetudinum Eccleſiaſticarum contemptores, qui carnibus veſcuntur ſextis ferijs, & in Quadrageſima, & cæt. *Falſa cauſa* Poſtremò falſum eſt & iſtud, ſanctos Patres obſeruaſſe ritus humanos (ſicut cõtemptim vocat Philippus omnes ritus Eccleſiæ, quicunque in ſcripturis noui Teſtamenti non ſunt expreſſi) propter vtilitatem corporalem. Nos enim ſupra longè alias cauſas enumerauimus, quarum potiſſima eſt honor & cultus Dei, propter quem ab Apoſtolis & ſanctis patribus traditiones, & Cæremoniæ Eccleſiaſticæ ſunt inſtitutæ. Nemini enim iuſtius debemus cultum & honorem, quàm Deo patri & creatori & redemptori noſtro, *Danie 3.* de quo dicebant tres pueri ad Regem Babylonis: Deus noſter quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis. *Ioan. 5.* Et Dominus in Euangelio: Vt omnes honorificent filium ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum. Cæterùm iuſtificationem aut remiſſionem peccatorum, non in cæremonijs, ſed Sacramentis Baptiſmo & Pœnitẽtia quærimus (vt dictum eſt) Cæremonias ex amore facimus ad honorificandum Deum, & Sanctos eius, tum etiam propter alias cauſas ſuprà enumeratas.

Ea autem verba multa, quibus ſua iactitat Philippus, & noſtra vituperat in Eccleſijs inſtituta, quoniam vana ſunt & prolixa, reſpõſione alia hic non indigent, niſi iſta generall. Negamus, eò quòd non loquitur verum. Quia contrarium ex facto probari poteſt, ſi quis deformem templorum apud illos vaſtitatem inſpiciat, vbi per totam hebdomadam ſolitudo & ſilentium in templis conſpicitur, niſi quod linguax concionator aliquis per vnam horam criminatricem Papæ & Epiſcoporum ac Monachorum ad plebem concionem profert ſemel aut bis in ſeptimana, omni alio cultu veteri laudeque Dei & ſacramentorum contemptim omiſſis.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimoquinto iudicium.

ARticulus hic decimusquintus, qui eſt de ritibus Eccleſiaſticis non improbatur, licèt non deſit ratio, quare candorẽ deſideremus meritò in Aduerſarijs, qui nuſquam non Eccleſiæ pios doctores nigro carbone notant. Eccleſia non præſcripſit nobis traditiones, quæ obſeruantes ipſas peccare faciant: & bene nouit in quem finem traditiones eiuſmodi dirigendæ ſint: nimirum, vt omnia honeſtè & ordine ſuo pulchrè in Eccleſia fiant. Epilogus huius Articuli in Apologia, vtinam tam verus ſit, quàm nos optare vellemus. Sic autem habet: Et tamẽ vſum libertatis in his rebus ita moderãdum eſſe docemus, ne imperiti offendantur, & propter abuſum libertatis, fiant iniquiores veræ doctrinæ Euangelij: néue ſiue probabili cauſa mutetur aliquid in vſitatis ritibus, ſed vt ꝓpter alendam concordiam, ſeruentur mores, qui ſine peccato, aut ſine magno incommodo ſeruari poſſunt. Hactenus Philippus in Apologia. Iam vt bono ordine de traditionibus & ritibus in Eccleſia loquamur, primum cõteſtatos nos eſſe nouerint Aduerſarij, nos non loqui de traditionibus (imò abuſibus) humanis, quæ autem Præſulum negligentia, aut auaritia in Eccleſiam irrepſerunt, ſed de his quas vt plurimum Romana Eccleſia obſeruat. Deinde quod Eccleſiam attinet, nunquam illa docuit traditiones huiuſmodi neceſſarias eſſe ad ſalutem, vt ſine quibus ſalus nemini contingere poſſit. Hæc nec ſacramẽtis attribuit, nedum traditionibus. Multos enim ſaluos fieri conſtat, quibus nunquam Eccleſiæ traditiones notę fuerunt. Et harum magna eſt vbique differentia, magna mutatio: nec de his iam per multa ſecula vllum ſchiſma fuit, niſi quod ab illis excitatum eſt, qui tanquam impias traditiones calumniati ſunt. *Traditiones non omnes [illegible]* Iam quod identidem obijciunt ex Matthæo illud: Fruſtra me colunt mandatis hominum: mirum eſt quare Aduerſarij locum hunc Euangelij non diligentius excutiont, nec vllum diſcrimen faciunt inter traditiones illas adiaphoras, & traditiones merè impias, qualis certè illa fuit, de negligendis parentibus. Nam ipſi Aduerſarij, opinor, fatebuntur nobiſcum, traditionem Phariſæorum de lotione manuum, non fuiſſe impiam, niſi quod ſuperſtitio quædam acceſſerat. At obijciunt & noſtras traditiones propter admixtas ſuperſtitiones eſſe impias: vt quid ergo ſaluis traditionibus non fecerunt impetum, aut ſi mauiat impreſſionem in ſuperſtitiones? Certè in hoc conducti fuerunt, non vt ſpoliarent Eccleſiam bono tranquillitatis, ſed vt potius repurgarent ipſam ab omni

omni ſpecie iniquitatis. Maximè enim placet, quod Melanchthon alibi ſcribit de huiuſmodi cæremonijs & traditionibus: vidit enim quantum etiam à ſuis hac in re peccatum ſit. *In cap. Roma. 14.* Non probo, inquit, petulantiam illorum, qui ſine probabili cauſa vbique violant (ritus & traditiones videlicet) ſeu ſtudio nouitatis, ſeu quadam contumacia: In his enim non ſolum pietas, ſed etiam humanitas iure deſiderari poteſt. Quid eſt inhumanius, quàm aſpernari publicos mores, præſertim ſi videantur diſciplinæ cauſa inſtituti? Et in eiſdem commentarijs: Sæpe iam videmus, inquit, eos, qui cum veteribus ritibus belligerantur, tamen natura vinci, vt aut veteres mores reſtituant, aut nouas ordinationes faciant, quarum nonnullæ ſic ſatis agreſtes ac barbaricæ ſunt. Hactenus ille in cap. 14. Roman. In epiſtolam verò ad Coloſſ. vbi etiam hoc negotium nō malè tractat, ait: Hoc tempore prodeſt diligenter de retinendis veteribus legibus diſputare, cum tam multi ſint, qui earum authoritatem ſtultis ac ſeditioſis ſermonibus labefaciunt. Et ibidem: Maximè optarim hoc tempore, publicas cæremonias in templis retineri, quatenus ſine peccato retineri poſſunt. Nulla enim res magis offendit imperitam multitudinem, quàm illa in templis nouitas. Hactenus Philippum audiuimus. Subſcribit huic Oecolampadius *Epist. 61.* in epiſtola quadam ad Eraſmum Ritterium: Optarim quidem, ſi in Eccleſijs omnibus integrum foret, Cæremonijs eiſdem cunctos vti. Hæc ille. Cui ego D. Baſilium ſubijciam, Eccleſiæ vices deplorantem: Contempta ſunt, inquit, Patrum dogmata, Apoſtolicæ traditiones annihilatæ ſunt, nouorum hominum inuenta in Eccleſijs regnant, & cæt. Hæc itaque cum ſic ſe habeant, quemadmodum aduerſarij ipſi fatentur, qua ratione ſic tumultuatū eſt? Quis eius rei author? Profe- *And. Knop.* ctò priora Aduerſariorū ſcripta, quod, velint, nolint, agnoſcere cogūtur. An nō apud illos legimus, humanæ cōſtitutiones, nihil aliud ſunt niſi animarum capiſtra, conſcientiarum carnificinæ. Item, peccatum eſt quic- *Zuinglius.* quid Deus, nec verbo, nec facto docuit. Sed deſino hæc ſeditioſa reſuſcitare. Placet nobis in Aduerſarijs mutata ſentētia, iſti nimirum cœperunt ſapere: vtinam non ſerius quàm oportuit. An non pulcherrimas habuit Baptiſmus noſter cæremonias? Sed de his in ſuperioribus. Certè non eſt piarum mentium, vt rectè Capito ait: Maiorum placitis temerè reluctari. Nec diſplicet, quod idem in eadem reſponſione ſcribit: A conſtitutionibus quidem omnibus, quatenus aut conſcientiam obligant, aut pro cultu habentur, liberati ſumus. Nolumus tamen omnia ſurſum deorſum miſcere, & ornamenta Ciuilis vitæ prorſus tollere. Sed poſt veram fidei doctrinam, quæ honeſta ſunt, & quæ ſine contumelia Dei publicè comprobantur, ſtudio amplectimur. Et idem eodem in libello: Nouare quidem & conuellere bene conſtitutas res, valde execrandum: at collapſa in meliorem formam ſedatè, verecundeque reſtituere, laude omni digniſſimum eſt, & c. Et hactenus quidem ille piè ac prudenter, facilius ſiquidem bene inſtituta diſſoluuntur, ſicut Nazianzenus alibi loquitur, quàm diſſoluta reſtituantur. Ex his itaque conſequitur, diligenter examinandum ac ponderandum, quænam traditiones in Eccleſia Catholica vel cum peccato ſeruantur, vel ſine peccato ſeruari non poſſunt. Quo igitur vtemur iudice? Quo arbitro? Quis nobis hanc litem dirimet? Aduerſarij multas traditiones, & cæremonias Eccleſiæ inſectati ſunt, & tanquam impias conuellere, ac porrò abrogare non dubitarunt. Tales autem tanquam pias & ad decorem Eccleſiæ accommodatiſſimas, hactenus noſtri obſeruarunt. Quin & inter Aduerſarios de cæremonijs, quæ ſcilicet retinendæ ſunt vel reijciendæ, penitus non conuenit. Quæ de cæremonijs Baptiſmi & Cœnæ dominicæ ſcripſerunt, eius rei tibi fidem facient proculdubio. Nos igitur tutamur noſtra, Illi reijciunt: & tamen apud vtroſque conuenit, nihil impij in Eccleſia retinendum, quocunque tandem prætextu in eam venerit. Ego nolim me hic interponere iudicem. Audiamus itaque qua nota Aduerſarij diſcernant humanas traditiones pias ab impijs. Quæcunque ad externam viam decenter, & cum commodo proximorum degendam ab hominibus conſtituuntur, non humanæ traditiones ſunt, ſed diuinæ, dimanātes ſcilicet ex lege dilectionis, mandatorum Dei capite. Humanæ autem leges ideò dicuntur, quod per homines eduntur, non autem quod ab hominibus natę ſint. Quare hortatur Petrus, vt propter Dominum illis pareamus. Illa verò tantùm hominum commenta ſunt, quæ nullam bonam frugem adſerant proximis, ſed ad gratificandum potius Deo ſunt conſtitutæ. Hæc ex ſententia Buceri in ca. Matth. 15. quæ opinor Catholicis nō diſplicere, niſi quod addit, eas traditiones eſſe impias, quibus putamus nos gratificare Deo. Certè Deo non poteſt nō eſſe gratum, quod in hoc inſtituitur, vt omnia in Eccleſia decenter & ordine ſuo peragantur, Gratū eſt Deo haud dubie, ſi ſuperioribus noſtris in hoc pareamus, quod ad decorem Eccleſiæ pertinet: etſi propter Dominum illis parere debemus, vtque obſeruatione illarum Deo gratum facimus, qui etiam nobis ob hoc, quod in lege pollicitus, nobis benefaciet. Verum non eſt mirum, quod

illi negant nos traditionibus, & cæremonijs Deo gratum facere, qui non dubitant aſſerere, omnia piorum bona opera peccata eſſe, qua de re, ſuo loco. Quod verò Bucerus præmiſſis annectit exempla impiarum traditionum, delectum ciborum, dierum, locorum, perſonarum, &c. ſuo loco examinemus fideliter. Accipimus & hoc à Bucero, quod alibi ſcribit: Nihil eſſe damnandum, quod vlla ratione bonum eſſe queat. Hoc ſi obſeruatum fuiſſet ab Aduerſarijs, res Eccleſiæ iam melius haberent. Cæterùm nos fatemur ingenuè, magnum certè eſſe numerum Cæremoniarum, & humanarum traditionum in Eccleſia, quæ vel immutari, vel porrò aboleri queant. Sed ſicut non eſt cuiuſuis ponere leges, ita nec decet vnumquemque pro ſua libidine illa deponere, figere, vel refigere. Ad piam Synodum pertinet hoc negotium ſic repurgare, vt abolita omni ſuperſtitione, Deus verè in ſpiritu & veritate colatur. Ego nolim vel ſuperſtitioni, vel impietati patrocinari. Omnia ſuo loco & tempore ponantur. Summa eſt (vt Bucerus rectè ſcribit) quicquid homo ſtatuerit, quod quomodocunque ad vſum proximorum faciat, eoque ex præcepto dilectionis deriuatum ſit, vt ſunt leges ciuiles, ſtatuta œconomica, cæremoniolæ ac ritus, quibus ad verbum Dei commodius docendum, & audiendum, tum prædicandum, denique ad cœnam atque baptiſmum Chriſtiani vtuntur, ac quicquid omnino ad vitam iſtam commodius, atque decentius degendam momentum aliquod habuerit, id nequaquam traditio humana, ſed diuina, licèt per homines adminiſtrata, æſtimanda eſt. Hæc ille. Et vetuſtiſſimus ille Tertullianus ait: Nullo titulo damnare licèt, quæ proſunt omninò, &c. Nec abhorret ab his D. Auguſtini

In Marth. cap. 26.

Ad. 2. ca 18. conſilium, quod Ianuario ſuo dedit. Quæ nõ ſunt contra bonos mores, inquit, nec contra fidem, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cgnoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur. In hoc ergo totius rei cardo vertitur noſtrę, veterésne, an Aduerſariorum traditiones ex lege dilectionis manauerint: nam neutra pars ſuas calumniari patitur. Quod ſi noſtræ bonæ, quare reiecerunt eas? Si illorum bonæ, cur totiès immutarunt? Cur in his ipſis inter ſe non conueniunt? Habent. n. non ſolùm diſſimiles, ſed & porrò contrarias, & pugnantes. Hoc quod alibi in germanico libello contra Lutheri articulos ſufficienter demõſtraui. Adde quod non ita dudum multas cæremonias ad coruos relegarũt, quę iam quaſi poſtliminio ab ipſis reuocantur ac reſtituuntur. Quid quod eas non reſtituunt, quas tamẽ à nobis piè & meritò obſeruari, editis libris teſtantur? Sed quoniam de Cæremonijs & ritibus etiam in ſuperioribus nonnihil diximus, & in conſequentibus etiã eius generis alia dicenda reſtant, his dictis finem faciemus. Exulet philautia, quæratur DEI gloria & Eccleſię decor, & propter diſſimiles ritus concordia non impedietur.

Alphonſi Virueſij Philippica XIIII. De Eccleſiæ ritibus & cæremonijs, quas humanas traditiones appellat Philippus.

QVicquid quintum decimum Confeſſionis veſtræ caput continet, & Philippus adducit in Apologia, in ſuperioribus eſt à nobis excuſſum. Verùm ne cubi deeſſe veritati videamur, oportet nos totiès eadem reſpondere, quotiès à vobis eadem obijciuntur. Humanæ traditiones ſunt duplices, alteræ quæ nihil nouum inducunt, ſed tantùm præſcribunt tempus, locum & modũ, quibus quædam pietatis & religionis opera à Chriſto probata & inſtituta, aut ij mauultis præcepta, commodè & opportune fiant. Alteræ verò, quæ nouum aliquem cultũ aut ritum alias non præſcriptum inducunt. Prioris generis exempla ſunt ieiunium, preces, eleemoſynæ: Poſterioris, veſtium varietas, qua aliter clerici ſimplices, aliter epiſcopi, aliter cardinales, aliter monachi, aliter ſeculares, & inter ipſos monachos, aliter Benedictinenſes, aliter Franciſcani, & cæteri induuntur. Item varij ritus ſacrorum, quibus aliter quadrageſimæ tempore, aliter reſurrectionis, aliter feſtis, aliter profeſtis diebus celebratur. In neutro genere traditionum iuſtificat aut reddit nobis propitium Deum humana cõſtitutio, ſed diuina promiſſio. Quãobrem iure damnata eſt altera pars huius Articuli, qua dicitis, quod traditiones humanæ inſtitutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & ad ſatisfaciendum pro peccatis, aduerſentur euangelio. Nam qui poteſt euangelio aduerſari, quod eidem ſubinde probatur? Dicetis fortaſſe, vos de humanis traditionibus loqui, non de ijs, quæ probat aut inſtituit euangelium. Si per humanas traditiones poſterioris generis ordinationes intelligitis, libentiſſimè accedimus veſtræ Confeſſioni. Nemo eſt enim inter Catholicos tam ſtupidus aut ſuperſtitioſus, qui credat veſtium colorem aut formam, & cæremonias alias huiuſcemodi, iuſtificare. Cũ verò ex ſuperius dictis, & ijs quæ in huius capitis Apologia Philippus reſpondet, appareat manifeſtè, vos de vtriſque operibus loqui, haud poſſumus probare, aut pręterire, quod apertè ſacris literis improbatur. Nam oratio, ieiunium & eleemoſyna, quæ continentur primo genere traditionum, vtilia ſunt ad placandum Deum, promerendam

Traditiones duplices.

Philip. 10.

dam gratiam,& ſatisfaciendum pro peccatis. Vtilia, inquam, ſunt, non quatenus illis ab hominibus tempus, locus aut modus præſcribitur (tametſi huiuſmodi præſcriptionis obedientia,ſua mercede non careat)ſed quatenus per ſacras literas conſtat,huiuſcemodi opera ſuas promiſſiones habere. Nam Tobias ait: Bona eſt oratio cum ieiunio,& eleemoſyna magis, quàm theſauros auri recondere:quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Item apud Matthæum de ieiunio, oratione & eleemoſyna dicit Chriſtus: Et pater tuus, qui videt in abſconſo,reddet tibi.Quid obſecro reddet, quibus non placatur?Similiter in Luca:Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.Quę omnia?Peccata nimirum, de quibus loquebatur Daniel: Placeat tibi rex conſilium meum, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.Innumera ſunt loca ſcripturarum,quibus nobis hæc tria magnificis promiſſionibus commendantur:ieiunium, quo vniuerſa corporis caſtigatio : eleemoſyna, qua omnis beneficentiæ genus:& oratio,qua omnes religionis affectus & ſtudia continétur.Sed videamus,quomodo hęc & id genus alia teſtimonia eludat Philippus. De mortificatione,inquit,carnis & diſciplina corporis ita docemus, ſicut narrat Confeſſio,quod vera & non ſimulata mortificatio fiat per crucem & afflictiones, quibus DEVS exercet nos. In his obediendum eſt voluntati Dei, ſicut ait Paulus: Exhibete corpora veſtra hoſtiam, & cæt. Et hæc ſunt ſpiritualia exercitia timoris & fidei. Verùm præter hanc mortificationem, quæ fit per crucem, eſt & voluntarium quoddam exercitij genus neceſſarium,de quo Chriſtus ait:Cauete ne corda veſtra grauentur crapula. Et Paulus:Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo, & cæt.Et hæc exercitia ſuſcipienda ſunt, non quod ſint cultus iuſtificantes, ſed vt coerceant carnem, ne ſaturitas obruat nos, & reddat ſecuros & ocioſos: qua ex re fit,vt affectibus carnis indulgeant & obtemperent homines. Hæc diligentia debet eſſe perpetua, quia habet perpetuum mandatum Dei. Et illa præſcripta forma certorum ciborum ac temporum, nihil facit ad coercendam carnem. Eſt enim delicatior & ſumptuoſior, quàm reliqua conuiuia. Et ne Aduerſarij quidem obſeruant formam in canonibus traditam. Nunc in primis operæprecium eſt animaduertere hominis prudétiam: qui cum verſaremur inter omnia, quæ ſacris literis per ſpiritum ſanctú probata, humanis verò traditionibus ordinata ſunt in eccleſia,& per certa tempora, locos & viciſſitudines diſtributa,tantùm reſpondet ad ea, quibus ieiunium commendatur, cum ſuperius à peccatorum remiſſione non minus eleemoſynam & orationes,quàm ieiunium excluſerit.Ad hęc cum veſtra Confeſſio habeat, humanas traditiones contra euangelium inſtitui ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, nunc, cæteris prætermiſſis, tantùm adimit ieiunio,peccatorum remiſſionem,tametſi ne nihil prodeſſe videatur, tribuit illi carnis mortificationem, neceſſariò quodam exercitij genere voluntariè aſſumptam,de quo Chriſtus ait:Videte,ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Et Paulus: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo,& cæt. Hæc appellat exercitia, quæ dicit eſſe ſuſcipienda, non vt ſint cultus iuſtificantes,ſed vt coerceant carnem, ne ſaturitas obruat nos,& c. Nullúmne alium vſum habent ieiunia, nihilne aliud nobis conferunt, niſi vt coerceant carnem, ne ſaturitas obruat nos? Quid igitur eſt illud, Quod pater videns in abſcondito, reddet ieiunantibus? In quem vſum ſucceſſiua ieiunia ieiunabant Apoſtoli & cæteri fideles, qui ſpiritus ſancti primitias acceperant, ſi nihil aliud debet eſſe ieiunium, quàm perpetua ſobrietas?Ieiunantibus eccleſiæ primoribus, qui & prophetiæ munere præſtabant, dixit illis ſpiritus ſanctus : Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes imponentesq́ue eis manus, dimiſerunt illos. Hi (authore Philippo) non ieiunaſſent,quando nihil ieiunium impetrare poterat apud Deum, quem orabant. Niſi fortè Apoſtolos dimiſſuri ieiunauerunt,ne grauarentur corda eorum crapula & ebrietate, quemadmodum accidere ſolet ijs, qui compotatiunculis aut iuſto conuiuio excipiunt amicos peregre profecturos. Atqui nihil huiuſcemodi timendum erat Chriſti apoſtolis, prophetis & diſcipulis,qui iugi parſimonia & ſobrietate carnem ſpiritui ſubdiderant. Sed cum viderent ingentem meſſis farraginem, quàm tam pauci operarij excolendo non erant,rogabant iuxta Chriſti doctrinam dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Has preces cum ieiunijs augerent, impetrauerunt, vt ſpiritus ſanctus illis apoſtolicam deſignationem Sauli & Barnabæ reuelaret, quinimò & committeret. Alioqui, niſi hoc ſignificare voluit Euangeliſta,quid illi opus fuit, tam diſerte aſcribere, ſpiritum ſanctú ieiunantibus eſſe loquutum? Cuius oraculo accepto, rurſus ieiunio & oratione felix fauſtumq́ue nouis Apoſtolis & eccleſiæ munus & iter precantur. Comminiſcatur nunc Philippus præſidium aliquod, quo confugiat : nos ſimpliciter accipimus ſcri-

Tob. 12.

Luc. 11.

Philipp.

Rom. 12.

1. Cor. 9.

Matth. 9.

ſcripturas, quibus docemur, ieiunio & oratione apoſtolos ſupplicaſſe. Qui ſi ſcirent, Deum nobis ieiunio non placari aut promereri, nec ipſi priuatim incidente caſu aliquo ieiunaſſent, nec euangeliſta tam diligenter, vbi numinis fauor aliquis commemorandus erat, ieiunia recenſeret. Denique Paulus &
Act.14. Barnabas, cum per ſingulas eccleſias Liſtri, Iconiæ & Antiochiæ ordinaſſent presbyteros, diſceſſuri cum ieiunationibus oraſſe ſcribuntur. Si ieiunia illa nihil aliud erant atque aſſidua quædam ſobrietas, & nihil illis potuit promereri, quamobrem euangeliſta priuatis caſibus, vbi aliquid diſcriminis intererat, tam ſedulò commemorat priuata ieiunia, illorum præſertim, quos credendum eſt, iugi parſimonia cauiſſe, ne grauarentur crapula & ebrietate? Si nihil aliud debet eſſe ieiuni-
2.Cor.6. um, atque iugis temperantia victus, quænam ſunt multa illa ieiunia, quæ Paulus Corinthijs ſuadet? Quódnam eſt illud ieiunium, quod orationi adiunctum, genus quoddam
Matt.4. dæmoniorum expellit? Cuius denique ieiunij exemplum Chriſtus nobis præbuit ſuo ieiunio? Non certè aſſiduæ ſobrietatis. Nam hoc perpetua temperantia, rebus vniuerſis modeſtè vtens, præbebat. Præterea ſi Patres, vt Philippus dicit, nihil aliud exiſtimauerũt eſſe euangelicum ieiunium, quàm huiuſmodi perpetua carnis caſtigatio, & nulla eſt ab illis traditio hoc conſilio inſtituta, vt mereamur remiſſionem peccatorum aut iuſtitiã, ſed propter bonum ordinem in eccleſia & tranquillitatem: In quem obſecro vſum inſtituta eſt ab eis Quadrageſimæ ieiunatio, quæ nihil ad ordinem Eccleſiaſticæ hierarchiæ, neque ad tranquillitatem videbatur attinere? Hæc inſtitutio Patrum eſt antiquorum, non recentiorum Pontificum, ſed omnium, qui ab ipſo naſcentis eccleſiæ exordio cùm ſapientia tum ſanctitate polluerunt, conſenſu & obſeruatione inſtituta, roborata, firmata. Vereor ne Philippus (vt eſt illi Lutherus ſemideus) reſpondeat, illos homines fuiſſe. Dicit tamen (vt aliquid reſpondiſſe videatur) nunquam illos hoc conſilio quadrageſimam & ieiunia quædam alia inſtituiſſe, vt per ea mereremur Deum nobis eſſe propitium, aut peccata remitti. Quo igitur conſilio inſtituerunt? Nunquam explicabit. Nam illud de ordine & tranquillitate, quis non videt eſſe prorſus alienum à propoſito? Ad coercendam verò carnem, Philippus negat ciborum & temporis præſcriptionem quicquam conferre: præſcripſiſſe verò Patres, negare non poteſt, cum vetuſtiſſima vna atq; religioſiſſima fuerit apud illos quadrageſimalis ieiunij obſeruatio. Declarant hoc, præter annales & chronica, conciones ſanctorum habitæ in Quadrageſima, quales ſũt Chryſoſtomi in Geneſim, ac cæterorum etiam antiquorum vſque ab apoſtolis. Porrò conſilium ſuum in probãdis inſtituendisque ieiunijs, & quid de ieiuniorum fructu & vtilitate crediderint, ipſi ſuis verbis, quę ſuperius Philippo à X. citauimus, apertè declarant, poſſemusque multa eiuſdẽ generis, ſi opus eſſet, teſtimonia producere. Sed qd Philippo ſatisfecerit, cui verba Chriſti & apoſtolorum eius, totiès à nobis producta, non ſatisfaciunt? Iam illud, quo toties nobis difficultatem facit, de CHRISTI meritis & ſatisfactione, quæ videretur inanis, ſi noſtra ieiunia ſatisfacerent, eandem habet in mortificatione carnis obiectionem.
Vt enim ſemel Chriſtus pro nobis omnibus Rom.6.
ſatisfecit, ita ſemel vetus homo noſter cum eo crucifixus eſt: non enim commortui modo ſumus, verùm & conſepulti cum Chriſto per baptiſmum in mortem. Quibus tamen verbis non obſtantibus (tametſi veriſſima ſunt) idem Apoſtolus, qui Chriſti Ieſu gloriam in illis prædicat, frequens eſt in admonendo, vt nos membra noſtra ac noſmetipſos mortificemus. Haud igitur, quod noſtra ieiunia ac cætera pœnitentiæ opera ſatisfaciunt pro peccatis, magis CHRISTI gloriæ, qui pro nobis ſatisfecit, decedere credendum eſt, quam eiuſdem gloriæ detrahit iugis noſtra mortificatio, cum ſemel ipſe veterem hominem noſtrũ exſtinxerit,
& affixerit cruci. Satisfecit ſemel Chriſtus Coloſ.1.
pro nobis, ſed nõdum deſijt ſatisfacere, quia quotidiè in membris ſuis ſatisfacit, Ita vt ſint ex illis, qui prædicare auſint, ſupplere ſe, quę deſunt paſſionum Chriſti, in carne ſua pro corpore eius, quod eſt eccleſia. Ad eundem modum exſtinxit Chriſtus veterem hominem, ſed nondum eſt exſtinctio hæc & mortificatio conſummata, quia quotidiè fit in ijs, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritũ. Hoc nimirũ eſt, quod Paulus ait: Quia vetus homo noſter ſimul cũ eo crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & iuſtificatio legis impleatur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Roget me fortaſſe quiſpiam: Si hoc efficit Chriſtus, cur non aſſequũtur omnes, qui Chriſto credunt? Fortaſſis eſſet hic potius hærendum, quàm reſpondendum: ſed fidenter reſpondeo, quia nõ omnes ſequuntur & conantur, vt deſtruatur corpus peccati. Dedit enim Chriſtus poteſtatem, fi-
lios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius: Ioan.1.
penes illos autem eſt fungi hac poteſtate, & fructum eius aſſequi. Porrò quod attinet ad traditiones humanas, de quibus in vniuerſum eſt orta diſputatio, quaſque per nos ſuſcitari Philippus queritur, cum oẽs has aboleuerit Chriſti gratia, duplici cauſa Chriſtus abſtulit iugum legis, quarum neutra cogit,

vt

vt nobis auferant.Primò(vt prætermittã myſticas illas ſignificationes,quæ Chriſto aduenientе ceſſarũnt) veteres Hebræorum ritus Deus ipſe tradiderat, qui pondus quoddam diuinæ ſeueritatis præ ſe ferebant,atque adeò ſpiritum timoris potiùs, quàm amoris gignebant affectum, graue enim erat, & cui tolerando impares eſſent humanæ vires, illud ſubinde repetitum: Ego dominus:Hæc dicit dominus,& ſimilia. Noſtros verò ritus CHRISTVS ipſe tametſi verus homo, non edidit, tantùm tradidit authoritatem Eccleſiæ,vt ipſa ſibi præſcriberet ritus, quibus pietatem præſtaret & religionem,qui ab hominibus inſtituti, humanæ imbecillitatis rationem in primis haberent, vt habent,eſſentque humana prouidentia & authoritate mutabiles.Præterea veteris legis traditiones obſitę erant pręceptis & interminationibus, terribileſque conteſtationes ſæpius obtundebant, niſi mordicus ſeruarentur: noſtræ verò traditiones nihil capitalis periculi afferunt tranſgreſſoribus, modo abſit animus impius aut contemnens.In hac enim ſententia ſum,quamdiu Eccleſiæ non improbatur, cuius interim authores habeo grauiſſimos iuxta atque doctiſſimos.Hactenus de fidei & operum meritis, tertium ſub diuerſis titulis diſſeruimus. In quibus ſicubi forte, vt ſum homo, lapſus ſum aut deceptus, in hoc certè ſcio me nullo modo decipi poſſe,quod eſt totius controuerſiæ argumentum: Haud ſola fide homines ſaluos fieri,ſed etiam charitate & operibus bonis, ſi per ætatem præſtari potuerint. Hoc quippe ſcripturæ omnes prædicant.Hoc iudex ipſe diſcrimen fore ſeruãdorum à dãnandis in iudicio pollicetur.Hoc tota per orbem terrarũ eccleſia hactenus credidit, cuius iudicium ſemper eſt Catholicis amplectendum,id quod & me feciſſe, & perpetuò facturum profiteor.Quãquam etiamſi me in hac cauſa Eccleſiæ præiudicium deſtituiſſet,ſcripturarũ teſtimonijs,quæ vtrinque poſſunt adduci, perſpectis, libentius accederem huic ſententiæ, qua bona opera ad ſalutem requiri iudicantur, quàm oppoſitæ: quandoquidem certò ſcio, plura hanc cum antecedere, tum conſequi, quæ ad communem vtilitatem poſſint conducere, quàm iſtam.Qui fit, vt maiori cum fructu aſſeratur, & minori periculo in ea, ſi forte contigiſſet errare,decipiamur. Nam ab operum fiducia nullum imminet nobis periculum, qui vni Chriſto fidimus, ſine quo fatemur nihil boni operis à nobis poſſe conſequi, nihil bona opera,quod ad veram attinet felicitatem, in nobis poſſe facere.

Iam quod ad alterum genus humanarum traditionũ pertinet, haud grauate fatemur, illas nihil ad placandum Deum aut promerendam gratiam conferre, vt quibus immediate nulla eſt in ſacris literis merces promiſſa.Nam mediate nihil eſt à maioribus inſtitutum, quod non complectatur illa Chriſti promiſſio:Qui vos audit,&c. *Luc. 10.* Tametſi non ignoro, quicquid mercedis hiſce verbis promittitur,non operibus aliàs inutilibus, ſed obedientiæ deberi,quæ vnà cum fide præmium huius,& aliarũ id genus promiſſionũ immediatè apprehendit. Habét etiam præter hoc, huiuſmodi ritus alias vtilitates,quæ diligentibus Deum cóferunt ad pietatem. Primùm enim ſymbola ſunt Chriſtianæ ſocietatis,deinde myſticas habent ſignificationes, ab inſtitutione ſua ortas, vſu & conſuetudine firmatas, quibus multa non modo rudes docent,verùm & admonent ſapientes. Adhæc extima illa corporis ſupplicatio, ſupplicem animum haud raro efficit, & intimè quodammodo ad orandum componit. Hinc cineres,hinc ſacci,hinc cilicia,hinc proſtrationes,quarum rerum totiès meminit ſacra ſcriptura, & Patrum antiquiſſima decreta nos admonent. Quamobrem mea quidem ſententia temere Philippus (ne interim vtar verbo grauiori) *Philippus.* huiuſmodi Chriſtianorum ritibus æquat gẽtilium & Mahumetarum obſeruationes, & Iudæorum, qui cum Hieroboam deſciuerunt à lege per impia commẽta: Si licèt,inquit,hominibus inſtituere cultus,& per hos cultus merentur gratiam, iam omnium gentium cultus erunt approbandi, cultus inſtituti Hieroboam,& alij extra legem erunt approbandi, & cæt. Et infrà:Sicut regnum, inquit, Mahumeticum habet cultus, habet opera, per quæ vult iuſtificari coram Deo, nec ſentit homines coram Deo gratis iuſtificari fide propter Chriſtum: ita & Papatus erit pars regni Antichriſti, ſi ſic defendit humanos cultus, quod iuſtificent. Detrahitur enim honos Chriſto,cùm docẽt, quòd nõ propter Chriſtũ gratis iuſtificemur per fidem,& c.Sunt qui huiuſmodi floribus, quibus maximè vernant cùm Philippi, tum Lutheri vniuerſa commentaria, vſqueadeò irritentur,vt iuſto zelo,velut œſtro, perciti, ſuis illos coloribus pingant. Ego verò eò minùs huiuſmodi verbis commoueor, quò faciliùs, etiam nobis tacentibus, ſcribentis animus proditur,arguitur, deprehenditur. Illud me maximè mouet,cùm Philippus ſolidis,vt videntur, rationibus, & ſcripturarũ validiſſimis,quod non rarò facit,teſtimonijs Catholicam veritatem laceſſit & inſectatur; nunc autem quis non videat illum argumentorum præſidio deſtitutum, ad acerbiſſima iſta parerga confugere? Quem, priuſquàm ad collationem rituũ, quos æquare conatur, deſcendam,manſuetè percunctor:Quid obſecro erit,ſi Eccleſia, quã inuidioſo nomine

Papa-

Papatum vocas, doceat hominem gratis iuſtificari propter Chriſtum, & tamen exigat ritus quoſdam externos, à ſe eiuſdem Chriſti authoritate inſtitutos ad colendum Deũ? Num erit tunc temporis regnum Antichriſti? Minimè, inquies, ſed tyrannicè exigitur à fidelibus, quòd illos non iuſtificat coram Deo. Atqui ſi hoc eſſet tyrannis, tyrannicum eſſet exigere, vt Chriſtiani Dei & proximorũ dilectionem externis operibus præſtarent, quandoquidé nihil horũ nos (ſi Philippo crẽdimus) nec ipſa quidem charitas, iuſtificat coram Deo. Iam collatione, quæ Eccleſiæ ritus, præſertim cùm neutros illorum, quos nos diſtinximus, exceperit, confert ritibus paganorum & pſeudoiudæorum, quid ineptius, ſi penitùs inſpiciantur? Hieroboam inſtituit ritus contra Dei mandatum & religionem, quibus verum Dei cultum euerteret. Eccleſia tradit ritus, qui nullis diuinis aduerſantur, & Chriſto permittente, ne dicam præcipiente, ſunt inducti: niſi fortè dicamus (vt ieiunia & preces tandem omittam) Apoſtolos, qui primi omnium ritus huiuſcemodi, quod ſuperiùs demonſtratum eſt, ſanxerũt, Chriſto prohibente ſciuiſſe. Ad hæc Hieroboam, vnius veri Dei cultu ſublato, idolorũ inuexit culturam, id quod verba Prophetæ aduerſus Eccleſiam à Philippo citata, declarant: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec idolis eorum polluamini, ego dominus Deus veſter. *Ezech. 20.* In præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, & facite ea. Idem quod Hieroboam fecit, facturus eſt Antichriſtus, iuxta illud teſtimonium, quod etiam Philippus ex Daniele citat aduerſus nos. *Philippi malitia.* Ita enim animum induxit ſuum, vt nullum conuiciorum genus prætermittat, nullum ſcripturarum locum non torqueat, quo Eccleſiam & eius Hierarchiam, ſynagogam ſatanę & regnum Antichriſti eſſe perſuadeat. Danielis verba ſunt: Deum Maozim in loco ſuo colet, & Deum, quem non nouerunt patres eius, colet auro & argento, & lapidibus pretioſis. Ecquid rogo ſimile fit à Chriſtianis, etiam ſi credant Eccleſiæ ritus neceſſarios ad placandum Deum, modò non ſine Chriſto ſentiant ſe poſſe iuſtificari, vt quatenus Chriſtiani ſunt, non aſſentiri non poſſunt? Num Chriſtiani ſuis ritibus Deum Maozim colũt, aut adorant Deum aliquem, quem patres nõ coluerunt? Minimè gentium. Nam etſi ſunt, qui dicantur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, nobis tamen vnus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum. Sed non in omnibus eſt ſcientia, inquit Apoſtolus, quod & modò accipit de vniuerſo fermè Chriſtianorum vulgo, cuius ſuperſtitionem ſi Philippus ſibi proponebat inſectandam, oportebat illum bonam Eccleſiæ doctrinam, & leges à malis moribus & peruerſis interpretationibus, interdum & additionibus ſeiungere, & ita Apoſtolica moderatione, in docẽda vera iuſtificatione & commenticia dedocenda, vti? Id quod noſtro ſeculo egregius vir Eraſmus Roterodamus, ſi quis alius, conatus eſt obſeruare, tametſi & ille (quod eius pace dixerim) feruentior eſt interdum & acrior, quàm vulgari ſimplicitati & quorundam malitiæ expediret. Hactenus tamen per illum Eccleſiæ traditiones incolumes permanent, & ſuum locum retinent in miniſterio pietatis. Et nos nonnihil eccleſiaſticis cõcionibus Euangelij cauſam aduerſus hominum commẽta pro noſtra virili iuuimus, ad inuidiam vſque illorum, qui adulterãtes verbum Dei, quæſtum exiſtimant pietatem, qui *1. Cor. 6* vbique, velut lolium, bono ſemini ſunt admixti, abſit tamen vt vbique regnent, quod Lutherus nobis exprobrat. Solus enim Chriſtus in Eccleſia regnat, & vincit in membris ſuis hoſtem, quem à ſeipſo deuictum, ad exercendam fidem electorum quadantenus reſpirare permittit. Mahumetici ritus, qui ſuperſunt ex Philippica collatione, haud ſcio quales ſint, neque quatenus aut quomodo illis vtantur Sarraceni, quos eodem ſtudio, & penè eodem commento auertit Mahumetes à religione Chriſtiana, quo Hieroboam auertit decem tribus à vera religione, vt tunc temporis erat Moſaica. Hoc vnum tantummodò omnes illi ritus mihi videntur, quod cùm multarum ſint ſectarũ velut rapſodia, itidem olent, quaſi cum vna multa iura confundit coquus: quid oleas neſcias, niſi id vnũ malè olere intelligas. Cæterùm quæ poteſt eſſe collatio illorum, quicunque ſint, quos excogitauit infidelitas, ad Eccleſiæ ritus, quos inſtituit fides, pietas probat, religio ſeruat? Quibus ſi incommodis Interpretationibus, aut ineptis adinuentionibus quidã fortaſſis inter nos abutuntur, haud proptereà ſuccenſendum eſt omnibus. Nec omnes Germani concionatores tam ſanctè docẽt, quàm fingit Philippus. De iuſtitia, inquit, fidei, de fide in Chriſtum, de conſolatione conſcientiarum nihil dicunt aduerſarij, imò hanc ſaluberrimam Euangelij partem lacerant cõuitijs. Econtrà in noſtris Eccleſijs omnes cõciones in his locis conſumuntur. De pœnitẽtia, de timore Dei, de fide in Chriſtum, de iuſtitia fidei, de conſolatione conſcientiarum per fidem, de exercitijs fidei, de oratione, qualis eſſe debeat, & quòd certò ſtatuendum ſit, quod ſit efficax, quòd exaudiatur. De cruce, de dignitate magiſtratuum & omnium ciuilium ordinationum. De diſcrimine regni Chriſti, ſeu regni ſpiritualis & politicarum

rum rerum. De coniugio, de educatione, & inſtitutione puerorum, de caſtitate, de omnibus officijs charitatis, &c. Specioſa verba, & quibus dignum eſt vt omnes applaudant Catholici: attamen vtri ſint in cauſa, concionatores an auditores, minimè ſcio, tamen quod re ipſa licuit experiri, nihil horũ, de quibus ipſi diſſerunt pro concione, ſanctius aut religioſius ſeruari poſt Lutheri doctrinam, quàm anteà ſeruabantur: quinimò omnia ſunt in deterius mutata, ita vt coactus ſit ipſe Lutherus Pontificis & Monachorum regnũ, quod vocat, in vrbibus quæ maximè illi credunt, deſiderare. Concionatores etiam ipſi ita de locis huiuſmodi diſſerunt, vt pręſtaret eos non attigiſſe. Concionabantur Ariani de Trinitatis myſterio, de verbi Dei incarnatione, De eiſdem etiam locis Sabelliani: intereſt tamen multum, quid, aut quomodo de vnaquaque re diſſeras, cùm de eadem verè & falsè, impiè & catholicè poſſit haberi concio? Denique quod veſtri concionatores de his locis prædicant, non poteſt non eſſe eiuſdem farinæ cum eo, quod Lutherus docuit, & Philippus defendit. Quomodo autem audientium animos afficiant, aut quos affectus excitẽt in eis, apparet ex epiſtola illa Eraſmi teſtis oculati, & vobis non perinde multùm inſenſi (cùm Eraſmum nomino, honoris ac dignitatis, vt par eſt, cauſa nomino) quam epiſtolam ad quoſdam Argentoratẽſes Eccleſiaſtes miſit. Porrò noſtri concionatores (de concionatoribus loquor, non de vendinugis cauponatoribus, quorum vtique magnus eſt numerus) noſtri, inquam, concionatores de eiſdem locis dicunt, quos Philippus recenſet, variè tamen, & à veſtris longè diuerſa. Dicunt illi de pœnitentia diſertè quidem & plauſibiliter, quandoquidem habent expoſitum, quo ſpaciari poſſint, & ſuæ maledicentiæ copiam oſtentare, campum nugarum, quas tùm quæſtus, tùm inepta deuotio quorundam ſparſit in vulgum Chriſtianorum. Hæc tamen ita lacerant, ita conuellunt, vt deteriora diſſeminent: ita locũ explicant, vt ſatiùs eſſet nõ attigiſſe, quando populus iſta doctrina de Chriſti vnius meritis ſibi blandiens, ignauam quãdam, non fidem, ſed confidentiã ac præſumptionem concipiunt eſſe pœnitẽtiam. At noſtri pœnitentiam eſſe dicunt præteritorum ſcelerum deteſtationem, qua etiam ad Euãgelicam vltionem animus inardeſcat, & futurorum reſipiſcentiam: id quod Patres dixerunt, commiſſa lugere, & lugenda non committere. Quæ omnia fide illa, quam ſacramẽto profitemur, perficiũtur, & fiunt efficacia. Veſtri timorem Dei quoſdam hyperbolicos terrores & hactenus minimè intellectos, nedum expertos eſſe dicunt. Noſtri vt animus ſummoperè vereatur, & ſummam curam adhibeat, ne quicquam prętermittat, etiam minimũ illorum, quæ diuinis oraculis ſunt nobis præſcripta: nam qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl. 7.* De fide, quòd ſola iuſtificet, & ſufficiat ad ſalutem, veſtri docẽt. *1. Cor. 13.* Fidei noſtri primas tribuunt in iuſtificatione, ita tamen, vt minimè ſola ſufficiat: quoniam ſi habuero omnẽ fidem, ait Paulus, qua vel montes transferre poſſim, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Conſolantur veſtri conſcientias illorum, quos tædet affectus mortificare, & crucem domini ferre, dicentes ſufficere illam, quam Chriſtus pro nobis tulit: nec ſatis illi fidere, qui huius laboribus & meritis alia conantur adiungere, & hanc vocant fidei conſolationem, de qua maximè gloriatur Philippus, & Lutheri doctrinam commendat. Hanc gloriam non inuidemus, quę communis eſt illi cum Epicureis, qui gloriabantur ſe ſuo dogmate Deorum metum ab animis hominum ſuſtuliſſe. *Nota.* Nam quo aliqua ſecta pernicioſior fuerit & ſordidior, eò pacatiores reddet mentes eius perſuaſione ſemel imbutas. Quamobrem noſtri tantummodò eos conſolantur, qui iuxta Chriſti doctrinã, ſuas cruces eius cruci nitũtur adiungere: & membrorũ merita capitis ſulcire meritis. Eſſent enim alioqui ꝓrſus inualida. Hæc cũ tã ſublimia ſint, vt miraculo, cùm fiunt, potiùs q̃ virtuti tribuenda videantur, ſubleuatur tamen ad aggrediendum noſtra fragilitas Ieſu Chriſti promiſſionibus nec obſcuris nec infrequẽtibus, vtpotè quæ maxima pars ſunt Euangelicæ doctrinæ: *Matt. 11.* Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum meũ ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Et rurſus: Cõfidite, quia ego vici mundum. Et alibi: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. &: Ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſeculi. Et per Apoſtolum: Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tẽtatione profectum. Et Propheta: *Eſai. 25.* Laudabit te, inquit, populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Veſtri docent, crucem eſſe, patienter ferre calamitates & incommoda vniuerſa, quæ nobis frequenter accidunt. Noſtri addunt affectuum mortificationem aſſiduam, de qua Paulus: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam, &c. Addunt & labores quoſdam pios, *1. Cor. 9.* ad hoc ſuſceptos, vt iuxta eundem caſtigemus corpus noſtrum, & in ſeruitutem redigamus, exhibeamusq́; corpora noſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationa-

bile obſequium noſtrum. Fidei fructū, charitatem, & eius opera eſſe docent veſtri: cui doctrinæ (tametſi in ſacris literis non inueniatur) haud magnopere aduerſaremur, niſi illa conaremini charitatē à iuſtificatione ſecludere. Porrò noſtri quid de hiſce rebus docent? Nempe ſi ad fidem referantur, charitatem eſſe fidei, non fructum, ſed vitā, vim energiam, quoniam fides per dilectionem operatur, & ſine operibus mortua eſt. Cætera verò opera vtriuſque fructus eſſe, fidei ſcilicet & charitatis, quoniā charitas patiens eſt, benigna eſt, & innumera penè alia bona gignit, quæ Paulus enumerat. Veſtros de oratione docere, quòd certo ſtatuendū ſit, quòd ſit efficax, & quòd exaudiatur, ait Philippus id quod de noſtris, vt ſunt veſtris timidiores nunquā audire me memini, ſed quod interdum maximo noſtro bono iuſtas etiam orationes Deus non exaudiat, cuius rei experimentum in promptu eſt, vt cæteros omittamus, in Paulo ter dominum deprecante. Idem vſu venit multis alijs bonis viris, Prophetis, Apoſtolis, & martyribus. Quanquàm quid opus eſt peccatorum exemplis vti ad confirmandam rem, cuius in ſemetipſo nobis Chriſtus exemplum exhibuit? De cruce haud video quid docere poſſint, qui paſſionum tolerantiæ omne meritum, atque adeò mercedem omnem ademerunt, & iactant ſe ſua doctrina, ſi Chriſto placet, maximam cōſolationem attuliſſe, cùm nulla ſit alia, conſternandis animis, eneruandæ virtuti, & prorſus abijciendæ, accommodatior iſta. Alioqui fruſtrà nos Chriſtus tam crebris, tamq́ue magnificis promiſſionibus ad pietatem capeſſendam hortaretur, nunquam adeò frequenter gloriæ triumphum crucis ignominiæ ſacræ literæ adiunxiſſent. A noſtris verò quid hoc de loco prædicetur, ſuperiùs expoſuimus. Poſtremò iſti de diſcrimine regni Chriſti, & regni politici ita loquuntur, vt Catholicos omnes Papiſtas, Romanam Eccleſiam Babylonem, Pōtificem maximum Antichriſtum, nō modò verbis pro concione, verùm & libris editis, vt neminem latere poſſint eorum blaſphemiæ, appellent. Nos verò ſummum Pontificem Chriſti vicarium, Eccleſiam Romanam omnium ſupremam eſſe prędicamus, eius abuſus & ſcelera, ſi quæ ſunt, minimè probam⁹: quinimò vbi opus eſt, à nobis apertè damnantur, cauent tamen ſummoperè, quotquot ſunt euangelica prudentia præditi, ne ad vulgum, ſuapte natura principibus & magiſtratibus cunctis infenſū principum mores, ſacrorum præſertim, traducātur. Hoc enim quàm ſit periculum, ſi hactenus ignorabatur, profectò ſola Germania, ne dubitaremus, potuit efficere. Nihil eſt quod ad continendos vulgi animos in officio & pietate æque conferat, atque vt optimè ſentiant de vtriuſque ordinis principibus viris, aut ſi hoc per illorum facinora aſſequi non poſſumus, ſaltem vt hierarchiam ipſam & ordinem magiſtratuum, tanquàm cæleſte munus, in cuius obſeruantia totius Reipub. ſalus, in violatione pernicies & euerſio ſita eſt, vniuerſi ſuſcipiant. His cùm ex diametro (quod aiunt) diſſidentia veſtri doceant, qui poteſt eſſe verum, quod Philippus aſſeuerat, in Eccleſijs diſciplinam eccleſiaſticam, & pias cæremonias, & bonos mores eccleſiaſticos propter tranquillitatem diligenter conſeruari? Cuius oppoſitum nos proprijs oculis vidiſſe, & multis experimentis deprehendiſſe, liberè teſtamur, & vos ipſi, viri Germani, niſi ſuſcepti ſemel dogmatis immodicus amor imponat, negare minimè poteſtis.

Galat. 5.

2. Cor. 12.

Principum mores apud vulgus traducendi non debent

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XVI. De Rebus Ciuilibus.

DE rebus Ciuilibus docent, quòd legitimæ ordinationes ciuiles, ſint bona opera Dei, quòd Chriſtianis liceat gerere Magiſtratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs & alijs præſentibus legibus, ſupplicia iure conſtituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iurare poſtulantibus Magiſtratibus, ducere vxorem, nubere.

Damnant Anabaptiſtas, qui interdicunt hæc ciuilia officia Chriſtianis. Damnant etiam illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, ſed in deſerendis ciuilibus officijs, quia Euangelium tradit iuſtitiam æternam cordis, interim non diſſipat Politiam & Oeconomiam, ſed maximè poſtulat conſeruare, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque neceſſariò debent Chriſtiani obedire magiſtratibus ſuis & legibus, niſi cùm iubent peccare: tunc enim magis obedire Deo, quàm hominibus. Actorum quinto.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XVI. De Ciuilibus Rebus.

DE rebus Ciuilibus docent, quòd legitimæ ordinationes ciuiles, ſint bona opera, & ordinationes Dei, ſicut Paulus teſtatur. Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Docent igitur,

igitur, quòd Chriſtianis liceat Magiſtratus gerere, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs & alijs præſentibus legibus, ſupplicia iure conſtituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iuſiurandum poſtulantibus Magiſtratibus dare, contrahere legitima coniugia, artes probatas legibus exercere.

Damnant Anapaptiſtas, qui interdicunt hæc ciuilia officia Chriſtianis. Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem collocarunt in deſertione ciuilium officiorum, cùm Euãgelica perfectio ſit ſpiritualis, hoc eſt, conſiſtat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientia, Euangelium enim concionatur de quadam æterna iuſtitia cordis. Nec abolet interim Politiam aut Oeconomiam, ſed maximè poſtulat eas in hac vita corporali conſeruari, tanquàm ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque Chriſtiani neceſſariò debent obedire præſentibus magiſtratibus ac legibus, niſi cum iubent peccare: tunc enim magis debent obedire Deo, quàm hominibus. Actorum quinto.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimum ſextum reſponſio.

DEcimus ſextus Articulus de Magiſtratibus Ciuilibus libenter acceptatur, tãquàm conſentaneus non ſolùm iuri ciuili, verùm etiam iuri Canonico, Euangelio, ſacris literis, & vniuerſæ normæ fidei. Quin Apoſtolus præcipit, vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nõ enim eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt, Rom. 13. Laudãturq; Principes, quòd damnant Anabaptiſtas, omnes ordinationes ciuiles diſſipãtes, & Chriſtianis prohibentes Magiſtratus, atq; alia ciuilia officia, ſine quibus nulla Reſpub. feliciter adminiſtratur.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimum ſextum animaduerſio.

POſteaquàm huius Confeſſionis Architecti in ſua ad Cæſarem præſatione affirmant, ſe hic eam doctrinam afferre, quam ad illud tempus ex ſcripturis ſanctis, ex puro Dei verbo Lutheranici concionatores in ſuorum Principum vrbibus & ditionibus tradidiſſent, ac in Eccleſijs tractaſſent, refert vt paucis illud hoc loco exploremus. Non poſſumus quidem non probare, quòd huius Articuli initio legitimas ordinationes ciuiles, tanquàm bona opera Dei commendent, hinc enim apertè intelligimus, ipſos ſemper vſq; ab huius funeſtiſſimæ tragœdiæ initijs contra propriam conſcientiam egiſſe, diuiniſque ordinationibus ſpontè repugnaſſe, dùm nec ipſi ciuilibus ordinationibus parere voluerunt, populareſque factiones ſeditioſis ſcriptis, & Catilinarijs concionibus aduerſus ſuperiores poteſtates concitarunt. Argumento ſunt ea, quæ Smalchaldiæ, dùm fœdus aduerſus Cæſarem percuteretur, à concionatoribus Lutheranis geſta fuerunt. Argumento ſunt & tres libri Lutheri, inſcripti aduerſus Ruſticos, ſed reuerà eò deſtinati, vt Ruſtici ad ſeditiones inflammarentur. Argumento eſt eiuſdem epiſtola aduerſus duo Cæſaris mandata. Liber præterea aduerſus epiſtolam Regis Angliæ, & alij plerique. In his enim adeò ſcurriliter & impiè de Principibus ſentit, vt vix exiſtimet eos dignos, qui lupis, vrſis, lendibus & pediculis comparentur, eoque non putauit propiùs ac veriùs eos deſcribere poſſe, quàm ſi vocaret tyrannos, Euangelij perſecutores, carnes ferinas in cælo, Germanicas beſtias, illuſtres lictores, & diuites carnifices, quos oporteat facere, quod & Deo contrarium, & mundo conſentaneum ſit. Si hæc ſint ex puro verbo Dei accepta, miſerè profectò cum Principibus agitur. Certè nos Catholici eiuſmodi ſeditioſos ſermones in ſcripturis ſanctis nunquam legimus, aut pro Dei verbo (niſi fortè Deum infernalem intelligant) recepimus. Quare ad alterũ, quod mox ſubijcitur, tranſeamus. De rebus ciuilibus, inquiunt, etiam docent, quòd Chriſtianis liceat gerere magiſtratus, & iudicia exercere. Et hic ſanè longè aliter Lutherum anteà docuiſſe deprehendimus. Ad Pragenſes enim ſcribit, quòd nomen fraternitatis non permittat, vt alter altero ſit ſuperior, aut plus iuris habeat & hæreditatis, præſertim in ſpiritualibus. In captiuitate autem Babylonica: Reuerà, inquit, nos Chriſtiani liberi ſumus, ab omnibus omnium hominum legibus exempti, libertate Chriſtiana nobis per baptiſmum donata. Item in quodam ſermone ait? Inter Chriſtianos nulla poteſt eſſe ſuperioritas, ſed vnuſquiſque vnicuique ſubiectus eſt. Sed vlterius progrediamur. De rebus ciuilibus item docent, quòd liceat iudicare res ex Imperatorijs, & alijs quibuſ-

dam præſentibus legibus, ac ſupplicia iure conſtituere. Quid agis Melanchthon? quid Prophetæ Lutheranici diciris? an non cernitis cuiuſmodi ſoueam hic vobis præparetis? an non animadnertitis, quàm acutum gladium in propria colla hic ſtringatis? Si enim veſtra cauſa ex Imperatorijs & alijs pręſentibus legibus decernatur, ſi ſupplicia ex iure ſcripto, vel Germanorum conſuetudine ſint cõſtituenda, iam de ſalute veſtra actum eſt: iam vel eſtis deportandi, vel gladio feriendi, vel in ignes conijciendi. Quòd ſi ex veſtro etiam præſcripto tempeſtiuius factum eſſet, non tanta & corporum & animarum ſtrages noſtris temporibus commiſſa eſſet. Verùm cùm hæc deflere magis poſſimus, quàm emendare, quomodo quod hic de legibus ſcribunt, cum Lutheri ſcriptis etiam conueniat, excutiamus. Hæc igitur ſunt eius verba, libro de Captiuitate Babylonica: Scio equidem, nullam rempublicam legibus fœliciter adminiſtrari. Si enim prudens fuerit Magiſtratus, ductu naturæ omnia felicius adminiſtrabit, quàm legibus: ſi prudens non fuerit, legibus nihil promouebit niſi malum. Item eodem libro: Turpe eſt, ait, & iniquiter ſeruile, Chriſtianum hominem, qui liber eſt, alijs quàm

In lib. 300. art ar 391. cæleſtibus, & diuinis ſubiectum eſſe traditionibus. Volens autem Germaniæ eſſe velut alter Solon, Nulla, inquit, eſt remedij ſpes, niſi reuocato libertatis Euangelio, ſecundum ipſum extinctis ſemel omnibus omnium ho-

In lib. de cõfeſſ. ad Fran. minum legibus, omnia iudicemus, & regamus. Amen. Omnes igitur qui humanas lẽges diuinis ſuperaddunt, certiſſimè ſunt inimici Dei, & Leuiathan Apoſtoli, & qui eos acceptauerint, aut ſeruauerint, diſcipuli ſunt Leuiathan. Quia tamẽ Solon iſte dubitabat, an quod hic præſcribebat, impetrare à Germanis poſſet, ideò magis iugum ijſdem inijcere conatur, nihil cunctatus quibus legibus

Ad nobilitatem Germaniæ. illi ſubijcerentur, ſi modò hoc impetraret, vt ius Ciuile & Canonicum ſubuerteretur. Ferunt, inquit, nullum eſſe regimen ſeculare vſque pulchrius, quàm apud Turcam, qui tamen neque canonicum, neque ciuile ius habet, ſed ſolummodò ſuum Alcoranum. At nos fateri oportet, nuſquam eſſe turpius regimen, quàm apud nos per canonicum & ciuile ius, quòd nullus ſtatus incedit ampliùs rationi naturali, taceo ſacræ ſcripturæ conformis. Quare impoſſibile eſt, Euangelium, & jura hominum ſimul ſeruare, eoq; nequit etiam pax ſimul cum iuribus hominum conſiſtere. Ex his ſatis liquet, quantum Lutheri factio Imperatorijs legibus tribuat, quamque ex corde hic profiteantur ex illis ſupplicia eſſe conſtituenda. Ad reliqua igitur, quæ ad res ciuiles referunt, pergamus. Dicunt quod ad ordinationes ciuiles Chriſtianis permiſſas, etiam pertineat iure bellare, & militare. Fatętur & iſtud Catholici omnes. Agnoſcunt, Poteſtates non fruſtrà gladium portare, Magiſtratibusque facultatem eſſe datam vlciſcendi rapinas & latrocinia. Agnoſcunt eos bello poſſe arceri, qui contra ius bella & ſeditiones commouent, prædasque & latrocinia neſariè agunt. Hæc certè vltio minimè eſt prohibita. Ait enim Paulus, poteſtatẽ eſſe vltricem Dei, id eſt, à Deo *Rom. 13.*
ordinatam & præceptam, cui & Deus in neceſſitate fert opem. Agnoſcunt præterea Catholici, magiſtratuum eſſe, bona opera honore, mala autem ſupplicio afficere: eoque illos his etiam debere reſiſtere, qui cultum vſque à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia obſeruatum interuertere ſtudent, qui Deos alienos, & hæreſes inauditas in religionem introducunt, qui bonas prouinciæ conſuetudines, communia iura & iudicia tollere machinãtur, qui proximos ſpoliare, & aliena rapere conãtur. Iſtud iſtud eſſe, iure militare aut bellare ſentiunt Catholici. Ita iure Carolus Magnus olim aduerſus Saxones militauit. Ita eius exemplo noſtra ętate ſibi bellum eſſe gerendum aduerſus Smalchaldici fœderis ſocios, Carolus Quintus cenſuit. Sed metuendum eſt, alia ratione iura bellandi Lutherum metiri: libro enim de poteſtate ſeculari ſcribit, ſi nobis aliquid rapiatur, non oportere illud in iudicio, vel bello repetere, quin eos facit Paganos, qui ſuper bonis & fama in iudicio contendunt. Quam ſententiam confirmans Philippus in locis communibus: Obſecro, inquit, quid aliud ſunt iudiciorum formæ, quàm rerum externarum ciuilis & externa diſpoſitio, quæ non magis ad ſpiritum pertinet, quàm ſutoria, aut ratio colendi agri, coquendi, &c. Contendere iudicio Chriſtianis non licet, peccantque maximè, qui litigant, ſed ea tamen non eſt legis abrogandæ cauſa. Magnificene ſentit iſte Licurgus Saxonicus de Magiſtratibus, dum eorum functionem non plus pertinere ad Chriſtianiſmum aſſerit, quàm ſutoria, vel culinaria ars faciat? Hinc etiam non obſcurè ibidem affirmat, Magiſtratum Chriſtianum non alia ratione vti gladio & legibus, quàm fecerunt olim Iudæi, vel Gentiles, ad vim nimirum repellendam, minimè autem ad promouendam iuſtitiam ſpiritualem. Quæ igitur iſtis Legiſlatoribus iuſta erit cauſa belli & militiæ ſuſcipiendæ? Scimus communi hominum iudicio nullam hodiè videri iuſtiorem, quàm ſi aduerſus Turcas, perpetuos Chriſtiani nominis hoſtes expeditio ſuſcipiatur. Hi enim non ſolùm Prouincias noſtras deuaſtare, vxoresque & liberos violare cupiunt, verùm etiam iura omnia diuina & humana, omnemque honeſtatem fun-

diros

ditûs delere machinantur. An idem etiam ſit Lutheri iudicium? Hoc in apertum ex eius ſcriptis proferatur. Illud aduerſus duo Cæſaris mãdata ita expedit: Oro, inquit, omnes pios Chriſtianos, dignentur ſimul rogare Deũ pro huiuſmodi miſeris excecatis Principibus, quibus nos Deus procul dubio, magno iræ ſuæ furore corripuit, ne vllò pacto ſequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies prudentior probriorq; eſt, quàm ſunt Principes noſtri. Quid talibus ſatiſcontra Turcam proſperè eueniat, qui Deum tam altè tentant & blaſphemant? Hæc ille. Et nos miramur, nihil proſperi aduerſus Turcas Germanis ſuccedere? Qui hanc furoris facẽ ſunt conſequuti, viuunt, & triũphant, & ſperare poterit Germania, vt iugum illud ferreum, quod illi imminet effugiat? Si ſuperiores cauſæ nõ ſunt ſufficientes ad bellũ ſuſcipiendum, tandem nobis hic explicent, quid hic ſit iure bellare, aut militare. Ad illud quod hic proximè ſubijcitur, fiat progreſſus. De rebus ciuilibus præterea docent, quòd liceat iure cõtrahere. An verò ita Lutherus? Libro certè de poteſtate ſeculari, & ſermone ſuper illo, eſtote miſericordes, docet quòd emere & vendere ſit res merè paganica. Nec admittit contractus redituum, & cenſuum, etiã ad pias cauſas, qui etiamſi non ſint vſurarij, tamen ſint iniqui. Si etiam ex ſuperioribus nõ ſatis intelligatur, quid de vi iuris ac legum & iuriſperitorum iudicijs, per quæ lites in contractibus incidentes dirimi debeant, ſenſerit ex libello de decem præceptis clarius recognoſcere liceat: Habẽt, inquit, Iuriſtę priuilegium magnum, vt nulli cõtra eos loqui, aut eos iudicare liceat: Id autẽ eſt, quod nemo rectè arguit, quod non intelligit. At iuris intellectus eſt infinitus & inexhauſtus, neq; eſt repertus Iuriſta, qui omnia norit. Idcircò ſi nõ antè de ijs licet iudicare, quàm omnia eorum intellecta fuerint, nunquam licebit iudicare, ſemper enim dicent, non eſſe intellectum, quod arguitur. Quomodo igitur faciat Princeps, qui tam prudens, non eſt, & neceſſariò regitur per Iuriſtas & libros iuris? Reſpondeo. Ideò dixi ſtatum Principũ ſtatum eſſe periculoſũ. Et niſi ſit ipſe tam prudens, vt per ſeſe & ius, & Iuriſtas regat, ibi ſuccedit iuxta Salomonis ſentẽtiam: Væ terræ, cuius Princeps puer eſt. Sed hanc cauſam Iuriſperitis defendendã relinquimus, quoad illud, quod proximè ſequitur, citiùs tranſeamus. Subijciũt etiã quòd iuxta ciuiles ordinationes etiã liceat proprium tenere. Hoc & Catholici libenter admittunt. Sed vtinam qui Ordinationes politicas hic tãtoperè laudant, ſuum ius etiam conſilio Chriſti tribuerent, nec illud in vitio ponerent, quòd Dei filius homo factus, ſummis premijs afficiendum eſſe exiſtimauit: Amen, inquit, dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut agros propter me & Euangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in hoc tempore, & in ſæculo futuro vitam æternam. Mentionem deinde faciunt iuriſiurandi, quòd liceat illud poſtulantibus Magiſtratibus dare. Rectè quidẽ hic docent, ſed viderit Melanchthon, quam benè ſibi cõſtet, dùm alibi affirmat, non eſſe iurandum pro temporalibus, quodq́ue qui exigit iuramentum ab alio, aut ipſemet iurat, neceſſe eſt quòd ſit animi malitioſi, leuis, veritatem non reuerentis. Quam equidem ſententiam hauſiſſe videtur ex Magiſtro ſuo Luthero, qui vult Chriſtianum non iurare, eò quòd ſit ſacris literis prohibitum. Interim tamen mille extorquent VVittenbergẽſes à ſuis diſcipulis periuria, quos iureiurando, interueniente Confeſſiioni Auguſtanæ aſtringunt. Ad extremum inter ciuiles ordinationes referunt, ducere vxorem, vel nubere, hac ſaltẽ parte cum authore ſectæ conuenientes, dùm inſinuant Matrimonium non eſſe diuini, ſed humani iuris. Illud enim eſt quod Lutherus confirmat, dùm aſſerit matrimonium non eſſe nouæ legis ſacramentum. Cum, inquit, apud fideles quoq; impij ſint coniuges, quibuſuis gentibus peiores, cur hic ſacramentũ dici debeat, & non apud gentiles? Sed cùm impia hæc doctrina ab alijs pluribus ſit refutata, ad alteram huius articuli partẽ decurrat ſermo. Damnãt, inquiunt, Anabaptiſtas, qui interdicunt hæc officia Chriſtianis. Laudandi ſunt Lutherani, quòd ſuis ſententijs hic Anabaptiſtas feriunt. Sed magis eſſent laudandi, ſi peſtilentibus ſuis ſcriptis in Magiſtratus & leges, eos non armaſſent, eorumq́ue impietati tam amplas feneſtras non pateſeciſſent. Poſtremò, aiunt ſe & illos damnare, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, ſed in deſerendis ciuilibus officijs, quia Euangelium tradit externam iuſtitiam cordis. Quoſnam hic notatos velint, ex Apologia ſatis liquet: nec dubium eſſe poteſt, quin Catholicos perſtringant & accuſent, quòd nec Deum timeant, nec illi credant, ſed velint etiam videri perfecti, ſi ciuilia officia deſerant. Qua calumnia, quæ poteſt excogitari grauior? Quis vnquam Catholicorum negauit, timorem Domini eſſe principium ſapientię? Quis verè Chriſtianus illum non timeat, quem ex Euangelio didicit poſſe & animam & corpus perdere in gehennam? Catholicus rectè ſalutis ſuæ ſtudioſus, per timorem domini ſtudet declinare à malo, illudq́ue, quod mo-

Lib. quo mercatores de vſura.

Marc. 10.

Lib. de captiuita. Babylo. & in ſermone de Matrimonio.

Prouerb. 1. Matth. 10. Prouerb. 15. Eccleſ. 27.

net ſapiens, frequenter recogitat. Si non in timore domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua. Ad fidem autem quod attinet, tantum abeſt, quòd Catholici exiſtiment citrà illam ſe poſſe aliquam perſectionem Euangelicam conſequi, vt etiam apertè profiteantur, inde principium humanæ ſalutis eſſe repetendum, eamque virtutem adeò eſſe neceſſariam, vt ſi abſit, impoſſi-

Hebr. 11.

bile ſit quenquam vel Deum accedere, vel illi placere: quòd etiam inter Catholicos inueniantur non pauci, qui ſe à Senatorio munere ſubducant, qui forenſibus litigijs ſe implicare nolint, qui militare non cupiant, qui mercaturam declinent, qui connubijs abſtineant, qui proprias poſſeſſiones in indigentium vſum conuertant, faciunt certè illi, non vt Politiam & Oeconomiam diſſipent, ſed vt tantò liberiùs ſuam charitatem, cùm in Deũ, tùm in proximos exerceant, iuſtitiamque illam cordis, quod tradit Euangelium, factis ...plis teſtentur & declarent. Ad illud autem vitæ inſtitutum, non leui certè aut temeraria ratione inducuntur, ſed certa, cùm ſcripturarum, tùm virorum Apoſtolicorum authoritate & exemplis permouentur. Quæ quiſquis ſubſannare audet, clarum ſane efficit, quàm parùm in Chriſtianiſmo profecerit, & quàm longè à vera pietate receſſerit. Non indiget hæc res longa probatione. Manifeſta eſt Marthæ & Mariæ hiſtoria. Manifeſtum eſt de vtriuſque mulierculæ ſtudijs Ieſu Chriſti iudicium. Illud impudenter reprehendunt, qui non modò vitam actiuam contemplatiuæ adæquant, verùm etiam tanquàm excellentiorem anteponunt. Nec anteponunt ſolùm, ſed etiam hanc tanquàm diuinæ ordinationi repugnantem reprehendunt & damnant. Quod ſanè crimen eò eſt grauius, quò minus ignorare poſſunt, quàm ſtudioſè Apoſtoli, virique Apoſtolici vitæ contemplatiuæ genus coluerint, quamque claris teſtimonijs in ſcripturis illud confir-

Matth. 19.

metur. Si vis perfectus eſſe, inquit Chriſtus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Non iudicamus hic eſſe neceſſum plura teſtimonia congerere, illud tamen vnum pios omnes rogamus, vt ſecum expendant, veri rectiùs faciant, qui timore diuinorum iudiciorum concuſſi, amore ſalutis ſuæ incitati, diuiniſque promiſſionibus inuitati, à ciuilibus negotijs, non tanquàm in ſe malis, ſed tanquàm minùs expeditis, magiſque periculoſis ſe ſubducunt, vitamq; ſolitariam eligunt, vt expeditiùs rebus diuinis vacare poſſint: an verò qui de timore domini ita loquuntur, vt eum animis hominum euulſum cupiant, qui fidem ita tractant, vt ſub eius nomine ſummam perfidiam introducant, qui ciuilia officia ita extollunt, vt tamen eadem flagitioſè miſceant & peruertant. Lutheranos autem ita fidem, vt iam diximus, tractare, aliàs abundè demonſtratum eſt. Quàm peruerſè etiam de timore domini ſentiant, vnus aut alter locus oſtendat. Sic igitur ſcribit Lutherus in aſſert. art. 6. Sentio ego & doceo, pernitioſum eſſe genus docendi, quo intuitu pœnarum & præmiorum, peccatorum docentur homines pœnitere. His enim doctrinis coercentur quidem ab opere, & cauteriatam, violentamque ſibi formant conſcientiam, ſeu bonũ propoſitum, & maiore malo occultum illum affectum contemptæ legis, & amati peccati nunquam intelligunt, nec obſeruant. Docuit idem quòd neque timore, neque amore poſſit homo ſe erigere ad capeſſendam gratiam Dei. *In epiſtolam ad Gala. & de indulgentijs.* Item Chriſtum nunquam cogere peccatores timore ad pœnitentiam. Cum etiam Auguſtinus ſcripſiſſet, quòd bonus ſit timor & vtilis, licèt ſit inſufficiens, per quem paulatim fit conſuetudo iuſtitiæ, auſus fuit homo neſarius eum reprehendere. Hæc, inquit, con- *In diſput. Lypſica.* ſuetudo, meo iudicio, eſt conſuetudo deſperandi, & odiendi Deum, ſi excludatur gratia. Ex his manifeſtum eſt, quid de timore Dei ſenſerit Dauus ille Euangelicus. Nullum profectò medium tenent hæretici, extrema ſemper ſectantur. Ibi condemnatur timor tanquàm ſaluti, & Euangelio repugnans, hic Euangelicam perfectionem in eodem timore collocant, quam tamen Paulus ad Coloſſenſes 3. in charitate conſtituit. Ad eum modum in Confeſſione docent, Chriſtianos neceſſariò debere Magiſtratibus & legibus obedire, alibi, vt oſtenſum eſt, leges omnes ſubſannant, nec vllam ſuperioritatem inter Chriſtianos ſtatui poſſe affirmant. Quò etiam religioſiores videantur: dicunt eatenus duntaxat Magiſtratibus parendum eſſe, quatenus peccare non iubent: tunc enim oportere magis Deo obedire, quàm hominibus. Vtinam ex animo eos hæc ſcripſiſſe facta ipſa oſtenderent, pauciora que extarent exempla, quibus ſuos Magiſtratus ad impia ſtatuenda concitârunt: & vt eiuſmodi decretis populus pareret, voluerunt. Sed hæc ex noſtrorum temporũ hiſtorijs repetantur, nunc harmonicum concentum perquiramus.

Si quis editionem anni 1540. hìc appreſſam conſideret, facilè deprehendet, eam tribus locis ab originali diuerſam eſſe. Primum enim, cùm ſibi conſcij eſſent, quàm ſeditioſè aduerſus Magiſtratus & leges anteà docuiſſent, vt hanc maculam tantò fortiùs eluerent, voluerunt adiectum Apoſtoli teſtimonium Rom. 13. vbi ſcribit, omnes poteſtates à Deo ordinatas eſſe. Sic enim qui iſtud legerent, faciliùs adduci potuerunt, vt opinio-

nem

nem, contempti ab ipſis Magiſtratus, deponerent. Secundò, vbi in originali habetur: ducere vxorem, nubere, eius loco Confeſſio variata habet: Contrahere legitima matrimonia, artes probatas legibus exercere. Neque enim ſatis fuit iſtis libertatis Patronis, cuicunque (modo tamen inſtructus ſit) liberũ facere, Magiſtratum gerere, cauſas criminales decernere, militare, mercari, proprium tenere, contrahere coniugium, niſi etiam iiſdem permitterent mechanicas artes exercere. Sit clericus, ſit ſacerdos, ſit monachus, ſit alius quicunque, ſi ſeſe offerat occaſio, poterit fieri vel Iudex forenſis, vel Conſul, vel Præfectus, vel Tribunus militaris, vel maritus, vel mercator, vel denique lanio, & carnifex. Qui hoc Euangelium noſtra ætate euulgârunt, viderint quanta ſuperent impietate Iulianum Apoſtatam, qui monachos & ſacerdotes etiam militare voluit. Arreptum eſt tamen magno applauſu à pleriſque hoc Euangelium, nec deeſt eius licentiæ praxis. Tertium, quod in hac Confeſſione variata obſeruandum fuerit, eſt aperta prioris confeſſionis condemnatio. Nam cùm ibi docuiſſent, Euangelicam perfectionem eſſe in timore & fide, hìc manifeſto Dei verbo conuicti, dilectionem, & obedientiam adiungũt. Euangelica, inquiunt perfectio, eſt ſpiritualis, hoc eſt, conſiſtit in motibus cordis in timore Dei, fide, dilectione, charitate. Quod rectè, & nos veriſſimum eſſe confitemur, ſi tamen ab illis motibus cordis externa teſtimonia fidei & charitatis non excludant. De fide enim ait Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Item Iacobus: Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum? De charitate autem ait Ioannes: In hoc ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Sed hæc fortè pluribus, quàm fuerit neceſſum; poſtquàm ipſemet Confeſſionis architectus ſeipſum hìc damnauerit.

Rom. 10. Iacob. 2. 1. Ioan. 2.

Ioannis à Dauentria Articuli decimi ſexti refutatio.

HVnc Articulum à Catholica Eccleſia nihil diſcrepantem, libenter recipiunt Orthodoxi, præcipuè tamen, quòd vident Aduerſarios eadem approbare, quæ antè damnauerant, videlicet quòd humanas traditiones obſeruãdas hic eſſe docent, propter æternam cordis iuſtitiam, quas paulò antè dicebant nihil ad iuſtificationem facere. Cùm dicunt, & quidem catholicè, quòd fideles diuino iure tenentur ſuis magiſtratibus parere, niſi eos peccare cogant, docent nos iterum, quòd non debeamus iuſtis maiorum decretis rebellare, ne peccemus cùm in Deum, qui hoc præcepit, tùm in proximum, qui vice Dei in Eccleſia præſidet. In altera Articuli iſtius parte neſcirem quos damnarent præter Anabaptiſtas, niſi in Apologia Monachos ſuo more vexarent, quaſi illi docuerint, Euangelicam perfectionem collocatam eſſe in deſerendis ciuilibus officijs, & non in timore Dei & fide, idque calumniandi animo, vtque ſuorum animos odio aduerſus Monachos inflamment, nugantur. Nam nunquam docuerunt monachi perfectionem eſſe in deſerendis ciuilibus officijs, in rerum abdicatione aut communione, ſed dixerunt iſta adminicula eſſe contingendi ad veram perfectionem. Quotuſquiſq; enim eſt, qui in faſcijs, in magiſtratu, & in rerum ciuilium tumultu mentem habet tam pacatam, tam quietam, tam à mundanarum rerum ambitu liberam, quàm habent boni monachi, qui in ſumma quiete vitam viuunt in terris cæleſtem? Non hoc dico, quòd damnem Rerumpub. adminiſtrationem, ſed vt Monachatum ei præferam. Sunt enim varij & diſtincti in Eccleſia gradus. Porrò illud prorſus præteriſſe, quod in monachos falsò iaculantur Aduerſarij, fortè haud vicio caruerit.

Aliter hic damn. ergo dilu.

Perfectio in quibus reb. ponatur.

Monachi (inquiunt) *multas pernitioſas opiniones ſparſerunt in Eccleſiam. Vocauerunt politiam Euangelicam communionem rerum, dixerunt eſſe conſilia, non tenere proprium, non vlciſci. Hæ opiniones valdè obſcurant Euangelium, & regnum ſpirituale, & ſunt periculoſæ Rebuſpub.*

Hìc declarant Aduerſarij, quomodo affecti ſint monachis. Nam apertè acuunt enſes & gladios, quibus eorum capita amputent Principes & Magiſtratus. Sic enim ferè dicunt: Monachi docent, quòd conſilium ſit non habere proprium, non vlciſci; & idem docent nunc Anabaptiſtæ, qui tantum tragœdiarum Germanicæ religioni excitârunt: iuſtum igitur fuerit, vt vna pereant ſententia, qui ſunt vnius opinionis. Et in decretis conciliabuli Marpurgenſis ſub paragrapho de Magiſtratu, Monachos planè cum Anabaptiſtis coniungunt. Vtvt doceant Monachi, compertum eſt, quòd Apoſtoli, vbi relictis rerum ſecularium labyrinthis, Chriſtum ſequerentur, nihil ſibi reſeruârunt, ſed de his, quæ fortè Chriſto offerrent fideles, cum Chriſto victuarunt. Et Hieroſolymis fuiſſe ſub Apoſtolis religioſos, qui ſe omnibus denudaſſent facultatibus, & communibus viuerent, docet ſæpè in epiſtolis ſuis Apoſtolus, & in Actis Euangeliſta Lucas: vbi & ſic legimus: Omnes, qui

 cre-

conſilii eſt, non habere proprium.

credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Si non eſt hic Euangelicus viuendi modus, ſi repugnat Euangelio, vadant cum Chriſto, qui hoc viuendi genus conſuluit, & cum Apoſtolis, qui conſilio eius paruerunt, expoſtulatum. Alibi Chriſtus etiamnũ conſulenti ſe adoleſcenti benè conſuluit, dicens: Si vis perſectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Illud aut præceptum eſſe, aut conſilium, facilè concedent Aduerſarij. Si dixerint præceptum eſſe, omnem experientur aduerſus ſe ſcripturam dimicantem. Extra cõtrouerſiam eſt vnicuique licere, vt ſuarum rerum ſit dominus. Cur hîc æquè non damnant Lutherum, choreæ iſtius ductorem? qui alicubi ita ſcribit.

Matt. 19.

Vendere (inquit) & relinquere omnia, non eſt conſilium, ſed neceſſarium mandatum.

Lutherus & Melanchthon cauſam erroris Anabaptiſtis dederũt.
Ambroſius Pelargus.

Cur non damnat ſe ipſe Melanchthon, qui in libro Hypotypoſeon vota monaſtica fugillans, pedibus concedit in hanc Lutheri ſententiam, dicens: quòd paupertas Euangelica ab omnib⁹ iure diuino exigatur, & quod non ſolùm pertineat ad Monachos. Vide nũc vtri maiorem Anabaptiſtarum colluuiei erroris anſam dederint: Monachi, qui hoc conſilij: an iſti duo, qui præcepti eſſe dixerunt. Iſtud prudenter etiã notauit ante nos Ambroſius Pelargus, qui hic Philippum vehementer flagellat, vtpote parùm ſibi conſtantem, & parùm feliciter paupertatem monaſticam extenuantem. Si dixerint conſilium eſſe, vna ipſis & Catholicis ſententia eſt. Cur ergò damnãt Monachos cum Anabaptiſtis, quorum tam pugnaces inter ſe ſunt ſententiæ? Nam Monachi conſilium, Anabaptiſtæ dicunt eſſe præceptum. Cauſam ob quam iſta de Monachis commententur, diximus, nempe vt Monachos omnium Principum & totius vulgi inuidię exponant. Et certè iuxta Monachorũ ſententiam, ſua vendere, & pauperibus dare, conſilium eſt: Non enim dixit Chriſtus: Si vis æternis gaudijs perfrui, dimitte omnia, & ſequere me, hoc modo præceptum eſſet, ſine cuius obſeruantia nemo ſaluari poſſet. ſed dixit: Si vis perfectus eſſe, vade, vende &c. quaſi dicat. Non præcipio hoc tanquàm neceſſarium, ſed perfectionem demonſtro. Iſtam Catholicã expoſitionem agnoſcunt omnes Catholici ſcriptores, inter quos haud infimum tenens locum Hieronymus, ſic ait Demetriadi: Apoſtolici faſtigij, perfectæq́; virtutis eſt, vendere omnia, & pauperibus diſtribuere, & ſic leuem atq; expeditum cum Chriſto ad cæleſtia ſubuolare, nobis, imò tibi diligens credita eſt diſpenſatio, quamquam in hoc omni ætati, omnique perſonæ libertas arbitrij relicta ſit. Si vis (inquit) eſſe perfectus, non cogo, non impero, ſed propono palmam, oſtendo præmia, tuũ eſt eligere, ſi volueris in agone atq; certamine coronari. Flocci pendimus infantilẽ Philippi Melanchtonis, loquutulei magis quàm Theologi exegeſim, qui hoc loco in annotationibus, niſi malè memini, dicit iſtud eſſe præceptum perſonale, quod ad iſtum adoleſcentem ſolùm pertineat, & quòd non pertineat æquè ad omnes.

Hiero. ad Demetriadē.

De vltione iniuriarum quid ſentiant Monachi, penitùs ignoro, neq; mea multum intereſt, quid ſentiant Aduerſarij, quos in hoc totos eſſe video, vt Monachos pro ſua libidine violenter opprimant, cum vna ſit omniũ Catholicorum ſententia, vt caueat vnuſquiſque, ne animo vlciſcendi, ſeu priuata vindicta malum malo compenſet, & ne iudicibus ſuas partes ſtultè auferat. Et in hac cauſa liberè ſequuntur Chryſoſtomum, vel illum, qui eſt Imperfecti operis author, catholicè ſic dicentem: Si autem ſecundum Chriſti mandatum non reſiſtatur malo, & ſi mali non læduntur, tamen boni permanebunt boni. Et ſic mandatũ Chriſti impletur, & legis mandatum ſequitur: Sed dicis, quia ille eſt dignus repercuti, qui contra legem percuſſit. Etiam. Sed tu non es dignus repercutere, quia illius diſcipulus es, qui maledictus, non maledixit: percuſſus, non repercuſſit: crucifixus, pro crucifigentibus ſe orauit. Si percuſſeris ergò, primùm negaſti te Chriſti eſſe diſcipulum, non verbis, ſed factis. Qui ſic docet, non conſulit vt Magiſtratus gladiũ non accipiant aduerſus Reipub. & politię perturbatores, id quod Lutherum feciſſe clarum eſt, qui eos iubet Chriſtianæ meminiſſe manſuetudinis, quæ interdicat nobis omne ius bellandi. Quanquàm videmus eum vel coactum vela vertere, & παλινῳδεῖν. Huic itaque, non Monachis, huius ſeditioſi erroris cauſam, quam defendũt Anabaptiſtæ, accẽptam referri oportuit. Vide hic Pelargum libro contra Anabaptiſtarũ errores, vbi clarè conuincit Lutherum, quòd docuerit Chriſtianis, vt Chriſtiani ſint, in totum interdictum eſſe ius bellandi, quòd iſtius Apologię architecti, odio tabidi, nequiter in Monachos de Luthero transferunt.

Chryſoſtomus, vel operis imperfecti author.

Ioannis Cochlei Articuli decimi ſexti diſcuſſio.

Inobedientia plurima.

QVamuis hic Articulus multis laudibus euehat ciuiles Magiſtratus, & ſecularia negotia, ſatis tamẽ compertũ habemus (proh dolor) nunquam fuiſſe in Germania maiorẽ, quàm hodiè eſt, rebellionẽ inferiorũ cõtra ſuos ſuperiores, plebis cõtra Senatũ

ſeruo-

ſeruorum & ſubditorum contra Dominos & Principes, ſeu Magiſtratus ſuos; multorũ item Principum & Magiſtratuum cõtra Regem, & contra Imperatorem ſuum. Nos quidem comprobamus omnia, quæcunque de obedientia rectè docentur. Non probamus tamen hic inuidioſam comparationem, qua hic laicalis ſtatus Monaſtico ſtatui tectis verbis inſidioſè non æquiparatũr modò, ſed etiam antefertur. Cõfeſſio enim legitimas ordinationes ciuiles, ait eſſe bona opera Dei, & ordinationes Dei. Damnant autem eos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide: ſed in deferendis ciuilibus officijs: cùm non ignoret ſcriptũ eſſe: Perfecta charitas, foras mittit timorem, ſeruilem ſcilicet, & fides etiã in imperfectis reperiatur. *1.Tim.4.*

Laudat & cõmemorat tantum ciuilia actiuæ vitæ opera, de operibus vitæ contemplatiuæ, ad quã ordinata ſunt monaſteria, altũ agens ſilentium, cùm tamẽ ipſe Dominus vbique plus commendet contẽplatiuæ, quàm actiuæ vitę opera. *Luca 10.* Mariæ contemplationem, Marthæ ſollicitudini longè præferens, velut partem optimam. Et mundi huius Principẽ, atque adeò ipſum mũdum ſibi contrarium exiſtimet. Nunc Princeps (inquit) huius mũdi eijcietur foras. item: Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Ioan.12. Ibidem.15.* item: Item, in mundo preſſurã habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.

Nõ eſt præferendus ſtatus ſecularis ſtatui Monaſtico. Nos igitur, etſi ſcimus probè ex Petri & Pauli Epiſtolis, ſeculari aut mundanæ poteſtati obediendum eſſe. Nolumus tamen ſecularem ſtatum Eccleſiaſtico aut Monaſtico præferre. Cùm non ſolùm Theologi & ſancti Patres, verùm etiam Philoſophi, quinimò cordatiores laici vitam contemplatiuam actiuæ præferãt. *1 Petri.2. Rom.13.* Quandoquidem multi Reges & Principes, alijque magnæ & opulentię, & nobilitatis viri, mundi huius actus & negotia deſerentes, ad Monaſteria, vitæ contẽplatiuæ gratia, pia deuotione tranſierunt. Et hoc multò magis laudabile ſemper viſum fuit, quàm ex monaſterio ad mundum, aut ad vitam actiuam, cuius opera tantoperè bona, & Deo grata dicit Confeſſio Proteſtantium, redire: *Luca 9.* iuxta illud Saluatoris: Nemo mittens manum ſuam ad aratrũ, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

Prætereà ipſemet Lutherus contra hanc & Confeſſionis & Apologiæ ſententiã, multa ſcripſit in eo libello, quem de ſeculari poteſtate inſcripſit. Quem & tanti facit, vt auſit iactitare, neminem melius de ſeculari poteſtate ſcripſiſſe, quam ipſe ſcripſit. *Verba Lutheri contra Principes.* Et tamẽ in eo ſic ait: Huiuſmodi tyrãni agũt, ſicut mundani, hoc eſt, ſeculares Principes debẽt. Mundus autem inimicus eſt Deo. Ideò & ipſos facere oportet, quod Deo contrarium, mundo gratum ſit, ne fiant infames, ſed mundani Principes maneant. Noli igitur mirari, ſi contra Euangelium furiunt & inſaniunt, oportet enim eos titulo ſuo ſatisfacere. Et ſcire debes, quòd ab initio mundi admodum rara auis ſit bonꝰ Princeps. Item: Inter Chriſtianos (inquit) nulla poteſt, nec debet eſſe ſuperioritas, ſed vnuſquiſque alteri ęqualiter ſubiectus: inter Chiſtianos enim nullus eſt ſuperior, niſi Chriſtus ipſe, & ſolus. Chriſtiani enim nullo alio, quàm ſolo verbo Dei regi poſſunt: quia fide, non externis operibus regi oportet Chriſtianos. Item: Inter Chriſtianos gladius eſſe non poteſt, ideò nõ potes eo inter & ſuper Chriſtianos vti. Hæc ibi Lutherus.

Communia rerum inter Monachos. Quæ nos hic referimus, non vt approbemus, ſed vt oſtendamus, ne Luthero quidem probari aut placere iſtam Confeſſionis & Apologiæ ſententiam. Quæ dicit iure bellare, militare, tenere proprium, eſſe bona opera Dei, & ordinationes Dei: pernicioſas verò eſſe opiniones Monachorum, qui vocant Politiam Euangelicam, communionem rerum & dicunt eſſe Conſilia, nõ tenere proprium non vlciſci. Certè non ignorat Philippus iſte celebre & vulgatum iſtud prouerbium: Amicorum omnia eſſe communia, neque neſcit, primos Chriſtianos & à S. Luca in Actibus Apoſtolorum, & à Philone Iudęo vehemẽter laudari à rerum communione, quòd, *Actor. 2. 4.* erant ſimul, & habebant omnia communia, quod non ſolum erant inter ſe amici, ſed etiam fratres in Chriſto tanta cum dilectione & fide, vt multitudinis credentium eſſet cor vnum & anima vna.

Hoc iam poſt tot ſecula iniquè reprobat in Apologia Philippus, quando dicit fatuas eſſe Monaſticas opiniones, quæ longè præferant hypocriſim (vt vocat) paupertatis & humiliatis, politiæ & œconomiæ: cum hæ mandatum Dei habeant, illa autem communio Platonica non habeat mandatum Dei. At cũ non ignoret, huiuſmodi rerum communionem valde laudabilem in primis Chriſtianis fuiſſe, qua fronte audet eam dicere Platonicam? An ignorat verbum illud Domini, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia que *Matt. 19.* habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me? Vbi autem mãdat Chriſtus tenere proprium? Nullo igitur iure diuino laudabilius dici poteſt tenere proprium, quàm rerum communionem habere fratres inter ſeſe.

(.·)

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimoſexto iudicium.

HAnc doctrinam de Magiſtratu & ciuilibus officijs ab Eccleſia mutuati ſunt, quæ non noſtris, ſed illorum diſcipulis Carlſtadianis, & Anabaptiſtis, qui talibus officijs Chriſtianis interdicunt, aduerſatur. Appendix huius Articuli inuehitur in Monachos, quo autem iure, quâue iniuria, ipſe Philippus viderit: & nonnihil hac de re dicemus, cum ad votorum rationem peruẽtum fuerit. Profectò nulli vnquam Monachi ſic contempſerunt Cæſarum, Regum, ac Principum leges, atque Aduerſariorum noſtrorũ diſcipuli: neque vllo tempore minus obtẽperatum eſt & diuinis legibus, & humanis, atq; ab infeliciter exorto Aduerſariorum Euangelio: hoc quod etiam ipſi iam olim cóqueſti ſunt. Et optãdum foret, vt vel hodiè audirent Imperatorem innocentiſsimum, audirẽnt ſaniores Principes, ij inquam, qui alijs inobedientiam, nũquam non obijciunt. Tantùm abeſt vt Monachi ſuperiorũ legib' aut poteſtatibus aduerſati ſint, vt etiam non niſi illorum authoritate & poteſtate ſe tutos fore exiſtimẽt: niſi fortaſsis Aduerſarij indignum Cæſare arbitrantur, Monachorũ agere patronũ, defenſoré, tutorem. Sed de hoc plus ſatis. De perfectione Euangelica ſic ſibi conſtat Apologiæ Dædalus, vt non ſit neceſſe pluribus reſpódere. Quæ nobis ſunt Euágelica conſilia, Philippo diſputanti contra Monachos, ſunt præcepta, & rurſum diſputaturus contra Anabaptiſtas, ex ijſdem præceptis facit conſilia, ex quibus videmus, quo animo, quôve ſpiritu ductus Philippus ſcripſerit. Quæ hic deſiderantur, in ſequentibus adijciemus.

Alphonſi Virueſij Philippica XV. De politicis magiſtratibus, & vſu rerũ ciuilium, de quibus capite XVI. Confeßionis: ac de libero arbitrio & cauſa peccati, de quo capite XVIII. & XIX.

TAm multa ſunt à me hactenus de Confeſsione veſtra diſcuſſa, vt videar mihi poſſe de cætero plura Confeſsionis & Apologiæ capita, vna velitatione trauſcurrere, pręſertim cum (vt à cap. XVI. incipiam) quicquid in eo à vobis eſt cóſeſſum, catholicum ſit, & à noſtris theologis, vt apparet, Auguſtę probatum. Quamobrem nihil hic apologia opus erat, niſi vt Philippus inde captaret occaſionem cõminiſcendi aliquid, quo nos traduceret, & in inuidiam traheret apud Germanos: Monachi, inquit, multas pernicioſas opiniones ſparſerunt in eccleſia, vocauerũt euangelicam politiam, communionem rerum, dixerunt eſſe conſilia, non tenere proprium, non vlciſci, &c. Quo in loco non tantùm in monachos, verùm & in apoſtolos ipſos peccat. Nam monachi opinionem de rerum communioné non ſparſerunt in eccleſia, ſed à primis eiſdemque optimis Chriſtianis inchoatam, & ab apoſtolis ipſis vſu probatam, & miraculis confirmatam, monachi amplexi ſunt. Locus eſt apertior in Actis apoſtolicis, quàm vt citari ſit neceſſè. In monachos verò ſolòs peccat, dicens ab eis doceri, quod conſilium ſit iniurias non vlciſci, cum nihil minus congruat illorum cum doctrinæ, tum profeſsioni, alioqui proferat locum Philippus, quo fidem faciat amarulentiſsimæ delationi. Nec minus peccat inferiùs cum monachorum pernicioſas, vt illi videntur, opiniones improbans dicit: Vaniſsimũ & hoc eſt, quod ſit perfectio Chriſtiana, non tenere proprium. Vaniſsimum profectò, ſed æque vanum, prope dixerim, eſt imperitæ multitudini ſublinire os, vt credant monachos huiuſmodi mendacia docere. Nullus vnquam monachorum ita deſipuit, vt diceret non habere proprium eſſe Chriſtianam perfectionem, quã in ſola vera pietate ſitam eſſe ſciunt: aiunt tamen nihil poſsidere vt proprium, cuius curis & ſollicitudine anim' ab aſsidua euangelij meditatione auertatur, viam eſſe ſatis compẽdiariam ad hoc, vt perfectionem aſſequamur. Quod ſi & hoc vaniſſimum eſſe dixerit, Chriſtum Ieſum ſummã veritatem arguat vanitatis, ipſius enim eſt illud: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, &c. Sed quid ego Philippi calumnias ſcripturarum verbis refello? cum ipſa ſe prodat vanitas, experimentis rerum, quæ ante quindecim annos in Germania contigerunt, adiuncta: Monachi, inquit, vocauerunt euangelicam politiam, rerum communioné: ſcilicet monaſticæ ſectæ erant ruſtici pluſquam centies mille, qui Lutherano furore correpti, aduerſus diuites & nobiles in Germania pro rerum communione arma ſumpſerunt, à quibus demũ trucidati ſunt, & nó pudet Philippũ, dogma, cuius author Luther' fuit, & ipſe fortaſsis patronus & aſſeuerator, in monachos reijcere. An opus eſt argumẽto euidẽtiore, quo prodatur eius vanitas, & ſtudium calumniandi?

Act. 4.

Matth. 19.

Philipp.

Articulus decimuſſeptimus, qui iudicium vniuerſale, bonorum præmia, & malorum pœnas continet, nihil habuit controuerſiæ, neque decimuſoctauus, ac decimuſnonus, vt ex Philippi verbis apparet, quãquam de cauſa peccatorum & meriti hacten' vobis haud per omnia nobiſcum conueniebat. Lutherus enim liberum arbitrium in vniuerſum abſtulerat, ita vt negaret hominem quicquam boni aut mali poſſe facere, ſed omnia fieri à Deo in nobis. Quæ impietas, à multis theologis impetita, tandem córruit: ſucceſſit

Liberum arbitrium.

illi

Illi altera opinio aliquanto modeſtior, tribuens hominis arbitrio vim ad peccandum, ad merendum verò negans. Totum enim opus bonum, non à nobis, ſed à Deo fieri in nobis, nõ modò Oecolampadius, verùm & Philippus ipſe aliquot locis operum ſuorum apertè docuit, plus nimio, vt credo, Chriſti gratiæ ſtudioſus. Quo nomine hoc in loco maximè veniam merebatur, tametſi liberũ arbitrium, vt à Catholicis aſſeritur, nihil detrahit gloriæ Chriſti. Eſt enim apud omnes Chriſtianos in confeſſo, humanam voluntatem nihil prorſus boni efficere poſſe (omitto nunc ciuilia officia, & alia id genus, quæ etiam vt ab ethnicis præſtabantur, quadantenus dici bona poterant) ſine gratia, à qua tamen præuenta & adiuta poteſt & velle & efficere legem Chriſti, haud quidem perfectè & abſolutè, quando caro nunquam non concupiſcit aduerſus ſpiritum, vt non quæcunque volumus, faciamus, ſed eatenus, quatenus eiuſdem legis obſeruatio à nobis, quãdiu viuimus, præceptis exigitur. Iam quid aut quantum in bono opere voluntas impẽdat, & quid gratia efficiat, variè traditũ eſt à doctoribus, in diuerſum ſalua illa communi veritate abeuntibus. Mihi verò videtur voluntas ſola nihil facere boni: ac rurſus nihil eſſe boni operis, quod à voluntate non fiat.

Idem & totidẽ verbis audeo pronunciare de gratia. Erũt fortaſsis, quibus hoc videri poſſit nimis Laconice dictum: idcircò paucis & compendio locum, à multis copiosè ſimul & ſubtiliter expoſitum, nos pingui, quod aiũt, Minerua tantummodo deliniemus, & vnica ſimilitudine complectamur. Similitudo Similis videtur animi noſtri imbecillitas infantiæ puerorũ geſtientium ambulare, nondum tamen valentium ingredi, quibus apponitur machinula quędam lignea, curriculum appellant Hiſpani, rotulis quatuor ceu pedibus ſuffulta. Huic machinæ admotus infans innititur ad ambulandum, ita vt quaſi præcedentem machinam ſequi videatur, quæ tamen minimè præcederet, niſi ab infantulo impulſa, nec infans impellere poſſet, niſi machinæ innixus, alioqui omnes eius conatus tantummodo cõferunt, vt frequentius cadat. Quandiu infans ambulare vult, præcedente machina poteſt: poteſt etiam, ſi velit, ceſſare: nec id tantùm, verùm & à machina, ſi libeat, diſcedere, accedere verò poſteaquam ſemel ceciderit, etiam ſi maximè conetur, ſuis viribus minimè poteſt. Itaque quod admotus eſt machinæ in hunc vſum illi præparatæ, quod ſtare poteſt & ambulare, alieni muneris beneficio habet, tametſi non alius, ſed infans ipſe verè dicendus ſit & ſtare & ambulare, quoniam ipſius eſt aptare ſe machinæ, & pedes, vbi opus eſt, mouere, quorum tamen omnium nihil ſine machina poteſt efficere. Porrò quod ceſſat, quod vehiculum deſerit, quod cadit, quod luto & puluere volutatur, ſolius infantuli eſt, cui nullus ſupereſt locus excuſandæ infirmitatis, cum certum ac firmum præſidium ſua ſpõte deſeruerit, quod vt illum non cogebat, vt vellet, ita volentem nunquam deſtituiſſet. Hæc ſimilitudo, in qua machinula, gratiæ, puer, animæ ſpeciem gerit, rem totam & vniuerſa, quæ ad illam pertinent, ſub oculos ponere non valet: facit tamen vt vt intelligibile, quod præmiſimus de gratiæ & liberi arbitrij efficientia in merendo, quorum neutrum ſine altero quicquam facit. Sola enim gratia, aut ſola humana voluntas, nihil boni operis poteſt præſtare, ſed totum bonum opus ab vtroque, totum ab alterutra proficiſcitur.

Eſt tamen diſcrimen quoddam inter hæc, in boni operis productione per quam ſimile illi, quod philoſophi inter cauſas æquiuocam & vniuocam inuenerunt. Cum enim redditurus ſit in iudicio Chriſtus vnicuique ſecundum opera ſua, neceſsè eſt, vt eorum opera, qui eius miſericordia ſeruandi & æternam felicitatem adepturi ſumus, & noſtra ſint & bona, atque adeò ab illo & à nobis. Nam ſi à nobis fierent ſine illius gratia, eſſent quidem noſtra, ſed non eſſent bona: ſi verò ab illo ſine nobis, etiam ſi in nobis, fierent, eſſent quidem bona, ſed non eſſent noſtra. Vt ergo & noſtra ſint & bona, opus eſt, & à nobis fieri, & à Chriſto, cuius ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Rom. 8. Nihil itaque boni operis ſoli libero arbitrio, nihil gratiæ ſoli poteſt aſſcribi, quando neutra res ſine altera operatur, ſed vtraque ſimul.

Quarum tamen prior rationem habet cauſæ vniuocæ, quæ ſibi vendicat effectum, poſterior verò rationem æquiuocæ, quæ non tam cooperatur, quàm voluntatem humanam adiuuat operantem. Cum hac ſententia concordant omnia ſcripturarum ſanctarum teſtimonia, ſiue quæ nobis cuiuſuis vel minimi boni adimunt facultatem, ſiue quæ tribuunt efficiendi operis libertatem, hoc eſt, potentiam operandi, cum adeſt gratia, & ceſſandi ab opere, etiam ſi maximè adſit, nec id tantùm, verùm & in contrarium retinendi, cum volumus. Humanæ quippe naturæ, vt docet Bernardus, per gratiam reſtitutæ, ineſt vis ad peccandum & non peccandum: deſtitutæ verò, tantùm ad peccandum: perfectæ autem & conſummatæ, tantùm ad non peccandum. Noſter itaque locus eſt medius, idcircò vtriuſque extremi participatione nutamus, in alterutram partẽ caſuri. Porrò vbi ceciderit lignum, ibi manebit. Eccleſ. 11. Adde quod hæc noſtra ſententia nihil prorſus homini relinquit, vnde poſſit gloriari

riari niſi in domino, in quo omnia ſe poſſe gloriabatur Paulus. Satis ſit his paucis locis, quid nobis de gratia & libero arbitrio videretur, ſignificaſſe magis, quã expoſuiſſe, quãdoquidẽ haud erat opus iuſta lucubratione tractare locũ, tã doctè, tã piè, tã ingenioſe, tũ à veterib9, tũ à neotericis theologis explicatũ.

Porrò Articulus vigeſimus idem repetit, quod articulis quarto & duodecimo fuerat propoſitum, quamobrem ſufficit lectoribus pijs & ſolam veritatem expetentibus, quod Philippicis quarta & ſequentibus ex ſacris literis pro Catholica veritate produximus. Querimonias Philippi, quibus huius Articuli apologiam exorditur, nihil moramur. Reiecerunt, inquit, & improbarũt theologi in conuentu Auguſtenſi verba Confeſſionis, quibus dicitur, quod non merẽtur homines remiſsionem peccatorum bonis operibus. Quid ni reijcerent & improbarent, quod aduerſatur prophetis & euangelio? Confeſsio enim cum negatiuè pronunciet, nullum diſcrimẽ operum, nullum meriti, nullum peccatorum aut remiſſionis faciens, ita bona opera à peccatorum remiſsione prorſus excludit, vt ne ſolis nec cũ fide vim aliquã illis tribuat ad peccatorum remiſsionem. Atqui ſcriptura ſacra ſexcentis locis exigit opera, vt condonentur peccata. Daniel conſulit Nabuchodonoſoro, vt peccata ſua eleemoſynis redimat. Tobias: Eleemoſyna, ait, ab omni peccato & à morte liberat. Itẽ apud Lucam: Dan. 4. Quod ſupereſt, date eleamoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Deinde exponens Chriſtus illud orationis: Dimitte nobis debita noſtra, &c. Si dimiſeritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater Matth. 6. veſter cæleſtis delicta veſtra. Rurſus apud Lucam: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hæc omnia, & id genus alia permulta, quæ paſsim in ſacris literis inueniuntur, perſpicue ac nullius coactæ interpretationis commẽto docent, bona opera multum ad peccatorum remiſsionem cõferre, quibus cùm aduerſetur generalis negatio Confeſsionis, haud immeritò à theologis non eſt admiſſa. Verùm quid fides faciat, quid & quatenus conferant bona opera ad iuſtificationem, quando non vno loco ſuperius expoſuimus, nunc ad Articulum primum & vigeſimum accedamus.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XVII. De Iudicio Dei.

Item docent, quòd Chriſtus apparebit in conſummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes reſuſcitabit, pijs & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia. Impios autem homines ac diabolos condemnabit, vt ſine fine crucientur.

Damnant Anabaptiſtas, qui ſentiunt hominibus damnatis ac Diabolis finem pœnarum futurum eſſe. Damnant & alios, qui nunc ſpargunt Iudaicas opiniones, quod ante reſurrectionem mortuorum pij regnum mundi occupaturi ſint, vbiq; oppreſſis impijs.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XVII. De Iudicio Dei.

Item docent, quòd Chriſtus apparebit in conſummatione mundi ad iudicãdum, & mortuos omnes reſuſcitabit, & hominibus pijs dabit vitam æternam, & gaudia perpetua. Impios autem homines & Diabolos condemnabit, vt ſine fine crucientur.

Damnamus Anabaptiſtas, qui nunc Iudaicas opiniones ſpargunt, fingunt, ante reſurrectionem, pios regna mundi occupaturos eſſe, vbique deletis aut oppreſsis impijs. Scimus enim, quod pij debeant obedire præſentibus Magiſtratibus, non eripere eis imperia; non diſsipare politias per ſeditionem, quia Paulus præcipit: Omnis anima magiſtratui ſuo ſubdita ſit. Scimus item quod Eccleſia in hac vita ſubiecta ſit cruci, & primum poſt hanc vitam glorificabitur, ſicut Paulus inquit: Oportet nos ſimiles fieri imagini filij Dei. Quare Anabaptiſtarum amentiam, & Diabolicum furorem prorſus damnamus, & exſecramur.

Damnamus & Origeniſtas, qui finxerunt Diabolis & damnatis finem pœnarum futurum eſſe.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimum ſeptimum reſponſio.

ARticuli decimi ſeptimi Confeſſio acceptatur, quoniam ex ſymbolo Apoſtolorũ, & ex ſacris ſcripturis tota nouit Eccleſia Catholica, Chriſtum venturum in nouiſſima die ad iudicandum viuos & mortuos. Iuſtè ergo & hic damnant Anabaptiſtas, qui ſentiunt hominibus damnatis & Diabolis finem pœnarũ futurum eſſe, qui ſibi quędam Iudaica fingunt regna piorum ante mortuorum reſurrectionem in hoc præſenti ſeculo, vbique oppreſſis impijs.

Andreæ

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimum ſeptimum animaduerſio.

FAciunt iſti quod periti piſcatores. Plerúque enim ſolent illi piſcibus maſſam aliquam ex rebus ſoporiferis & gratis obiectare, quo citius ineſcari poſſint. Ita Cõfeſſionis huius Architecti, nũc ex ſcripturis, nunc ex ſymbolo capita quædam producũt, à quibus ſciant Catholicos non abhorrere, vt & in alijs ab eorum doctrina non abhorrere exiſtimẽtur. Agnoſcit igitur & agnouit ſemper Catholica Eccleſia, quod in conſummatione mundi Chriſtus apparebit ad iudicandum, quodq́; mortuos omnes tunc reſuſcitabit. Agnoſcit & illud quod ſequitur, quod pijs & electis dabit vitam æternam, & perpetua gaudia, ſed tamen Catholicè non hæreticè intellectum. Nec enim ignoramus, quàm impiè Lutherus in ſermone de diuite & Lazaro docuerit, quod poſt aſſcẽſionem Chriſti nullus hominum venerit in cælum, nec etiam venturus ſit vſq; ad extremũ iudicium. Quem abominandum errorem cum pleriq; factionis Euangelicæ etiam ſequantur, ſatis conſtare poteſt, cur manifeſtum hunc Articulum, de extremo iudicio & vita ęterna, ſuę Confeſſioni inſerere voluerint, præſertim cũ in tertio Articulo ſatis apertè eum incluſiſſent. Nec ſine cauſa ab illis factum eſſe credim᷒, quod cum ſæpè Petri & Pauli hoc ſcripto meminerint, nunquam tamen dignati ſunt eos appellare ſanctos. Quod autẽ de Anabaptiſtis ſubijciunt, etiam nos probamus, ſed viderint ex cuius vterò illi prodierint. Rectè etiam Pneumaticos damnant, ſibi Mahumetica & Iudaica imperia in hoc mundo pollicẽtes. Eſt præterea hic Articulus in Cõfeſſione anni 1540. multum à Prototypo diuerſus. Præterquam enim quod in hoc Anabaptiſtis tribuunt, quæ poſtmodum Origeniſtis adſcripſerũt, multa adiunxerũt, quę ad obedientiã Magiſtratibus debitã pertinent, quo hac ſpumoſa ſpógia priores ſuas lituras eluerent.

Ioannis à Daueteria Articuli decimiſeptimi refutatio.

ET hic Articulus Catholicus eſt, & Euangelio cóſon᷒, & nulla prorſus indiget raſura. Vtinã Domin᷒ daret iſtis ſpiritũ ſuum, vt ſemper Catholicè ſentirent.

Ioannis Cochlæi Articuli decimiſeptimi diſcuſſio.

CVm Articulus iſte nihil habeat incõmodi aut reprehẽſibilis, neque in Cõfeſsione, neque in Apologia, libenter eum in omnibus comprobamus.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimoſeptimo iudicium.

DOcent illi, quòd Chriſtus apparebit in fine mundi ad iudicandum, &c. quæ ex Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis cognoſcũtur ad Iudicium extremũ pertinere. Damnant item quæ huic fidei noſtræ articulo repugnãt. Anathematizant Iudæos, Anabaptiſtas, Millenarios ſiue Chiliaſtas, itẽ Origenianos & huius impietatis reliquã ſecẽ. Hæc quoniam fidei noſtræ ſunt, & ex Eccleſiæ promptuario deſumpta, meritò à nobis probantur. Quid enim in re manifeſta multis verbis opus eſt? potuiſſent etiam hoc loci meritò illi condemnari, qui ita credũt Chriſtum ad iudicium venturum in conſummatiòne ſeculi, vt ipſius interim vero corpore & ſanguine in Cœna Dominica careamus. Intelligis quos velim. Sed hæc aliàs.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XVIII. De libero arbitrio.

Editio Vuittembergenſis anni 1538. in quarto, hic in fine adiicit: Damnãt Pelagianos, & alios, qui docent, quod ſine ſpiritu ſancto, ſolis naturæ viribus poſſimus Deum ſuper omnia diligere, item præcepta Dei facere, quo ad ſubſtantiam actuum.

DE libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, & deligendas res rationi ſubiectas, ſed non habet vim ſine ſpiritu ſancto efficiendæ iuſtitiæ Dei, ſeu iuſtitiæ ſpiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed hæc fit in cordibus, cum per verbum ſpiritus cõcipitur. Hæc totidem verbis dicit Auguſt. libro tertio Hypognoſticon: Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum in his, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere, ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam bonis quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle vxorem ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam: quæ omnia non ſine diuino gubernatione ſubſiſtunt, imò ex ipſo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt. Malis verò dico, vt eſt velle idolum colere, velle homicidium, &c.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XVIII. De Libero arbitrio.

Quamquã enim externa opera aliquo modo efficere natura poſſit: poteſt enim cõtinere manus à furto, à cæde, tamen interiores motus non poteſt efficere, vt timorẽ Dei, fiduciam erga Deum, caſtitatẽ, etc. Eandem veritatem ſequitur exemplar eodem anno Vuitembergæ impreſſum in octaua forma.

DE libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, & deligendas res rationi ſubiectas. Sed non habet vim ſine ſpirituſancto, efficiendæ iuſtitiæ ſpiritualis, quia Paulus dicit: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Et Chriſtus dicit, Sine me nihil poteſtis facere. Efficitur autem ſpiritualis iuſtitia in nobis, cum adiuuamur à ſpiritu ſancto. Porro ſpiritum ſanctum cõcipimus, cum verbo Dei aſſentimur, vt nos fide in terroribus conſolemur. Sicut Paulus docet, cum ait: vt promiſſionem ſpiritus accipiatis per fidem. Hæc totidem verbis dicit Auguſtinus libro tertio Hypognoſticon.

Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod idoneum ſit in ijs, quæ ad Deum pertinent ſine Deo inchoare, aut certè peragere, ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam bonis, quàm malis. Bonis dico, quæ de bono natura oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitã, quæ omnia, non ſine diuina gubernatione ſubſiſtunt, imò ex Deo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt. Malis verò dico, vt eſt velle idolum colere, velle homicidium, &c. Hæc Auguſtini ſententia præclare docet, quid libero arbitrio tribuendum ſit. Et diſerte diſcernit ciuilem diſciplinam, ſeu exercitia rationis humanæ à ſpiritualibus motibus, vero timore, patientia, conſtãtia, fide, inuocatione, in aſperrimis tentationibus inter inſidias diaboli, in terroribus peccati. In his certè opus eſt, regi nos, & iuuari à ſpirituſancto, ſicut Paulus inquit: Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.

Damnamus Pelagianos, & ſimiles, qui docent, quod ſine ſpirituſancto, ſolis naturæ viribus poſſimus Deum ſuper omnia diligere, legem Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum. Hæc ſomnia ingenuè & neceſſario reprehendimus; obſcurant enim beneficia Chriſti. Nã ideò proponitur in Euãgelio mediator Chriſtus, & promittitur miſericordia, quia humana natura non poteſt ſatisfacere legi, ſicut Paulus teſtatur, cũ ait Rom. viij. Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Legi enim Dei non eſt ſubditus, ac ne poteſt quidẽ ſubijci. Quãquam enim externa opera aliquo modo poteſt efficere humana natura per per ſeſe, poteſt enim continere manus à furto, à cæde, tamen interiores motus, vt verum timorem, veram fiduciam, patientiam, caſtitatem, non poteſt efficere, niſi ſpiritusſanctus gubernet, & adiuuet corda noſtra. Et tamen in hoc loco illud etiam docemus. Dei mandatum eſſe, vt etiam carnales exerceantur diligentia rationis, & illa ciuili diſciplina, ſicut Paulus ait: Lex eſt pædagogus in Chriſtum. item: Lex eſt iniuſtis poſita.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimumoctauum reſponſio.

IN Articulo decimo octauo cõfitentur liberi arbitrij virtutem, quòd habeat libertatẽ ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, ſed nõ habeat vim ſine ſpirituſancto efficiendę iuſtitię Dei, quæ cõfeſſio acceptatur & approbatur. Nam ſic Catholicos cõuenit media via incedere, ne nimium tribuatur libero arbitrio cum Pelagianis, neque omnẽ libertatẽ ei adimãt cum impijs Manichæis, nam vtrũque non caret vicio. Sic Auguſt. inquit, Liberũ arbitrium ineſſe hominibus, certa fide credimus, & prædicamꝰ indubitanter. Namque inhumanus eſt error, negare liberum arbitrium in homine, quod quilibet cum ſeipſo experitur, & totiès in ſacris literis aſſeritur. S. Paulus ait: Poteſtatem autem habens voluntatis ſuæ. 1. Corinth. 7. De iuſto ait Sapiens, Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. Eccleſiaſt. 31. Deus dixit ad Cain: Nónne ſi bene egeris recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Geneſ. 4. Per Eſaiam dicit Prophetam: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comeditis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Hoc & breuiter Hieremias ex-

as expreſſit: Eccè loquuta es,& feciſti mala,& potuiſti. Hiere.3. Addam⁹ & Ezech. cap.18. Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras,in quibus pręuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum,& ſpiritum nouum: & quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortẽ morientis dicit dominus Deus, reuertimini & viuite. Et S. Paulus,Spirit⁹ prophetarũ Prophetis ſubiectus eſt. 1.Corinth.14. & idem 2.Corinth.9. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia , aut neceſſitate. Denique omnes Manichæos proſtrauit Chriſtus vno verbo, cum ait:Semper pauperes habebitis vobiſcum, & cum volueritis,poteſtis illis benefacere. Marc.14. Et ad Hieruſalem: Quotiès volui cõgregare filios tuos ſub alas,& noluiſti, inquit Chriſtus. Matth.23.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimum octauum animaduerſio.

QVi noſtra ætate Chriſtianam omnem ſapientiam adeò ſibi vindicarunt, vt Apoſtolicæ & Catholicæ fidei ſectatorib⁹ voluiſſe nihil relinquere videantur, ita de libero arbitrio diſſerunt, vt eius vim facto ipſo potius quàm doctrinæ cõſtantia declarare deprehendantur. Aliàs enim ſibi liberum eſſe putarunt, libertatem arbitrij humani ſuis placitis cõfirmare, aliàs æquè liberum ipſis fuit,eãdem arbitrij libertatem homini detrahere. Hoc vnus aut alter locus ex quinti Euangelij Patriarchis productus demonſtret. Lutherus igitur cum in diſputatione Lypſica,tum alibi ſcribit, quòd liberũ arbitrium ſit res de ſolo titulo, & dum homo facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Satana magiſtro venit hoc nomen liberum arbitrium, ad ſeducendum homines à via Dei. Eſt enim merum figmentum, quia voluntas nihil operatur ad ſuum velle, & error eſt quod habeat actiuitatẽ in bono opere. Nam omnia abſoluta neceſsitate eueniunt. Hæc Lutherus. Melanchtonis autem ſententia in locis communibus etiam manifeſta eſt: In Chriſtianiſmum,inquit,receptũ eſt impium de libero arbitrio dogma,& obſcurata Chriſti beneficentia per prophanam illam & animalem rationis noſtræ ſapientiam. Vſurpata eſt vox liberi arbitrij à diuinis literis, à ſenſu & iudicio ſpiritui alieniſsima. Primum ergo ſic cenſemus intellectum humanum pro natura ſua nihil intelligere, niſi carnalia. Boni & mali nullum diſcrimen cernit intellectus, niſi carnale. Et quæ de intellectu ſcribo, eadẽ de voluntate ſentio. Sicut enim nihil cernit intellectus niſi carnalia, ſpiritualium prorſus ignorans, ita nihil affectat voluntas præter carnalia bona. Proinde cùm tãta ſit in lumine naturæ cæcitas, cũ talis ignoratio Dei, rerumq́ue diuinarum, cum in voluntate tãtus ſit contemptus Dei, quæ eſt hominis libertas? Quin ſi reſpicias affectus carnales, nec in his libertas eſt. Ex his intelligis inſanire, qui pœnitentias, attritiones, & bona propoſita fingi docuerunt, cum non poſsit affectũ ſumere caro, aut ponere. Poſtremò libertatem homini adimit diuina prædeſtinatio. Eueniunt enim omnia iuxta diuinam prædeſtinationem , cum externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis. Dulceſcet hæc de prędeſtinatione ſententia, vbi impiæ rationis iudicium ſpirit⁹ Dei ſtultificauerit. Quid enim imbecillicitas humana perinde optet, atque vt in manu Dei omnia noſtra conſiſtant, ne noſtris conſilijs, ſed diuinis regamur? Magnum omninò eſt, cõmiſiſſe omnia diuinæ voluntati. Quare nihili commentum eſt dogma Scholaſticum de libero arbitrio. Hæc partim ex Luthero, partim ex Melanchtone, ita voluimus eſſe collecta, vt intelligant Principes Proteſtantium, quãta vanitate Confeſsionis Auguſtanæ architecti ipſis illuſerint, dum aſſeruerũt hanc eſſe doctrinam, quam Concionatores Euangelici in eorũ ditionibus hactenus ſonuiſſent. Certè ſi hic de libero arbitrio Articulus cum ijs, quæ modo commemorauim⁹ conſeratur, apertam ſtatim contradictionẽ deprehendes. Neque fuerunt Concionatores illi fortaſsè ſatis impij, niſi idẽcum Manichæis ſenſiſſent, & iuxta ipſorum ſententiam liberum arbitrium in homine exſtinxiſſent. Sed diſsimulentur tamen, quæ antea in hoc argumento ſcripſerunt, illudq́ue dũtaxat, quod hic de libero arbitrio docent, cõſideremus. An vel hac ratione deteſtandam ſuam impietatem, culpamne priorem eluerint? An non crimen crimine hic cumularũt Confeſsionis architecti? Si hæc erat vera de libero arbitrio ſententia (vt certè erat, niſi dolus aliquis fuiſſet occultatus) cur illam variarunt? Cur Principum ſententiam ſæpius peruerterunt? Sed dum vellent Orbis magiſtri effuſas aduerſus diuinam iuſtitiam, liberiq́ue arbitrij facultatem blaſphemias reuocare, agnouerunt tandem, ſe & in aliam leuitatem incidiſſe, cum in Confeſsione Cæſari oblata de libero arbitrio ita diſſerant, vt ſimul affirment quod homo poſsit efficere nõ modo ciuilem, verumetiam ſpiritualem iuſtitiam, quando Spiritusſanctus eius infirmitatem adiuuat & erigit. Quod vt ſemper etiam docuerunt Catholici, ita aliàs pertinaciſsimè oppugnarunt Lutherani. Quare vt ſuam inconſtantiam hic tegerent,

In aſſertionibus articulorum bullæ articulo 3.

non pauca in ſua Cõfeſſione anno 1540 varia ta adiecerunt, quibus illa verba de iuſtitia ſpirituali ad conſuetũ ſuæ impietatis perfugium, de ſpeciali fide pertraherent. Deinde (vt magis iſtorum hominum & nequitiam & aſtutiam pernoſcas) confeſtim poſt in[illegible]rtum dogma de iuſtificatione illa per fidem, ſubijciunt Auguſtini teſtimonium, quod in Prototypo referebatur duntaxat ad confirmationem libertatis arbitrij, vt incautus lector, ſibi mox perſuaderet, ſanctum illum virum, Lutheranorum ſententiam de iuſtificatione ſolius fidei confirmare. Adhæc in exemplari octauæ formæ, quod anno 1531. Georgius Rhau Vuittembergæ impreſsit, Prototypo adiecerunt in fine prolixam clauſulam, quam etiam in exemplari anni 1531. retinuerunt, ſed tamen magis dilatatam & corruptam. Ibi quidem Pelagianos verbis perſtringunt, ſed multo magis ipſis propoſitum fuit, Catholicos noua calumnia onerare, quaſi iſti docerent, quod ſine ſpiritu ſancto ſolis naturæ viribus, poſsimus Deum ſuper omnia diligere. Verùm vt Catholici nunquam illud dogma receperunt, ita quotquot ita ſentiunt, conſtanter ſemper cõdemnarunt. Poſtremò eadem clauſula eos etiam condemnant, qui docent hominem poſſe præcepta Dei facere, quo ad ſubſtantiam actuum. In quo certè admiranda eſt iſtorum hominum ſapientia. Principio huius Articuli affirmant, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, & deligendas res rationi ſubiectas. Deinde in fine ſubijciunt, quod humana natura aliquo modo per ſeſe efficere poſsit externa opera, vt continere manus à furto, à cæde, & ſimilia. Quid hoc aliud eſt, quàm ſententiam modo reprehenſam, cõfeſtim per animi leuitatem confirmare? Quid aliud eſt præcepta Dei facere quo ad ſubſtãtiam actuum, quàm externa opera diuinitus præcepta explere ſecundum illud quod foris gerendum eſt, quamuis interiores motus etiam non adhibeantur? An non illud eſt, quod pluribus etiam hic inculcant Lutherani? An non illud eſt, quod per ciuilẽ diſciplinam & exercitia rationis humanę deſignare voluit? An non illa ſunt eiuſmodi opera, per quæ carnales debere coerceri aſſirmant? Quid igitur hic calumniantur? In quò Catholici beneficia Chriſti hic obſcurant? Quæ ſunt illa tandem ſomnia ingenuè & neceſſario (vt aiunt) ab ipſis reprehenſa? Nunquidnam omnem, ſomniorum vanitatem, & phreneticorum furores ſuperat de vno, eodemq́; themate nunc Manichæorum impietatem ſequi, nunc à Catholicis ſententiam ſuffurari, nunc impudentiſsimè calumniari, nunc Simonis Magi hæreſim rectè dictis aſpergere? Ad hæc ſomnia, ad hæc mõſtra ſpectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Ioannis à Dauentria Articuli decimioctaui refutatio

Mirũ quàm libenter hunc Articulũ, de quo tãdiu inter Lutherũ & noſtros controuerſum eſt, accipiant Catholici. Precãtur etiamnum Deum ter Opt. Max. vt ſicut hic Luthero renuntiant, ita ab omnĩ errore reſipiſcẽtes redeant ad vnitatem Eccleſiaſticam. Longè aliter ſonat iſte Articulus, atque illa Lutheri aſſertio, quæ eſt inter aſſertiones numero trigeſima ſexta. *Deſciſcunt à Luthero.*

Liberum (inquit) *arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo, & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.*

Qui hic Luthero fidem habuiſſent, ab omnibus honeſtis ſtudijs ſemel euocati, ſeſe totos ſuis libidinibus exponebant. Nã ſi concupiſcentijs & peccatis intentaſſent bellum, perſuadebant ſibi, quod hac ratione mortaliter peccarent. Sed nõ eſt operæ precium, vt huic nos aſſertioni multo pernitioſiſsimæ opponamus, nam iſti noſtri Aduerſarij in Apologia eam ſatis refellunt pro nobis.

Habet (inquiunt) *humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per ſe comprehẽdit. Poteſt aliquo modo efficere iuſtitiam ciuilem, ſeu iuſtitiam operum, poteſt loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum opere externo, obedire magiſtratibus, parentibus in externo opere eligendo, poteſt continere manus à cæde, ab adulterio, à furto, cum reliqua ſit in natura hominis ratio, & iudicium de rebus ſenſui ſubiectis, reliquus eſt etiam delectus rerum, & libertas, & facultas efficiendæ iuſtitiæ ciuilis.* *Libero arbitrio multa hic tribuunt.*

Audis nunc quantum iſti concedant libero arbitrio. Volue, reuolue omnia Catholicorum ſcripta, diſpeream, ſi plus à noſtris libero arbitrio attributum ſit, quam iſti attribuunt. Vbicunque ergo offendes quod Catholicos cum Pelagianis conferunt, vbicunque offendes, quod dicant Catholicos docere, hominem poſſe Deum diligere ſuper omnia, & precepta Dei ſacere, mereri gratiã, &c. mẽdacium eſſe agnoſcito, ob hoc ſolum excogitatum, vt ſuis fidem faciant, noſtriſque miſerè imponant. Sed quando ita viſum eſt, pergãt mentiri, & in hac præſertim acie cinctuti milites omnes vires ſuas experiantur. A monachis facilè ferẽt palmam, veritatem autem & conſcientiam recti, quibus obarmati ſunt, etiam ſi furore rumpantur, nunquam occident.

Ioannis Cochlei Articuli decimi octaui diſcuſſio.

Placet quidẽ nobis diſtinctio iſta, quam & Confeſſio & Apologia refert, adduntur tamen quædã, quæ vt probare non poſſu-

poſſumus, ita tacitè tranſire, aut diſſimulare non debemus, qui veram, & per omnia ſynceram deſideramus concordiam. Etenim vtrobique damnant eos, qui hominem proprijs naturæ viribus docent poſſe præcepta Dei facere, quo ad ſubſtantiam actus. Videntur autem hominis naturã & mentem (opus vtique bonum & imaginem Dei) nimis deprimere, atque à naturali bonitate ſua, quam à Deo habet, & qua ratio ad optima deprecatur, vt ait in Ethicis Ariſtoteles, deijcere. Et ipſum Deum Opt. Max. ſumma bonitate, clementiaque & miſericordia priuare, dum imputant ei, quod impoſuerit homini præcepta factu impoſſibilia. Sciunt nanque omnes, quod tyrannicum ſit potius quàm Regium, ſubditis impoſſibiles cõſtituere leges, & onera imponere importabilia ipſis.

An præcepta ſint impoſſibilia.

Quare concludunt piè & religioſè ſancti Patres Hieronymus, Auguſtinus, Baſili9, &c. quod grauis ſit in Deum blaſphemia, dicere aut docere, quod Deus homini præcepta impoſſibilia impoſuerit. Eſt enim hoc contra ſummam Dei bonitatem, atque etiam contra omnem ſcripturam, quę Dei miſericordiam, atque bonitatem vbique teſtatur & prædicat. Ait ſanè: Mandatum, quod tibi præcipio hodiè, nõ ſuprà te eſt, &c. Item: Adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mãdata conſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Item: Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur, &c. Ne quis verò dicat, hæc dicta eſſe de homine in ſtatu naturæ integræ, non ſtatu naturæ per inobedientiam Adæ, & peccatum originale corrũptæ, dicit contra hoc textus apertè: Mandatum, quod tibi præcipio hodiè. Omnia enim præcepta tam veteris quàm nouæ legis, poſt lapſum Adæ data ſunt. Poteſt igitur homo legem Dei facere ſuis viribus quo ad ſubſtantiã actus, licèt non poſſit meritoriè abſque gratia Dei.

Hieronym. ad Damaſum Papam. Deuter. 30. Eccleſ. 15. Rom. 2.

Sed neque ſubſtantiam actus facere poteſt ſine quocunque Dei auxilio. Deus enim eſt, in quo viuimus, mouemur & ſumus. Ipſe eſt primus motor, primus actus, primum eſſe, ſine quo nullus queat homini eſſe motus, nullus actus, nullum eſſe, nulla natura, aut eſſentia, omnia à Deo habet, tam vires proprias, quàm naturã ipſam, omnia ipſi debet. Quid enim habes quod non accepiſti? Noli ergo tibi ipſi deeſſe, conare vti viribus tuis, tibi non fruſtra datis. Deus conatibus tuis pro ſumma erga omnes bonitate ſua non deerit: Noli ignauiter deſperare, noli Deum tuum impiè accuſare tyrannidis, aut ex Rege regũ & Domino dominantium, tyrannum & durum atque crudelem exactorem facere, tanquam exigat à te impoſſibilia tibi, & ſtatuat tibi pręcepta impoſſibilia, vt eorum tranſgreſſione te puniat tantùm modò, & non potiùs pro eorum obſeruatione tibi pręmia donet. Non eſt, non eſt, hoc diuinæ bonitatis, nõ eſt fidei Catholicæ. In bonum enim, non in malum dedit nobis præcepta Deus, vt ea facientes viuamus in eis, & vitæ æternæ præmium capiamus ex eis. Lex Domini (inquit Pſalmiſta) immaculata, conuertens animas. Et ipſe Dominus ait in Euangelio, Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Nuſquam aut dicit, impoſſibile eſt. Et Ioannes: Mandata eius grauia non ſunt.

Act. 17. 1. Cor. 4. 1. Tim. 6. Apoc. 19. Leuit. 18. Ezech. 20. Pſal. 18. Matth. 11. 1. Ioan. 5.

Non concedimus præterea falſum eſſe (vt ait Apologia) quod peccent homines, qui faciunt opera præceptorum extra gratiam. Nam quod Paulus de lege Moſi affirmat, hoc nos fiducialius de præceptis Chriſti affirmare poſſumus. Lex quidem ſancta eſt (inquit) & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Si ergo longè perfectius præcepta Chriſti ſancta ſunt, & iuſta, & bona, quomodo peccant ij, qui opera præceptorum eius faciunt? verbi gratia, Qui diligunt proximum, qui dant eleemoſynam pauperi, qui nudos veſtiunt, &c. vt eò facilius & citius à Deo veniã ſuorum peccatorũ impetrent & conſequantur. Qualia ſanè permulta docent pœnitentes Baſilius, Cyprianus, Auguſtinus &c. Si enim talia opera verè peccata eſſent, melius faceret peccator pœnitens, ſi ea omitteret, & nihil prorſus faceret, quia faciendo ea, prioribus peccatis noua ſuperadderet, & per hoc à venia longior fieret. Hoc autem docere aut dicere, eſt Euangelium Chriſti totum euertere, quod & in principio, & medio, & in fine pœnitentiam agere docet.

Rom. 7.

Multo autem minus concedimus Lutheri abſurditates de bonis operibus iuſtorum, quas rectè damnauit Bulla Leonis Papæ X. Nec etiam ea admittimus vniuerſaliter, quæ hic crebro repetit (vt ſolet) Apologia, quòd humana corda, quæ gratiam Dei nõ habent, ſint ſine timore Dei, ſine fiducia erga Deum, nec credant ſe exaudiri, ſibi ignoſci, ſe iuuari, & ſeruari à Deo: Credimus enim Iudæos & Turcas non habere ſpiritum ſanctũ, aut gratiam Dei, & tamen ex ijs plurimi, non ſunt ſine quolibet timore Dei, aut ſine qualibet erga Deum fiducia. Neque etiam Chriſtianus homo incidens in peccatum mortale, eſt ſine omni timore Dei, aut ſine omni erga Deum fiducia. Si enim non timeret Deum, non cùraret de peccato commiſſo vt pœniteret, ſed potius quęreret, aut ſequeretur per omnem vitam ſuam voluptates, & concupiſcentias carnis, & peccata peccatis accumularet. Quod ſi nullam inſuper erga Deum de eius bonitate & miſericordia fiduciam haberet, non

Falſa & ſcandaloſa dogmata.

agere pœnitentiam, nec quæreret abſolutionem, ſed ignauiter deſperaret, ſicut fecerunt Cain, & Iudas Iſcarioth. Nocentiſſima eſt igitur & ſcandaloliſſima hæc docendi nouitas, qua vtitur noua ſecta vbique in ſcriptis ſuis, quod homo extra gratiam conſtitutus, non poſſit in ſe vllum Dei timorem, aut vllam erga Deum fiduciam babere. Et quod homo per fidem in Chriſtũ certò ſtatuere debeat, ſe placere Deo, qualiſcunque ſit vita ſua & opera, quia nulla poſſint eum damnare peccata, niſi ſola incredulitas. Huiuſmodi enim

Roman.

dogmata populum à ſtudio bonorum operum retrahunt, & ſalſam ſecuritatem introducunt, contra illud Apoſtoli: Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Et contra illud Salomonis: Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Et illud Iob: Verebar omnia opera mea, &c.

Prouer. 28. Iob 9.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimooctauo iudicium.

QVam diuerſa ſunt hæc, ô bone, à prioribus Aduerſariorum ſcriptis, in quibus ne nomen quidem liberi arbitrij æquo animo ferre potuerunt? Deo gratiæ, qui illis hac in re meliorem inſtillauit animum. Nihil nos offendit Articulus hic, nec quicquam in malam partem interpretabimur, quoniam ex monumentis piorum Patrum, imò & ex ſacris ſcripturis videtur deſumptus. Libertas quidem perijt per peccatum, ait Auguſtinus, ſed illa, quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam; propter quod humana natura, diuina indiget gratia, dicente Domino; Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: vtique liberi ad bene iuſteq; viuendum. Nam liberũ arbitrium vſqueadeò in peccatore nõ perijt, vt per illud peccent, maximè omnes qui cũ delectatione peccant. Hæc ille, contra duas epiſtolas Pelagia. lib. 1. cap. 2. Et iterum idem eiuſdem argumenti lib. 2. cap. 10. Nihil video in ſcripturis ſanctis, inquit, homini à Domino iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutorium gratiæ Dei monſtrandum. Nec omninò homo incipit ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei. Hæc & eius generis multa ſcribit Auguſtinus contra Pelagianos. Hi enim dicebant hominem malum, ſufficienter etiam habere liberũ arbitrium, ad faciendum bonum præceptum: hoc enim contra iſtos teſtatur Auguſtinus lib. 2. eiuſdem argumenti cap. 2. Et lib. 3 cap. 8. inquit: Liberum arbitrium captiuatum, non niſi ad peccatum valet; ad iuſtitiam verò niſi diuinitus liberatum, adiutumq; non valet. Gratia enim Dei, ſicut alibi ſcribit, nolẽtem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Ex his ſatis liquet, D. Auguſt. ita extuliſſe liberum arbitrium, vt tamen in nullo derogaretur gratiæ: quoniam vtrumque habet ſcriptura ſacra. Gratiæ quidem, vt Chryſoſtomus ait, potior pars debetur, ſed non totũ: vtriſq; ergo nobis opus eſt, vt idẽ ait, & quæ diuinitus dantur, & quæ à nobis ſunt, ſi quidẽ diligenter & exacte ſaluãdi fuerimus: idq;, non ſolũ antea, ſed & nunc quoq;, etiamſi magni celebresque fuerimus, diuina gratia opus habemus. Hæc ad verbum Chryſoſt. homilia 32. in Rom. cap. 16. qualia nimirum Eccleſia hacten⁹ ſemper docuit. Quod enim Apologia rurſus Scholaſticos traducit, & incuſat Pelagianæ hæreſis, immeritò & præter rationem facit. Vbi enim, vel quando vnquã Scholaſtici docuerunt, hominem ſine Spirituſancto, poſſe Deum diligere ſuper omnia, & præcepta Dei facere? Oſtendat Apologia, ſi poteſt, authorem, & cum eo, ſi volet, duriuſcule expoſtulet. Nos talia nunquam legimus, nec audiuimus, nec docuimus vnquam. Imò quod Scholaſtici docuerunt de operibus extra, & præter gratiã factis, ad vnguem reſpondet Apologiæ, quæ in hoc Articulo prorſus renuntiauit Lutheri ſomnijs. Et nõ queo ſatis videre, quid cauſæ ſit, cur Philippus in hoc negotio tàm miſerè vexet Scholaſticos, quos tamen Bucerus (qui certè diligentius verſatus eſt in Scholaſticorum gymnaſijs, id quod res ipſa clamat, quàm Philippus) candidè & meritò excuſat, dicens: Ingenue omnes, non veteres modo, ſed & recentes Theologi, inter quos haud iniuria ſatis ſit vnum Thomam laudaſſe teſtem, Liberum arbitriũ, niſi & moueatur, & iuuetur à Deo, ad bonum nihil valere cõfitentur. Nec ineſt igitur ijs, quæ de libero arbitrio Patres quidam, aut etiam neoterici aſſeruerunt ea, quã nonnulli putant, impietas, ſi hæc ritè modo accipiantur, & ſic vt ipſi ſcriptores ea accipi voluerunt, &c. Et hæc quidem Bucerus, qui non iniuria in iudicandis Scholaſticorum dogmatis mihi videtur Philippo præferendus. Sed diximus hac de re nonnihil in ſuperioribus. Dicimus itaque iam ex ſententia Chryſoſtomi, non eſſe poſſibile, nos aliquod bonum rectè agere, non habita ſuperna gratia. Et vt idem ait: Opera mala ex nobis ſolis oriuntur, bona verò non egent tantùm noſtra cura, verumetiam opus habent diuina benignitate. Ergo neque quæ in noſtro arbitrio ſunt, putemus ſine adiutorio Dei effici poſſe, neque ea, quæ in manu Dei ſunt, putemus abſque noſtris actibus & ſtudijs & propoſito conſummari. Et hæc quidẽ hactenus pro libero arbitrio diſſeruiſſe ſuffecerit.

Tom 8.

Gratia potior noſtro velle.

In Pſal. 1.

Homilia 24. in Geneſ. in Galat. cap. 5.

Origen. peri archon lib. 3.

CON-

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XIX. De cauſa peccati.

DE cauſa peccati docent, quòd tametſi Deus creat & conſeruat naturam, tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ nō adiuuante Deo, auertit ſe à Deo, ſicut Chriſtus ait, Ioannis viij. Cum loquitur mendacium, ex ſeipſo loquitur.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XIX: De cauſa peccati.

DE cauſa peccati docent, quòd tametſi Deus creat & conſeruat naturam, tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum hominum, quæ auertit ſe a Deo, ad alias res contra mandata Dei. Ideo Chriſtus inquit de Diabolo: Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum ad Articulum decimum nonum reſponſio.

ARticulus decimusnonus itidem probatur & acceptatur: Deus enim ſummè bonus, non eſt author malorum, ſed voluntas rationalis defectibilis cauſa eſt peccati. Quare nullus ſcelera ſua & facinora imputet Deo, ſed ſibi, iuxta illud Hieremiæ 2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te: & illud Oſeæ 13. Ex te perditio tua Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum, Et Dauid in ſpiritu cognouit Deùm eſſe hunc, qui nolit iniquitatem, Pſalmo 5.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum decimumnonum animaduerſio.

QVis iſtos Proteos non magnoperè miretur? Non certè maior eſt in huius argumenti pertractatione apud Concionatores Lutheranos conſtantia, quàm in ſuperiori Articulo. Si enim, quæ modò ad illū ſcripſimus, repetantur, haud difficulter intelligetur, quidnam de cauſa peccati aliquando ſcripſerint. Sed luculentiora ſunt Philippi Melanchthonis in epiſtolam ad Romanos verba, quàm vt blaſphemias ſuas in Deum ter maximum eiaculatas tegere poſſit. Sit hęc inquit, certa ſententia, omnia à Deo fieri tam bona, quàm mala, dicimusq́; non ſolùm permittere Deum creaturis vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere, vt ſicut fatentur Aduerſarij, proprium Dei opus fuiſſe Pauli vocationem, ita fatemur Dei proprium opus eſſe, ſiue quæ media vocantur, ſiue quæ mala ſunt, vt Dauidis adulterium, Pauli ſęuitatem. Conſtat enim Deum omnia facere non permiſſiuè, ſed vt Auguſtini verbo vtamur, potenter, id eſt, vt ſit proprium eius opus Iudæ proditio, ſicut Pauli vocatio. Eſt autem hoc loco myſterium inexplicabile, nempe quòd Deus velit peccata, & tamen ea verè odio habeat. Certè Philippe Melanchthon, myſterium eſt inexplicabile, & occultiſſima hîc ſunt Dei iudicia, quomodo gens religione, & virtutibus olim cōmendatiſſima ferre, & tantum non velut Prophetas adorare eos homines potuerit, qui tot tantasq́; blaſphemias profuderunt, qui ab omni pietate populum abſtraxerunt, qui Chriſtianū lumen adeò exſtinxerunt, vt quicquid ſceleratiſſimi quique impietatis perpetrant, hoc neceſſitati adſcribant, & in Deum, qui hoc etiam velit, referant. Verſantur iſtæ blaſphemiæ paſſim in hominum manibus, atq; in libris Euangelicorum ab imperitis leguntur, & interim ſcelus iſtud expiare conantur, contraria ſententia hominū oculis obiecta, quā etiam vt gratiorē facerent, in editione annò 1540. variata adiecerunt clauſulam de auerſione voluntatis à Deo, ad alias res cōtra mandata Dei. Alibi tamen de diuinis mandatis ità diſſerunt, vt ea ad hominem Chriſtianū minimè pertinere, atque Decalogum ſolos Iudæos obligare affirment, quod proximo Articulo pluribus oſtendemus.

Ioannis à Dauentria Articuli decimi noni refutatio.

VNa omniū ſententia, vt duo præcedentes, hic Articulus receptus eſt. Et omninò vacat periculo, ſed non item qui hunc immediatè ſequitur.

Ioannis Cochlai Articuli decimi noni diſcuſſio.

ISte Articulus in ſe reprehenſibilis nō eſt, ſed ei vehementer contraria ſunt, quę Lutherus de libero arbitrio, & Philippus in primis ſuis annotationibus ſcripſerūt: Vbi Deū ipſum effectiuā & principalem cauſam peccati faciunt, quod ſanè grauiſſima eſt blaſphemia, quæ omninò aboleri ac damnari debet, ſi vera ſit concordia conſtituenda.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo decimonono iudicium.

ET in hoc Articulo prorſus renunciauêrũt Luthero ſuo, & iure quidẽ: ſi enim eſt aliquod liberũ arbitrium, vbi eſt illa abſoluta neceſſitas, quã toties oſtentabat Lutherus? Vbi dogma illud: Deum in nobis, & bona & mala agere, non quidẽ permiſſiuè ſed potẽter? Gratulamur Aduerſarijs profectò, & in hoc Articulo meliorem mentem. Exſtat hac de re, ſcilicet, quòd Deus non ſit author malorũ, pulcherrimus adeoque abſolutiſſimus ſermo, D. Baſilio verè magno inſcriptus. Tractat etiam hanc rem D. meus Auguſt. aduerſus Manichæos & Pelagianos, in multis opuſculis. In 3. de libero arbitrio, cap. 17. idẽ dicit quod hic Philippus, nimirum voluntatem malorum, cauſam eſſe malorum. Nec eſt inquit, cui rectè imputetur peccatũ, niſi peccanti. Et diſputatione ſecunda contrà Fortunatum ait: Malorum genitor non eſt Deus. Et contra Adamantum Manichæi diſcipulũ cap. 26. ſcribit locum illũ Amos Prophetæ, vbi Dominus ait: Non aliquod fieri malũ in ciuitate, quod ipſe nõ faciat: intelligendũ eſt de malo pœnæ, non de malo culpę. Malũ, inquit, hoc loco non peccatũ, ſed pœna intelligẽda eſt. &c. Dupliciter .n. appellatur malũ: vnũ, quod homo facit: alterũ, quod patitur, pœna, &c. Hinc opinor ſumpſerunt Scholaſtici, quicquid hac de re diſputãt. 2. Senten. cap. 34. Qui plura deſiderat, legat D. Irenęũ lib. 4. cap. 76. & ſequentibus. Ioannem item Damaſcenum lib. 4. cap. 20. qui cãdido lectori, ni fallor, ſatisfaciunt. Poſſem ego hic multa cõgerere ex priſcis Patribus, pro huius Articuli confirmatione, ſed nolui adducere teſtimonia non neceſſaria, in re haud dubia. Sunt certè apud Aduerſarios non pauci loci, qui huic Articulo & pedibus & manibus repugnant, maximè apud eos, qui non poſſunt æquo animo ferre Patrum interprætationẽ, qui obdurare, tradere, pro permittere interpretati ſunt. D. Baſilius de obduratione Pharaonis ſcribit: Obdurauit eum lõganimitate, ac pœnæ dilatione, ipſius ferens vitium, vt ad extremum eius iniquitate ad ſummũ gliſcente, iuſtiùs ſuper eum Dei iudicium oſtẽderetur, &c. Hæc ferè communis eſt omniũ Patrum expoſitio, quam ægerrimè legunt Zuinglij commilitones. Videatur hac de re Bucerus, in Roma. cap. 1. Sed ſuffecerint hæc, de cauſa peccati.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XX. De Fide & bonis operibus.

FAlsò accuſantur noſtri, quòd bona opera prohibeant: nã ſcripta eorũ, quæ exſtant de decẽ præceptis, & alia ſimili argumẽto, teſtantur, quòd vtiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera, in qualibet vocatione Deo placeãt. De quibus rebus olim parũ docebãt cõcionatores, tantũ puerilia & non neceſſaria opera vrgebant, vt certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus ſanctorũ, roſaria, Monachatũ, & ſimilia. Hæc aduerſarij noſtri iam admoniti dediſcũt, nec perinde prædicãt hæc inutilia opera vt olim. Incipiunt etiã fidei mentionẽ facere, de qua olim mirũ erat ſilentium. Docent nos non tantum operibus iuſtificari: ſed coniungunt fidem & opera, & dicũt nos fide & operibus iuſtificari: quæ doctrina tolerabilior eſt priore, & poteſt plus afferre conſolationis, quàm vetus ipſorũ doctrina. Cùm igitur doctrina de fide, quã oportet in Eccleſia præcipuam eſſe, tãdiu iacuerit ignota, quẽadmodum omnes fateri neceſſe eſt, de fidei iuſtitia altiſſimum fuiſſe ſilentium, in concionibus tãtùm doctrinã operum verſatã eſſe in Eccleſijs, noſtri de fide ſic admonuerunt Eccleſias:

Exemplar Vuittebergẽſe anni 1531. in octaua forma ad hunc modũ habet: Et ſic non definiũt obſcuram doctrinã fidei, cũ relinquunt dubias conſcientias. & iubẽt mereri remiſſ. peccat. operibus. Nec docent quod ſola fide propter Chriſtum certò accipiamus remiſſionem peccatorum.

Principiò, quòd opera noſtra non poſſint reconciliare Deum, aut mereri remiſſionem peccatorum & gratiam, ſed hanc tantùm fide conſequimur, credentes, quòd propter Chriſtũ recipiamur in gratiã, qui ſolus poſitus eſt mediator & propiciatorium, per quem reconcilietur pater. Itaq;, qui confidit, operibus ſe mereri gratiam, is aſpernatur Chriſti meritum & gratiam, & quærit ſine Chriſto humanis viribus viam ad Deum, cum Chriſtus de ſe dixerit: Ego ſum via, veritas, & vita.

Hæc doctrina fidei vbique in Paulo tractatur, Epheſ. ij. Gal. ij. Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, &c. Et ne quis videatur cauillari poſſe, a nobis nouam Pauli interpretationẽ excogitari, tota hæc cauſa habet teſtimonia Patrum. Nam Auguſtinus multis voluminibus defendit gratiam, & iuſtitiam fidei, contra merita operũ. Et ſimilia docet Ambroſius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione Gentium: Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorũ operũ prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, ſed merces eſſet operantis.

Quan-

Quanquàm autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ & pauidæ conſcientiæ, plurimum eam conſolationis afferre, quia conſcientiæ non poſſunt reddi tranquillæ per vlla bona opera, ſed tantùm fide, cùm certò ſtatuunt, quòd propter Chriſtum habent placatum Deum, quemadmodum Paulus docet Romano. 5. Iuſtificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefactæ conſcientiæ referenda eſt, nec ſine illo certamine intelligi poteſt. Quare malè iudicant de ea re imperiti, & profani, qui Chriſtianam iuſtitiam nihil eſſe ſomniant, niſi ciuilem & philoſophicam iuſtitiam.

Olim vexabantur conſcientiæ doctrina operum, non audiebant ex Euangelio conſolationem. Quoſdam conſcientia expulit in deſertum, in monaſteria, ſperantes ſe ibi gratiam merituros per vitam monaſticam. Alij alia excogitauerũt opera, ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis. Ideò magnopere fuit opus, doctrinam hanc de fide in Chriſtum tradere & renouare, ne deeſſet conſolatio pauidis conſcientijs, ſed ſcirent fide in Chriſtũ apprehendi gratiam, & remiſsionem peccatorum.

Admonentur etiam homines, quòd hic nomen fidei non ſignificat tantùm hiſtoriæ notitiã, qualis eſt in impijs & diabolo, ſed ſignificat fidem, quæ credit non tantùm hiſtoriam, ſed etiã effectum hiſtoriæ, hunc videlicet articulum, Remiſsionem peccatorum, quòd videlicet per Chriſtum habeamus gratiam, iuſtitiam & remiſsionem peccatorum.

Iam qui ſcit ſe per Chriſtum habere propitium patrem, is verè nouit Deum, ſcit ſe ei curæ eſſe, inuocat Deum, denique non eſt ſine Deo, ſicut Gentes. Nam diaboli & impij non poſſunt hunc articulum credere, Remiſsionem peccatorum. Ideò Deum tanquam hoſtem oderunt, nõ inuocant eum, nihil boni ab eo exſpectant. Auguſtinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet Lectorem, & docet in ſcripturis nomen fidei accipi non pro notitia, qualis eſt in impijs, ſed pro fiducia, quæ conſolatur, & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent noſtri, quòd neceſſe ſit bona opera facere, non vt confidamus per ea gratiam mereri, ſed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remiſsio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur ſpiritus ſanctus, iam corda renouantur, & inducunt nouos affectus, vt bona opera parere poſsint. Sic enim Ambroſius: Fides bonæ voluntatis et iuſtæ actionis, genitrix eſt: nã humanæ vires ſine ſpiritu ſancto, plenæ ſunt impijs affectibus, & ſunt imbecilliores, quàm vt poſsint bona opera efficere coram Deo. Ad hæc ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifeſta ſcelera, quemadmodum eſt videre in Philoſophis, qui & ipſi conati honeſtè viuere, tamen id nõ potuerunt efficere, ſed contaminati ſunt multis manifeſtis ſceleribus. Talis eſt imbecillitas hominis, cùm eſt ſine fide, & ſpiritu ſancto, ſed tantùm humanis viribus ſe gubernat. Hinc facilè apparet, doctrinam hanc non eſſe accuſandam, quòd bona opera prohibeat, ſed multò magis laudandum, quòd oſtendat quomodo bona opera facere poſsimus. Nam ſine fide, nullo modo poteſt humana natura primi aut ſecundi præcepti opera facere, ſine fide non inuocat Deum, nihil à Deo exſpectat, non tolerat crucem, ſed quærit humana præſidia, confidit humanis præſidijs, ita in corde regnant omnes cupiditates & humana conſilia, cùm abeſt fides & fiducia erga Deum. Quare & Chriſtus dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Ioan. XV. Et Eccleſia canit: Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XX. De Fide, & bonis Operibus.

QVòd Aduerſarij criminantur nos, negligi à nobis doctrinam de bonis Operibus, manifeſta calumnia eſt, Exſtant enim libri noſtrorũ, in quibus vtiliter & piè docent de bonis operibus, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeãt. Cumq́; in Eccleſiis magnum fuerit olim ſilentium de præcipuis operibus, ſcilicet de exercitijs fidei, & de laudibus politicorum operum, & magna ex parte conſumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in ieiunijs, ferijs, monachatu, fraternitatibus, peregrinationibus, cultu ſanctorũ, Roſarijs, & alijs inutilibus cultibus ornandis, nunc Dei beneficio reuocatur Eccleſia ad veros & vtiles cultus, quos Deus probat & requirit. Prophetæ grauiſsimis concionibus deplorant hanc Eccleſiæ calamitatem, quòd veris cultibus exſtinctis in Eccleſia regnaturæ ſint humanæ ceremoniæ, & impia fiducia Ceremoniarum. Et ab hoc errore reuocant Eccleſiã ad

veros

veros cultus,ad verè bona opera. Quid poteſt dici grauius concione illa Pſal. 49. Deus Deorum Dominus locutus eſt,& vocauit terram. Hic Deus vniuerſo generi humano concionatur,damnat cæremoniarum fiduciam, & alios cultus proponit, & ſignificat ſe valdè iraſci his,qui in Eccleſia ita prædicant cæremonias,vt veros cultus obruant. Similes extant multæ conciones in Prophetis,vt Eſaiæ 58.& Zachariæ 7. & Micheæ 6.& Oſeas clamitat: Miſericordiam volo,non ſacrificium,& notitiam Dei,pluſquàm holocauſta. Nec obſcurum eſt, multos bonos & doctos viros etiam ante hanc ætatem deſideraſſe doctrinam de conſolatione conſcientiarum,& de operum diſcrimine meliorem. Debet enim in Eccleſia extare vtraque doctrina,videlicet Euangelium de fide,ad erudiendas & conſolandas conſcientias: debet etiam proponi,quæ ſint verè bona opera,qui ſint veri Dei cultus. Sed aduerſarij, quia corrumpunt doctrinam de fide, primum non poſſunt conſcientijs firmam conſolationem proponere. Iubent enim dubitare de remiſſione peccatorum. Et tamen poſtea iubent quærere remiſſionem per propria opera,affingunt Monachatus, & alia opera. Deinde abolent & veros cultus,nam inuocatio,& cætera ſpiritualia exercitia, excutiuntur animis, non confirmatis fiducia Chriſti. Præterea nec placent Deo opera ſecundæ tabulæ, niſi fides accedat, quod propter Chriſtum placeat hæc inchoata & imperfecta obedientia. Tertiò obſcurant opera à Deo mandata,& longè anteferunt traditiones,has ornant ſpecioſiſſimis titulis,vocant eas Euangelicam perfectionem: interim de officijs vocationis, Magiſtratu,coniugio, ita frigidè docuerunt,vt multi graues viri dubitarint,an hæc vitæ genera placerent Deo. Itaq; concionatores noſtri bono ſtudio,vtrunq; doctrinæ genus illuſtrauerunt. Proponunt Euangelium de fide,& addunt piam de operibus doctrinam.

De Fide.

Primum igitur de fide & iuſtificatione ſic docent: Chriſtus aptè complexus eſt ſummam Euangelij cùm Lucæ vltimo iubet prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionẽ peccatorum. Nam Euangelium arguit peccata,& requirit pœnitentiam,& ſimul offert remiſſionem peccatorum propter Chriſtum gratis,non propter noſtram dignitatem. Et ſicut vniuerſalis eſt pœnitentiæ prædicatio,ita & promiſſio gratiæ vniuerſalis eſt. & omnes credere iubet,& accipere beneficium Chriſti. Sicut Chriſtus inquit: Venite ad me omnes,qui onerati eſtis. Et Paulus ait, Diues eſt in omnes,&c. Quanquàm igitur contritio aliqua ſeu pœnitentia,neceſſaria eſt, tamen ſentiendum eſt,donari nobis remiſſionem peccatorum, & fieri nos ex iniuſtis iuſtos,id eſt,reconciliatos ſeu acceptos,& filios Dei gratis propter Chriſtum,non propter dignitatem contritionis aut aliorum operum præcedentium aut ſequentium. Sed fide hoc beneficium accipiendum eſt,quæ credere nos oportet, quòd propter Chriſtum donetur nobis remiſſio peccatorum & iuſtificatio. Hæc ſententia firmam conſolationem affert perterrefactis mentibus. Et quàm neceſſaria ſit Eccleſiæ,perterræ conſcientiæ facilè iudicare poſſunt. Et nihil habet abſurdi,nihil perplexum,nihil Sophiſticum. Non eſt hic opus diſputationibus de prædeſtinatione,aut ſimilibus: nam promiſſio eſt vniuerſalis, & nihil detrahit operibus, imò exſuſcitat ad fidem,& verè bona opera. Nam remiſſio peccatorum transfertur à noſtris operibus ad miſericordiam,vt ſit beneficium certum,non vt nos nihil agamus,ſed multò magis vt ſciamus,quomodo placeat Deo noſtra obedientia in tanta infirmitate noſtra. Hanc ſententiam, qua & illuſtratur honos Chriſti, & pijs mentibus conſolatio dulciſſima & firmiſſima proponitur,quæ veram diuinæ miſericordiæ cognitionem continet, & veros cultus, & æternam vitam parit,aſpernari,ac damnare,pluſquàm Phariſaica cæcitas eſt. Olim cùm hæc conſolatio non proponeretur,multæ pauidæ conſcientiæ mederi ſibi conabantur operibus, alij confugiebant ad vitam monaſticam, alij alia opera eligebant, quibus mererentur remiſſionem peccatorum,& iuſtificationem. Sed nulla eſt firma conſolatio,præter hanc doctrinam Euangelij, quæ iubet credere, quòd gratis nobis propter Chriſtum donentur remiſſio peccatorum & iuſtificatio. Eſtq; hæc tota doctrina comparata ad verum illud certamẽ perterrefactæ conſcientiæ.

Sed addemus aliquot teſtimonia. Paulus Roman. 3. Iuſtificamur gratis ipſius gratia per redẽptionẽ,quæ eſt in Chriſto Ieſu,quẽ propoſuit Deus propiciatorẽ, per fidẽ in ſanguine ſuo.

Rom. 4. Ei autem,qui nõ operatur,credit autem in eum,qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam.

Epheſ.2, Gratia ſaluati eſtis per fidem,& hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus,ne quis glorietur.

In his

In his ſententijs & ſimilibus diſertè docet Paulus, gratis nobis donari remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, non propter noſtrorum operum dignitatem. Et in cap. 4. ad Rom. copioſe diſputat, quare hac conſolatione nobis opus ſit. Si enim promiſſio penderet ex dignitate noſtrorum operum, fieret incerta. Vt igitur aduerſus terrores peccati & mortis, habeamus certam & firmam conſolationem, & fides conſiſtere poſſit, neceſſe eſt, ea ſola miſericordia niti, & non noſtra dignitate. Propterea Paulus inquit: Ideò ex fide ſecundum gratiam, vt ſit firma promiſſio. Neq; enim opponi iudicio Dei poſſunt noſtra opera, iuxta illud: Si iniquitates obſeruaueris, quis ſuſtinebit? Ideoq; mediator donatus eſt nobis Chriſtus, nec transferendus eſt eius honos in noſtra opera. Cùm igitur dicimus: Fide iuſtificamur, non hoc intelligimus, quòd iuſti ſimus propter ipſius virtutis dignitatem. Sed hæc eſt ſententia: Conſequi nos remiſſionem peccatorum, & imputationem iuſtitiæ per miſericordiam propter Chriſtum, verùm hæc miſericordia non poteſt accipi niſi fide. Et fides hic non tantùm hiſtoriæ notitiam ſignificat, ſed ſignificat credere promiſſioni, miſericordiæ, quæ nobis propter mediatorē Chriſtum contingit. Et cum hoc modo fides intelligitur de fiducia miſericordiæ, nō diſſentiunt inter ſe Iacobus & Paulus. Quod enim inquit Iacobus: Dæmones credunt & contremiſcunt, intelligit fidem de notitia hiſtoriæ. Hæc non iuſtificat. Norunt enim hiſtoriam etiam impij ac diaboli. Paulus verò cùm inquit: Fides reputatur ad iuſtitiam, &c. loquitur de fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum. Eſtq; ſententia: Homines iuſtos pronuntiari, id eſt, reconciliari per miſericordiam, non propter dignitatem propriam. Sed hanc miſericordiam promiſſam propter Chriſtum, oportet fide accipi: tamen bonas mentes nihil offendet nouitas huius Paulinæ figuræ, Fide iuſtificamur, ſi intelligant propriè de miſericordia dici, eamq; verè & neceſſarijs laudibus ornari. Quid poteſt enim eſſe gratius cōſcientiæ pauidæ ac afflictæ in veris doloribus, quàm audire, hoc eſſe mandatum Dei, hanc eſſe vocem ſponſi Chriſti, vt ſtatuant certò, donari remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem, non propter noſtrā dignitatem, ſed gratis per miſericordiam, propter Chriſtum, vt beneficium ſit certum. Significat autem iuſtificatio in his Pauli ſentētijs remiſſionem peccatorum ſeu reconciliationem, ſeu imputationem iuſtitiæ, hoc eſt, acceptationem perſonæ.

Nec aſſerimus nouum dogma in Eccleſiam. Nam hanc de fide doctrinam ſcriptura copioſè tradit. Et Paulus hunc locum præcipuè tractat in aliquot epiſtolis. Et docent idem ſancti Patres: Sic enim inquit Ambroſius de vocatione Gentium: Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus eſſet largientis, ſed merces eſſet operantis. Et multæ ſunt integræ hac de re apud Auguſtinum diſputationes. Huius hæc ſunt verba: Quandoquidem per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, vt ad eius miſericordiam per fidem confugiens, ſanaretur. Dictum eſt enim, quòd legem & miſericordiam in lingua portet. Legem ſcilicet, qua reos faciat ſuperbos. Miſericordiam verò, qua iuſtificet humiliatos. Iuſtitia ergò Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, qui credunt, &c.

Et Synodus Mileuitana ſcribit: Nónne ſatis oſtenditur hoc actum eſſe per legem, vt peccatum cognoſceretur, & ſic aduerſus victoriam peccati ad diuinam gratiam, quæ in promiſſionibus conſtituta eſt, confugeretur, vt ad liberationem quærerentur promiſſiones Dei, hoc eſt, gratia Dei, & inciperet eſſe in homine iuſtitia, non ſua, ſed Dei.

De bonis Operibus.

Cùm neceſſariam de fide doctrinam, & conſolationem Eccleſiis proponimus, additur & doctrina de bonis operibus. Quòd videlicet neceſſaria ſit in reconciliatis, obedientia erga legem Dei. Nam Euangelium concionatur de noua vita, iuxta illud: Dabo legem meam in cordibus eorum. Hæc igitur noua vita debet eſſe obedientia erga Deum. Et Euangelium prædicat pœnitentiam, nec exiſtere fides poteſt, niſi in his, qui pœnitentiam agunt, quia fides cōſolatur corda in contritione & terroribus peccati, ſicut Paulus docet, iuſtificati fide, pacem habemus. Et de pœnitentia dicit Rom. 6. Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, vt aboleatur corpus peccati, ne peccato deinceps ſeruiamus. Et Eſaias inquit: Vbi habitabit Dominus? in ſpiritu contrito & humiliato, &c.

Secundò inter bona opera præcipuum eſt, & ſummus cultus Dei, fides ipſa, & parit multas alias virtutes, quæ exiſtere non poſſunt, niſi prius corda fidem conceperint. Paulus enim dicit: Quomodo inuocabunt, niſi crediderint? Donec animi dubitant, an à Deo exaudiantur, donec ſentiunt ſe à Deo reijci, non verè inuocant Deum. Sed cùm fide agnoſcimus miſericordiam,

diam, confugimus ad Deum, diligimus, inuocamus, ſperamus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia iam ſcimus nos eſſe filios, & placere Deo hoc noſtrum ſacrificium, noſtras afflictiones. Hos cultus parit fides. Præclarè igitur inquit Ambroſius: Fides bonæ voluntatis & iuſtæ actionis genitrix eſt. Aduerſarij videri volunt magnifice ornare doctrinam bonorum operum, & tamen de his ſpiritualibus operibus, de fide, de exercitijs fidei in inuocatione, in omnibus vitæ negotijs, conſilijs & periculis, nihil dicunt. Ac ne poteſt quidem recte dici de his exercitijs, ſi conſcientiæ relinquãtur in dubitatione, ſi neſciant Deum requirere fidẽ tanquàm præcipuum cultũ. Et cùm offunditur oculis illa ingens ſpecies externorũ operũ, mẽtes, præſertim non ſatis inſtitutæ, abducũtur à conſpectu horũ exercitiorũ interiorũ. Neceſſe eſt aũt in Eccleſia de his interioribus operibus, & fructibus ſpiritus doceri homines. Nã hæc opera diſcrimen faciunt inter pios & hypocritas. Externos cultus, externas cæremonias, & alia externa opera præſtare hypocritæ poſſunt. At hi cultus tantùm ſunt veræ Eccleſiæ, vera pœnitentia, timor, fides, inuocatio, &c. Hi cultus præcipue requiruntur, & laudãtur in ſcripturis, vt Pſal. 49. Immola Deo ſacrificium laudis, Inuoca me in die tribulationis, &c.

Tertiò, & hac fide, quæ conſolatur corda in pœnitentia, accipimus ſpiritum ſanctum, qui datur vt gubernet, & adiuuet nos, vt peccato, & diabolo reſiſtamus, & magis magisq́; agnoſcamus infirmitatẽ noſtrã, vt in nobis creſcant agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum, & noua vita creſcere ſicut Paulus docet, renouari nos debere, ad agnitionem Dei, vt efficiatur in nobis noua lux & imago eius, qui condidit nos, &c.

Quartò, docemus etiam quomodo hæc inchoata obedientia placeat Deo. Nam in hac tãta infirmitate, & immũditie naturæ, ſancti non ſatisfaciunt legi: opus igitur pijs eſt cõſolatione, vt ſciant, quomodo hæc exigua & imperfecta obedientia placeat Deo. Nõ enim ideo placet, quia legi ſatisfaciat, ſed quia perſonæ reconciliatæ & iuſtæ ſunt propter Chriſtũ, & credunt ſibi condonari imbecillitatẽ ſuam. Sic Paulus docet: Nulla nunc eſt cõdemnatio his, qui ſunt in Chriſto, &c. Quanquàm igitur hæc noua obedientia procul abeſt à perfectione legis, tamen eſt iuſtitia, & meretur præmia, ideò quia perſonæ reconciliatæ ſunt. Atq; ita de operibus iudicandum eſt, quæ quidẽ ampliſſimis laudibus ornãda ſunt, quòd ſint neceſſaria, quòd ſint cultus Dei, & ſacrificia ſpiritualia, & mereantur præmia, Sed tamen de perſona priùs tenenda eſt hæc conſolatio, neceſſaria in certamine cõſcientiæ, quòd fide gratis habeamus remiſſionem peccatorum, & perſona iuſta, id eſt, reconciliata ſit, & hæres vitæ æternæ propter Chriſtũ. Poſteà verò placere obedientiam, iuxta illud: Nũc non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Nõ enim poſſunt opponi iræ, aut iudicio Dei, noſtra opera, ſed terrores peccati & mortis vincendi ſunt fiducia mediatoris Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: O mors, ero mors tua. Et Ioan. 6. ait Chriſtus: Hæc eſt voluntas patris, qui miſit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternã. Et Paulus: Iuſtificati fide, pacem habemus. Et Eccleſia ſemper orat: Dimitte nobis debita noſtra. Atq; ita de imbecillitate ſanctorũ, & fide docent & ipſi ſancti Patres. Auguſt. in enarratione Pſalmi 30. inquit: In tua iuſtitia erue me. Nã ſi attendas ad iuſtitiam meam, dãnas me. In tua iuſtitia me erue: eſt enim iuſtitia Dei, quæ & noſtra ſit, cũ donatur nobis. Ideò autem iuſtitia Dei dicitur, ne homo ſeſe putet à ſeipſo habere iuſtitiam. Sicut enim dicit Apoſtolus Paulus: Credẽti in eum, qui iuſtificat impium, id eſt, qui ex impio facit iuſtum. Si agat tanquam ex regula legis propoſita, damnãdus eſt peccator, Hac regula, ſi ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores inuenit. Hoc ait Apoſtolus: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Quid eſt, Egent gloria Dei? vt ipſe liberet, non tu. Quia tu non potes liberare, indiges liberatore. Quid eſt quod te iactas? Quid eſt, quod de lege & iuſtitia præſumis? Non vides, quid intus tecum pugnet? Non audis decertantem & confitentem, & adiutorium in pugna deſiderantem; Miſer ego homo, &c. Facile autem iudicari poteſt, neceſſariam eſſe Eccleſiæ hanc doctrinam, vt ſciant homines ſe non ſatisfacere legi, & tamen habeant conſolationem, quomodò hæc imperfecta obedientia placeat. Hanc doctrinam horribiliter obruerunt olim quædam abſurdæ perſuaſiones, in quibus indocti contra authoritatem ſcripturæ & veteris Eccleſiæ, finxerunt homines legi Dei ſatisfacere. Item: Iuſtos eſſe propter legis impletionem, &c. Et Monachos perfectos eſſe, & ampliora & præſtantiora opera præſtare, quàm lex Dei flagitat, interim altiſſimum ſilentium erat, quomodo fide apprehendendus ſit mediator Chriſtus. Sed iubeant dubitare, aut confidere proprijs operibus.

Cete-

Cæterùm de hac obedientia etiam docemus, eos, qui admittunt peccata mortalia, non eſſe iuſtos, quia Deus requirit hanc obedientiam, vt reſiſtamus vicioſis affectibus. Qui autem nō repugnant, ſed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conſcientiam, hi ſunt iniuſti, & neque ſpiritumſanctum, neque fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ retinent. Nam in his, qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne poteſt quidem fiducia exiſtere, quæ quærat remiſsionem peccatorum. Quintò, neceſſe eſt hoc quoque docere, quomodo facere homines bona opera poſsint. Modò dictū eſt, quomodo placeant Deo. Hic addimus etiam, quomodo fieri poſsint. Et ſi enim homines ſuis viribus externa honeſta opera vtcunque efficere poſſunt, & hanc diſciplinam debent præſtare, tamen homines ſine fide ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit eos ad manifeſtam turpitudinem, occupat animos eorū impijs & blaſphemis opinionibus. Id enim eſt regnum & tyrannis diaboli. Ad hæc natura per ſeſe infirma eſt, & non poteſt ſine auxilio Dei ſe erigere, & ſpiritualia opera efficere. Ideò docentur homines, in Euangelio promitti ſpiritumſanctum, qui animos eorū, qui agunt pœnitentiam, & Euangelio aſſentiuntur, adiuuet & gubernet. Quare in omni vita, in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli inſidias, in omnibus periculis exercenda eſt fides in inuocatione, vt perſeuerare in fide, & obedientia erga Deum poſsimus. Itaque Zacharias inquit: Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum. Ideò enim vocat ſpiritum gratiæ, quòd ſpiritusſanctus erigat & conſoletur perterrefactas mentes, & teſtetur nos habere Deum placatum. Et vocat ſpiritum precum, vt fidē in inuocatione aſsiduè exerceamus. Vt per hæc exercitia cōfirmetur fides, & creſcat noua vita.

Et veræ virtutes ſine vlla dubitatione ſunt dona Dei, fides, perſpicacia iudicij in diſcernendis dogmatibus. Magnitudo animi, qualem neceſſe eſt eſſe in his, qui Euangelium docent & confitentur, vera diligentia in regendis Eccleſijs, vera humilitas, non appetere potentiā, non frangi populari fauore aut odio, vera caſtitas, &c. Has Heroicas virtutes Paulus vocat dona Dei, Roma. 12. Habentes diſsimilia dona ſecundum gratiam nobis datam. Et de his inquit ad Corinthios: Hæc efficit vnus, & idem ſpiritus, diſtribuens ſingulis, &c. Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio noſtra, quæ & conſeruat ea, & meretur incrementum, iuxta illud: Habenti dabitur. Et Auguſtinus præclarè dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, cùm videlicet exercetur. Habent enim bona opera, præmia, cùm in hac vita, tùm poſt hanc vitam, in vita æterna. Quia enim Eccleſia in hac vita ſubiecta eſt cruci, & morti corporali, differuntur præmia pleraque ad futuram vitam, quæ etiamſi per miſericordiam certè propter Chriſtum cōtingit, his, qui fiducia Chriſti iuſtificati ſunt, tamen eſt etiam compenſatio bonorum operum, iuxta illud: Merces veſtra copioſa eſt in cælis.

Ex his ſatis liquet, doctrinam bonorum operum Dei beneficio piè & rectè doceri in Eccleſijs noſtris, quanta fuerit olim obſcuritas, quanta confuſio doctrinæ de bonis operibus, bonæ mentes ſatis norunt. Nemo monebat de diſcrimine traditionum humanarum, & legis diuinæ. Nemo docebat, quomodo placerent bona opera, in tanta noſtra infirmitate. Denique altiſsimum ſilentium erat de fide, qua opus eſt in remiſsione peccatorum. At explicatis nunc his rebus, tenent piæ conſcientiæ conſolationem, & certam ſpem ſalutis, & intelligunt veros cultus, & norunt quomodo placeant Deo, & quomodo ſint meritorij.

CAROLI CAESARIS & Catholicorum Principum ad Articulum vigeſimum reſponſio.

IN Articulo vigeſimo, qui non tam continet Confeſsionem Principum & ciuitatum, quàm excuſationem concionatorum, vnum duntaxat eſt, quod ad Principes & Ciuitates pertinet, ſcilicet de operibus, quod non mereantur remiſsionem peccatorum, quod vt ſuperiùs reiectum & reprobatum eſt, ita & nunc reijcitur & improbatur. Vulgatiſsimum enim eſt illud Danielis 4. & illud Tobiæ ad filium: Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tobiæ 4. Et illud Chriſti: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Lucæ 11. Si opera non eſſent meritoria, cui Sapiens dixiſſet: Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum, Sap. 10. Cur S. Petrus nos tam obnixè hortatus eſſet ad opera, dicens: Quapropter fratres mei ſatagite, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 2. Petri 1. Cur S.

Paulus dixiſſet, Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Heb. 6. Nec per hoc aſpernamur meritum Chriſti, ſed ſcimus opera noſtra nulla eſſe, nullius meriti, niſi in virtute meriti paſſionis Chriſti. Scimus Chriſtum, viam, vitam & veritatem, Ioan. 14. Chriſtus autem velut Paſtor bonus, qui cœpit facere & docere (Act. 1) exemplum dedit nobis, vt, quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus, Ioan. 13. Et iuit per deſertum, per viam bonorum operum, quem cuncti Chriſtiani ſequi debent, & ad iuſſum eius tollere crucem, & ſequi. Matth. 10. & 16. Et qui non tollit crucem, non eſt, neque poteſt eſſe diſcipulus Chriſti. Verum quoque eſt, vt Ioannes inquit: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. 1. Ioan. 2. Hæc autem de bonis operibus opinio, etiam ante mille centum annos, tempore Auguſtini damnata fuit & reprobata.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum vigeſimum animaduerſio.

QVinti Euangelij ſummam complectitur iſte Articulus, eſtque velut anacephalæoſis & apologia eorum, quæ Lutherani omnibus ſuis libris prolixè inculcant. Et quoniam ſibi ignominioſum eſſe putant, ſi bona opera prohibere deprehendantur, illudque velut calumniam à Catholicis emẽtitam hoc loco eluere moliuntur, rationes hic adductas expendamus. Primùm igitur nos reuocant ad ſua ſcripta, præſertim illa, quæ de præceptis euulgarunt. Hinc volunt nos æſtimare, an bona opera prohibeant. Nos non inuiti paremus. Quando ita placet ex illis diſcutiamus, quid de operibus & præceptis Decalogi tradiderint. Duobus autem locis hoc argumentum potiſſimè tractauit Lutherus: vno ſermone, quem edidit de Moſe: altero, commentariolo quodam in Decalogum. Quæ igitur eſt eius de operibus ſententia ſermone de Moſe? Compendio illam explicabimus: Mallem, inquit, poſthac nunquam prædicare, quàm Moſem intromitti permittere, Chriſtumque ex cordibus hominum auelli. Nolumus pro regente aut Legiſlatore ampliùs habere Moſem, imò & Deus ipſe non vult habere. Moſes nanque ſolùm Iudaico populo datus eſt mediator, cui legem dedit. Suermeris autem ita obturandum eſt os, qui dicunt: Sic dicit Moſes, &c. At tu dic: Moſes nihil ad nos pertinet. Si eum acciperem in vno mandato, oporteret me totum Moſem accipere. Moſes mortuus eſt, regimen eius ceſſauit veniente Chriſto, non deſeruit ampliùs. Quicquid ſeditioſi prophetæ noſtri in Moſe legunt, dicunt: Hic loquitur Deus, nemo poteſt negare, ideò obſeruare oportet. Tunc adſtipulatur populus. Huic ſi Deus locutus eſt, quis contradicat? Introducuntur itaque in Moſem, ſicut porci in haram. Sed audi tu ſimul cum prophetis iſtis, duplex eſſe verbum Dei, in ſcriptura: Vnum non pertinet ad me, nec tangit me: alterum pertinet ad me, in quod confidam, ſicut ſuper firmam petram. At falſi prophetæ dicunt: Bone popule, hoc eſt verbum Dei. Verum quidem eſt, negare non poſſumus, ſed non ſumus ille populus, quodque Moſes non obligat gentes, conuinci poteſt ex ipſo textu in libro ſecundo Moyſi, capite vigeſimo, vbi Deus ipſe ait: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Aegypto, de domo ſeruitutis. Ex hoc textu etiam clarè habemus, quòd decem præcepta ad nos non pertinent. Non enim nos, ſed ſolos Iudæos ex Aegypto eduxit. Hoc poteſt item ex tertio præcepto probari, quòd Moſes ad Gentes & Chriſtianos non pertineat. Paulus enim & nouum Teſtamentum abrogant Sabbathum, quibus id rigidum erat præceptum. Quare non mihi, ſed Iudæis tuum Moyſem prædica. Ego enim Iudæus non ſum, noli mihi moleſtus eſſe cum Moyſe. Si Moyſen in vno articulo acceptarem, debitor fierem vniuerſæ legis obſeruandæ. At nullus apex aut punctus in Moyſe ad nos pertinet. Hæc blaſphemus ille Apoſtata auſus fuit in prædicto ſermone aduerſus legem diuinam eructare, non intelligens, Chriſtianos Decalogo aſtringi, non quia Moyſes eum præſcripſit, ſed quia his, quæ animo ſunt ingenita reſpondet, & cum lege naturæ ita conuenit, vt eius vi homines ad ea, quæ Decalogo deſcribuntur ſeruanda, perpetuò etiam impellantur.

Quare Chriſtus ab adoleſcente interrogatus, *Matth. 19.* quid faciendo vitam æternam poſſideret, ſtatim eum ad Decalogum reuocauit, eique præcepit, vt ſi beata vita frui vellet, eundem obſeruaret. Sed longè nunc aliam beatitudinem inuenit Lutherus, qui non vt Chriſtus venit legem adimplere, ſed ſoluere, & prorſus ex hominum animis exſtinguere. Interim tamen audet huius Confeſſionem architectus conqueri, falsò ſuos accuſari, quòd bona opera prohibeant. In quo doctorum hominum iudicia requirimus. Si enim non ſit, bona opera prohibere, cùm dicitur, quòd præcepta Decalogi ad Chriſtianos non pertineant, nullumque eſſe apicem in Moyſe, qui nos obliget,

get, quid tandem ſit bonum opus, non aſſequimur. Sed fortè Confeſſionis author potiùs habendam eſſe rationem duxerit alterius libelli, quem Lutherus de decem præceptis Decalogi edidit, vbi luculenter docet, illis omne mandatum ſalutare contineri.

Quid? Falſum ne igitur eſt (quod toties repetitis) poſteriorem ſpiritum, priore eſſe ſapientiorem? Certum enim eſt, ſermonem illum de Moſe eſſe editum poſt decem præceptorum explicationem. Ad hæc ſi dignū iudicatis præceptorium illud Lutheri, quo veſtra vitia detergatis, & dogmata confirmetis, vt opiniones, quas veſtra Confeſſione magna verboſitate inculcatis, maiori ex parte concidant neceſſum eſt. Ibi enim probantur officia Eccleſiaſtica, vigiliæ, ieiunia, & diſciplinæ. Ibi dicitur, nefas eſſe dies feſtos labore violare, ibi ſanctorum inuocatio confirmatur, ibi Canon miſſæ ſummoperè laudatur, ibi Canonum vtilitas oſtenditur, ibi Eccleſiæ authoritas amplificatur, ibi S. Petri, Papæ, Epiſcopi, Apoſtoli, Paſtoris, & alijs decoris nominibus honeſtatur. Ibi docetur, quòd Epiſcopis, Principibus, Plebanis, Senatoribus, cæteriſque Magiſtratibus non ſit obloquendum: ibi incontinentia reprehēditur, & virginitas ſuis laudibus exornatur. Ibi luctum eſſe propter peccata commiſſa ſuſcipiēdum declaratur: Ibi ſacrilegium eſſe dicitur. Monialem proſtituere, & Deo oblata profanare. Ibi denique præcipua vis quinti Euangelij ſubuertitur. Hæc ſi placeant magnoperè vobis gratulamur, quod tandem agnoſcatis, quanta cæcitate Catholicam Eccleſiam hactenus impugnaueritis. Sed quomodo tamē placeant, quæ poſtmodum pluribus libris, ab eiſdem ſunt oppugnata? qua ratione ipſis probentur, quæ in hoc ipſo nucleo Euangelij, in hac luce fidei Confeſſione tam artificioſè ſunt reprehenſa? Vlterius igitur videamus, vndè prætereà velint nos recognoſcere, quòd bona opera non prohibeant. Alia, inquiunt, ſimili argumento ſcripta teſtantur, quòd noſtri vtiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. Nos hic non repetemus, quid Concionatores Proteſtantium de Matrimonio & Magiſtratibus, quæ ipſis ſunt præcipua vitæ genera, olim ſcripſerint & docuerint. Nec ea réfricabimus, quæ articulo 16. de rebus ciuilibus pertractauimus, ſed quia Cōfeſſio nos hic ad alia Lutheranorum ſcripta etiam reuocat, illud duntaxat expendendum cenſemus, quidnam Lutherus alijs libris de bonis operibus ſenſerit. Cùm igitur Paulus ad Galatas 5. dicat: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, & his ſimilia, cuiuſmodi qui agunt, regnum Dei non conſequentur: auſus fuit Lutherus cōtrà ſcribere, quod Chriſtus ordinauerit, vt nullum eſſet peccatum niſi incredulitas: & nulla iuſtitia, niſi fides. Item: Nulla, inquit, ſunt peccata, quæ credentem in Chriſtum poſſint accuſare, vel damnare. Vbi enim eſt fides, ibi nullum peccatum nocet. Prorſus non dubitemus nos ſaluos eſſe, poſtquàm baptizati ſumus. Promiſſio ibi facta non eſt mutabilis, vllis peccatis, vnde baptizatus etiam volens non poteſt perdere ſalutem, quia nulla peccata, poſſunt eum damnare, niſi incredulitas, cætera omnia abſorbentur per fidem in momento. Sola fides eſt neceſſaria, cætera omnia ſunt liberrima, neque præcepta. Viſne magiſtrare Spiritumſanctum, vt dicas bona opera pertinere ad fidem, & fidem non ſufficere ad ſalutem? At hoc non eſt verùm, quia fides ſola per ſe ipſam, abſque omni opere, ſicut verbum diuinum ſonat, facit nos ſaluos, & opera nihil omninò ad iuſtitiam, aut ſalutem iuuant. Adeo autem iuſtus in omni opere bono peccat, vt optimum opus noſtrum, quo putauimus à Deo gratiam, auxilium, & conſolationem obtinere, nobis in peccatum reputatum ſit, ſicut ait Propheta pſalmo centeſimo octauo: Et oratio eius fiat in peccatum. Quantò igitur ſceleratior fueris, tantò citiùs Deus gratiam infundit. Si autem adornes te, vt cattus, bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies. Nec fuit ſatis huic Antichriſto nouas hæreſes comminiſci niſi etiam Eunomij, Ariani hæretici impietatem reſuſcitaret. Aſſeruit enim ille, manenti in fide nullum peccatum imputari. Sic igitur Lutherus de fide & operibus diſſeruit, vt exiſtimet illa duo extremè ſibi mutuò aduerſari: In quàm etiam ſententiam ſcribens Pomeranus, fides, inquit, & opera duo ſunt viri, inter quos nunquam conuenit. Docuit etiam Lutherus, quòd Deus opera noſtra non curet, aut ſi aliquid ſint coram Deo, tamen omnia ſint æqualia, quo ad meritum. Quo in dicto, primùm ſibi contradicit, qua parte meritum confirmat. Secundò, cùm merita eſſe æqualia adſtruit, hæreſim Iouiniani ab Eccleſia, & S. Hieronymo damnatam reſuſcitat. Tertiò, impium & blaſphemum dogma comprobat, quòd Deus non curat opera noſtra. Scriptura apertè contradicente & aſſerente, quòd Deus ad eleemoſynas Cornelij adſpexerit, quòd afflictionem Agar viderit, quòd conſiderauerit Abraham præcepturum filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, &c. Quin tota ſcriptura teſtatur, quomodo Deus reſpexerit in bona opera, in ſacrificium Abel, in iuſtitiam Noe, in pietatem Iob, in ieiunia Niniuitarum,

Vuittenbergæ anno 1526.

Contra Canonem miſſæ & in diſpu. Bernen. cōtra Catharinum. & lib. de votis. Item in ſer. Sic Deus dilexit mundū. De capt. Babylon. Lib. cōtra Anabapt. In lib. 500. art. art. 32. & in ſermo. Re.ū ... in aſſertio arti. 31 Item in lib. 500 art. art. 29 & 65. Item in ſerm. de piſcatura Petri.

Super Deuteron. cap. 1 In capt. babylon. & in aſſertio. articuli 11. Geneſ. 18.

Lib. de libert. Christiana. Matth. 7.

tarum, In fletus Ezechiæ, &c. Sed hæc non vident homines in reprobum ſenſum traditi, & mente occæcati. Quin ad eam deuenit Lutherus inſaniam, vt ſcribere non erubuerit, mala opera malum hominem non facere: contrà ac ſenſit Chriſtus, qui dixit: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facit. Teſtantur igitur libri Lutheri, ita illum de operibus, & omnibus vitæ generibus ſenſiſſe, vt meritò quis dubitare poſſit, an à condito orbe Turca, vel barbarus aliquis in tantam impietatem ſit prolapſus, nec tamen verentur conqueri Confeſſionis architecti, velut falsò accuſentur, quòd bona opera prohibeant. Quid etiam Melanchthon de bonis operibus ſenſerit, vtcunque ſtudeat hac Confeſſione ſuam improbitatem tegere, vnicus locus communis, quem inſcripſit de abrogatione legis, luculenter demonſtrat. Legem, inquit, in tres partes diſtinximus, in formas morum, cæremoniarum, & iudiciorum. Quas [illegible]nes neceſſe eſt abrogatas eſſe, ſi vetus [illegible]mentum antiquatum eſt. Fuit autem hæc legis abrogandæ cauſa, quia præſtari, ſeu fieri non potuit. Quæ cauſa cum ad legem moralem potiùs, quàm vel ad iudiciorum formas, vel ad cæremonias pertineat, neceſſe eſt fateamur, Decalogum quoque abrogatum eſſe, ne vel meritis noſtris ſaluemur, vel propter peccata noſtra pereamus. Ex his facilè eſt colligere, in quo poſita ſit Chriſtiana libertas. Primùm enim in eo eſt, quòd damnare lex non poſſit, quanquam habentes peccatum, modò credamus legis maledictionem à Chriſto ſublatam eſſe. Quia etiam nouo teſtamento non lex, ſed ſpiritusſanctus datur. Iam & Euangelium tantùm eſt miniſterium ſpiritus, & nihil prædicat, niſi remiſſionem peccatorum, ideò liberi ſumus ab omnibus externis obſeruationib9 & cæremonijs, quòd has non adferat ſecum natura ſpiritus Dei. Adeoque Chriſtiana iuſtitia, planè cordis iuſtitia eſt, nõ externarum obſeruationum. Atque hæc cauſa eſt, cur à Chriſtianis nec cæremoniæ, nec formæ iudiciorum exigãtur. Cæterùm penes nos eſt vti vel non vti Moyſaicis obſeruationibus. Scriptura certè liberas facit omnes huiuſmodi obſeruationes, vt inter Iudæos, Iudaicos ritus: inter Gentes, Gentiles ſeruare poſſis. Errat, qui exigit circuncifionem tanquàm neceſſariam. Errat item, qui vetat circuncifionem tanquàm impiam: Errat, qui ſic vetat ſimulacra haberi, tanquã per ſeſe impium ſit, Errat item, qui ſic tuetur ſimulacra, tanquã impium ſit tolli. Errat, qui putat impium, edere ſuillã carnẽ. Errat itẽ, qui putat impium, abſtinere à ſuilla. Media ſunt hæc, & in arbitrio noſtro poſita. Sic & de Euchariſtia iudico, non peccare, qui ſcientes huius libertatis & credẽtes, alterutra ſigni parte vtãtur. Dominus eſt enim filius hominis, etiam ſabbathi. Quæ de cæremonijs diximus, eadem de formis iudiciorum ſentimus, Chriſtianũ vti poſſe vel Iudaicis legibus, vel Gentilib9. Nec obeſt iuſtitiæ ſpiritus huiuſmodi externa rerum diſpoſitio, & œconomia. Dices autem, ſi liberi ſunt, qui ſpiritũ Chriſti habent, igitur & Dauid & Moyſes liberi erãt? maximè. Agnorũt.n. Patres Illi omnia ſua opera peccata eſſe, agnorũt ſe nõ mereri ſalutẽ operib9 ſuis vllis, ſed miſericordia Dei egere. Itaq; crediderũt, ſuntq; miſericordiæ fiducia ſeruati, & cõcepto ſpiritu Dei, ſenſerunt ſe liberos eſſe à legis maledictione, adeoq; ab omni onere, vel exactione legis. Sed quòd cæremonias nõ omittebant, in cauſa eſt, ꝙ nondũ libertas reuelata erat, nõdũ Euangeliũ libertatis euulgatũ erat. Quare legem tulere nihil grauati cùm ſe fide iuſtificari ſentirent. Sumus igitur liberi per fidem ab vniuerſa lege. Hactenus Philippus in locis cõmunibus. Mirũ eſt, hominẽ aliquẽ adeò effrontẽ inueniri, qui, cùm hæc paſſim doceat & inculcet, nihil tamen erubeſcat affirmare, quòd bonis operibus nõ detrahat. Sed minimè mirãdum eſt, vbicũq; eiuſmodi doctrina ſonat, & locum habet, populares effici ab omnibus Chriſtianis inſtitutis alieniſſimos, tandemque infideles prorſus & atheos reddi. Iudicet hæc quicunque volet, nunquam aliquis ſanæ mentis tantam impudentiam, tantamq; impietatẽ probauerit, aut meritò excuſabit. Cæteras nugas, mẽdacia, & calumnias, hoc Articulo incluſas, ſi tractare velimus compendio, certè fieri non poterit, quare præcipua duntaxat attingamus. Subijciunt igitur, quòd Catholici admoniti iam incipiunt fidei mentionem facere, de qua priùs apud illos fuerat mirum ſilentium, quodq; nunc tolerabilius doceant quam antea, nempe, nos non tantum operibus iuſtificari, ſed cõiungere fidem & opera, Perfidiam certè ſub nomine fidei, quam inducere ſtudent Lutherani concionatores, nunquam agnouit, aut vnquam agnoſcet columna, & firmamentum veritatis, Eccleſia Chriſti: ſed fidem quemadmodum ab Apoſtolis, viriſq; Apoſtolicis puram accepit, vt ſcriptis & verbo ſemper hactenus propagauit, ita vſque ad conſummationem ſeculi, inuitis etiam inferorum portis euangelizabit. Mirũ autẽ eſt hic mentiendi artificium, cùm aiũt Catholicos nunc incipere docere, quòd non tantùm operibus iuſtificemur. Quaſi verò vnquam Catholici ita docuiſſent, nec ſemper ad opera fidem etiam requiſiuiſſent.

Philippi impudentia.

Sed

Sed mendacium iſtud aliter & aliter frequẽtiùs repetunt, ne videantur pro iuſta cauſa iniquiſſimam calumniam aduerſus Catholicus inſtituiſſe. Quam tamen non deterſerint, niſi oſtendant, quibus tandem authoribus eiuſmodi doctrinam Eccleſia Catholica aut receperit, aut cõprobarit. Nam quòd illa Pelagianiſmum condemnarit, quemadmodũ & nos conſtanter hodie damnamus, notius eſt, quàm vt pluribus declaretur. In confeſſo etiam eſt, Catholicis hactenus tantam fuiſſe in fide tradenda curam, vt vix inuentus fuerit ruſticus aliquis, qui liberis ſuis etiam ante pueritiam non ſit conatus ſymbolum & orationem dominicam inſtillare, vt mirum ſit, quomodo qui veritatis præcones haberi volunt, tam impudenter mentiri audeant, doctrinam fidei tamdiu in Eccleſia ignotam iacuiſſe. Sed ſi rem penitius introſpiciamus, facile animaduertimus, eos non de Catholica, ſed de ſingulari aliqua fide verba facere, quæ nimirum opera pietatis condemnet, & totam iuſtitiæ Chriſtianæ cauſam in inani aliqua perſuaſione collocet. Habeant illi talem fidem, qui nuper conati ſunt nouam erigere Eccleſiam, nos cum B. Athanaſio ſentimus, quod quicunque vult ſaluus eſſe, neceſſum ſit ante omnia, vt teneat Catholicam fidem, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, abſque dubio in æternum peribit.

Seſſio 6. Concilij Tridentini de iuſtificatione.

Fides autem Catholica de noſtris operibus hoc docet, quod licet opera, quæ iuſtificationem præcedunt (ſi propriè de merito loquamur) nec remiſſionem peccatorum, nec ipſam iuſtificationis gratiam promereantur, tamen poſtquam homines ſunt iuſtificati, & amici Dei effecti, dum per obſeruationem mandatorum Dei eunt de virtute in virtutem, per bona opera in ipſa iuſtitia, ex Chriſti gratia accepta quotidie creſcere poſſint, atque magis iuſtificentur. Nec hoc ſanè ſine expreſſo Dei verbo aſſirmatur: Qui iuſtus eſt, inquit Ioannes, iuſtificetur adhuc. Et Eccleſiaſticus: Ne verearis vſque ad mortẽ iuſtificari. Item Iacobus, Videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? Hoc verò iuſtitiæ incrementũ petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, ſpei & charitatis augmentum. Vnde conſtat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ magnoperè aduerſari, qui in ſola fide ita ſibi hodie blandiuntur, vt putent vana iſta perſuaſione ſe hæredes æterni regni eſſe conſtitutos, hæreditatemque illam cæleſtem conſecuturos, etiam ſi Chriſtum noſtræ ſalutis ducem & authorem per viam bonorum operum non ſubſequuntur, cùm tamẽ Paulus manifeſtè dicat: Hæredes quidem ſumus Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt conglorificemur.

Apoc. vltim. Eccles. 18. Iacob. 2. Rom. 8.

Nam & Chriſtus ipſe, vt inquit idem Apoſtolus, cùm eſſet filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam; & cõſummatûs factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet iuſtificatos, dicens: Neſcitis quòd ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium: ſic currite, vt comprehendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, nõ quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item princeps Apoſtolorum Petrus: Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sed qui hactenus in Euangelio iſtam doctrinam agnoſcere noluerunt, minùs fortè pertinaciter iſtis aliquando examinatis, defendent, opera ad iuſtificationem non pertinere, ſed bonis operibus nos aliquid mereri nullatenus cõceſſerint.

Philipp. 2. Heb. 5. 1. Cor. 9. 2. Pet. 1.

Quid igitur ſibi vult Chriſti parabola de patrefamilias, qui conuentione facta cum operarijs de denario diurno, mittit eos in vineam ſuam? Quid eſt, quòd idem Chriſtus bona operantibus æternam beatitudinem repromittit? Quid eſt, quod Paulus affirmat, vnumquemque proprium mercedem ſecundum laborem ſuum recepturũ? Quid eſt, quod idẽ aſſerit, nos oportere manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſq; referat propria corporis, prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malũ? Quid eſt, quod & alijs locis Chriſtianos ille ipſe Apoſtolus gentium ad bona opera ſpe mercedis, & iuſtę retributionis excitat? Abundare, inquit, in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter nõ eſt inanis in domino. Nõ.n. iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quã oſtẽdiſtis in nomine ipſius Nolite igitur amittere cõfidẽtiam veſtrã, quæ magnã habet remuneratiõnẽ. Plura nõ adijciemus ſacrarum literarũ teſtimonia, quibus bonorũ operum merita cõprobem⁹. Manifeſtiora enim ſunt hæc, quàm vt lõgiori oratione confirmẽtur.

Matth. 20. Matth. 5. 1. Cor 3. 2. Cor. 5. 1. Cor 15. Heb. 6. & 10.

Sed tanta eſt eorum, quos malitia ſemel occæcauit, malitia, vt nihilominùs affirmare audeant, quòd is, qui cõfidit operibus ſe mereri gratiã, aſpernetur Chriſti meritũ & gratiam, & quærit ſine Chriſto humanis viribus viã ad Deũ. Qua in re perfectò cõcionatores iſti graui & falſiſſima calũnia Catholicos onerant. Sciunt enim quod homo nõ poteſt accipere quicq̃, niſi datum ei fuerit de cælo. Sciunt quod omne datũ optimũ, & donũ perfectũ deſurſum eſt, deſcẽdẽs à patre luminũ. Sciũt quod omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Sciunt & Paulum dicere: Quid habes, quod nõ acce-

Ioan. 3. Iacob. 1. 1. Corin. 4.

accepiſti? Sciunt Chriſtum etiam affirmare: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit enm. Quo modo aût qui hæc intelligunt & profitētur, cum Pelagianis exiſtimēt hominē ſuis viribus poſſe mereri, aut aliquid boni perficere ſine gratia Dei? Sed ab hac malitioſa calumnia, illa, quæ Chriſto nos genuit Eccleſia Catholica, fideles ſuos omnes deſendit & liberat, cum eos publicè, & priuatim ſic orare docet: Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus, actiones noſtras quæſumus adſpirando præueni, & adiuuando proſequere. Illud igitur ſentimus, illud vnanimi voce cōfitemor omnes, quòd gratia Dei voluntatem prẹuenire, voluntatem mouere, voluntatem perficere debeat: quin & hoc adijcimus, quòd opera noſtra, quamuis aſſiſtente Dei gratia aliquid ſint, & meritoria ſint, tamen remota gratia ad æternitatem conſequendam nulla ſint.

Abſit igitur, vt Catholici in ſeipſis vel confidant, vel glorientur, & nō in Domino: cuius tanta eſt erga nos homines bonitas, vt eorū velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Ita in Deo ſperantibus, & vſque in finem benè operantibus, vitam æternam proponimus, vt aliàs gratiam eſſe dicamus, filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſam, aliàs verò mercedem eſſe affirmemus, ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus &
2.Tim. 4. meritis fidelirer reddendam. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à iuſto iudice ſibi reddendam, non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligūt aduentum eius. Dum igitur Catholici affirmant noſtra opera nullius eſſe meriti, niſi in virtute meriti paſſionis Chriſti, nunc iudicent pij, an illi meritum Chriſti aſperoentur.
Ioan 14. Verè etiam Chriſtum credimus eſſe viam & veritatē, atque vtinam perinde crederent Aduerſarij. Ita enim intelligerent, quod ipſe velut Paſtor bonus præceſſerit, & iuit per viam bonorum operum, vt ſuſcepta in humeros cruce, eius veſtigia, omni ſocordia excuſſa conſequamur. Non enim fruſtra Chriſtus diſcipulos monuit: Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego
Ioan. 13. feci vobis, ita & vos faciatis. Sed Lutheraois durus eſt hic ſermo, eoque non ſuſtinent, vt quis mentionem bonorum operum faciat. Quare viderint, an non quod Catholicis falſo impingunt, ipſimet committaot, Chriſtique meritum & gratiam non modò aſpernentur: verumetiam peſſundent, & extinguant. Vtcunq; tamen velint calumnientur, nunquam tamen prohibebūt virtutem, quæ ex Chriſto promanat: nuoquam impedient, quo minus ex capite virtus quædam viuifica in inferiora corporis huius myſtici membra deriuetur. Nunquam naturæ ordinem ita peruertent, vt palmites ſuccum ſpiritalem, quo ſuauiſſimi proferantur fructus, ex vite non attrahant: Ego ſum vitis, inquit Chriſtus, vos palmites, qoi manet in me, & ego in Ioan. 15.
eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Quemadmodum igitur palmiti non ita propriè tribuendus eſt fructus, quin ſimul agnoſcendum ſit præcipuam vim eiuſmodi fructum producēdi ex vite ipſa, & radice emanaſſe, ita neque propria noſtra iuſtitia ſic ſtatuitur, tanquam ex oobis propria, ſed tanquam à Dei iuſtitia emanata. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentē iuſtificamur: illa eadē Dei eſt, quia à Deo nobis per Chriſti meritum infunditur. His ad eum modum ex Dei verbo ſemel conſtitutis, minus fuerit difficile, quæ in hoc Articulo ſubijciuntur, refellere. Nam quod hic Paulum allegant, prorſus vanum eſt. Scimus enim hominem iuſtificari per fidem, ita tamen vt Apoſtoli verba ad hæreticum ſenſum non detorqueamus. Sic Paulum intelligimus, quo modo perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus eum hactenus intellexit. Per fidē igitur nos iuſtificari dicimus, quia fides eſt Seſs. 6. Concilij Trident. cap. 8.
humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum Hebr. 11.
eius conſortium peruenire. Gratis autem iuſtificari ideò dicimus, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioqui, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia. Ad hunc modum cum ſemper docuerint Patres, non verentur tamen Auguſti- Rom. 11. Epheſ. 2. Tit. 3.
num & Ambroſium producere tanquam ſuæ opinionis propugnatores, cum tamen præclariſſima illa Eccleſiæ Chriſti lumina ſemper contrarium & ſcripſerint & inculcarint, Paulumque diuerſa prorſus ratione ſunt interpretati, atque iſti hic impudentiſſimè comminiſcuntur. Defenduot enim illi gratiam & iuſtitiam fidei, ſed ea ratione, qua hodiè eam defendunt Catholici nimirum contra hoſtes gratiæ, quales fuerunt Pelagiani, qui merita operū ſecluſa Dei gratia iactabant. His dixit Ambroſius, oon autem Catholicis, Pelagianorum error.
prorſus aliud quam illi ſentientibus, Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, ſi iuſtificatio, quæ fit per gratiā, meritis præcedentibus deberetur. Maximi autem apud nos fit redēptio Chriſti, cūm credimus omnia noſtrorum operum merita ab illa benedicti ſanguinis Chriſti effuſione ſortiri effectum. Auguſtinus verò tam lōgè abfuit à Lutheranorum ſententia, vt etiam ſingu-

gu-

gulari libro, quē inſcripſit de fide & operibus, docuerit, eos apertā hæreſim ſequi, qui arbitrantur fidem ſine operibus ſaluare. Sed iſtud noui Euangelici ſurdis auribus prætereunt. Quin audent eos etiam imperitiæ notáre, qui ipſorum ſententiam non recipiunt. Quod certè dum faciunt, non modò venerandæ antiquitatis ſcriptores reprehēdunt, verum etiam Prophetas & Apoſtolos, atque adeò Chriſtum ipſum imperitiæ & profanitatis arguunt. Vnde etiam cuiq; manifeſtum eſſe poteſt, qualem Eccleſiam iſti architecti nobis ædificare machinentur. Interim tamē gloriantur, quod noua illi doctrina plurimū conſolationis pauidis conſcientijs ſit allata. Credimus ſane ſi de illis conſcientijs loquantur, quæ contra præſcriptū Petri nihil minus ſatagūt, quàm vt per bona opera certam ſuam vocationē faciant. Eiuſmodi profectò conſcientijs, quas neceſſum eſt, velut mare ſemper eſſe inquietas, nihil iucundius eſſe poteſt, quàm ex fide Lutheranica talem qualē conſolationē accipere. Aſt longè aliam & ſolidiorem conſolationem hi conſequentur, qui petræ illi ipſis miſeris inexpugnabili innituntur, fidemq; Catholicam amplexi, ne vel latum vnguem ab ea ſibi diſcedendum exiſtimant. Vtinam, inquit Richardus, attēderent Iudæi, vtinam attenderent Pagani, cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nónne cum omni fiducia Deo dicere poterimus? Domine, ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus. Nā iſta tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt, & certè à ſummæ ſanctitatis viris ſunt nobis tradita, cum ſumma & authentica atteſtatione probata, te ipſo cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

1.Petr.1.

Lib.1 de Trinitate.

Vtinam & hæc ipſa vel ſerò tandem Lutherani agnoſcerent, nec pluribus mēdacijs miſeram plebeculam ſeducerent. Adijciunt enim hic, adeò olim vexatas conſcientias doctrina bonorum operum, vt quidam dum nihil audirent de fide in Chriſtum, hac ratione nunc in deſertum, nunc in monaſteria expulſi ſunt. In quo, vt & in cæteris, quæ hoc Articulo traduntur, admiranda eſt iſtorum hominum vel nequitia, vel inſcitia. Quando enim Catholici tradiderūt doctrinam de operibus ſemota ratione fidei? Quinam Chriſtianorum inuenti ſunt tam ſtupidi, vt vel in deſertum, exemplo Ioannis Baptiſtæ, Hieronymi, Pauli, & Antonij Eremitarum, & alior ſum ſecederent, vel monaſteria exemplo Benedicti, Baſilij, cæterorumque ſanctiſſimorum hominum adirent, niſi prius fide in Chriſtum fuiſſent excitati? Veteres enim ſancti circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus mundus nō erat dignus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ. Et ij omnes, inquit Paulus, teſtimonio fidei probati ſunt. Sed hanc Sanctorum hominū fidem, qua hactenus Chriſti Eccleſia inuiolabilis perſtitit, minimè probant, qui noſtro ſeculo magnopere fuiſſe opus exiſtimarunt, aliam doctrinam de fide tradere, quam quæ hactenus per Apoſtolici ſeminis traduces ad nos permanauit. Monēt enim hic homines, quod vbi de fide iuſtificante loquuntur, nomen fidei ſignificet fidem, quæ credit non tantùm hiſtoriam, ſed etiam effectum hiſtoriæ, videlicet hunc articulum, Remiſſionem peccatorum, quod videlicet per Chriſtum habeamus gratiam, iuſtitiam & remiſſionem peccatorum. Quam ſententiam B. Auguſtini authoritate comprobare etiam nituntur, affirmātes eum docere, quod nomen fidei in ſcripturis accipiatur, non pro notitia, qualis eſt in impijs, ſed pro fiducia, quæ conſolatur & erigit perterreſactas mentes. Faciunt iſti, ne intelligēdo, vt nihil intelligāt? Poſtquam Eccleſiam Catholicam nouo dogmate de ſola fide perturbarunt, eamq; rapinæ & infeſtationi expoſuerunt, adeò imperitè & incōſtanter de ſua fide docent, vt quid illa ſit, definire neſciant, nec vllum ſolidū ſuæ Eccleſiæ fundamentū inueniant. Prudenter igitur D. Ambroſius eius generis homines vulpibus comparans: Vulpes, inquit, plenum fraudis eſt animal, foueam parans, & in fouea ſemper latere deſiderans. Ita ſunt hæretici, qui domum ſibi parare non norunt, ſed circunſcriptionibus ſuis alios decipere conantur. Meritoque foueas habent, quia domum quam habuerant perdiderunt. Admiranda verò eſt hic Euangelicorum cæcitas, quod non viderint ſe vno & eodem articulo contraria docere. Primum enim aiunt, cum de fide iuſtificante loquuntur, per fidem ſe intelligere non tantùm hiſtoriæ notitiam, ſed etiam fiduciam, quę credit effectum hiſtorię, quod videlicet per Chriſtum habeamus remiſſionem peccatorum. Mox verò obtendentes ſuæ impietati Auguſtini authoritatem, illū ipſum negant, & docent fidem non ſignificare hic notitiam, ſed fiduciam duntaxat, quæ perterreſactas mentes erigit & conſolatur. Neſcientes miſeri quid dicant, & de quibus loquantur, ſeipſos & virtutes Theologicas confundunt & permiſcent. Sanè ſi fides, qua iuſtificamur nihil aliud ſit, quam fiducia, quę credit, quod per Chriſtum habeamus remiſſionem peccatorum, nihil igitur ad fidem pertinent, quicquid vtriuſque Te-

Hebr.11.

Lib. 7 commēta. in Lucam cap. 9.

ſtamenti ſcripturis traditur extra hunc articulum, Remiſſionem peccatorum. Quin falſa etiam fuerit traditio de ſymbolo Apoſtolorum, & quicquid de illo profitemur, excepta vnica illa ſententia, Remiſſionem peccatorum, ad fidem, qua iuſtificamur, non erit referẽdum. Qua etiam ratione minimè erit fidei, quod Deus creauerit cælum & terram. Quid ita? Quia videlicet mẽtitus eſt Paulus, affirmans fide nos intelligere aptata eſſe ſæcula verbo Dei. Quod etiam Abel Deo magis acceptam hoſtiam obtulerit, quàm Cain: quod Enoch translatus ſit, ne videret mortẽ, quod Noe aptauerit arcam in ſalutem domus ſuæ, quod Abraam, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, inſignes virtutes ſint operati: hæc inquam omnia non ſunt fidei. Quid ita? Quia nimirum Apoſtolus Paulus delirauit, cum dixit, ea omnia, licèt coram non viderimus, per fidem nos intelligere, ac eiuſdem virtutis beneficio Patres illos viciſſe regna, operatos eſſe iuſtitiam, & adeptos fuiſſe repromiſſiones ſibi factas.

Hebr. 11.

Sed dicẽt fortaſsè, Apoſtolum non ibi loqui de fide iuſtificante, & ad ſalutem neceſſaria, ſed duntaxat de notitia hiſtoriæ, qualis fides etiam eſt in impijs & diabolo. Quibus certè reſpondemus, Paulum eo loco agere de fide, vt eſt virtus Theologica, qua fit vt homo firmiter aſſentiatur omnibus illis, quæ diuinitus ſunt reuelata. Reſpicit enim vnicam veritatem Dei beneficio, quicquid tandem illud ſit, manifeſtatam. Mẽtiri enim aut fallere ille, qui eſt ſumma veritas, nõ poteſt. Eoque dum idem Apoſtolus de Sara loquitur, quæ Deo credidit: quod pręter naturæ ordinem ætatiſque rationem conciperet, filiumque pareret, ſubijcit tantæ fidei cauſam fuiſſe, quoniam fidelem, hoc eſt, veracẽ & fidum credidit eſſe eum, qui repromiſerat. Cum etiam exponit, quomodo Moyſes nihil moratus Pharaonis potentiam & ferocitatem, fide eduxit filios Iſrael ex Aegypto, mox tantæ audaciæ & fidei cauſam addit, quod Deo, qui ſuum auxilium fuerat pollicitus, perinde credebat, ac ſi eum iam in proſpectu vidiſſet, ſua promiſſa præſtantem. Certe ſi totum illud caput ad Hebræos vndecimo excutiatur, clarum erit, eandem fidem eſſe, qua creditur Deo veritates ſupernaturales reuelanti, de rebus præteritis, præſentibus & futuris. Clarum etiam eſt, quod eandem fidem ad ſalutem eſſe neceſſariam ſenſerit. Loquitur enim de fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vitamque æternam conſequi, quæ ſit & ſubſtantia rerum credendarum. Ex his præterea liquet, quantum aberrent, qui fidem, qua Deo placemus, volunt accipi pro fiducia diuinæ beneuolẽtiæ, peccata remittẽtis propter Chriſtum. Manifeſtè enim illud repugnat doctrinæ Pauli, qui dum loquitur de fide, ſine qua Deo placere non poſſumus, ad eius vim etiam refert illa, quæ eiuſmodi Lutheranorum fiduciæ prorſus aduerſantur, nimirum timorem comminationum diuinarum. Si quidem de tempore diluuij loquens, fide Noe, inquit, oraculo diuinitus accepto, de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam, in ſalutem domus ſuæ. Tantum abeſt vt Noe per fidem tunc cõceperit fiduciam diuinæ beneuolentię, vt etiam propter diuinam iram ſibi & poſteris timuerit, atque vt illam iram, punitionemq; intentatam declinaret, præſidium ſibi in arca quæſierit. Vnde B. Thomas in hunc locum commentatus, non dubitat affirmare, quod fides ſi etiam principium timoris, iuxta illud: Timor Dei initium dilectionis eius, fidei autem initium agglutinandum eſt ei. Ex verbo enim Dei, quod fide apprehenditur, partim cognoſcimus, quàm Deus offendatur peccatis, quantaſque pœnas illis reſeruet, qui tempeſtiuè non reſipiſcunt, atque hinc naſcitur timor: partim etiam ex eodem verbo intelligimus, quanta ſit Dei bonitas in eos, qui vitã emendant, ſuumque conditorem inuocant, vnde naſcitur dilectio, & fiducia. Hanc ſanè diſtinctionẽ virtutum Theologicarum expreſsè Paulus ad Corinthios etiam ſtatuit: Nunc, inquit, manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas. Auſus eſt tamen Melanchthon fortè ſupra tertium cęlum ſublatus, tanti Apoſtoli iudicio ſuum anteponere, & ex tribus virtutibus, vnicam facere, ac docere, quod actus fidei & ſpei nõ diſtinguantur. Vt autem tanta inſipientia fuco aliquo tegeretur, fingunt, etiam Auguſtinum, per fidem, cuius meminerunt ſcripturæ, fiduciam interpretari. Eſt certè illud falſiſſimum. Nam iuxta Auguſtinum, fides eſt in intellectu, fiducia autem in voluntate, vnde in libro de prædeſtinatione ſanctorum dicit, quod credere, nihil aliud ſit, quàm cum aſſenſu aliquid cogitare vel cognoſcere. Credere autem eſt actus fidei, fidere autem eſt opus ſpei. Fides eſt fundamentum, ſuper quo erigitur fiducia, timor eſt charitas. Non tamen ideò fides eſt vel fiducia, vel timor, vel charitas. Fundamẽto domus innituntur parietes & tectum, nõ tamen ideò fundamentum eſt aut paries aut tectum, ſunt enim partes diſtinctæ. Et quẽadmodum fundamento domus adhuc permanẽte poſſunt parietes & tectum deijci, minimè autem tectum aut parietes ſine fundamento ſubſiſtere. Ita etiam fidem quis ha-

Fides generat timorem.

Eccle. 24.

1. Cor. 13.

bere

bere poteſt, etiam ſi ſpem vel charitatem nó habeat, nnn autem contrà quis poteſt in Deum ſperare, vel eum ex toto corde diligere, niſi fides præcedat: Eoque inquit Apoſtolus, quod fides ſit ſubſtantia rerum ſperandarũ, *Heb. 11.* hoc eſt, eiuſmodi virtus, cui res ſperatæ propter infallibilem veritatem reuelantis, perinde innituntur ac ſi iam ſubſiſterent, & coram ſpectarentur. Ex fide etiam oriri ſpem in Deum docuit Auguſt. de ſpiritu & litera ad Marcellinum, & in Enchiridio ad Laurentium. Præterea libro 1. de doctrina Chriſtiana declarat, quomodo fidei ſpes ſuccédat. Malitioſe igitur Lutherani conſundunt opera virtutum Theologicarum, cum vnaquæque virtus proprium actum habeat, ac præclatiſſimum illud Eccleſiæ lumen, Auguſtinum, nullo producto teſtimonio in ſuam ſententiam pertrahere conantur. Scimus quidem ſcripturas & Patres ſubinde magnificentius de fide loqui, quàm eius virtutis propria vis includit, ſed hoc fit propter charitatem accedentem, per quam fructuoſa efficitur, & efficaciter ſalutem operatur. De qua etiam loquutus Paulus: In Chriſto Ieſu, *Gal. 5.* inquit, neque circuncitio aliquid valet, neq; præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Quò etiam reſpiciens in Epiſtola ad Hebræos, poſtquam fidem multipliciter eo potiſſimum nomine commédaſſet, quod per illam incipiamus ad Deum accedere, fiduciaque de illius bonitate concepta, Chriſto coniungi, eumq́ue diligere, mox capite duodecimo hortatur, vt fidem animo concluſam, operibus comprobemus, quod triplici ratione faciendum eſſe inſinuat, vel in tolerandis afflictionibus, vel in declinandis peccatis, vel in exercitio virtutũ, fraternęq; charitatis obſequijs. Sine quibus, qualemcunque noſtram fidem, etiamſi eius virtute *1. Cor. 13.* montes tranſplantaremus, hominem nihil eſſe affirmat. Cui etiam accedens Apoſtolus *Iacob. 2.* Iacobus, fidem charitatis operibus deſtitutã, non dubitat appellare mortuam, hoc eſt, minimè viuificantem, aut ad vitam æternam perducentem. Quin eiuſmodi fidem dæmonibus ipſis facit communem. Eam verò vt à ſe repellerent Lutherani concionatores, dicunt diabolum & impios non eſſe capaces ſuæ fidei. Credo ſanè. Illi enim ita credunt, quod vnus eſt Deus, vt ſimul etiam ad eius potentiam & iudicia contremiſcant. Lutherani verò ita docent, corruptos à ſe populos Deo credere, vt ſimul velint ipſorum animis omnem diuinorum iudiciorum memoriam excuti, nihilq́ue magis cum fide, qua ſe iuſtificari ſomniant pugnare, quàm timorem ex diuinis comminationibus homini incuſſum. Quare in Iacobum ſcribens Aquinas: Cum, inquit, dæmonia credant, & contremiſcant, ſanè peioris eſt conditionis fides malorum hominum, quoniam non timent diuinum iudicium. Qui Deo non credunt, vel creditum non timent, dæmonibus crudeliores & proteruiores ſunt. Luculentũ hic haberent ſpeculum Lutherani quo ſe contemplarentur, niſi malitia ipſis oculos mentis effodiſſet. Pergunt igitur hic ſuę fidei impietatem confirmare, inani bonorum operum velo obiecto. Præterea, inquiunt, docent noſtri, quod neceſſe ſit bona opera facere, non vt confidamus per ea gratiam mereri, ſed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprehenditur remiſſio peccatorum & pax côſcientiæ. Quæ eſt iſta quæſo Dei voluntas, propter quam oportet bona opera facere? An non Dei voluntas eſt, vt ſi quis velit ad vitã ingredi ſeruet mandata? An non Dei voluntas eſt, vt depoſita inani fiducia, ſumamus oleum charitatis in noſtris lampadibus? An non Dei voluntas eſt, vt ſi velimus eius amici eſſe, quæ ipſe præcipit nobis, faciamus? An nó Dei voluntas eſt, vt vnuſquiſque propriam mercedem ſecundum ſuum laborem recipiat? Qua igitur ratione ſeiungitis merita laborum à Dei voluntate? Quapropter dicitis quòd homines debeant opera bona facere, non vt mereantur, ſed vt voluntati Dei faciant ſatis, cum Deus ſuo verbo declararit, ſuam etiam voluntatem eſſe, vt homines ſua gratia interueniente, bonę vitæ merita ſibi parent? Sed veſtra omnia ſunt metaphyſica, eorumq́; intellectum tranſcendunt, qui veſtra fide non ſunt illuſtrati. Neceſſum igitur eſt, vt eos, quos facitis eſſe tenebricoſos, adiuuetis. Nec hic etiam deeſt Philippus: Quia, inquit, voluntas eorum, qui ſunt verè fideles ſpiritusſancti voluntas eſt, non poſſunt non id velle, quod vult Spiritusſanctus: Nam vnus ſpiritus cum Deo ſumus. Non poſſunt igitur non præſtare legem ſancti. Nam eò natura ſancti trahit. Occidere, ſcortari, furari non poteſt ſanctus, ergo nec is, qui vnus cum eo ſpiritus eſt. Qui in Chriſto eſt, neceſſariò legem moralem facit, quia id cogit natura ſpiritus, qui in cordibus Chriſtianorũ regnat. Hæc Confeſſionis architectus. Nec dubium nobis eſt, quin ad hanc ſententiam reſpexerit cum affirmat, quod neceſſe ſit bona opera facere propter voluntatem Dei. Illud nimirum volens ſignificare, quod Lutherani per fidem ſuam iam deificati (hos enim intelligit verè fideles & Chriſtianos) nihil damnabile operari poſſint, ſponteq́; ſua, quicquid bonum, iuſtum & laudabile eſt, præſtent ac perficiant. Quemadmodum etiam DEVS ſuapte natura non poteſt non bene agere, ita Lutherani vnus ſpiritus, vnaque voluntas cum DEO effecti, non poſſunt non ſemper bene velle & bona opera face-

Matt. 19. Matth. 7. Ioan. 15. 1. Cor. 3 & 2. Cor. 5.

In locis communibus titulo de abrogatione legis.

facere, quin natura ſpiritus, qui in ipſorum cordibus regnat, ad hoc eos cogit, vt neceſſariò legem implere debeant. Hæc cum affirmare nõ dubitent Lutherani, quid miramur ſi tam abiectè de illis ſentiant, qui nec dum ipſorum ſpiritum hauſerunt, quique humi adhuc repant, cum diuini illi homines tantùm nõ ſuprà choros angelorum ſunt collocati? Sed tamen ne ſic ſuæ Confeſſionis abſurditatem tollunt. Nam ſi Dei voluntas, ſit eorum voluntas, non poſſunt nõ ſentire, per bona opera, homines gratiam & mercedem mereri. Nam ita velle Deum, docet Chriſtus ſub parabola patris familias, qui vineæ ſuæ cultores tandem iuſſit vocari, ipſiſque reddi mercedem. Præterea cum ſignificet Apoſtolus Iacobus, non ſatis eſſe iactare fidem, niſi etiam opera fidei quis præſtet, ac qualis ſit cuiuſque fides ex operibus poſſe colligi, obſcurum ſanè eſſe nõ poteſt cuiuſmodi fidem Lutherani habeant. Nec poſſunt eſſe magnopere ſolliciti de Catholica fide, qui in ſpeciali fide, quam ipſimet ſunt ementiti, adeò gloriantur & intumeſcunt, vt in terris etiamnũ degentes, dij propemodum effecti videantur. Si tamen verba Philippi modo producta exactius perpẽdas, videbis Lutheranos eam ipſam fidem, quam finxerũt, vix habere. Dicit enim ibi quòd ſancti (hoc eſt per fidem iuſtificati) non poſſunt nõ præſtare legem.

Matt. 20. Iacob. 2.

Melanchthon in locis communibus, & alijs varijs in libris.

Quis porrò Lutheranorum eſt, qui eam præſtet? Quid verò illi præſtent, quod ipſimet etiam docent eſſe impoſſibile? Quid, impoſſibile tantùm? Imò verò tantam vim concupiſcentiæ, in homine etiam iuſtificato eſſe volunt, vt non poſſit non in omni opere peccare. Quid vero aliud hic reſtat, quàm vt etiam affirment, Spiritumſanctum in omnibus actionibus Euangelicorũ peccare? quia nimirum illi ſunt vnus ſpiritus cum Deo, eorumque voluntas, Spiritusſancti voluntas eſt. Propter hanc etiam vnionem, addit Philippus, quod qui veram fidem habent, non poſſint occidere, ſcortari, furari, aut mentiri.

Serm. in Dominicam aduentus.

Quæ igitur fides Lutheranis relinqui poteſt? Nam ipſemet Lutherus affirmat, quod homines ſuſcepto ſuo Euangelio, multo deteriores facti ſunt, quàm vnquam ante fuerint in Papatu. Atque vt nihil de miſera plebe infeliciter ſeducta hic loquamur, quid de ipſo Luthero, & ſymmiſtis dicemus? Qui plures cædes noſtra ætate patrarunt, quàm qui antea vnanimes fratres in mutua viſcera ſeditioſis vocibus concitarunt? Qui vnquam fœdius ſunt ſcortati, quàm qui Deo dicatas virgines, ſub vmbra maius coiugij ad quotidianam conſtuprationem domi fouerunt? Qui plura furta commiſerunt, quàm qui omne illud quod Maiorũ pietas ad religionis cultũ congeſſerat, ad ſuas libidines abripi voluerunt? Qui pluribus mendacijs ſcatuiſſe vnquam credantur, quàm qui Catholicæ fidei veritate relicta, patrem ipſum mendacij vbique conſequuntur? Hæc omnia cum ſint maniſeſtiora, quàm vt pluribus comprobari ſit neceſſum, ex dictis Philippi illud ſequi etiã oportet, Lutheranos non modo fidem Catholicam perdidiſſe, verùm nec illã quidem habere, propter quam Chriſtianum Imperium perturbandum eſſe cenſuerunt.

Ex his facilè apparet, quàm vana, quàm inconſtans, quàm pernicioſa ſit ea doctrina, quam Germaniæ prophetæ, de fide & bonis operibus nuper ab inferis eduxerunt. Quod igitur Lutherani hic de fide concludunt, ad infeliciſſimam ſuam ſortem propriè pertineat: Sine fide, inquiunt, nullo modo poteſt humana natura primi aut ſecundi præcepti opera facere. Sine fide, non inuocat Deum, à Deo nihil exſpectat, non tolerat crucem, ſed quærit humana præſidia, confidit humanis præſidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana conſilia, cum abeſt fides, & fiducia erga Deum. Quare & Chriſtus dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Et Eccleſia canit, Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Huic ſanè concluſioni libenter acquieſcimus. Semper enim docuimus, quòd ſine fide, de qua Apoſtolus Paulus pluribus locis tam magnificè loquitur, homo nõ poſſit bona opera primi aut ſecundi præcepti facere. Anathema ſit ille, quiſquis affirmat quòd Deo placere poſſit, ſine fide. Non ſunt tamen Catholici tam ſtupidi, quin videant eos, qui totis in Sophiſtas inuehunt, præcipuam Euangelij ſui baſim in arundineo Sophiſmate collocare. Ita enim arguunt. Fides eſt ad ſalutem neceſſaria, opera igitur neceſſaria non ſunt. Quod tantum eſt, ac ſi ita concludas: fundamentum eſt ad perfectionem domus neceſſarium, ergo parietes non ſunt neceſſarij, vel, ergo fundamentum eſt totum ædificium. Sanè qui dixit, quòd ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, idem etiam dixit, quod ſine charitate & gratia homo nihil ſit ante Deum, eoq́; etiam hortatur, vt ante omnia curemus charitatem habere, quòd eſt vinculũ perfectionis. Hæc eſt autem charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus. Ab hac cũ tam longè abſint Lutherani, cumque vt oſtenſum eſt, omnem fidem perdiderint, quid aliud ex ipſorũ Confeſſione diſcimus, quàm quòd primi aut ſecundi præcepti opera facere non poſſint, quòd Deum verè inuocare nõ poſſint, quòd à Deo nihil aliud quàm æternam damnationem exſpectare debeant, quod quæ ſitis humanis præſidijs crucem non tollerent, quòd denique in ipſorum cordibus omnes cupiditates regnent, & dominentur. Si quis enim

Hebr. 11. 1. Cor. 13. Coloſſ. 3. 1. Ioann. 5.

in

Ioan. 15. in Chriſto per fidem viuam, & per charitatẽ operoſam non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligẽt eum, & in ignẽ mittent, & ardebit.

Hactenus de ipſo huius Articuli dogmate, & præcipuo quinti Euangelij fundamento. In quo pertractando quia præter propoſitum fuimus prolixiores, tãtasque illius abſurditates eſſe oſtendimus, vt nemo niſi inſanus eum probare poſsit, non exiſtimamus eſſe neceſſum, vt diffuſius harmonicum eius conſenſum proſequamur. Conferenti enim ſtatim apparebit, quòd archetypus ſit diſſormis ab editione Georgij Rhau anni 1531. in octaua forma. Si verò illud ipſum in comparationem adducatur cum eiuſdem editione anni 1540. monſtrũ Horatianum meritò naſci credas, vt nec pes, nec caput vni formæ reſpondeat.

Ioannis à Dauentria Articuli vigeſimi refutatio.

SVperuacaneum fuerit huc omnia adnotare, quæ hoc loco in Cõfeſſione loquũtur magis quam docent Aduerſarij. Et ſi nõ fuiſſent ſui obliti, potuiſſent relinquere totũ iſtum Articulum, nihil aliud ineptientem, quàm quòd quartus hæreticè nobis molitus eſt inculcare. Nam hic & ibi dicunt, quod ſola fide propter Chriſtum recipiamur in gratiam. Sit igitur quarti & vigeſimi Articuli vna cenſura. Præterea quando Articulo ſexto docuimus, quàm parum, imò quàm nihil bonis operibus tribuerint Lutherus & iſti eius aſſeclæ, non eſt operæ precium, vt iam excuſationem, qua ſe putant apud populum purgare, referamus. Lutherus enim, quem iſti libenter ſequũtur, à bono opere, tãquàm à peccato abſtinendum putauit. Nõ ignoramꝰ, quid ſonẽt aſſertiones 31. & 32. Et qui hãc imbiberũt opinionem, plus peccato & malitiæ, quàm iuſtitiæ, & cæteris virtutibus afficiebantur. Non fugit nos, quid audierimus, quid viderimus in Haſſia. Res nota eſt & nullis offutijs occultari poteſt. Omnes libentius ſubſcribent receptæ in Eccleſia ſententiæ, quàm perditis iſtis Apologiæ ſcriptoribus, qui tam apertè blaſphemant Chriſtum, & eius ſacrum Euangelium. Nullam apertam habent ſcripturam, nullum clarum teſtimonium, quàm quæ arte deprauant, aut mutilatim citant. Nulla ratione ferenda eſt iſta blaſphemia, quod nuda fide propter Chriſtum contingat remiſſio peccatorum. Omittimus quod iſta doctrina tam infirma eſt, tã inconſtans, vt ſeipſam tueri non poſſit. Sed hæc omnia & multo plura ſuprà docuimus: Inde ſumat lector ſcripturarum & Patrum inuicta teſtimonia.

Ioannis Cochlæi Articuli vigeſimi diſcuſſio.

QVamuis Articulus iſte iam antea diſcuſſus eſt ſupra, non poſſumus tamen omnia, quæ hic ponũtur, tacitè præterire, ſi modo ſyncera debet fieri concordia. Nam aſtutus rhetor iſte Philippus in Cõfeſsione ſuadet vt fallat. In Apologia querelas exaggerat, vt concitet animos populorũ in odium Sacerdotum Catholicorũ, rhetoricis fucis & technis. Articul. 5.

Etenim in Cõfeſsione falſis iactantijs laudat doctrinam ſuorum nouam de ſola fide, & improbis calumnijs vituperat antiquam Catholicorũ de bonis operibus doctrinam. Falsò (inquit) accuſantur noſtri, quod bona opera prohibeant. Itáne falsò? An non prohibent peccata? prohibent, & rectè quidem. At docent iuſtum in omni bono opere peccare, & omne opꝰ bonũ etiam optimè factũ, eſſe peccatum veniale. Veniale (inquiunt) non natura ſua, ſed miſericordia Dei. Cæterùm omne opus iuſti reuera eſſe dãnabile, & peccatum mortale, ſi Dei iudicio iudicetur. An nõ eſt hoc prohibere bona opera? Quid de facto eorum & publica practica dicamus? Certè laudare Deum, dicere aut decantare horas Canonicas, honorare Deum antiquis Eccleſiæ ritibus & cæremonijs, nemo, niſi qui manifeſtè eſt impius aut inſanus, non exiſtimat bona opera eſſe. At ea, & alia complura prohibentur publicè tum à principibus, tum à Magiſtratibus complurimis, vbi hoc nouum prędicatur de ſola fide Euangelium. Non igitur falsò de his accuſantur, quia & doctrina eorum, & facta publica eos conuincũt. Quoniam non ſolum in Monaſterijs tam virginum quàm virorum, & in Eccleſijs collegiatis, ſed etiam in Cathedralibꝰ Eccleſijs, vt Argentinæ, Conſtantiæ, Auguſtæ, &c. non licèt clero pium & antiquum Dei cultũ peragere. Prohibet bona opera. Luthe. in aſſer. art. 31. & 32.

Cæteras iactantias & calumnias non paucas conſulto præterimus nunc breuitatis gratia, vt tangamus ea, quæ neceſſario diſcutienda ſunt. Et primum quidem iſtud quod aiunt: Opera noſtra non poſſe reconciliare Deum, aut mereri remiſſionem peccatorũ, hoc quidem verum eſt, ſi intelligantur opera noſtra per ſe, ſine fide & ſine Chriſto. Si autem accedant fidei in Chriſtum, & præuia Dei motione inueniuntur, vt fit in verè pœnitentibus, nequaquam eſt verum. Reconciliatur enim nobis Deus, quem peccatis noſtris offendimus, per ſedulas & deuotas orationes noſtras, Iuxta illud Machabæorum: Exaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis. Itẽ per interceſſiones ſanctorũ, iuxta illud Eccleſiaſtici: Noe inuẽtus eſt iuſtꝰ, & in tem- Per opera bona reconciliari nobis Deũ. 2. Mach. 1. Eccle. 44.

Eccle. 44. tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Reconciliamnr item Deo per miniſt[illegible]ium ſacerdotum, dum cõfitemur, & abſo[illegible]nur. *2. Cor. 5.* Sic ait Apoſtolus: Dedit nobis miniſterium reconciliationis. Item: Obſecro pro Chriſto, reconciliamini Deo. Præcipua quidem cauſa reconciliationis noſtræ eſt virtus & meritum paſſionis Chriſti, qui ꝓ peccatis noſtris mortuus eſt. Sed paſſio Chriſti non exclndit, ſed potius exigit opera noſtra, iuxta illud Petri; *1. Pet. 2.* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Non poſſumus igitur admittere has excluſiuas voces, Tantùm fide & Sola fide conſequimur gratiam, & remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem à Deo.

At dicunt, ſolus Chriſtus poſitus eſt mediator & propiciatorium, per quem reconcilietur pater; ergo per ſolum Chriſtum fit reconciliatio. Hic rurſus diſtinguendũ eſt. Quia Chriſt⁹ ſolus eſt mediator per redem- *Duplex mediator.* ptionem, ſicut exponit Apoſtolus dicens: *1. Tim. 2.* Vnus mediator Dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Sancti autem in cælo per interceſſionem, & ſacerdotes in Eccleſia per miniſterium Abſolutionis, & pij homines per deuotas ſupplicationes, & tota Eccleſia per publicas orationes, quas ꝓ peccatoribus facit, Mediatores rectè dici poſſunt, ſicut de *Deuter. 5.* ſeipſo deſtatur Moyſes, dicens: Ego ſequeſter & medius ſui inter Deum & vos in tempore illo. Quando autem inſerunt: ergo per ſolum Chriſtũ fit reconciliatio. Nos iterum diſtinguimus. Quia per ſolum Chriſtum fit reconciliatio principaliter, & effectiue, ſeu efficaciter & complectiuè, quia ſine eo fieri non poſſet, qui ſe redemptionem & precium dedit pro peccatis noſtris: fit autem reconciliatio per alios quoq;, vt dictum eſt, ſed minus principaliter, diſpoſitiue ac miniſterialiter, fides & opera pœnitentiæ, orationes, eleemoſynæ, ieiunia, interceſſio ſanctorum, &c. diſponunt. Chriſtus per ſacramenta, & miniſterium ſacerdotum complet ac perficit reconciliationem.

Fruſtra igitur allegant Auguſtinũ & Am- *Auguſt. & Ambroſ.* broſium, quia illi nuſquam opera pœnitentiæ ad conſequendam remiſſionem peccatorum excludunt, aut inutilia dicunt. Quod autem ait Ambroſius: Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, ſi iuſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, *Rom. 11.* hoc & nos dicimus. Nemo enim Catholicorum dicit, meritis præcedentibus deberi iuſtificationem. Deus enim nihil nobis debet. Iuxta illud: Quis prior dedit illi & retribuetur ei? Opera noſtra per ſeſe ad iuſtificationem conſequendam nequaquam ſufficiunt, nec vllus Catholicorum hoc dicit, profunt tamen & diſponũt ad reconciliationem conſequendam.

Quando amplius dicunt, quod conſcientiæ non pnſſunt reddi tranquillæ per vlla opera, ſed tantùm fide, cum certò ſtatuunt, *Fides præſumptuoſa innumeros fallit.* quod propter Chriſtum habeant placatum *1. Cor. 13.* Deum. Hoc prorſus nos negamus: tum, quia ſola fides non ſufficit, iuxta illud Apoſtoli: Et ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: tum quia fides, qua ſic certò ſtatuit homo peccator ſe propter Chriſtũ placatum habere Deum, poteſt ſallere & errare. Sicut ſallit (proh dolor) innumeros, qui extra Eccleſiæ vnitatem in ſchiſmate conſtituti, hodiè adhuc in eo permanent, quia ſalſò & fruſtra perſuadent ſibi ipſis ſe placatum habere Deum, quem reuera propter ſchiſma habent maximè iratum & offenſum. Quemadmodũ & Iudæi ac Turcæ ſalſò & fruſtra credunt, ſibiq; certiſſimè perſuadent, ſe longè magis placatum habere Deum, qnàm habent quicunque Chriſtiani quantumuis pij & Catholici. Huiuſmodi igitur falſæ perſuaſiones errantis fidei plurimos miſere ſeducunt, ſuntque temerariæ, quibus homo de gratia Dei, & ſua iuſtitia coram Deo ſatnè præſumit, & ſeipſum certum gratiæ facit & ſalutis, contra illud Apoſtoli: Tu autem fide ſtas, time, & vi- *Rom. 11.* deas ne cadas. Et illud: Neque meipſum iu- *1. Cor. 4.* dico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et contra pleraque alia ſcripturæ diuinæ loca ſuperius allegata. Melius igitur tranquillæ & alleuiatæ redduntur conſcientiæ per opera pœnitentiæ contritionem, confeſſionemque & abſolutionem per poteſtatem clauium, quàm per ſolam fidem.

Quod autem negant, impios poſſe crede- *Quomodo impij credãt remiſſionem peccatorum.* re hunc articulum, Remiſſionem peccatorũ, non admittimus. Vnuſquiſq; enim qui mortaliter peccat, impius eſt. Ideò quando peccator à peccatis reſurgit & iuſtificatur, dicitur eatenus iuſtificatio impij, quia ex impio fit pius. Quomodo autem accingeret ſe ad opera pœnitentiæ, & ad confitendum ſacerdoti, ſi non crederet remiſſionem peccatorum? Non igitur ſtatim accipit remiſſionem peccatorum, qui credit remiſſionem peccatorum, ſed vltra fidem, opera quoque pœnitentiæ addere, & à ſacerdote abſolutionem petere, ac per ſacramentum pœnitentiæ quærere oportet. Quando ergo dicunt: Sola fide *Apprehendere fide remiſſionem peccatorum.* apprehenditur remiſſio peccatorum, igitur ſola fides inſtificat, neganda eſt iſta conſequentia, quia fide apprehendere, nihil aliud eſt quàm credere. Iam verò dictum eſt, quod peccator, qui credit remiſſionem peccatorũ, non ſtatim per hoc iuſtificatus eſt, ſed tum iuſtificabitur, quãdo fidei ſuperaddit cordis

con-

contritionem & oris confeſſionem, atque per ſacramentum pœnitentiæ, à peccatis ſuis abſoluitur. Si autem voluerint intelligere per hoc verbum, Apprehendere fide, non credere, ſed realiter (vt loquuntur Dialectici) aut re ipſa accipere aut acquirere, nos negabimus antecedens, quia non ſola fide apprehenditur, hoc eſt, re ipſa accipitur aut acquiritur remiſſio peccatorum, ſed opus eſt etiam operibus & ſacramēto pœnitētiæ: fallunt igitur populum hic æquiuocatione huius verbi, Apprehendere, quod duo ſignificat: Vnum, intellectu cognoſcere aut capere, alterum re ipſa capere, aut acquirere. Aliud eſt enim ceruum aut leporem intellectu, aliud re ipſa aut realiter apprehendere. Philoſophus intellectu: venator, aut canis re ipſa ceruum aut leporem apprehendit. Sic & homo peccator, aliter fide, aliter abſolutione apprehendit remiſſionem peccatorum. Nam fide eam cognoſcit, abſolutione autem eam realiter acquirit. Nequiter igitur: & peſtiferè ſeducitur ac circumuenitur populus iſta æquiuocationis ſallacia. Aliud enim eſt intellectu accipere, aut apprehendere, aliud re ipſa. Quando igitur dicunt: Sola fides accipit promiſſionem & remiſſionem peccatorum, ergo ſola fides iuſtificat. Hic opus eſt aut diſtinguere antecedens, aut negare conſequentiam. In antecedēte enim æquiuocatio eſt, & in vno ſenſu eſt verū, in altero falſum. Verum in hoc ſenſu, ſola fides accipit, id eſt, cognoſcit: falſum autē in hoc ſenſu, ſola fides accipit, id eſt, realiter acquirit.

Æquiuocationis fallacia.

Sicut igitur non valet paralogiſmus iſte Sophiſticus: Solus canis latrat, aut omnis canis latrat: ſtella in cælo eſt canis: (à quo caniculares dies dicimus) ergo ſtella in cælo latrat: ita & iſta merè eſt Sophiſtica argumentatio, Accipere aut apprehendere remiſſionem peccatorum eſt iuſtificari: ſola autē fides accipit remiſſionem peccatorum: ergo ſola fides iuſtificat. Quia aliter ſignificat hoc verbum, Accipere remiſſionē peccatorum, in maiori propoſitione, aliter in minore. Hanc fœdam æquiuocationis fallaciam habent iſti noui Theologi pro primo & ſummo totius doctrinæ Euangelij noui ſui fundamento. Vnde & ſummum fidei ſuæ articulum ponunt iſtum: Sola fides iuſtificat.

Inane Sophiſma.

Pro hoc Articulo aſſerēdo dignum & iuſtum, piumque eſſe putant, facere ſchiſma aduerſus Eccleſiam matrem ſuam, quæ ipſos regenerauit, ſubtrahere obedientiam ſummo ouium Chriſti paſtori, rebellare Domino & ſuperiori ſuo Imperatori, bellis cōfundere orbem Chriſtianū, cultum prohibere diuinum, veteres abolere Cæremonias, denique contemnere ac ſubire quæcunque pericula. Et tamen nihil aliud eſt, quàm falſum & inane ſophiſma per æquiuocationis fallaciā ſimplici populo peſtilentiſſimè perſuaſum, quo deuotio plebis, & ſtudium bonorum perit.

Ait ergo in Apologia Philippus: Quis nō gaudeat mori in confeſſione horum Articulorum, quod remiſſionem peccatorum fide cōſequamur gratis propter Chriſtum, quod operibus noſtris non mereamur remiſſionem peccatorum. Aſtutè omittit hic cuculum ſuum, Sola fide, & dicit ſimpliciter, fide, & nihilominus ſubintelligit ibi cuculum illum, Sola fide. Expreſſè autem non ponit, vt Catholicis eò maiorem concitet in populo inuidiam, & odium Clero. Nos autem iam ſæpe diximus, fidem à nobis in iuſtificatione minimè excludi. Requirimus neceſſario fidem, ſine qua procul dubio adultorum & ratione vtentium nemo iuſtificari poteſt. Pueri autem & fatui adulti poſſunt per baptiſmum iuſtificari, etiam ſi fidē propriam non habent (quod & Lutherus contra Anabatiſtas affirmat) quia propter defectum vſus rationis neque credere, neque cognoſcere Deum actualiter poſſunt. Acquirunt tamen fidem infuſam per baptiſmum, non ſecundum actum tunc quando baptizantur, ſed ſecundum habitum tantùm. Iuſtificantur itaque pueri per baptiſmum legitimè in Eccleſia factum, licet remiſſionem peccatorum non apprehendant fide, neque etiam promiſſionē Chriſti fide accipiant, tūc quando iuſtificantur.

Cuculus Philippi.

Iuſtificatio puerorum.

Vnde facilè cognoſcitur, quàm vana minimeque neceſſaria ſint iſta vſque adeò verboſa nouorum Theologorum commenta, de ſola fide apprehendente remiſſionē peccatorum, & accipiente promiſſionem, ſine qua vtique ſanctiſſimè ac certiſſimè iuſtificantur paruuli per baptiſmum Chriſti, qui ipſos baptizat in ſpiritu ſancto. Hic eſt enim qui baptizat & iuſtificat verè, fides autem ſola neque baptizat, neque iuſtificat. Primam enim iuſtificationē dat paruulis baptiſmus. Si autem adulti deinde facti, rurſus in damnabile & mortale peccatum inciderint, non baptiſmi, ſed pœnitentiæ ſacramento ipſos iuſtificari oportebit. Niſi enim egerint pœnitentiam de peccato ſuo, per ſolam & phantaſticam nouæ Theologiæ fidem, nunquam iuſtificabuntur. Eſt enim clarum verbum Chriſti, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Vana commenta de ſola fide.

Ioan. 1.

Lucæ 13.

Sed obijciunt nobis illud Apoſtoli: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius (ſcilicet Dei) per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c. Hoc non eſt contra nos. Nuſquam enim dicit Paulus, vt ipſi dicunt, Sola fide iuſtificati eſtis. Quod autem hanc vocem Gratis, ſic exponūt, id eſt, ſola fide, nō admittimus,

Rom. 3.
Abſurda expoſitio.

quia neque Paulus, neque vllus Doctorum
ſic exponit. Si enim Gratis idem eſſet, quod
ſola fide, oporteret iſtud quoque Eſaiæ di-
Eſaiæ 52. ctum: Gratis venundati eſtis, ſic exponere,
id eſt, Sola fide venundati eſtis. Sed abſurda
eſt hæc expoſitio, ergo & illa. Iuſtificamur
ergo gratis, hoc eſt, nullo noſtro precio aut
merito præcedente, ſed ſola Dei miſericor-
dia præueniente & ignoſcente. Iuxta illud
Pſal. 58. Pſalmiſtæ: Miſericordia eius præueniet me.
Ideò addit mox Apoſtolus, Per gratiam ip-
ſius. Addit præterea, Per redemptionem,
quæ eſt in Chriſto Ieſu, qui pro nobis redi-
mendis dedit precium ſanguinem ſuum.
Hoc modo maximè gratis iuſtificamur in
baptiſmo, ſicut teſtatur ad Titum Apoſto-
Tit. 3. lus, dicens: Non ex operibus iuſtitiæ, quæ
fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam
ſuam ſaluos nos fecit, per lauacrum regene-
rationis & renouationem ſpiritusſancti, quē
effudit abundè in nos per Ieſum Chriſtum
ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ip-
ſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æ-
ternæ. Nuſquam tamen dicit Paulus: Gra-
tis, id eſt, Sola fide, vt iſti dicunt. Ad bap-
tiſmi igitur gratiam & iuſtificationem nulla
requiruntur præuia opera in paruulis. Ab
his verò, qui poſt baptiſmum in peccata la-
buntur, aut relabuntur, certè non ſola fi-
des, ſed etiam opera pœnitentiæ requirun-
tur, vt iuſtificari queant. Niſi enim pœnitē-
tiam egerint, in peccatis ſuis peribunt, ſicut
Lucæ 13. in Euangelio ait Dominus. Et apud Corin-
2. Cor. 12. thios: Ne iterū cū venero, humiliet me Deus
apud vos: & lugeam multos ex his, qui antea
peccauerunt, & non egerunt pœnitentiā, &c.

Meritum cō- Quod igitur diximus, nos iuſtificari gra-
gru. tis, nullo noſtro precio aut merito præce-
dente, volumus hoc intelligi de merito con-
digno, non de merito congruo. Congruit e-
nim diuinæ bonitati ad opera pœnitentiæ
cordis contriti & humiliati clementer reſpi-
cere, vt eo facilius reconcilietur peccatori.
Pſal. 50. Ait enim Pſalmiſta: Cor contritum & humi-
liatum Deus non deſpicies. Et Dominus ad
Heliam de peſſimo Rege Achab: Nónne vi-
3. Reg. 21. diſti humiliatum Achab coram me? Quia i-
gitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam
malum in diebus eius. Et rurſus per Eſaiam
Eſaiæ 66. ait: Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pau-
perculum, & contritum ſpiritu, & tremen-
tem ſermones meos. Sic & in Euangelio re-
Luc. 18. ſpexit humiliatum Publicanum, qui humi-
li prece ſua meruit de templo deſcēdere iu-
ſtificatus. Meruit autem non de condig-
Mereri ve- no, ſed ſolum de congruo. Cum autem
niam. Cain non haberet pro peccato ſuo cor con-
tritum & humiliatum, non meruit iuſtifi-
cari. Itaque dixit: Maior eſt iniquitas mea,
Gen. 4. quàm vt veniam merear. Sic & Eccleſia in
publicis Collectis plerunque rogat, Vt ve-
niam conſequi mereatur. Item, Vt ipſam pro
nobis intercedere ſentiamus, per quam me-
ruimus authorem vitæ ſuſcipere. Mereri
enim non ſemper ſtrictè accipitur pro me-
reri de condigno, ſed ſæpe pro mereri ex cō-
gruo, aut quocunque accipere aut obtinere,
aut conſequi aut adipiſci, ſicut dixit Cain
Veniam merear, hoc eſt, conſequar aut obti-
neam. Quin etiam in malam aliquando par-
tem accipitur, ſicut ait ad Ioſaphat regem Iu-
da Iehu videns ſeu Propheta: Tu quidem irā *2. Par. 19.*
Domini merebaris. Et in Iob dicitur: Mul- *Iob 11.*
to minora exigeris ab eo, quàm meretur ini-
quitas tua. Et Paulus ad Hebræos, Quanto
magis deteriora putatis mereri ſupplicia eū, *Heb. 10.*
qui filium Dei conculcauerit, &c.

In ſumma, omnibus nouis de ſola fide nu- *Breuis & iu-*
gis & commentis, melior eſt vna hæc conſo- *ſtificationem*
latio, & iuſtructio breuicula Eccleſiaſtici di- *via.*
centis: Pœnitentibus autem dedit viam iu-
ſtitiæ, & confirmauit deficientes ſuſtinere,
& deſtinauit illis ſortem veritatis. Conuer-
tere ad Dominū, & relinque peccata tua, pre
care ante Dominum, & minue offendicula.
Et adhuc breuius & vtilius concludit mag-
nus ille Eccleſiaſtes Salomō, Finem (inquit) *Eccleſ 17.*
loquendi pariter omnes audiamus: Deum *Eccle. 12.*
time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt om-
nis homo. Hæc profectò breuiſſima verba
vtiliora ſunt omnibus, quas habet Apologia
verboſitatibus de ſola fide, pluſquam centies
loquaciſſimè repetitis.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo vige-ſimo iudicium.

ARticulus hic rurſus reuocat ad lucem
bona opera, quæ importunis Aduerſa-
riorum ſcriptis & cōcionibus in flore huius
ipſorum Euangelij omninò peſſimè audie-
runt. Quod negare nō poſſunt, niſi comper-
tiſſimi mendacij accuſari velint. Et niſi rece-
piſſem, me nolle veterem camerinam mo-
uere, vt eo faciliùs poſſit coire concordia, ad-
ijcerem certa exempla, quæ etiam fœterent
in naribus Aduerſariorum. At exempla de-
clarant pluſquam vellemus, quales fuerint
Lutherani bonorum operum ebuccinato-
res: Doce Deum in nobis & bona & mala
potenter operari: doce omnem hominem
etiam in bono quouis opere peccare: doce
omnia ex mera neceſſitate contingere: doce
nullum hominis eſſe liberum arbitrium.
Item bonis operibus nihil apud Deum me-
reri, nihil apud Deum nos acturos bonis o-
peribus, hæc inquam doce, hæc apud ſimpli-
ces, ne quid durius dicā, auditores tuos, & ſa-
tis ſcilicet deprædicaſti, & magno honore de-
coraſti bona piorum opera. Iam quis negat
illa apud Aduerſarios inueniri? Certè maio-
rem

rem authoritatem habuerunt ſemper bona opera apud Zuuinglianos, quàm apud Lutheranos. Qui nolet mihi hoc in negotio credere, faciat periculum. Extſtāt eius rei teſtes euidentiſſimi, lucubrationes illorum non paucæ. Sed ad Articulum. Rurſus Philippus cantilenam ſuam repetit de ſola fide, & de nõ meritis ſiue viuamus, ſiue moriamur. His vel ad nauſeam vſque reſponſum eſt, quomodo ſcilicet fides iuſtificet, & quantum, & vnde valeant bona opera, vnde item his ſua merces. Poſt orditur Philippus ſuos excuſare Concionatores, egregie extollens, magnificeq́ue depredicans, quàm neceſſum fuerit Eccleſiæ tertios illos Catones è cælo decidere, vt inſtruerent Eccleſiam, docerentq́ue quid tandem verè ſentiendum de fide & bonis operibus. Sed audiamus cæleſtes illos Rabinos. Principio, inquit, docuerunt, quod opera noſtra non poſſint reconciliare Deum. Hæc doctrina videlicet è tertio cælo allata eſt. De quibus operibus loquuntur? De operibus præcedentibus iuſtificationem? Nemo Aduerſarijs obloquitur. Nã de his ſcribit Ambroſius, quem Philippus adducit: Si iuſtificatio, (inquit) quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, &c, miror cur ille non flagellarit hic Ambroſium, quod loco gratiæ, non poſuerit, fidem. Si autem loquuntur de operibus quæ fiunt à ſemel iuſtificatis, vt ſunt omnia bona opera fidelium, maximè verò, quæ pœnitentiæ opera vocamus: quærimus ſi Deum bona opera non reconciliant, an ne ipſum ad iracundiam prouocent? Alterum verum ſit neceſſe eſt. Si Deus noſtris bonis operibus offenditur, ergo malis delectatur. Cur ergo bona præcepit, & mala prohibuit? Si verò bonis operibus reconciliatur, & non offenditur, In quo mundo verſatus eſt Philippus, dum hæc ſcriberet? Et tamen in ſuperioribus faſſus eſt ipſe Philippus, opera bona eſſe meritoria, tam præſentis vitæ, quàm futuræ: qua de re in negotio iuſtificationis ſatis diximus, ſi non ornatè, certè multò minus impiè. Et reuera grandis iniuſtiria Dei eſſet, vt inquit D. Hierony. ſi tãtùm peccata puniret, & bona opera non ſuſciperet. Pergit Apologia ſuos defenſare Concionatores, qui docuerunt quod Chriſtus ſit propiciatio pro peccatis, & non noſtra opera: & allegat verba D. Petri, dicentis: Huic omnes Prophetæ perhibent teſtimonium in nomine ipſius accipere remiſſionem peccatorum, omnes, qui credunt in eum, &c. Quis hoc negat? Quis reluctatur? an non ſemper & identidem reſpondemus, merita bonorum operum manare ex merito Chriſti, qui operibus noſtris & talem & tantam virtutem meruerit, ſanguine ſuo perfundens abluerit: vt acceptaremur à patre, non tanquam ab inimicis facta, ſed tanquam à renatis & adoptatis Dei filijs. Chriſtus alibi inquit: Opera, quæ ego facio, & ipſe Pater meus facit: Sic & quæ nos facimus, Chriſtus in nobis facit, & ſuauis ille ac dulcis racemorum fructus, non palmitibus, ſed viti adſcribitur, imò & vtriſque. Quæras forſan, quid ad verba Petri reſpondeam? Id quod Petrus ipſe; In veritate comperio, inquit, quia perſonarum non eſt acceptor Deus, ſed in omni gẽte qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. *Act. 10.* Ergo qui legit illa, legat & hæc ex eodem capite: Habet claſſem ſuam Chriſti meritum, habent etiam locum ſuum operum merita, non illud ex his, ſed hoc ex illo. Et hæc quidem hactenus.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus XXI. De cultu Sanctorum.

DE cultu Sanctorum docent, quòd memoria Sanctorum proponi poteſt, vt imitemur fidem eorum & bona opera iuxta vocationem. vt Cæſar imitari poteſt exemplum Dauid in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria, nam vterque rex eſt. Sed ſcriptura non docet inuocare Sanctos, aut petere auxilium à Sanctis, quia vnum Chriſtum proponit nobis mediatorem, propitiatorem, pontificem, & interceſſorem. Hic inuocandus eſt, & promiſit ſe exauditurum eſſe preces noſtras. Et hunc cultum maximè probat, videlicet vt inuocetur in omnibus afflictionibus, 1. Ioannis 2. Si quis peccat, habeamus aduocatum apud Deum, &c.

Hæc ferè ſumma eſt doctrina apud nos, in qua cerni poteſt nihil eſſe, quod diſcrepet à ſcripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana, quatenus nobis ex ſcriptoribus nota eſt. Quòd cum ita ſit, inclementer iudicant iſti, qui noſtros pro hæreticis haberi poſtulant. Tota diſſenſio eſt de paucis quibuſdam abuſibus, qui ſine certa authoritate in Eccleſias irrepſerunt, in quibus etiam ſi qua eſſet diſſimilitudo, tamen decebat hac lenitas Epiſcopos, vt propter confeſſionem, quam modò recenſuimus, tolerarent noſtros. Quia ne Canones quidem tam duri ſunt, vt eoſdem ritus vbique eſſe poſtulent. Neque ſimiles vnquam omnium Eccleſiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus ſer-

Exemplar [illegible]

 uen-

uentur. Falſa enim calumnia eſt, quòd omnes caremoniæ, omnia vetera inſtituta in Eccleſijs noſtris aboleantur. Verùm publica querela fuit, abuſus quoſdam in vulgaribus rebus hærere, hi, quia non poterant bona conſcientia probari, aliqua ex parte correcti ſunt.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus XXI. De cultu Sanctorum.

DE veneratione Sanctorum docent, quòd vtile ſit Sanctorum memoriam proponere, vt eorum exemplis fidem noſtram confirmemus. Item, vt eorum fidem & bona opera imitemur, quantum cuiuſque vocatio requirit, vt Cæſar exemplum Dauidis imitari poteſt, in bello gerendo ad repellendos Turcas. Nam vterque Rex eſt. Debemus etiam gratias Deo agere, quòd tam multa & glorioſa exempla miſericordiæ ſuæ propoſuerit Eccleſiæ in ſanctis. Item, quòd Eccleſiam pulcherrimis donis ac virtutibus ſanctorum ornauerit. Laudandi ſunt & ipſi ſancti, qui donis Dei, piè vſi ſunt, quæ ad ornandam Eccleſiam contulerint. Cæterùm ſcriptura non docet inuocare Sanctos, aut auxilium à Sanctis petere, ſed vnum Chriſtum proponit nobis mediatorem, propiciatorem, pontificem & interceſſorem. De hoc habemus præcepta & promiſſiones, vt & ipſum inuocemus, & ſtatuamus exaudiri preces noſtras, cùm ad hunc pontificem & interceſſorem confugimus, ſicut inquit Ioannes decimo ſexto: Quicquid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Et Iohānes decimoquarto: Quicquid petieritis in nomine meo, id faciam. Hæc teſtimonia iubēt ad Chriſtū cōfugere, iubent vt Chriſtū ſentiamus eſſe interceſſorem & placatorem, iubent vt confidamus nos exaudiri à patre propter Chriſtum. De Sanctis verò, nec præcepta, nec promiſſiones, nec exempla ſunt in hanc ſententiam in ſcripturis. Et obſcuratur officium, & honos Chriſti, cum homines confugiunt ad Sanctos, & hos ducunt eſſe mediatores, eosq́; inuocant, & ſibi fingunt opinionem, ſanctos eſſe benigniores, atque ita fiduciam debitam Chriſto, transferunt in ſanctos. At Paulus inquit: Vnus eſt mediator Dei & hominum. Hunc igitur cultum præcipuè requirit Chriſtus, vt ſentiamus ad ipſum confugiendum eſſe, ipſum eſſe interceſſorem, propter quem certò exaudiamur, &c.

Hæc ſumma eſt doctrinæ, quæ in Eccleſijs noſtris traditur. Et conſentaneam eſſe iudicamus, & Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ, & Catholicæ Eccleſiæ, poſtremò etiam Romanæ Eccleſiæ, quatenus ex probatis ſcriptoribus nota eſt. Atq; idem iudicaturos ſperamus omnes doctos & bonos viros. Non enim aſpernamur conſenſum Catholicæ Eccleſiæ. Nec eſt animus nobis vllum nouum dogma, & ignotum ſanctæ Eccleſiæ, inuehere in Eccleſiam. Nec patrocinari impijs, aut ſeditioſis opinionibus volumus, quas Catholica Eccleſia damnauit. Non enim adducti praua cupiditate, ſed coacti authoritate verbi Dei, & veteris Eccleſiæ, amplexi ſumus hanc doctrinam, vt & gloria Dei fieret illuſtrior & conſuleretur pijs mentibus in vniuerſa Eccleſia. Conſtat enim pleroſque abuſus irrepſiſſe in Eccleſiam, qui emendatione opus habent. Et cùm propter gloriam Chriſti, tùm propter ſalutem omnium gentium maximè optamus, vt diligenter cognitis his controuerſijs, Eccleſia repurgetur, & ab ijs abuſibus liberetur, qui diſſimulari non poſſunt, quamobcauſam diu iam omnes boni viri in omnibus nationibus expetunt Synodum, cuius quidem aliquam ſpem clementiſſimus Imperator omnibus gentibus oſtendit. Faciet igitur Imperator rem digniſſimam ſua magnitudine & felicitate, & exoptatam vniuerſæ Eccleſiæ, ſi in Synodo permiſerit iudicium de tantis rebus, non illis, qui priuatos affectus in conſilium adhibent, ſed delectis pijs & doctis viris, qui gloriæ Chriſti, & ſaluti vniuerſæ Eccleſiæ, conſulere cupiant. Hæc eſt vſitata & legitima in Eccleſia via dirimendi diſſenſiones, videlicet, ad Synodos referre controuerſias Eccleſiaſticas.

Hunc morem ſeruauit Eccleſia inde vſque ab Apoſtolis. Et præſtantiſſimi Imperatores, Conſtantinus ac Theodoſius, etiam in rebus non valdè obſcuris, & dogmatibus abſurdis, tamen ſine Synodo, nihil conſtituere voluerunt, vt Eccleſiæ libertatem in iudicijs dogmatum conſeruarent. Et honeſtiſſimum eſt Cæſari, illorum optimorum Principum

exem-

exemplum imitari, præſertim cùm nos nil mutauerimus, ſine exemplo veteris Eccleſiæ. Et ſperamus hanc tantam felicitatem Imperatori diuinitùs datam eſſe, ad Eccleſiæ emẽdationem ac ſalutem. Certè hanc gratiam Deus ab ipſo repoſcit, vt potentiam ſuam conferat ad ornandam Chriſti gloriam, ad Eccleſiæ pacem, ad prohibendam immanem & iniuſtiſſimam crudelitatem, quæ mira quadam rabie paſſim exercetur in membra Chriſti, in homines pios & innocentes. Harum maximarum rerum curam mandauit Deus ſummis Principibus. Ideo excitat Monarchas, vt iniuſta imperia prohibeant, quemadmodum excitauit Cyrum, vt liberaret à captiuitate populum Iudæorum: Conſtantinum, vt illam infinitam ſæuitiam, quæ tunc in Chriſtianos exercebatur, depelleret. Ita optamus, vt Cæſar & curam emendandæ Eccleſiæ ſuſcipiat, & iniuſtam crudelitatem prohibeat.

Nam Articuli noſtri, quos recenſuimus, ſatis clarè teſtantur, nos nullum dogma contra Catholicam Eccleſiam, nullam impiam, aut ſeditioſam opinionem docere, aut probare. Imò quoſdam inſignes articulos doctrinæ Chriſtianæ, à noſtris piè & vtiliter illuſtratos eſſe. In externis traditionibus abuſus quidam mutati ſunt, quarum etiam ſi qua eſt diſſimilitudo, ſi tamen doctrina & fides pura ſit, nemo propter illam traditionem humanarum diſſimilitudinem, habendus eſt hæreticus, aut deſertor Catholicæ Eccleſiæ. Nam vnitas Catholicæ Eccleſiæ conſiſtit in doctrina & fidei conſenſu, non in traditionibus humanis, quarum ſemper in Eccleſijs per totum orbem magna fuit diſſimilitudo. Nec verò fidem habeat Cæſarea Maieſtas his, qui, vt odia contra nos inflamment, miras calumnias ſpargunt. Prædicant omnes cæremonias, omnes bonos mores in Eccleſijs deleri à nobis. Hæc crimina apertè falſa ſunt. Nos enim & cæremonias diuinitus inſtitutas, ſumma pietate conſeruamus, & vt earum reuerentiam augeremus, tantùm nouos quoſdam abuſus ſuſtulimus, qui contra ſcripturam, contra veteres Canones, contra veteris Eccleſiæ exempla, ſine vlla certa authoritate, vicio temporum recepti ſunt. Ac magna ex parte veteres ritus apud nos diligenter ſeruantur. Quare rogamus, vt Cæſarea Maieſtas clementer audiat, quid in externis ritibus ſeruetur, quid qua de cauſa mutatum ſit.

CAROLI CAESARIS, *& Catholicorum Principum ad Articulum vigeſimumprimum reſponſio.*

POſtremo loco articulum proponunt vigeſimumprimum, in quo admittunt Sanctorum proponi poſſe memoriam, vt imitemur fidem illorum & bona opera, ſed non vt inuocentur, aut auxilium ab eis petatur. Mirum certè eſt, quòd ipſi Principes & Ciuitates paſſi ſint hunc errorem in ſuis dominijs ſuſcitari, qui toties damnatus eſt in Eccleſia. Cùm ante mille & centum annos B. Hieronymus in hac arena vicerit Vigilantium hæreticum. Longè poſt eundem reſuſcitarunt Albigenſes, Pauperes de Lugduno, Picardi, Cathari veteres & iuniores, qui omnes iam pridem legitimè damnati ſunt. Quare hic Articulus Confeſſionis toties damnatus penitùs reijciendus eſt, & cum tota vniuerſali Eccleſia orthodoxa reprobandus. Nam pro inuocandis Sanctis, non modò hactenus vniuerſalis Eccleſiæ authoritatem, ſed omnium ſanctorum Patrum conſenſum, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Baſilij, Bernardi, & id genus aliorum Eccleſiæ doctorum. Nec deeſt Catholicæ huic aſſertioni ſacræ ſcripturæ authoritas. Nam Sanctos honorandos docuit Chriſtus: Si quis, inquit, miniſtrauerit mihi, honorificabit eum pater meus, qui in cælis eſt. Ioan. 12. Si ergò Deus honorat Sãctos, cur non honoramus nos homunculi? Conuerſus præterea eſt Dominus ad pœnitentiam Iob, cùm ille oraret pro amicis ſuis. Iob 42. cur ergò pientiſſimus Deus non acquieſceret intercedenti B. Mariæ virgini, qui acquieuit Iob? Legimus quoque Baruch 3. Domine omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael, orant ergò & mortui pro nobis. Sic & in veteri quoque teſtamento fecerunt Onias, Hieremias. Nam Iudæ Machabæo viſus eſt Onias ſummus ſacerdos, manus protendens, & orans pro omni populo Iudæorum, poſt hoc apparuit alius vir, & ætate & gloria mirabilis, & magni decoris circa illum, de quo Onias reſpondens, dixit: Hic eſt fratrum amator & populus Iſrael: hic eſt, qui

 mul-

multum orat pro populo, & vniuerſa ciuitate ſancta Hieremias Propheta Dei. 2. Machabæorum 15. Ex ſacris præterea literis cognouimus, Angelos etiam orare pro nobis, cur ergò id negaremus de Sanctis? Domine exercituum (inquit Angelus) vſquequo tu non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebarur verba conſolatoria, Zachariæ 1. Idem teſtatur Iob: Si fuerit pro eo Angelus loquens vnum de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem, miſerebitur eius, & dicet, Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem. Iob 33. Liquet præterea ex verbis ſacræ illius animæ Ioannis Euangeliſtæ, Dum, inquit, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Apoc. 5. Et infrà: Angelus ſtetit
Apoc. 8. ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus omnium ſanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu angeli coram Deo. Poſtremò S. Cyprianus martyr ante mille ducentos & quinquaginta annos, ſcripſit Cornelio Papæ, lib. 1. epiſtolarum, petens, vt ſi quis eorum prior diſceſſerit, pro fratribus & ſororibus noſtris non ceſſet oratio. Niſi autem vir ſanctus exploratum habuiſſet, Sanctos poſt hanc vitam orare pro viuis, fruſtrà Cornelium hortatus fuiſſet hoc facere. Neque roborata eſt exhibita Confeſſio ex eo, quia vnus ſit mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. & 1. Ioan. 2. Nam etſi fatetur vnum eſſe mediatorem redemptionis Cæſarea Maieſtas cum tota Eccleſia, tamen multi ſunt interceſſores, mediatores interceſſionis. Sic & Moyſes fuit mediator & ſequeſter inter Dominum Deum & homines. Deutero. 5. Orauit enim pro filijs Iſrael, Exodi 17. & 32. Sic orauit S. Paulus pro nauigantibus, Actorum 27. Sic ſanè Paulus ipſe petit orari pro ſe à Romanis, ad Rom. 15. ad Corinthios, 2. Corinth. 1. ad Coloſſ. 4. Sic dum D. Petrus ſeruaretur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſſione in Eccleſia ad Deum pro eo. Actorum 12. Eſt igitur Chriſtus aduocatus noſter primarius, & quidem maximus. At cùm Sancti ſint membra Chriſti. 1. Corinth. 12. & ad Epheſ. 5. & voluntatem ſuam conforment voluntati Chriſti, & videant caput Chriſtum orare pro nobis, quis dubitare poteſt, Sanctos hoc idem facere, quod vident Chriſtum facientem. Quibus omnibus diligenter attentis, petendum eſt à Principibus & Ciuitatibus eis adhærentibus, vt reiecta Confeſſionis particula, cum ſancta vniuerſali & orthodoxa ſentiant Eccleſia, atque id credant & confiteantur de Sanctorũ veneratione & interceſſione, quod vniuerſus credit & confitetur orbis Chriſtianus, & quod etiam tempore Auguſtini fuit in omnibus Eccleſijs obſeruatum: Populus Chriſtianus, inquit, memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat ad excitandam imitationem, & vt meritis conſocietur, & orationibus eorum adiuuetur.

Andreæ Fabricij Leodij ad Articulum vigeſimumprimum animaduerſio.

TOties argumentum iſtud de inuocatione Sanctorum cùm à veteribus, tum à neotericis eſt pertractatũ, vt fruſtrà nos laboraturos exiſtimemus, ſi profundiùs eandẽ rem ingredi velimus. Quare contextũ duntaxat proſequamur. Quod igitur initiò docent Lutherani, memoriam Sanctorum eſſe proponẽdam, vt eorum fidem & bona opera, iuxta cuiuſq; vocationem imitemur, vellemus tam factis eos confirmare, quàm verbis hic oſtendunt. Sic enim facillima ratione Eccleſiæ Dei ſua pax reſtitueretur. Nec aliunde tot hæreſes & ſchiſmata noſtra tempeſtate prouenerunt, quàm quòd nec fidem ſequamur Sanctorum, nec eorum opera nobis ad imitationem proponamus. Non tantũ diſtat cælum à terra, quantum fides, & opera Sãctorum, à fide & moribus eorum, qui hodie Euangelici dici volunt. Quod certè conſtat ex inopia exemplorum, qua ſe loboraſſe hoc loco demonſtrant. Nam in tanta virtutum amplitudine, qua viri Apoſtolici floruerunt, non aliud ipſis occurrit, quàm de bello gerendo aduerſus Turcas ad imitationẽ Dauidis, qui cũ Iſraelitis aduerſus Idololatras vicinos pro vera religione fortiter certauit. Qua etiam in parte ſuam futilitatem & inconſtantiam oſtẽdunt. Docuit enim anteà Lutherus, quòd belligerare contra Turcas, ſit Deo ipſi repugnare, velut pluribꝰ ſumus proſequuti articulo 16. huius Confeſſionis. Subijciunt deinde, quòd ſcriptura nõ doceat inuocare Sanctos, ſeu petere auxilium à Sanctis,

ctis,

ctis. Quod etiam eſſe falſiſſimũ, vel ex ipſo-
met Luthero conſtare poteſt. Dico ergo, in-
quit, ad ſanctorũ ſuffragia omni modo recur
Iob. 5. rendũ, ſicut in Iob legitur: Et ad aliquẽ ſan-
ctorum conuertere: & ſicut Salomon patrẽ
ſuum allegat: Memento Domine Dauid, &
Pſal 131. omnis manſuetudinis eius. Sed & Iacob Pa-
Geneſ. 48. triarcha de Effraim, & Manaſſe dixit: Inuo-
cetur nomẽ meum ſuper pueros iſtos, & no-
mẽ patrum meorũ, Abrahã & Iſaac. Hæc Lu-
therus in libro de decẽ præceptis, quẽ Articu
lo ſuperiori dignum duxerunt, ex quo Euã-
gelij ſui puritatem confirmarẽt. Nihil igitur
hic neceſſum fuerit Chryſoſtomi, Baſilij,
Cypriani, Ambroſij, Hieronymi, Auguſti-
ni, Georgij, Damaſceni, cæterorumque Ec-
cleſiæ Patrum teſtimonia ab alijs diligentiſ-
ſimè collecta adijcere. Vnicus Lutherus eſt
omni exceptione maior. Sed quæ cauſa eſt,
cur aliter ac Lutherus ibi ſentit, non velint
nos hic inuocare Sãctos? Quia, inquiunt, ſcri-
ptura nobis vnum Chriſtum proponit, me-
diatorem, propiciatorium Pontificem, &
interceſſorem. Certè hæc ratio eſt eiuſmodi,
in qua refellenda, minimè fuerit nobis la-
borandum, poſtquàm Auguſtinus in capi-
te 2. primæ Ioannis ſcribens, hæreticam il-
lam concluſionem diſertis verbis redundat.
Vrgent hic plurimum Aduerſarij nomen
Mediatoris, quod Chriſto ita proprium fa-
ciunt, vt nulli alteri illud quadrare velint.
Nec Catholici de voce magnoperè laborant,
dummodò res, quæ controuertitur ſit ma-
nifeſta, veritaſque à maioribus accepta reti-
neatur. Si is ſolus ſit dicendus mediator, qui
diuinæ ſimul & humanæ particeps naturæ,
non precibus tantum interuenientibus, ſed
precio etiam mortis ſuæ & ſanguinis totum
humanum genus de poteſtate diaboli rede-
mit, certè lubenter, & verè affirmabimus ſo-
lum Chriſtum eſſe mediatorem pro nobis a-
1. Tim. 2. pud patrẽ. Quo reſpiciens Paulus, Vnus, in-
quit, Deus, vnus & mediator Dei & hominũ
homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum
redemptionem pro omnibus. Sin autem eã-
dem mediatoris vocem vſurpes, quomodo
ſcriptores profani faciunt, pro eo, qui me-
diat inter partes, & ſeſe velut ſequeſtrem in-
terponit, quæ impietas fuerit alijs à Chriſto
eam tribuere? Nam quod hoc poſſint facere
ſacerdotes, expreſſè Paulus etiam docet in e-
Heb. 5. piſtola ad Hebræos: Omnis, inquit, Pontifex
ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõ-
ſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum. Sed Lu-
I.. therani fraudulẽter & veteratoriè interpre-
tati ſunt Catholicos, cùm de inuocatione Sã-
ctorum agunt ſententiam. Quaſi vnquam a-
liquis inter illos fuerit inuentus adeò impe-
ritus vel inſanus potiùs, qui exiſtimarit vllũ
Sanctorum præter Chriſtum ſe dediſſe re-
demptionem pro genere humano. Ad ſe-
cũdam autem ſignificationem reſpiciendo,
tantum abeſt, vt aliquid Chriſto detraxe-
rint, vt etiam eius honorem maximè promo
uerint, & voluntatem perfecerint. Nam cùm
ille in ſua precãdi formula nos ad hunc mo-
dum orare docuit: Panem noſtrũ quotidia-
num da nobis hodie, ne nos inducas in tẽta-
tionem, ſed libera nos à malo: an non hoc ip-
ſum, quod dicimus, etiam voluit? Cùm nos
pro neceſsitatibus animæ & corporis voluit
etiam eſſe ſolicitos de proximis? & ideò vt
pluralitatis vocibus vteremur, docuit, quid
aliud nos eſſe voluit, quàm mediatores apud
patrem cæleſtem? Cùm Iacobus iuſſit vt ora- *Iacob 5.*
remus pro inuicem, an quæſo Chriſti hono-
ri aliquid detractũ voluit? Cùm Paulus ſuas *Act. 27.*
partes & preces pro nauigantium incolumi-
tate apud Deum interpoſuit, an ita mediator *Rom. 15.*
fuit, vt Chriſti honorem imminueret? Cùm *2. Cor. 1.*
idem vas electionis alios orauit, vt pro ſe o- *Coloſ. 4.*
rarent, ſuiſq; precationibus auxilio eſſent a-
pud Deum, an iuſſit vt honorem ſoli Chri-
ſto debitũ violarent? Quare ſi & præſcriptis
Chriſti quadret, & Apoſtolorum exemplis
cõgruat, vt vita hac durante vnus pro altero
preces ſuas apud Deum interponat, nec hoc
Chriſti mediatoris honorem imminuat, cur
Sãctis, qui in domino dormierũt, inuocãdis
Dei glorię aliquid detrahatur? An fortè plus
eſt dignitatis in ijs, qui carne adhuc grauãtur
& peccato circũdati, ipſimet multis indigẽt,
quàm in his, qui depoſito mortalitatis ſacco
vnus ſpiritus cum Chriſto effecti ſunt, ag-
numq; quocũque ierit ſequuntur? An etiam
viuorum preces minùs quàm eorum, qui in
cœlis ſunt Sanctorum deprecatio Chriſti
mediatoris gloriam & dignitatem extenuet?
Si quis verò ad hanc deueniat impietatem,
vt audeat dicere, Sãctos in cælo neſcire quid
hic agamus, aut ipſis non eſſe curę cauſam vi-
uentium hominũ, eũ certè mox ipſius Chri-
ſti mediatoris teſtimoniũ reuicerit: Dico vo- *Lucæ 15.*
bis, inquit, quia ita gaudiũ erit in cælo ſuper
vno peccatore pœnitentiam agẽte, quàm ſu-
pra nonaginta nouẽ iuſtis, qui non indigent
pœnitẽtia. Si igitur cæleſtes illi ciues gaude-
ant de peccatoribus pœnitentiam agẽtibus,
an non & pœnitentes adiuuabunt, & pro ſa-
lute hominum preces facient? an non roga-
ti peccatorum veniam impetrabunt, Dei-
q́ue gratiã nobis conciliabunt? Quod autem *Obiectio.*
nõnulli hic obijciunt, ſuperuacaneũ eſſe ſan-
ctorũ patrocinium, quãdoquidem Deus, ſine
interprete aut interceſſore precibus noſtris
occurrere poſſit, conſtãter ab Auguſtino re-
fellitur. Affirmat enim, quòd Deus mul- *Solutio.*
ta non concedat, niſi mediatoris ac de-
precatoris opera, & officium acceſſerit.
Quod illuſtribus Abimelec & amicorum

Gene. 20. Iob. 4. Iob confirmatur exemplis, quorum peccata non niſi Abrahami & Iob precibus condonauit. Ad hæc qui dicunt, quòd quando Sancti internuncij & patroni apud Deum adhibentur, prodi ac declarari inopiam, & imbecillitatem fidei eorum, qui deprecantur, & proinde eiuſmodi cultum Deo eſſe ingratū, magnoperè profectò falluntur, eaque ratione oporteret Apoſtolos ipſos perfectam fidem non habuiſſe, & de Dei bonitate diffidiſſe, quotieſcunque ſe aliorum precibus apud Luc. 17. Deum adiuuari voluerūt. Quin Chriſto eſſe gratiſſima mutua illa pietatis officia, nec illā animi demiſſionem virtuti fidei aliquid detrahere, clariſſimum eſt ex Centurionis exēplo, qui veritus Ipſemet Chriſtum adire, miſit ſeniores Iudæorum ad illum, vt laboranti puero ſalutem impetrarent. Quod factum tantùm abeſt vt Chriſtus reprehenderit, vel ex imbecillitate fidei prouenire dixerit, vt etiam ſingulare, & maius præmium excellētis fidei eidem detulerit, quàm vnquam alteri. Amen, inquit, dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inueni. Meræ igitur ſunt nugæ, & futiles rationes, quas Lutherani aduerſus inuocationem Sanctorum producunt, veriſſimeque ſemper docuit Eccleſia Catholica, quod tametſi ſit vnicus mediator redem-Heb. 9. ptionis Ieſus Chriſtus, qui ſemel in ſancta ingreſſus, pro nobis interpellare nō ceſſat, plures tamē ſunt mediatores interceſſionis dūtaxat. Quales mediatores etiam eſſe poſſunt homines pij in carne adhuc degētes, vt paulò antè ex Paulo & alijs oſtēſum eſt. Quin vt ad illud officium non dubitemus frequenter recurere, docemur exemplo amicorum Iob. 42. Iob, quibus Dominus ad hunc modum loquitur: Iob ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non imputetur vobis ſtultitia. Secundò, mediatores per interceſſionem duntaxat ſunt illi, qui piè in domino ſunt defuncti, vt ex iam dictis etiam manifeſtum eſt, & ex veteri teſtamento 2. Mach. 15. cōſtare poteſt. In geſtis enim Machabæorū ſcribitur, quomodo Iudæ per viſionem apparuerint Onias ſacerdos ſanctè defunctus, & Ieremias propheta, inſtanter Deo ſupplicantes & orantes pro omni populo, & vniuerſa ſancta ciuitate. Cuiuſmodi ſanè patrocinium ſemper agnouit Eccleſia Catholica in Apoſtolis, viriſq; Apoſtolicis, qui dum viuerēt, plures regiones & populos Chriſto lucrifecerunt.

Hic agnoſcunt ſingulæ Chriſtianorum regiones peculiares ſuos patronos, per quos ad veram religionem, & agnitionem veritatis peruenerūt, aut in virtutibus & honeſtate vitæ aliquando confirmati ſunt. Sic Italia peculiares patronos Petrum & Paulum experitur. Græcia Andream, & alios ſortita eſt. India Thomā, Germania Maternum, Valerium, Eucherium, & alios. Gallia Iræneum, Martynum, Dionyſium, & alios complures. Quiſquis dicere audet, quòd iſti, vel alij Sancti cum Chriſto viuentes depoſuerint ſolicitudinem earum regionū, in quibus verā fidem vel plantarūt, vel ſalutaribus exemplis confirmarunt, magnā iniuriam ipſis, Deoq; faciunt, cùm minorē charitatis ardorē ipſis affingunt, quàm hic in terris viuētes habuerint, expreſſoq; Dei verbo repugnāt, quo affirmatur, maximū eſſe gaudium in cœlo ſuper peccatoribus ad pœnitentiam redeuntibus. Luc. 15. Catechiſmus Ro. in 3. praeceptum. Si etiam prorſus deeſſent eiuſmodi ſcripturarum teſtimonia, cui fidem meritò non faciant, & honoris, qui Sāctis debetur, & patrocinij, quod noſtri ſuſcipiunt, mirabiles effectæ res ad eorum ſepulchra, & oculis, & manibus, membriſq; omnibus captis, In priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam reuocatis, ex corporibus hominum eiectis dæmonijs? quæ non audiſſe vt multi, non legiſſe vt plurimi grauiſſimi viri, ſed vidiſſe teſtes locupletiſſimi ſancti Ambroſius & Auguſtinus literis prodiderunt. Quid multa? Si veſtes, ſudaria, ſi vmbra ſanctorum priuſquàm è vita migrarent, depulit morbos, viresque reſtituit: quomodo quis tandem negare audeat, Deum per ſacros cineres, oſſa, ſanctorumque reliquias, quæ aliquādo cum anima immortalitate fruentur, eadem mirabiliter efficere? Declarauit id cadauer illud, 4. Reg. 13. quod fortè illatum in ſepulchrū Eliſei, eius tacto corpore, ſubitò reuixit. Plura ſi quis in hoc argumento deſideret, non deſunt ſcriptores, ex quibus illa repetantur. Sanè toties hæreſis eorum, qui Sanctorum inuocationē impugnant, eſt confutata, vt referre pigeat. Mirumque eſt, quòd miſeri illi homines tādem non obſeruent, quātam deformitatem corporis myſtici faciant, qui Sanctos cum Chriſto regnantes non volunt pro viuentiū ſalute apud Deum intercedere. Quid enim hoc aliud eſt, quàm diſtrahere membra à Chriſto capite, & quos vnus ſpiritus coniungit, diſſociare? Si Chriſtus vt caput intercedit apud Patrem pro nobis, quomodo Sancti, Chriſto velut capiti coniuncti, reluctabuntur, & non idem faciant quod ille? Sed de his ſatis ſit. Nunc ad concluſionem ſuperiorum Articulorum veniamus. Duo autem ſunt illius capita. Primum eſt, quód in ſuperioribus Articulis nihil inſit, quod vel à ſcripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana diſcrepet. Eoque ſe non eſſe hæreticos. Alterum caput eſt, quód abuſus quoſdam, qui in vulgaribus hærebant ritibus duntaxat corrigere voluerint, non autē veteres cæremonias, quas ſacroſanctas haberent, auferre. In his duobus excutiendis, non

fue-

fuerit magnoperè laborandum. Hoc ſaltem ex illis conſtat, quod eos iudicent nominandos hæreticos, qni aliquod dogma propugnant, qnod vel à ſcripturis ſacris, vel ab Eccleſia Catholica & Romana diſcrepet, aut qui veteres Eccleſiæ cæremonias priuata authoritate abolent & euertunt. Hoc autẽ feciſſe Lutheranos, luce meridiana clarius eſt, ex ijs, quæ ad ſingulos Articulos ſcripſimus. Primum Articulum de vnitate eſſentię diuinæ mendacio inficiunt. Peccatum originis etiam poſt baptiſmum remanere ſentiunt. De vnitate naturarum in Chriſto, eiusq; diuinitate ambiguè docent. Fidẽ, qua iuſtificamur, ad inanem fiduciam traducũt. Euangelium ad promiſſionem de remiſſione peccatorũ cõtrahunt. Merita bonorum operum euertunt. Certiſſimã Eccleſiæ Chriſti notã, quòd ſit Catholica, fraudulenter obticent. Efficaciam Sacramentorũ malè interpretãtur. Baptiſmum duntaxat externũ eſſe ſignum faciunt. Præſentiã corporis Chriſti in Euchariſtia cũ pane ſtatuunt. Enumerationẽ peccatorum in Cõfeſſione non eſſe neceſſariam aſſerunt. Duas duntaxat eſſe pœnitentię partes dicunt. Vſum ſacramentorũ ad teſtimonium voluntatis Dei in nos ſolùm referunt. Vocationẽ miniſtrorum Eccleſiæ ad Magiſtratus politicos transferunt. Ritus Eccleſiaſticos non eſſe neceſſarios ad ſalutẽ affirmãt. Res ciuiles cũ Eccleſiaſticis cõfundunt. Extremi iudicij argumentũ impijs opinionib⁹ inuoluunt. De libero arbitrio ambiguè docent. De cauſa peccati ſibi nõn conſentiunt. Quòd ſola fide, ſine operibus iuſtificemur, affirmãt. Poſtremò Sanctos cum Chriſto regnantes à viuẽtibus inuocari prohibẽt. Hæc ſunt capita doctrinę, viginti & vno Articulis traditæ. Quę cùm vel ſacris ſcripturis aduerſentur, vel à Catholica Eccleſia & Romana diſſideant, cui dubium eſſe queat, quàm iuſta ratinne huius Cõfeſſionis architecti pro hæreticis haberi poſtulẽtur? Certè ſi verba eorũ expẽdas, proprio etiam iudicio condẽnatos videbis. A quo optamus, vt ſe mox liberent, quotquot per imprudẽtiam eoſdem errores propugnandos ſuſceperunt, Eccleſiaq; Ieſu Chriſti denuò agnita, magnum iſtud vitiorũ & hæreſum, quo premitur mũdus, diluuium ſubterfugiunt, & immortalitatem tandem conſequantur.

Ioannis à Dauentria Articuli vigeſimi-primi refutatio.

HIc Articulus, quando ita Sãctorum cultum admittit, vt tamen inuocationem neget, ab omnibus orthodoxis iure reprobatur, & nnn paruo indiget cauterio. Nam eorum inuocatio Auguſtino, Hieronymo, Cypriano, Chryſoſtomo, Gregorio, Bernardo, &c. non diſplicuit. Et ſi quando de orationibus, quas pro viuentibus coram domino effundunt, loquũtur, nuſquam vetãt, ne inuocemus eos. Docebimus itaque inuocationem Sanctorum, fidei, rationi, & ſacris ſcripturis conſentaneam eſſe, & Aduerſarios inaniter contra Sãctos ſurere. Sed videamus primùm, quibus modis ſanctorum inuocationem extenuent.

Allegant (inquiunt) *Cyprianum, quòd viuum Cornelium rogauerit, vt diſcedens pro fratribus oraret. Hoc exemplo probant mortuorum inuocationem. Citant & Hieronymum contra Vigilantium, in hac arena, inquiunt, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantium. Sic triumphant aduerſarij, quaſi iam ſit debellatum. Nec vident iſti aſini apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam extare ſyllabam de inuocatione, &c.*

Quod rationibus non poſſunt, calumnijs, mendacijs & malis artibus tuentur. Non abs re citãt Catholici Cyprianũ rogantẽ Cornelium, vt dũ hinc diſcederet, rogaret pro fratribus, adhuc ſtrenuè Domino ſtipendia facientibus. Significauit enim hoc facto ſe ſentire, quòd Sãctorũ, qui hinc diſceſſiſſent, preces haud parùm cõducãt his, qui cupiunt huius vitę diſcrimina ſine offenſione percurrere. Hoc igitur primùm cõſtituatur, quòd orationes Sanctorũ apud Deum plurimũ valeant. Id quod ſolius Cypriani anthoritate docuiſſe fortaſſis non ſufficiat, audiantur ergò plures. Hieronymũ contra Vigilantium ipſi Aduerſarij confitẽtur de honnribus Sãctorũ loqui, nõ de inuocatiõe. Certè nihil loquitur de honorib⁹ eorũ, ſed de interceſſiõe.

Dicis, inquit, o Vigilanti in bello tuo, quòd dum viuimus, mutuo pro nobis orare poſſumus: poſtquàm autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio: præſertim cùm martyres vltionem ſanguinis ſui obſecrantes, impetrare nequiuerint. Si Apoſtoli & martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quãdo adhuc pro ſe debent eſſe ſoliciti: quantò magis poſt coronas, & victorias, & triumphos? Vnus homo Moſes ſexcentis millibus armatis impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini ſui, & primus martyr in Chriſto, pro ſuis perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam nunc cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dixit in naui animas condonatas: & poſtquàm reſolutus cœperit eſſe cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro his, qui in toto orbe ad ſuum crediderũt Euangeliũ, mutire nõ poterit? Meliorque erit Vigilãtius canis viuus, quàm Leo mortu⁹. Rectè hoc de Eccleſiaſte proponerẽ, ſi Paulũ in ſpiritu mortuũ confiterer. Deniq; Sancti appellantur nõ mortui, ſed

Hiero cõtra Vigilant.

Interceſſio Sanctorum apud Deum efficax.

Act. 7.

Eccleſ. 9.

ſed viuentes, vel dormientes. Deus Abraam, Iſaac, &c. Totus hic locus de interceſſione ſanctorum eſt, honorum altiſſimum eſt hic ſilentium. Id non dixerim, quòd Sanctos nõ putẽ honorandos eſſe, ſed vt demonſtrẽ fallacẽ illorũ animũ, qui ſe ſolos putãt homines eſſe. Audis etiã ex verbis Hieronymi, quòd Sancti non debeant mortui appellari, ſed viuẽtes, iuxtà vocẽ Chriſti: Non eſt Deus mortuorũ, ſed viuẽtium. Sed Aduerſarij citra delectũ vocãt mortuos, qui verè viuunt. De interceſſione audi eundem iterum:

Matth. 22.

Veniet, inquit, veniet poſtea dies, quo victor reuertaris in patriam, quo Hieroſolymam cæleſtem vir fortis coronatus incedas. Tunc municipatum cum Paulo capies, tunc & parẽtibus tuis eiuſdem ciuitatis Ius petes. Tunc & pro me rogabis, qui te, vt vinceres, incitaui. Docet & hic locus Sanctorum, qui carne reſoluti cum domino viuunt, preces eſſe efficaces. Hinc quoque Auguſtinus dicit in lib. de verbis Apoſtoli: Iniuria eſt pro martyre in Eccleſia orare, cuius debemus orationibus commẽdari. Et in eodem: Aeſtimo eum, inquit, quaſi per ignem tranſeuntem, ſaluari meritis & interceſſione cæleſtis Eccleſiæ, quæ pro fidelibus ſemper intercedit, donec impleatur Chriſtus in eis. Origenes illis duobus natu maior interceſſionem Sanctorum approbat:

Hiero ad Heliodorũ.

Augu. in lib. de verbis Apoſtoli.

Origenes ſuper Ioan.

Ego ſic arbitror, inquit, quòd omnes illi, qui ante nos dormierunt Patres, pugnãt nobiſcum, & adiuuant nos orationibus ſuis. Et Chryſoſtomus ait: Sanctorum orationes & ſupplicationes habent pro nobis vim, & quidem maximam, cùm nos idipſum per pœnitẽtiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora cõfugim⁹. Hæc pauca Patrũ teſtimonia pro interceſſione Sanctorũ ſufficiant. Vetuſtiores citauimus, vt ſcias iuniores à veteribus non diſcrepare. Conſtet igitur, quod etiam Sancti pro nobis intercedant, quod Aduerſarij grauatim admittunt. Sic enim dicunt:

Homil. 16.

Prætereà & hoc largimur (inquiunt) *quòd Angeli orent pro nobis. Exſtat enim teſtimonium Zachariæ, &c. De ſanctis etſi concedimus, quòd & ſicut viui orant pro Eccleſia vniuerſa in genere, ita in cœlis orent pro Eccleſia in genere.*

Non orant ſancti, qui ſuperſunt, pro Eccleſia ſolùm in genere, ſed orant etiam pro ſingulis. Deſiderauit enim Paulus, vt pro ſe orarent Romani, & ipſe viciſſim orat pro Romanis & Coloſſenſibus. Et in Actis Apoſtolicis orat Eccleſia pro Petro, in carcere deuincto. Sicut ergò parùm prudenter dicunt, quòd ſancti viui orant pro Eccleſia vniuerſa in genere, ita parùm roboris habet, quòd Sancti in cælis tantùm in genere pro nobis orent, & non pro ſingulis. Et hoc ſolùm excogitarunt argumentum, ne, dùm admitterent, quòd pro ſingulis orent, cogantur etiam dare, quòd ſingulorum vota & deſideria apud eos valeant. Porrò ſi ſimpliciter concedunt Sanctorum in cælis pro nobis interceſſionem, quod vel inuiti cogantur dare, nullius energiæ ſunt omnia argumenta eorum, vel ex ratione diuinæ miſericordiæ, potentiæ ac iuſtitiæ, vel ex ratione vnici mediatoris & aduocati, aduerſus inuocationẽ Sãctorũ producta. Si vtriq; tã ſuperſtites, quam cũ Chriſto viuentes Sancti, æquè efficaciter poſſunt pro nobis intercedere apud Deũ, quid periculi erit, ſi vt viuos, ita inuocem & in Chriſto dormiẽtes? An nõ viuunt magis, qui in Chriſto viuunt, quàm qui hãc vitam, quã rectius mortẽ quàm vitã, appellaueris, viuunt? Hinc vehementer admiror, qua auctoritate, ne dicam temeritate, audeant fidem ſacrorum Machabæorum voluminum labefactare, vt dicant ſomnium eſſe illud, quod ibi de mortuis orantibus refertur. Sed tantùm indulgeamus volupi iſtorum animo laſciuieti pleniſſimo.

Orant ſinguli pro ſingulis.

Rom 15. Act. 12.

Inuocamus ſanctos hac vita defunctos, vt viuentes.

Porrò vt maximè pro Eccleſia orent (inquiunt) *Sancti, tamen non ſequitur, quòd ſint inuocandi.*

Maximè ſequitur, quòd ſint Sancti inuocandi, ſi quod nunc dant, ſed grauatim, pro nobis orant. Quomodo enim patronum meum, quem ſciam cauſam meam agere, non inuocem? Hic velim ſcire cauſam, cur nõ ſint inuocandi, quos compertum eſt pro nobis vtiliter orare. Nos dicimus, quòd neceſſariò inuocemus Sanctos, vt noſtras apud Deum neceſſitates ſubleuent. Sicut autẽ venerationis, ſic & inuocationis à veteribus accipimus exempla.

Sãcti ſunt inuocandi.

Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 2. & 20. refert, quòd ad inuocationem ſanctorum Geruaſij & Prothaſij, adoleſcens quidam à dæmonio ſit liberatus. Et ne quis cauillari poſſit, ponam ipſius Auguſtini verba, quæ clarè docent, quòd ad inuocationem Sanctorum prodigium hoc factum fuerit. Victoriana villa dicitur, quæ ab Hippone regio plus minùs triginta millibus abeſt. Memoria martyrum Mediolanenſium ibi eſt Prothaſij & Geruaſij. Portatus eſt eò quidam adoleſcens, qui quum die medio tempore æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi quum iaceret vel proximus morti, vel ſimillimus mortuo, ad veſpertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibuſdam ſanctimonialibus ex more Domina poſſeſſionis intrauit, atque cantare cœperunt. Qua voce ille percuſſus, excuſſus eſt, & cum terribili fremitu, altare comprehenſum mouere nõ audens, ſiue nõ valẽs, tanquã in ei fuerit alligatus aut affixus, tenebat, & cũ grãdi eiulatu

Ad inuocationem Sanctorũ liberatur quidam à dæmone.

parci

parci ſibi rogans, confitebatur, vbi adoleſcentem, & quando & quomodo inuaſerit. Poſtremò ſe exiturum eſſe denuntias, membra eius ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur: atq; inter hæc verba diſceſſit ab homine. Sed oculus eius in maxilla fuſus tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat, totumq́ue eius medium, quod nigellum fuerat, albicauerat. Quo viſo qui aderant: concurrerant autem etiam alij, vocibus eius acciti: & ſe omnes pro illo in orationem ſtrauerunt. quamuis eum ſana mẽte ſtare gauderent, rurſus tamen propter ei9 oculum contriſtati, medicum eſſe quęrendũ dicebant. Ibi maritus ſororis eius, qui eum illò detulerat: Potens eſt, inquit, Deus ſanctorum orationibus, qui fugauit dęmonem, lumen ei reddere. Quis hic neget, Sanctorũ martyrum implorata eſſe auxilia, cùm adoleſcẽtẽ videat ad eorũ memoriam eſſe adductũ: cùm videat eos, qui adduxerũt intentionẽ ad ſanctorũ interceſſionẽ apud Deum direxiſſe. Poterat à dæmonio domi ſuæ liberari, & non eſſet operęprecium, vt ad martyres duceretur liberãdus, ſed ſic placuit Chriſto, vt certiores faceret homines, quòd ad inuocationem ſanctorũ ſuorum ipſe velit neceſſitatibus humanis opitulari. Ibidẽ memorat idem Auguſt. quòd homo quidã ſenex Florentinus pauper, ſed religioſus per inuocationẽ viginti martyrũ meruerit veſtiri. Cur iſti momi non reprehendunt hic Auguſtinũ vt fabulatorẽ, vt rerũ inanium nugacem? Ad inuocationẽ S. Stephani refert eodẽ in loco, quendã gratiam cõſecutũ à Deo, vt Chriſtianus fieret. Neſcio an poſſit apertioribus argumentis inuocatio Sanctorum doceri.

Theodoſius inuocat ſanctos. Et lib. 11. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, de Theodoſio aduerſus Eugenium arma parante, ſic refert Ruffinus: Igitur præparatur bellum, nõ tam armorũ telorumq́;, quàm ieiuniorũ, orationumq́; ſubſidijs, nec tam excubiarum vigilijs, q̃ obſecrationũ pernoctatione munitus, circumibat cum ſacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante martyrum & Apoſtolorũ thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat. Et hinc claret vetuſtiſſimo exẽplo, quòd Theodoſius hoc propoſito Martyrũ & Apoſtolorum mauſolea inuiſerit, vt inuocaret eos, quatenus ſibi victoria à Deo ipſorum interceſſione contingeret. Neque poſſunt Aduerſarij hoc Argumentum vlla cauillatione inuertere. Apparet enim quòd Sanctos inuocauerit, alioqui nõ ſperaſſet eorum fida interceſſione ab hoſtium impetu liberari.

Ad Sanctorum quoq; inuocationem pertinet ſolemnis illa, & vetuſtiſſima Litaniarũ inſtitutio, quæ obtinuit ab hinc annis plus minùs mille quadringentis. In Litanijs verò poſt ſacram Triadem continua eſt, & ordine digeſta Sanctorum & ſanctarum inuocatio. Nihil habẽt hic Aduerſarij quod remurmurent, & mendacium eſt, quòd dicunt hic, veteres iſtas orationes nõ inuocare ſanctos, etſi mentionẽ faciant eorũ. Quis enim bonus vir audiens ex me: Sancta Maria ora pro nobis; &, Sancte Petre ora pro nobis, &c. non dicat me beatam Virginem, beatum Petrũ, & reliquos inuocare? Res ipſa loquitur, quòd nulla alia cauſa inſtitutæ ſint Litaniæ, quàm vt afflictis nobis, & omnigena peccatorum mole grauatis, multorum petitione placatus adeſſet Deus, vt deſideratam nobis ſuę propiciationis abundantiam multiplicatis interceſſionibus largiatur. Sed quid neceſſe eſt pluribus, cùm nuſquam non occurrãt inuocationis Sanctorum exempla? Libenter credẽt Aduerſarij Auguſtino, qui doctrinã nobis reliquit, quòd inuocare debeamus Sanctos, & formulas quibus inuocemus. Doctrinã nobis reliquit in ſermone de Petro & Paulo, qui ſine controuerſia eius eſt. *Inuocationis Sanctorum doctrinam habemus & formulas ab Auguſtino traditas.*

Auguſt. Nunc (inquit) ad memoriam piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: Ibi radiant gẽmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piſcatoris. Cur curuantur ad memoriam piſcatoris genua Imperatoris: niſi vt orent Sanctos, quatenus eum iuuent apud Deum ſua interceſſione? Sermone quoque de S. Laurentio docet nos, quòd à Sanctis pendere debeam9. Hoc nunquã credidiſſent Aduerſarij, niſi tãti hominis authoritas compelleret eos:

Idem. Granum (inquit) dixerim dominum cùm cæditur, cùm contemnitur, cùm increpatur: arborem autem, cùm cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat, peccta condonat. Ramos autem huius arboris ſi requiras, inuenies. Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt Laurẽtius, cuius hodiè natalitia celebramus. Rami ſunt omnes Apoſtoli vel martyres Saluatoris, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctib9 ſeculi minimè mergitur, quin potiùs ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecurusq́; de diabolicæ tempeſtatis procella erit. Quis nõ videat hæc de inuocatione Sãctorũ dicta eſſe? Cęterùm haud parùm clarius docet idem Auguſtinus ſermone 5. de Apoſtolis Petro & Paulo, ſed breuiſſimè recenſebo dicta eius, ne ꝓbũ Lectorẽ tędeat multę lectionis: Si ad pręſidia, inquit, ſupplicãtium tã potens fuit ante martyriũ, quãtò magis efficax poſt triumphum? Breuis eſt hic ſermo, ſed multò fortiſſimè confirmat Catholicorum ſententiam. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Si ad ſanandos infirmos, qui eum inuocabãt, necdũ pro Chriſto martyrio coronatum, tantã accepit gratiam, quantò fortior erit adiuuãdis *Idem.*

ho-

hominibus, qui inuocant eum iam gloria & honore cum Deo coronatum? Addit ibidē pleraque multa, quibus idem docere poſſemus, ſed oportet nos meminiſſe, ne reſponſionis excedamus modos.

Hic ſermo nullo eſt ab recognitore ſ prænotatus.

Hoc verò præteriſſe dogma, quod in ſermone de virgine Maria nunquam ſatis laudata tradidit, vitioſum fortè fuerit. In epilogo igitur ſermonis ſic inquit: Inter hæc igitur cum toto mentis affectu beatiſſimæ Virginis interceſſionibus nos cōmittamus, omnes eius patrocinia omni niſu imploremus, vt dum nos ſupplici eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedulo prece commendare dignetur in cælis. Non puto Aduerſarios tam pertinaces eſſe, vt velint tā claris teſtimonijs refragari. Sed quid ſi obmurmurēt? ſatis eſt bonis viris tam clara ſanctorum hominum audiſſe teſtimonia. Iam adnotabimus etiam orationum aliquot formulas, quas Patres reliquerunt, vt habeant Aduerſarij modum, quo beatam Virginem inuocent. Idem itaq; Auguſtinus quantum videre licet ex ſermonib⁹ eius, beatiſſimæ virgini deuotiſſimus, ſic eam inuocat:

Oratio Auguſt. ad B. Virginē, quæ habetur in ſer. de ſanctis, ſer. 18 qui eſt 2 in feſto Annunt.

O beata Maria, quis tibi valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quę ſolo tuo cōmercio recuperādi aditū inuenit? Accipe itaq; qualeſcūq; exiles, qualeſcunq; meritis tuis impares gratiarum actiones: & cū ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrariū exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus: excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Aſſiſte pacata votis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi ſtudia aſſiduè orare pro populo Dei, quæ meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Hæc vna eſt ſupplex oratio Auguſtini, in qua bonus ille vir multò plura tribuit ſacerrimæ Virgini, quā Catholici tribuere auderent, ſi non eſſent tanti viri auctoritate animati. Addam etiam aliam eiuſdem orationem, vt videant ſtrenui εἰκονόμαχοι, quod Auguſtinum non pœnituerit prioris illius orationis. Maximam enim partem hic repetit, quam prius orauerat. Sic itaque concludit ſermonem de ſolennibus ſerijs aſſumptæ Virginis: Hucuſque de te ipſa Virgo beata, quæ nos ad amorem Dei accenderent, fideliter protuliſti, ea verò, quæ ſequuntur humano generi propheraſti. Meum autem votum extitit ea tantùm inde tranſcurrere, quæ ad tui laudem nominis pertinebant, ſed hæc, quæ de te ipſa narraſti, neque tu vt dignitas tua meretur dicere potuiſti. Quas ergò laudes tibi fragilitas humani generis perſoluet, quæ tuo ſolo cōmercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quaſcunq; exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam recōciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus. Accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excuſa quod timemus: quia nec potiorem meritis inuenimus quàm te, ad placandam iram iudicis, quæ meruiſti eſſe mater redemptoris & iudicis. Succurre ergò miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora ꝓ populo, interueni ꝓ clero, intercede pro Monachorum choro, exora pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum leuamen, quicunque deuotè celebrant tuum nomen: Sit tibi compaſſio ſuper afflictis, ſit tibi pius affectus ſuper cælorum peregrinis. Et cùm te lætantem ſemper adſpicis, fletus noſtros quæſum⁹ ipſa ad Deum admittas, eumque vt proprium filium pro nobis interpellas. Nos enim adhuc in hac terra affligimur, perſequimur, iniurijs laceſſimur, opprobrijs afficimur, eſurimus, ſitimus, ſomnum patimur, in carcere retinemur. (Nunc venit ad præclara illa præconia, quibus eam indignam cenſent Lutherani.) Tu verò in cæleſtibus regnis prælata es cunctis virginum choris, tu agnum quocunque perrexerit, ſequeris. Tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos per albentia lilia roſaſque vernātes ad fontes perēnis vitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorū felicis. regna primi ordinis dignitatem adepta, plantis roſcidis oberrans, interparadiſi amœnitatem, gramineoſq; crocos tenero poplite pergis, feliciq́ue palma violas immarceſſibiles carpis. Tu concinis ſine fine choris coniuncta ſummis, angelis, archangeliſque ſociata, indeſeſſa voce, Sanctus, clamarē non ceſſas. Tu in cubiculo Regis gemmis & margaritis ornata aſſiſtis. Tibi thronus regius ab angelis collocatur in aula æterni regis, teque ipſam rex regum, & matrem veram, & decoram ſponſam præ omnibus diligens, amoris amplexu ſibi aſſociat. Nec mirum ſi dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu par-

paruulum ex te hominē natū toties oſculata eſt in terris. Has ergò tuas felicitates poſſidens, conuertere ad noſtrarum miſeriarum ſalutem. Euolueros omnes Lutheri, Philippi, Brentij, Pomerani & reliquorum Pſeudoeuangeliſtarum libros, & nullum prorſus tanta Virgine dignum inuenires encomiū. Tam inuidi ſunt, vt putent eam à fœdiſſimis, quas domi teneriter nutriūt, lupis nihil differre, vbi mundo perdito ſalutē peperiſſet. Si negent iſti ſe eam cæteris mulieribus æquaſſe, certè ex dehoneſtatione, qua Sanctos affecerunt, multi Lutheri galactophagi ſumpſeruntanſam, vt in eam, quam maximis honoribus proſequi oportuit, plùs quàm in cæteros Sanctos debaccharētur. Qui hoc ſibi perſuaſerant, ſi poſſent illius matris Dei & hominis fidem & famam labefactare, facilè abrogaretur diuorum veneratio & Inuocatio. Sed hæc fortè extra rem dixerim, reliquum eſt, vt adnumeremus etiam alias preculas, quibus iſta ſancta mater rogata ſit. Sic igitur inuocauit eam Bernardus:

Mariam æquarunt cæteris mulieribus Lutherani.

O Virgo virga ſublimis, in quàm ſublime verticem ſanctum erigis, vſque ad ſedentem in throno, vſque ad Dominum maieſtatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cæleſtis planta, precioſior cunctis, ſanctior vniuerſis. O verè lignum vitæ, quod ſolum fuit dignū portare fructum ſalutis. Et poſt pauca: Per te habeamus acceſſum ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis: vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata noſtræ veniam impetret vanitati. Copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, aduocata noſtra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræſenta. Fac ô benedicta, per gratiam quam inueniſti; per prærogatiuam quam meruiſti; per miſericordiam quam peperiſti, vt qui te mediante dignatus eſt particeps fieri infirmitatis & miſeriæ noſtæ, te quoque intercedente particips nos faciat gloriæ & beatitudinis ſuæ.

Bernardus ſer. 2. de aduentu.

Alia oratio: Iam te mater miſericordiæ per ipſum ſynceriſſimę mentis tuæ affectum, tuis iacens prouoluta pedibus luna, mediatricem ſibi apud ſolem iuſtitiæ conſtitutam deuotis ſupplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quā verè amauit præ omnibus, & ornauit, ſtola gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarū, plena rore cœleſti, innixa ſuper dilectum, delicijs affluens. Ciba hodiè pauperes tuos Domina; ipſi quoq; catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantùm, ſed & camelis potum tribuas de ſupereffluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta & præparata altiſſimo filio tuo.

Bernardus in ſer. de B. Maria ſuper verbis Apoc. 12. Signum magnum appa.

Tantum de preculis, quas B. Mariæ dedicauit mellifluus doctor Bernardus: reſtat vt videamus, an & ipſe docuerit, quòd inuocare debeamus eam. Profectò non hoc ſolùm docuit, ſed etiam docuit, quòd Sanctos alios inuocare debeamus. Primùm docuit homelia ſecunda Euangelicæ lectionis, quæ eſt: Miſſus eſt, vbi ſic inquit: Quiſquis te intelligis in huius ſeculi profluuio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore ſyderis (Mariam intelligit) ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis: reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracūdia, aut auaritia, aut carnis illicebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, aut conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo; cogita Mariam. Et multò plura, quæ ſanctus vir ibi ſcribit, poſſemus annotare, ſed piget nos laborioſioris ſcriptionis. Boni viri facilè credunt, contumacibus omnia Patrum teſtimonia non ſufficiunt.

Bernardus homil. 2 ſuper Miſſus eſt.

Secundum, quod etiam alios ſanctos inuocare debeamus, docuit alibi: Hanc gloriā tota & tuta ambitione cōcupiſcamus, ne fortè audiamus & nos, Quia gloriam, quæ ab inuicem eſt, quæritis, & gloriā, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis. Sanè vt eam nobis ſperare liceat, & ad tantam beatitudinem adſpirare, ſummopere deſideranda nobis ſunt ſuffragia quoq; Sanctorū: vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorum nobis interceſſione donetur. Deinde addit orationis formulam: Miſerimini mei, miſerimini mei, ſaltem vos amici mei. Noſtis ipſi periculum noſtrum, noſtis figmentum noſtrum, noſtis ignorantiam noſtram, & dolos aduerſariorum: noſtis eorum impetus, & noſtram fragilitatē. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuiſtis, qui eoſdem ſuperaſtis conflictus, eoſdē laqueos euaſiſtis, qui didiciſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſionem.

Bern. ſer. 5 de omnibus Sanctis.

Ioan. 5.

Citauimus duos teſtes fide digniſſimos Auguſtinum & Bernardum, quorū ille fuit ante annos circiter mille ducentos, iſte ante annos plus minus quingentos ſexaginta, vt diſcas inuocationē Sanctorū non recentem eſſe, aut à religioſulis aliquot Monachis excogitatam. Poſſemus quidem plura citare

teſtimonia,ſed iſta ſufficiunt. Et citra tergiuerſationem probatur nũc inuocatio, quando ipſi Aduerſarij venerationem Sanctorũ & interceſſionem nobis largiuntur. Si dicant quod ſolum debeamus Chriſtum, vtpotè ſolum aduocatum, mediatorem & propitiatorem inuocare: reſpondebimus, quod habeamus in ſcripturis multa argumenta, quæ docent nos alterum poſſe,& debere oratione alterum iuuare. Si nõ eſt nefas, vt fratris mei, qui adhuc mortalitatis huius nexibus vincitur, implorem opem: non erit continuò peccatum, ſi inuocem Sanctos amicos Dei, quos certò ſciam apud Deum omnia poſſe, quorũ certò ſciam orationes multo efficaciſſimas eſſe. Non inuocamus eos vt propitiatores, mediatores redemptionis, quod ſolius Chriſti officium eſt, ſed vt mediatores & aduocatos interceſſionis, tametſi aliud cauſentur mnmi iſti, non religionis, ſed oſtentationis

Sanctos quomodo inuocemus.

gratia. Si habet huiuſmodi inuocatio Sanctorum aliquid periculi, habent Theodoſium imperatorem pientiſſimum, habent Eccleſiam, Auguſtinum habent, Bernardum habent,& omnes Patres, cum quibus expoſtulent. Vtvt inſaniant iſti, piæ mentes nihil ſentiunt periculi in Sanctorum inuocatione, imò putant plus honoris Chriſto accreſcere, ſi inuocent Sanctos, quos Deus tanto voluit honore afficere, vt rogati, rogent viciſſim Deum, qui ſolus facit nos deſiderij noſtri compotes. Exaggerãt hic multa Aduerſarij, quibus facilè ſcripturis occurri poſſet, ſed in hac arena ante nos triumpharunt Iodocus Clichtoueus, Eckius,& plerique alij Catholicæ veritatis defenſores. Si quid præterea deſiderabitur, conſuli poteſt & noſtra Catapulta, quæ clariſſimè inuocationem Sanctorum docet. Et hic oramus optime Carole Imperator maxime, propter gloriam Chriſti, quam maximopere te cupere ſcimus, & propter honorem glorioſę Virginis matris Dei, cuius te orationibus libenter committis, ne acquieſcas fraudulentis Aduerſariorum noſtrorum conſilijs, ne aſſentiaris Philippicæ blandiloquentiæ, multa dicentis, ſed nihil

Philippus Melanchthon ſeditioſus.

ſani conſilij tribuentis. Tu ſcis enim quàm ſeditioſus ſit Philippus, vt potè qui ad Maieſtatem tuam ſcribere auſus eſt, Ro. Pontif. (cuius honorem & dignitatem libenter defendis) tyrannum eſſe, Antichriſtũ eſſe, eſſe puppam Romanam, eſſe orbis terrarum vaſtatorem, publicam peſtem, regem gentium, exitium animarum,& talem denique malorum lernam, in quem T.M.& Principes reliqui optimo iure acuant gladios. Vidiſti ſedi-

Idem alibi Hypocrita.

tioſum, vide nunc hypocritam. Confeſſionẽ ita temperauit, vt maximæ illius diſcordiæ, atque adeò manifeſtæ & inimicitiæ & hoſtilitatis, quam alibi gigantis inſtar contra Ro. Pontif. ſuſceperat, ne vno quidem verbulo meminerit. Adhæc in petitione ſua ad Legatum Rom. Pontif. Laurentiũ Campegium, tantùm ſimulat Curium, vt qui per Pontificiam clementiam oret Legatum, quo dignetur ſuis vtranque ſpeciem permittere,&c. Ne igitur acquieſcas Aduerſariorum ſententiæ, ſed ſi quid eſt, quod correctione opus habet, id refer vel ad ſacras Synodos, vel ad generale Concilium, ne piam conſcientiam tuam macules, ne aſſenſu tuo tyrannidẽ in innocẽtes homines, ſicut hactenus fieri vidimus, Aduerſarij exerceant, néue ſanam doctrinam in Eccleſia verborum fuco, verboſitate, mendacijs,& praua ſcripturarum interpretatione opprimant. Tu enim vidiſti, & nos ipſi ob oculos videmus, quàm multa mala, ter malis peiora, Aduerſariorum doctrina induxerit illi regni tui parti, quamq; difficulter cum multo ſanguine arceatur. Quod ſi aſſentiaris, quod nunquam fiat, interfectis Monachis, interfectis bonis doctoribus, oppreſſa ſana doctrina, ſuccedent fanatici ſpiritus, quos non poterit M. T. & ſi velit opprimere, qui Eccleſiam impijs dogmatibus perturbabunt,& totam Eccleſiaſticam politiam euertent, quam nos maximè cupimus conſeruatum iri. Haud dubium ſi ex tam paruo ouo tantùm erupit regulorum, quin laxata libidine ex multis vulpibus, innumeræ naſcantur vulpes, quæ vineam domini Sabaoth demoliantur. Hactenus illi ſuos errores tradiderunt, hactenus nos eos quoq; ſcripturis, rationibus,& ſanctorum teſtimonijs euicimus. Nunc perſequemur etiam alia quędam, quæ ipſi ſaltem abuſus vocant, videlicet communionem ſub vtraque ſpecie, coniugium ſacerdotum, Miſſam, Confeſſionem, diſcrimen ciborum, vota monaſticorum, poteſtatem Eccleſiaſticam.

Ioannis Cochlæi Articuli vigeſimi primi diſcuſſio.

CONtra inuocationem Sanctorum, duo tantùm proponuntur in Confeſſione argumenta: quorum vnum ſic habet. Scriptura nõ docet inuocare Sanctos, ſeu petere auxilium à Sanctis, quia vnum Chriſtũ proponit nobis mediatorem, propitiatorẽ, Pontificem & interceſſorem. Ad hanc obiectionem reſponſum eſt ſuprà. Multas habet enim Eccleſia cęremonias, bonas, pias & ædificatorias, quas ſacra ſcriptura nõ docet. Non enim omnia ſcripta ſunt. Non valet igitur argumentũ ab authoritate negatiuè, vti ſciunt omnes Dialectici. Etenim ſpirituſſanctus, qui eſt author ſcripturæ, multa ſibi reſeruauit, vltra ea quæ ſcripta ſint; Eccleſiæ Chriſti vſque ad conſummationem ſeculi per ſeipſum ſuggerẽda ac manifeſtanda, ne videatur

Supra art. 15.

Non omnia ſunt ſcripta.

Io. 14. & 16.

ocio-

otioſè aut ignauiter in ea dormitare.

Loca ſcripturæ de ſanctis.
Gen. 48.
Iob. 5.
Pſal. 120.

Deinde non eſt omninò verum, nihil haberi in ſcriptura de inuocatione ſanctorum. Sic enim ait Patriarcha Iacob benedicens filijs duobus Ioſeph: Et inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Iſaac. Item in Iob dicitur: Voca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere. Et Dauid ait in lib. Pſalmorum: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Montes dicuntur ſancti à magnitudine, aut firmitate, ij maximè, qui iam in cælo ſunt, verè beati, atque in ſua ſanctitate firmi, à qua nunquam excident.

Vnus mediator, & multi mediatores.
Ioan. 12.
Luca 16.

Tertiò: Etſi vnus eſt mediator Dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus, per redemptionem, non excludit tamen à ſe Sanctos ſuos mediatores per deprecationem aut interceſſionem, ſed ait ad patrem: Volo pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Quin etiam docet, nos facere hic amicos de mammona iniquitatis, vt cum defecerimus illi nos recipiant in æterna tabernacula. Et paulò pòſt clarum profert inuocationis ſanctorum exemplum, vbi ait, Diues in tormentis Pater Abraham miſerere mei. Si ergo Chriſtus ipſe tantùm tribuit Sanctis, vt poſſint nos in æterna tabernacula recipere, & permittit, vt dicatur, Pater Abraham miſerere mei: quanto facilius permittere credendus eſt, vt Matrem ipſius inuocantes piè dicere poſſimus: Salue regina miſericordiæ, ora pro nobis, ſucurre miſeris, refoue flebiles, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, &c. Sicut Auguſtinus quodam in ſermone ipſam inuocauit. Ipſa enim longè maior eſt apud Deũ, quàm Pater Abraham,

Quædam verba Chriſto & Sanctis cõmunia.
Matth. 5.

Chriſtus igitur ſic eſt Mediator & Pontifex, vt non excludat pios & in ſe credentes alios Mediatores & Pontifices. Qui tamen lõgè alia & inferiori ratione tales ſunt, quàm ipſe eſt. Nam quemadmodum ipſe excellentiori modo lux dicitur, quàm Apoſtoli, ad quos ipſe dicebat: Vos eſtis lux mũdi: ſic etiã longè excellentiori ratione dicitur ipſe Mediator, Aduocatus, Interceſſor pro nobis, quàm dicuntur reliqui Sancti. Sicut igitur nõ valet argumentum hoc: Chriſtus eſt Pontifex noſter, vt ait Apoſtolus ad Hebræos, ergo Romanus Epiſcopus non eſt Pontifex noſter: ita etiam non valet iſtud; Chriſtus eſt aduocatus noſter, ergo beatiſſima Virgo mater eius non debet dici aduocata noſtra. Sicut nec iſtud valet: Chriſtus eſt filius Dei, ergo Sancti non ſunt filij Dei. Quia longè alia, & ſublimiori ratione Chriſtus dicitur lux, Mediator, Pontifex, Aduocatus, & filius, quàm dicuntur ſancti. Et tamen pro ſumma in ſanctos ſuos bonitate ſua, vult ſua quædam illis communia eſſe dicens: Iam non dico vos ſer-

Heb. 4. & 5.

uos, ſed amicos. At iuxta prouerbium, Amicorum omnia ſunt communia. Si ergo licet nobis reliquos ſanctos dicere patronos, & aduocatos noſtros, quanto magis Dei genitricem Patronam & Aduocatam atque etiam Dominam noſtram dicimus? Et per hæc reſponſum ſit ad ſecundum argumentũ, quod de Aduocato allegatur. Vaniſſimæ ſunt igitur cauillationes Hagiomaſtygum tum veterum, tum recentium, qui nugantur contra honorificos titulos, quos pia Chriſtianorum & religioſa deuotio ſanctis Dei, præcipuè verò genitrici Dei virgini Mariæ, ſancta longiſſimæ præſcriptionis conſuetudine tribuit. Si enim rectè dicit ſcriptura (vti Chriſtus ipſe teſtatur) Deos, eos ad quos ſermo Dei factus eſt, quomodo blaſphemamus nos, ſi patronos, aduocatos, mediatores, interceſſores, atque etiam auxiliatores noſtros vocamus eos, quos Paulus vocat fratres & cohęredes Chriſti, filios autem & hæredes Dei? Qui & per participationem veriſſimè Dij vocari poſſunt, quomodo omnes beati in cælo Dij ſunt, atque dicuntur. Iuxta illud: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Sicut & Boetius ad longum pulchris rationibus probat.

Pſal 81.
Ioan. 10.
Rom. 8.
Pſal 81.
Boetius de conſol philoſ. lib 3.

Patroni & Aduocati noſtri.

Si ergo non eſt impium (ſicut Chriſtus ipſe probat) eos, qui in cælo iam ſunt fratres & cohæredes Chriſti, Deos dicere: quanto minus impium eſt, eos dicere Patronos aut Aduocatos. Deus enim longè ſublimius eſt vocabulum, quam patronus aut aduocatus. Scriptum eſt enim in Eſaia: Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo. Item, Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus. Et in lege, Non habebis Deos alienos coram me. Item, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Ad hæc ergo dicimus: Vnus eſt certè Deus per eſſentiam, & naturam. Hæc eius gloria non datur alteri. Sancti autem ſunt Dei, non per naturam, ſed per gratiam, & per participationem beatitudinis æternæ. Non ſunt autem Dij alieni, nec extra Deum (ſicut erant Dij gentium) ſed intimè coniuncti ſunt Deo, beatifica viſione ac fruitione, non alieni à Deo, ſed filij & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Dij autem gentiũ maximè alieni ſunt à Deo, non in cælo, ſed in tartaro poſiti. Grauiſſima igitur eſt blaſphemia, qua nunc ſectę nos idololatras, & cultũ Sanctorum idololatriam vocant: Sancti enim idola nõ ſunt, ſicut erant Dij gentiũ. Et ſicut aliter Dij ſunt quàm Chriſtus, aut Deus pater eſt, ita & alio cultu à nobis honorantur, nempe cultu duliæ, Deus autem ſolus cultu latriæ coli debet. Et per hæc facilè repelluntur cauilli, quos contra Sanctos profert Apologia. Certè non leuis eſt immodeſtia & ſcurrilitas, q̃ Theologos quoſdam velut aduerſarios ſuos, tot iniurijs & calumnijs proſcindere nõ veretur,

Eſaiæ 42. & 45.
Deuter. 5. & 6.
Immodeſtia Philippi.

Tim 5.

ad Imperatorem ſcribens Apologiam ſuam Philippus. Qui illud Pauli oblitus (Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem) venerabilem illum Theologorum cœtum, cuius honorificam in receſſu Imperiali Cæſar ipſe mentionem facit, proterué aſinos vocat, ob id quod Hieronymum contra Vigilantium allegauerunt pro veneratione & inuocatione Sanctorũ. Et grauat eos varijs calumnijs: Manifeſtos (inquit) abuſus noua & inuſitata crudelitate defendunt, nullos patiuntur in Eccleſia idoneos Doctores, &c. Huiuſmodi autem verborum petulantia neque ad rem facit, neque populum ædificat.

Inuocatio ſanctorũ non eſt res noua. Greg. Nazianz. in ora. de S. Cypria.

Non eſt autem verũ, quod ait, veteres ſcriptores ante Gregorium, (Romanũ ſcilicet, non feciſſe mentionem inuocationis ſanctorum. Certum eſt enim, quod Gregorius Nazianzenus, præceptor Hieronymi in pleriſq; orationibus ſuis inuocat aperꝉiſſimè ſanctos quoſdam, vt Cyprianum, Baſilium, Athanaſium. Teſtatur præterea tempore Cypriani fuiſſe puellam, (cui Cyprianus, cum adhuc gentilis eſſet inſidiabatur ſtupri gratia) quæ Mariam virginem pro pudicitia ſeruanda inuocauerit. Quid autem eſt inuocare Sanctos, niſi interceſſionem & auxiliũ ab eis petere? Hoc autem & Auguſtini temporibus factũ & in vſu fuiſſe, teſtatur ipſe, ſic dicens: Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, ad excitandã imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, & orationibus eorum adiuuetur.

2. Mach. 15.

Nec rectè in dubium vocat, Sanctos in cælo pro nobis orare: inuerecũde vocans ſomnium, illud quod de Onia & Hieremia legitur in poſteriore libro Machabæorum, cum liber ille tot iam ſæculis ab Eccleſia publicè ſit receptus: id quod Auguſtinus quoque atteſtatur. Nos tamen & alia habemus ſcripturę teſtimonia. Sic enim habetur in Hieremia: Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Sic in Ezechiele commemorantur Daniel, Noe & Iob: At illi iam pridem defuncti orant. Eſto autẽ quod nulla ſcriptura de ſanctorum orationibus mentionem faceret, locus tamen ab authoritate negatiuè non valeret, vt iam ſæpè dictum eſt. At ſi non alius foret locus, quàm quod dicit Dominus, Vt recipiant vos in æterna tabernacula, id ſatis eſſet. Non enim recipiunt, niſi orando & intercedendo.

Auguſt. de doctrina Chriſti.

Hierem. 15. Ezech. 14.

Luc 16.

Nos meritis ſanctorum adiuuari.

Quod autem negat & merita ſanctorum prodeſſe nobis, impudenter agit. Quotiès enim canit & orat Eccleſia de ſanctis, vt eorũ meritis adiuuemur & precibus? Exigit ſanè hoc ratio charitatis, quæ vtique perfectior eſt in illis quam in nobis. Ait autem Apoſtolus: Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed aliorum. Exigit idipſum & fidei articulus, quo credimus ſanctorum communionem. Exigit idem ratio atque natura myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, vt in idipſum pro inuicem ſollicita ſint membra, teſte Apoſtolo. Exigit hoc idem & diuina diſpoſitio, ne ſine nobis conſummentur. Iubentur enim exſpectare, donec compleantur conſerui fratres eorum.

Merita ſanctorum aliꝭ prodeſſe. Gen. 18. Pſal. 105. Exod. 32.

Comprobat deniq; idipſum multis exemplis ſcriptura diuina. Si enim quinquaginta, imò ſi vel decem iuſti reperti fuiſſent in Sodoma & Gomorrha, merita eorum omnibus profutura fuiſſent ne diſperderentur, & in æternum perirent. Quotiès verò populus filiorum Iſrael interijſſet, ſi non ſtetiſſet Moyſes in confractione in conſpectu Domini? Nam & ipſe orans pro populo Deum, ſanctorum patrum ſuorũ merita obtendebat. Recordare, (inquit) Abraham, & Iſaac & Iacob ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum. Sic & Salomon in oratione ad Deum ait: Memento miſericordiarum Dauid ſerui tui. Et ipſe Dominus eidem Salomoni propter eius peccata iratus ait: Dirumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo, veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum. Ex his & id genus compluribus ſcripturæ exemplis apertiſſimè cõſtat, ſanctorũ merita poſſe alijs ꝓdeſſe.

1. Par. 6. 3. Reg. 11.

Meritis Chriſti nihil detrahitur. Matth. 25. Ioan. 12.

Neque credendum eſt, per hoc iniuriam fieri meritis Chriſti, quia Chriſtus non eſt oſor aut inimicus ſanctorum, vt putare poſſit detrahi ſibi, quod illis tribuitur. Sed manifeſtè contrarium dicit, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Si ergo pater ipſe cæleſtis miniſtros Chriſti in cælo honorificat (teſte ipſomet Chriſto) non poteſt honor ſanctorum Chriſto diſplicere, qui dixit: Volo pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Semel igitur ad omnes Philippi cauillationes, quas ſiniſtro zelo ad Chriſtum contra ſanctos obijcit, reſponſum hoc ſufficiat. Quicquid honoris tribuitur ſanctis, excellentiori modo tribuendum eſt Chriſto: ſic enim nulla fit Chriſto iniuria, & participibus eius non ſubtrahitur debitus honor.

Ioannis Hoffmeiſteri ſuper Articulo vigeſimo primo iudicium.

QVod Articulus hic habet de cultu & memorijs Diuorum, probamus: quod autem de inuocatione dicunt, nullo reſponſo dignum iudicamus, ſi modo illi cętera ex animo ſcribunt. Profectò non parum miramur, quare tam ingrati ſint Diuis, quorum tamen opera & interceſſione non ſemel ſubleuati ſunt. Neque enim puto illos ex animo loqui, quando prætexunt doctrinæ ſuæ gloriam Chriſti, quam dicunt ſe velle vindicare, nec alijs præter Deum attribuere. Quæ

eſt

eſt enim illa Chriſti gloria, aut qualis eſſe poteſt, inuidere Diuis, quod ex liberali Dei munificentia acceperunt? Ipſa enim diuina natura, vt piè ſcribit Damaſcenus, induſtrix eſt omnis boni, proprijs facturis ſuis, ſecundum vniuſculuſque virtutis capacitatem. Ergo tu præſcribes Deo, quid & quantum amicis ſuis debeat communicare? fontem ſic extollis, vt riuulos illinc manantes porrò cõtemnas. Sed videamus de ſingulis, quæ hic Articulus habet. Memoria, inquit, ſanctorũ proponi poteſt, vt imitemur fidem eorum, & bona opera, &c. Hæc concors ſanctorum ſententia eſt, quam non poſſumus contemnere. Sic namque ait D. Auguſtinus: Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum ſanetur, atque orationibus adiuuetur. Hæc contra Fauſtum. Ad Aurelium verò epiſtola 64. deplorat, imò deteſtatur eos, qui in feſtis diebus Diuos luxu, & crapula honorare inſtituunt. Hieronymus autem ille venerabilis Presbyter ait: Honoramus reliquias martyrum, vt eum, cuius ſunt, martyrem adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Ergo Petri & Pauli immundæ ſunt reliquiæ? ergo Moyſi corpuſculum immundum erit? &c. Deinde addit: Et quotieſcunque Apoſtolorum & Prophetarum, & omnium martyrum baſilicas ingredimur, totiès idola veneramur? accenſique ante tumulos eorũ cerei, idololatriæ inſignia ſunt? &c. Exſtat etiam in Eccleſiaſticis dogmatibus, quod huic loco mire conuenit: Sanctorum corpora, inquit, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſynceriſſimè honoranda: Et baſilicas eorum nominibus appellatas, velút loca ſancta diuino cultui deputata, affectu pijſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantius creditur. Recordamur & D. Cypriani, cuius vnam atque alteram ſententiam ſuper hoc negotio audiamus. Sic autem ſcripſit ad Cornelium Romanum Pont. Si quis hinc noſtrum prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris, apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. Et idem de ſtella & Magis: Innocentes, inquit, in ordine ſanctorum prothomartyrum primum habent locum, & ſecretorum conſcij diuinorum, propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorant laboribus. Eadem habet Origenes ſuper illud Matth. 2. de Rachel plorante. In Cantica verò Salomonis ſcribit: Omnes ſancti, qui de hac vita diſceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & iuuare eos precibus ſuis, atque interuentu ſuo apud Deum, non erit inconueniens. Et hactenus quidem accepimus teſtimonia veteris Eccleſiæ, quæ probant merito in Eccleſijs fieri memorias Sanctorum, noſque horum precibus & interceſſionibus multum iuuari, id quod ægerrimè Aduerſarij in Apologia concedunt. Tu porrò hic in præmiſſis Patrum teſtimonijs diligenter obſerua, qualem cultum Diuis impenſum ſcribunt. Nominant baſilicas memorias Martyrum, religioſas ſolennitates, mundas reliquias, accenſos cereos, interceſſiones, & id genus reliqua. Iam quod ad inuocationem Diuorum attinet, Apologia miris modis triumphat, diſputans, etiamſi maximè orent Diui pro Eccleſia, tamen non ſequi, vt illi ſint inuocandi à nobis: Addit, nullũ eius rei exemplum vel præceptum haberi in ſcripturis, nec huius fuiſſe apud veteres aliquem vſum, &c. Ad hoc reſpondemus, apud veteris Eccleſiæ Patres non ſolum interceſſionis, ſed & inuocationis eſſe non omninò raram mentionem, id quod paulò pòſt ſufficienter probabimus. Certè Sancti in cælis ſua charitate flagrantes, non deſinunt pro nobis intercedere: (Agnoſcitis, opinor, verba Oecolampadij) Quid igitur mali, ſi hoc petamus fieri, quod credimus, Deum velle, etiamſi nihil tale præceperit? Quid mali ſi & commendemus patrocinia Sanctorum, modo id circunſpectè, oportunè, & modeſtè fiat pro auditorum qualitate: Id quod Chryſoſt. in Iuuentinum, Nazianzenus quoque facit in laudibus Cypriani, & obſeruant tam orientis, quã occidentis Eccleſiæ. Quod vt apertius fiat, aliquot Patrũ ſententias producamus. Chryſoſtomus itaque ille Conſtantinopoleos Epiſcopus primum ferat teſtimoniũ pro Diuorum inuocatione: Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, inquit, accedit illa ſeruorũ Chriſti complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant: & ſcenarũ fabrum Paulum, & piſcatorem Petrum etiam mortuos protectores orat. Et poſt pauca, Dæmonas, inquit, Sancti liſtunt, & torquent, & vinctos ab illis ſoluunt. Et ſub finem: Nullus quo regias aulas videat vnquam peregrinatus fuit, multi verò reges plerunque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt, &c. Audis in vno Chryſoſto. inuocationis & interceſſionis, & miraculorum & peregrinationis piam mentionem: quæ omnia, quanti fiant ab Aduerſarijs, toti Eccleſiæ notum eſt. Nec eſt vt quis hic teſtimonium Chryſoſtomi eleuare

Matth. 10.

Cap. 73.

Homel. 3.

Homel. 66.

aut velit, aut poſſit, vt in quo neque eruditio, neque pietas, neque pro Chriſti gloria zelus deſiderari potuit. Perſuadeas etiam tibi velim, Chryſoſtomũ tantam habuiſſe ſcripturarum peritiam, tantam in Chriſtum charitatem, vt neq; ſciens, neq; ignorans, quicquã attribuerit Diuis, in quo gloriæ Chriſti aliquod præiudicium fieri queat. Origenes verò ætate maior Chryſoſtomo, ſic inuocationem Diuorum commendauit, vt vel ſuo exemplo ipſam fideles docuerit. Ad finẽ ſiquidem libri 2. in Iob, ait: O beate Iob viuens in perpetuum apud Deũ, & victor permanens in cõſpectu regis Domini, ora pro nobis miſeris. Et in ſuo Lamento ſtatim ab initio: Incipiam me genibus proſternere, & deprecari vniuerſos ſanctos, vt mihi non audenti petere Deũ propter nimietatem peccati, ſuccurrant. Et ſub finem: Heu noſtri, inquit, pater Abraham, deprecare pro me, ne de ſinubus tuis alіener, quos valde concupiui, nec condignè quidẽ propter ingens peccatũ meum. Sic vndecimi lib. Eccleſiaſticę hiſtorię cap. 33. legimus, Theodoſium Imperatorem ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacuiſſe proſtratum, & auxilia ſibi fida, ſanctorũ interceſſione poſtulaſſe. His ſubiungam D. Auguſtini ſententiam, qui in opuſculo de ſpiritu & anima, ait: Vos igitur, qui meruiſtis conſortes fieri ſupernorum ciuium, & perfrui ęternę claritatis gloria, orate pro me ad Deũ, vt educat me de iſto carcere, in quo teneor captiuus & ligatus. Eadem habet Meditationum libro cap. 24. Sed quid diu immoror? Quis non legit D. Hieronymi apoſtropham ad vita defunctam illam nobiliſſimam Paulam? Vale, inquit, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens faciliùs quod poſtulas impetrabis, &c. Hactenus ille. Quid referam D Ambroſium? nam & ex ipſo nobis ſupereſt teſtimonium negotio & inſtituto noſtro conuenientiſſimum: Vtinam exiſtat aliquis, inquit, qui tam citò poſſit orare pro nobis, vel certè, qui pro ſocru ſua rogat Petrus & Andreas frater eius (loquitur autem de ſocru Petri febricitante) tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam poſſunt pro nobis, & omnibus impetrare. Et poſt pauca: Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis noſtris rogare, qui proprio ſanguine etiam ſi qua habuerũt peccata, lauerunt. Iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumq; noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis, etiam cum viuerent, cognouerunt, &c. Quid hoc teſtimonio clarius, quid euidentius dici potuit, in hoc maximè argumenti genere? Cui hæc ad veritatis patrocinium non ſufficiunt, neſcio, quibus rationibus perſuaderi poſſit. Quæ idem Ambroſius de Diuorum vel interceſſione vel inuocatione habet in homelijs ſuis, nolim hic referre. Item quæ D. Auguſtinus, & pius Bernardus etiam in ſuis homelijs eius generis habent, pluribus recenſere nõ libet. Poſtremus in hoc catalogo nobis ſit Chriſtianus ille & piè prudens vates Prudentius, qui ſic cecinit, alloquitur autem S. Leuitam Laurentium:

Audi & poetam ruſticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem ſua,
Indignus agnoſco & ſcio,
Quem Chriſtus ipſe exaudiat:
Sed per patronos Martyres
Poteſt medelam conſequi.
Audi benignus ſupplicem
Chriſti reum Prudentium,
Et ſeruientem corpori
Ablue vinclis ſeculi, &c.

Hactenus ille ad finem hiſtoriæ, aut ſi mauis paſſionis illius D. Laurentij, quæ vtinam tam accepta eſſent Aduerſarijs atq; pia ſunt. Sed aiũt, Patres illos rhetorico more ſic alloquutos fuiſſe in peroratione Diuos illos, quos commendandos ſuſceperant. Hijs enim verborum ſumis ſimplices ſcilicet Aduerſarij noſtri teſtimonia Eccleſiæ eleuare conantur. At facilè concedimus eos rhetoricè ſcripſiſſe, ſed non hæreticè. Non placent tibi quę adſcripſimus Prudentij verſus? Agè quo modo tibi placent, quæ ſubijcimus?

Deprome theſauros malis
Suadendo quos praſtigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis ſpecu.
Hoc poſcit vſus publicus,
Hoc fiſcus, hoc ærarium,
Vt dedita ſtipendijs
Ducem iuuet pecunia, &c.

Olim his verbis præfectus ille crudeliſſimus alloquebatur D. Laurentiũ: Iã verò, qui nos ſic hactenus alloquuntur, etiã me tacente res ipſa clamat. Sed hæc parerga. Cum igitur iam ſatis probatũ ſit, inuocationẽ Diuorũ habere ſufficientiſſima veteris Eccleſię teſtimonia, quid reſtat, niſi vt Apologia ſuæ temeritati renũtiet, & Eccleſiã calũniari iam tãdem deſinat. Nolumus hic talionẽ reddere Aduerſarijs, qui Theologos omni populo facere fabulã conati ſunt. Nõ animaduertẽtes, quid de ſeipſis, q in tã manifeſto mẽdacio deprehenſi ſunt, poſteritas ſit iudicatura. Abeat ergo Philippus quo velit, eum ſuo intempeſtiuo epiphonemate, & ſimulata peroratione ad

Cle-

Clementiſſimum Carolum Cæſarem. Cæterùm ſub finem flagellat Apologia eos, qui ſingulis ſanctis certas procurationes commiſerunt, vt Annę diuitias, Sebaſtiano peſtem, &c Conqueſtus eſt hac de re, non ita dudum etiam Lutherus & alijs nec poſſumus, nec cupimus tergiuerſari, quin nonnihil, imò multū ſuperſtitionis in hoc negotium irrepſerit: At hæc in vniuerſum damnare qui poſſumus? In hiſtoria Eccleſiaſtica legimus in hanc ſententiam: Aquilinus quidam, cum longas paſſus fuiſſet infirmitates, iuſſit ſuis, vt ſe ad Michaeleum, locum Michaeli ſacrū ducerent, credens aut illic ſe mori, aut languore priuari, & ſanatus eſt, &c. Et D. Auguſtinus apertè teſtatur, Deum quidem per ſuos operari ſalutem hominum in vno loco, quod in alio non facit: ſed qua ratione hoc fiat, fatetur ſe planè neſcire. Quæſtio iſta, inquit, vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum ſcilicet opitulentur martyres his, quos per eos certum eſt adiuuari. Hactenus ille in, De cura pro mortuis gerenda. & epiſtola 137. quam ſcripſit Clero & Eccleſiæ Hypponenſi, ait: Quis poteſt conſilium Dei perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Mouit etiam hæc quæſtio non parum ex recentioribus Dionyſium à Rickel, qui ſuper hac re rogatus, nó imprudenter reſpondit. Cur vni ſancto potiùs quàm alteri Deus talem virtutem curandi largitus eſt, non debemus curioſè, aut immoderatè perquirere. Quis enim conſiliarius eius fuit? & ipſe diuidit dona ſua prout vult, &c. Hæc ille. Et quidem non temere. Quæ enim, malùm, hæc temeritas eſt, & pluſquam temeraria, & impudens, cum Deo rixari, & quaſi ſub ferulam reuocare, quare huic Diuo dederit, quam alteri negauit? Et nemo eſt qui miretur, quare etiam virtutem aquarum, herbarum, vel etiam gemmarum diſtinxerit, vt non ſint eiuſdem virtutis, vel paris operationis. Admiratione non vituperio hæc digna ſunt: & præſtat in eiuſmodi rebus, meo quidem iudicio, ſuperſtitioſum eſſe quam blaſphemum. Nec enim probantur illi, qui miraculorum operationem, per quæ miſeris bene fit, potius dæmoni, quam Diuis adſcribere volunt. Nolo hic abuſum, vel quæſtum alleges, quę ego excuſare nolim. Eſt modus in rebus, inquit Ille. De reliquijs Diuorum in præmiſſis Patrum teſtimonijs auditum eſt. Venimus iam ad Diuorum imagines, quas hactenus Lutherani tutati ſunt, atque propugnauerunt contra Zuuinglianos: & arbitror Vuittembergenſes eatenus nobiſcum cóſentire, quatenus admittimus, & probamus moderatum earum vſum, cauemusque ne aqud noſtros vllus hic locus idololatriæ pateat, nec probamus vt quis neglecto paupere Chriſto, veſtiat parietes, ligna, vel lapides. Neque enim nos fugit, quod olim D. Ambroſius in Lucā ſuum cap. 18. conqueſtus fuit, inquiens: Non quærit Dominus donum de fame parentum. Et multi vt prædicentur ab hominibus Eccleſiæ conferunt, quæ ſuis auferunt, cum miſericordia domeſtico debeat progredi pietatis officio. Cæterùm ex Tertulliani Apologetico apertè liquet, aliquem imaginū vſum apud Patres prioris Eccleſiæ fuiſſe. Et in Eccleſiaſticis hiſtorijs legimus de imaginibus Saluatoris, item Petri & Pauli, & aliorū quorundam. Apud Alexandriam verò crucis Dominicæ ſignum vnuſquiſque in poſtibus, in feneſtris, in parietibus, columnisq́; depinxit. Sic enim legimus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 11. cap. 29. Sic apud Sozo. Trip. hiſto. lib. 2. cap. 19. videmus in altare ſignum Crucis, huiuſque virtutes & encomia. Sic etiam lib. 9. eiuſdem capitis 9. mentio fit imaginis D. Mariæ virginis. Non poſſum intactu præterire, quod Nicephorus tradidit: Cum pictor quidam, inquit, pingere Saluatorem ſecundum ſimilitudinem Iouis præſumpſiſſet, areſacta eſt manus eius. Hæc ille. Iam ex Chryſoſtomi Miſſa conſtat aliquem imaginum vſum fuiſſe in Eccleſia Cōſtantinopolitana: loquitur enim de imagine Crucifixi. Taceo Nicenam Synodum, in qua multorum Patrum teſtimonia pro Diuorum imaginibus recitantur. At quoniam hoc negotium à multis ante nos tractatum eſt, pauciſſimis abſoluemus. Magna eſt apud Bucerum hac de re diſputatio in cap. Ro. 1. vbi inter alia ſic ſcribit: Chriſtus verò homo cum factus fuerit, hicq́; viſibiliter verſatus ſit, poteſt vtique effigiari, vt & cæteri diui atque Angeli, quantum quidé attinet ad eas formas, quibus ipſi ſe humanis oculis intulerunt, hominum ſcilicet, flammę, auræ, volucrum. Horum ergo imagines, quibus tantùm ea de Chriſto, Angelis & Diuis exprimuntur, quæ reuerà geſta ſunt, fieri haberique poſſe à Chriſtianis non dubitarim, ſed ad ſignificandum monendumque, non autem vt in his Chriſtum vel Angelos, vel Diuos veneremur, & eas imagines adoremus. Hęc ille, qui etiam poſt prolixam diſputationem ſubijcit, nullum vſum imaginū debere in templis eſſe, vbi ſcilicet populus non imaginibus, ſed verbo & ſacramentis erudiri debebat. Poſtremò ad epilogum properans, ait: At verò quoniam omninò ſigna rerū ſacrarum per ſe idonea ſunt, vt pios animos, nō ſine fructu pietatis excitent, ſi qui illis omninò velint & tēpla ornare, vtcunq; hic locus anguſtior, & ſic Euāgelio, ſacramētis, & ſacris precib⁹ facer ſit, vt nō omninò cōuenire exiſtimé, ea patere mutis imaginib⁹, modo caueatur, ne etiā adorentur, his ob id fraternitas in Chriſto haud quaquā renuntianda fuerit.

 Nam

Nam ſi arceatur ſuperſtitione ſimulacra obſint, etiamſi nulla ab illis, dum ſacri conuentus aguntur, & Euangelium adnuntiatur, preceſque ſanctæ funduntur, percipiatur vtilitas, poterit tamen percipi alijs temporibus, dum verba ſacra ſilent. Quod enim per ſe impium non eſt, & habet vt vel aliqua ratione piè vſurpetur, id cauſa eſſe nequit cuiquam, qui impij vſus conuinci non poteſt communione Chriſti renũtiandi. Totidem verbis Bucerus: nam ea ſunt, quæ inſtituto noſtro conuenire putamus, quæ de fœdis vel falſis imaginibus habet, item de membris Chriſti neglectis, nihil à nobis diſſentiunt, id quod etiam paulò ſuprà teſtati ſumus. Habet idem Bucerus de vſu imaginum diſſertationem in Pſal. 115. quã allegaſſe ſuffecerit. Nullam difficultatem hic timemus, ad alia igitur feſtinemus.

Alphonſi Virueſij Philippica XVI. De cultu & inuocatione Sanctorum.

DIuorum cultum & inuocationem, frequenter ab hæreticis impetitam, eccleſia nunquam paſſa eſt antiquari: cuius ſententia ſufficere debet Catholicis ad probandum & perpetuò retinendum, quod ſacris literis non improbatur. Nam quod vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, nihil aduerſatur Sanctorum inuocationi, quos non colimus vt mediatores, ſed vt ſuas preces noſtris adiũgant, poſtulamus, quod idipſum viciſſim viri boni viuentes ambire ſolent. Cur obſecro non idem nobis liceat erga vita defunctos? Nam ſi idcircò non ſunt inuocandi Sancti, vt orent pro nobis, quod Chriſtus pro nobis aſſiduè interpellat, nec viuentium orationes eſſent nobis implorandæ. Haud enim video, quid impietatis contineat, cælites appellare ſanctos, vt nos orationibus iuuent, quod non continet eos, qui nobiſcum in hoc mundo verſantur, appellaſſe, quorum ſe Paulus apoſtolus precibus commendabat. Niſi fortè quis dicat, poſſe quidem nôs ac debere ſanctorum viuentium preces implorare, quibus affectus noſtrôs verbis aut literis poſſumus aperire: eos verò, qui iam vita deceſſerunt, minimè inuocandos eſſe, vt qui longa intercapedine diſtantes à nobis, & in alio mundo poſiti, nos exaudire non poſſint. Verum hoc non iam eſſet agere de Sanctorum Inuocatione, quatenus pia eſt vel impia, ſed quatenus vtilis eſſet aut inutilis. Nam vt ſanctos inuocare, quo nobis ſuis precibus adſint, ſurdis (quod veteri prouerbio dictum eſt) canere ſit, certè Impietatis nihil poteſt habere, quando non aliud efflagitamus ab Illis, quos extra viciſſitudinis aleam conſtitutos, numinis fauore & amicitia feliciſſimè frui ſcimus, quàm quòd à quibuſuis homunculis licet exorare. Cur autem negabimus beatorũ animis, quod illorum nec naturæ nec ſorti repugnat, & nõ potiùs tribuemus, quod perpetuò illis detulit vetuſtiſſima pietas atque religio? Nam ſi felicium animorum naturæ aut ſtatui repugnaret abſentium preces audire, nec Chriſtus vllas audiret vt homo, qui tamen, licèt Deus ſit pariter & homo, quatenus homo eſt, hominum preces quotidiè audit, pro quibus etiam Patrem aſſiduò interpellat. Erit fortaſſis, qui mihi reſpondeat, Chriſtũ noſtras preces, & quicquid apud nos geratur, intueri quidem & audire, non tamen quatenus homo purus, cuius anima aſſumpta eſt ad faſtigium deitatis. Audio & probo, ſed interim cõcedant mihi neceſſe eſt, in eo quod aſſumpſi. Nam quod dicitur Chriſtus adeſſe, & audire noſtras preces, propterea quod animus verbo Dei coniunctus, vniuerſa non modo præſentia aut præterita, verum futura poteſt in illo contemplari, intelligendum eſt, non de vnione perſonali, quam Græco vocabulo hypoſtaticam theologi dicunt, ſed de vnione beatifica, quæ poſterior eſt illa, quemadmodum in cunctis rebus prius eſt eſſe, quàm operari. Porrò vnione beatifica omnes animæ felices coniunctæ ſunt verbo Dei, æque ſicut & anima Chriſti, quamuis non æqualiter, alioqui non poſſent eſſe beatæ. Ex qua coniunctione quantum lucis aut cognitionis rerum, quæ apud nos gerantur, accipiant ſinguli ſpiritus, ſiue angelici, ſiue humani, nõ eſt noſtrum ad amuſſim pronunciare, tametſi dubitare non debemus, quin illa cognoſcant, quæ illis ad gloriã & nobis ad ſalutem expedit noſſe. Hic eſt enim illa Chriſti doctrina, qua nos admonet, ne contemnamus quenquam ex minimis, qui crediderint in illum, quandoquidem habent angelos Dei, incolumitatis ſuæ vindices & patronos, quos non poteſt quicquam latere, quod clientibus ſuis euenerit, quoniam angeli eorum ſemper vident faciem patris, qui in cælis eſt. Hinc etiam eſt, quod Raphael angelus dicit, ſe Tobię preces & eleemoſynas obtuliſſe domino. Et frequenter ſunt huiuſmodi oblationes in Apocal. factæ, non modo per angelos, verũ & per viros ſanctos, qui iam Chriſto perpetuæ felicitatis participes adſtant. Nam quatuor animalia & vigintiquatuor ſeniores, hoc eſt, eos, qui ſub vtroque teſtamento Deo ſeruierant, vidit Ioannes cecidiſſe coram agno, habentes ſingulos citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ vt idem Ioannes Interpretatur, ſunt orationes ſanctorum. Et niſi Sancti pro nobis orarent, aut orantes exaudirentur, nequaquam dominus ſummam indignationis, quam habebat in populum

Marginal notes: 1.Tim.2. (beside "ſtus Ieſus, nihil aduerſatur Sanctorum inuocationi"); Matth.18. (beside "expedit noſſe. Hic eſt enim illa Chriſti doctrina")

lum Iſrael, his verbis explicaſſet: Si ſteterint, *Hiere.15.* inquit, Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Ad hæc Hieremiam ipſum, multis retro annis defunctũ vita, Iudas Machabæus vidit orantem pro populo, & ciuitate ſancta Hieruſalem. Hæc & id genus alia ſcripturæ loca etſi inualida videantur Aduerſarijs (quæ tamen nullis apertioribus poſſunt refellere) validiſſima tamen viſa ſunt hactenus Eccleſiæ Catholicæ, quæ, tum perpetuò conſenſu, tum ſanctorum ac ſapientium doctrinis, diuorum cultum & inuocationem probauit. Nam D. Hieronymus in hac olim controuerſia Vigilantium hæreticum vicit, protriuit atq; proſtrauit, id quod theologi noſtri in conuentu Auguſtenſi, vt Philippus dicit, obiecerunt veſtræ Confeſſioni. Sed enimuerò operæprecium eſt videre, quàm modeſte reſpondeat ille, qui Sanctos non colendos aut inuocãdos, ſed imitandos *Philipp.* eſſe prędicat. Hic triumphant, inquit, aduerſarij, quaſi iam ſit debellatum, nec vident iſti aſini apud Hieronymum contra Vigilantiũ, nullã exſtare ſyllabam de inuocatione ſanctorum, loquitur de honoribus ſanctorum, non de inuocatione, &c. Ita nimirum Philippus colit imitatione, quos non vult colerę inuocatione. Nam ſancti ſimilẽ modeſtiam præſtiterunt erga illos, cum quibus de ſacris dogmatibus conferebant. Sed nos eius contumelias nihil moramur. Illud autem quis ferat, quod vt nobis inſultet, ſanctum virum in ſui erroris patrocinium videtur aſciſcere? Nam cum totius controuerſiæ conſtitutio verſaretur in hoc, quod Vigilantius dicebat, Sanctos non eſſe religione aliqua colendos aut inuocandos, vt pro nobis orarent, ſi hoc Hieronymus non voluit improbare, procul dubio probatum reliquit. Veruntamen hac de re ipſum eundem audiamus. Obiecerat Vigilantius ſanctorum inuocationi, quæ fiebat à Catholicis, id quod & nobis hodiè Philippus obijcit, non poſſe videlicet Sanctos, præſenti luce defunctos, cultus videre, aut preces audire illorum, à quibus inuocantur: Ais (inquit Hieronymus Vigilantio) vel in ſinu Abrahę, vel in loco refrigerij, vel ſubter aram Dei, animas apoſtolorum & martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint, adeſſe præſentes, &c. Et paulò inferiùs: Et poſt hæc de barathro pectoris tui cœnoſam ſpurcitiam euomens audes dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ martyrum & circumuolant eos, ſemperque pręſentes ſunt, ne fortè ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſint, &c. Hactenus Hieronymi verba declarant, qua de re diſputaret aduerſus Vigilantium, non ſcilicet de ſolis honoribus, vt Philippus comminiſcitur, ſed etiam de inuocatione Sanctorum, hoc eſt, de ea religionis parte, qua diuos inuocamus, vt pro nobis precentur. Quod cum ita ſit, Philippi conuicia integra illi maneant, alias vt vti poſſit minus inepte. Vos autem, viri Germani, æquum eſt animaduertere, cuius fidei viris pietatem veſtram committatis. Nunc quibus verbis has obiectiones Hieronymus refellat, videamus: Tu, inquit, Deo leges pones? Tu apoſtolis vincula inijcies, vt vſque ad diem iudicij teneãtur cuſtodia, nec ſint cum domino ſuo? De quibus ſcriptũ eſt: Sequuntur agnum, quocunque vadit. Si agnus vbi- *Apoc.14.* que, ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbiq; eſſe credendi ſunt. Et cum diabolus & dæmones toto vagẽtur in orbe, & celeritate nimia vbique præſentes ſint: martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & inde exire non poterũt? Dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio: pręſertim cum martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiuerunt. Si apoſtoli & martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos? Vnus homo *Exod.32.* Moyſes, ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator domini ſui, & primus martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur: &, poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus apoſtolus ducentas ſexaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas: & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro his, qui in toto orbe ad ſuum euangelium crediderũt, mutire non poterit? Eat nunc Philippus, & apud Hieronymum de Sanctorum inuocatione vllam extare ſyllabam neget: nos totidem verbis illi de Sanctorũ precibus reſpondemus, quot Hieronymus reſpondet Vigilantio, ex cuius dogmate conſtat, Philippum etiam in eo eſſe falſum (id enim ſuſpicari placet potiùs quàm fallacẽ) quod ait, ante Gre- *Philipp.* gorij tempora non eſſe ſolitos inuocari ſanctos. Si enim hoc ita erat, qui ſunt illi, aduerſum quos diſputat Vigilantius & inuehitur, & pro quibus Hieronymus illi obſtitit, eiuſdem cultus, quẽ Vigilantius negabat, patrocinium ſuſcipiens? Quinimò ante Hieronymi tempora & Vigilantij eandẽ hæreſim conſtat fideliũ pietate exhibuiſſe negociũ, ꝙ idipſum inferiùs attingit Hieronymus, dicens, Tertullianum aduerſus hanc hæreſim olim ſcripſiſſe, qui etſi alioqui ab Eccleſia diſceſſerit, vel hoc ipſo habet authoritatem, quod eius verba declarant, antiquiſſimam Eccleſię fuiſſe conſuetudinẽ inuocãdi ſanctos. Quanq; id etiam, qđ authoritatis Tertulliano deeſt,

ſup-

ſupplere poterit Ambroſius, qui libro primo de viduis ait: Obſecrandi ſunt angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt. Martyres obſecrandi ſunt, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis orare noſtris, qui proprio ſanguine, ſi qua habuerunt peccata, lauerunt. Iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ Infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem cordis, etiam cum vincerent, cognouerunt. Quid ego vnum aut alterum ſanctorum Patrum allego? Nemo eſt eorum, qui Sanctorum inuocationis religioſiſſimè non meminerit. Et vide, quàm antiquitus ſit à Patribus recepta perſuaſio, quod ſancti viri poſtquam ſato conceſſerint, pro his, qui peregrinantur adhuc, orent: quod D. Cyprianus ſcribens ad S. Cornelium, quaſi paciſcitur cum eo, vt qui prior altero deceſſerit vita, pro fratribus & ſororibus ſuperſtitibus oret aſſiduò. Sed Philippus omnia hæc diluta exiſtimans & inutilia, ſcripturę locum exigit à nobis, qui præcipiat aut doceat inuocare ſanctos: à quo nos viciſſim requirimus locum, quo prohibeamur ſanctorū preces implorare. Nos quædam attulimus, ipſe nulla poteſt adducere, niſi illa, quę prędicant, Chriſtum orare pro nobis, ex quibus Lutherana dialectica ex affirmatiuis colligēs negatiuas, infert quod propoſuerat: Chriſtus orât pro nobis, ergo ſancti non orant pro nobis: Chriſtus eſt inuocandus, ſancti ergo non ſunt inuocandi. Cur non eadem conſecutione colligit, nec nos debere viciſſim pro nobis orare, quia Chriſtus orat pro nobis? Si nos ſic aduerſus illum ſcripturas citaremus, quemadmodum ille citat aduerſum eccleſiā, in quos cachinnos ſolueret orationem? quibus nos ornaret epithetis? quas technas, quas fraudes, quæ ſophiſmata nobis obijceret? Sic olim hæretici colligebant: Spirituſſanctus procedit à patre, non ergo procedit à filio. Sed libet adhuc liberiùs agere cum illo. Proferat ex Patribus, quorum doctrinas recipit, & ad quos non ſemel prouocare ſolet, vel vnicam ſententiam, quæ ſanctorum cultum & Inuocationem damnet, vt vel hac ratione perſuadere nobis poſſit, ſe aduerſus totius Eccleſiæ conſenſum hanc diſputationem non temere

Philipp. ſuſcepiſſe: Atqui veteres, inquit, authores ante Gregorium non ſecerunt mentionem inuocationis ſanctorum. Eccleſiæ exemplum, quod allegant, cōſtat nouum in eccleſia eſſe. Apage bone vir, quid ais? Vide ne quid temere effutias, & rurſus impingas ad lapidem, quo ſuperiùs lapſus es in Hieronymo. Nam Eccleſiæ mos in Sanctorum inuocatione vſqueadeò vetus eſt, vt vix huiuſce conſuetudinis inueniri poſſit initiū: id quod verba ſanctorum, quos modo citaui, apertiſſimè probant. De Sanctorum enim inuocatione loquuntur, non vt illam inducant (quanquam etiam ab illis inſtituta haud eſſet nouitatis nomine cōtemnenda) ſed vt rem totius Eccleſiæ pietate receptam, & vſu probatam, fidelibus illis, quos alloquūtur, commendent atque ſuadeant, & ab hæreticorum inſolentia defendant. Et tamen Philippum (quod eius pace dixerim) non pudet in re vſqueadeò graui, in qua totius populi Chriſtiani pietas vocatur in crimen, tam oſcitanter agere, vt quicquid primum in buccam venerit, effundat. Sictine credis imponere te poſſe tot viris, cùm dignitatis amplitudine conſpicuis, tum ſapientiæ ſplendore præcedentibus? At impoſuerat prius ſpecies ipſa rei, de qua diſſerebas, quæ cùm ſcripturis improbetur, & à veræ pietatis ratione appareat aliena, nō potuiſti animum inducere, vt crederes à maioribus noſtris obſeruatam ſolitam. Scripturarū teſtimonia quòd nulla habeas, & ea quæ profert, quanti ſint ponderis ad refragandum Sanctorū inuocationi, iam expoſuimus. Supereſt, vt cæteras collectiones expendamus. Primum largitur angelos orare pro nobis, Zach. 1.
propter illud quod apud Zachariā legitur, angelum ſcilicet oraſſe pro Hieruſalem. Sed quid ſi non largiretur Philippus, nunquid non ſufficeret nobis oraculum Prophetæ? Dialecticis largiri aut donare eſt, id fateri quod negare poſſes, quaſi in his, quæ iuris tui ſunt, alteri cedas. Quid hic habet Philippus, quod nobis largiri poſſit? Neque quod mox etiam concedit, fatebimur ab illo nobis eſſe donatum, quandoquidem & illud facilè erit exigere ab inuito: De ſanctis, inquit, etſi con- Philipp.
cedimus, quod ſicut viui orant pro eccleſia vniuerſa in genere, ita in cælis orent pro eccleſia in genere, tametſi nullum de mortuis orantibus teſtimonium exſtet in ſcripturis, &c. Hic videri poſſet aliquid nobis largiri, ſi verum eſſet, quod nullum de mortuis orantibus teſtimonium exſtet in ſcripturis, cæterum cum exſtent nonnulla, quid eſt quod in hac conceſſione illi debeamus acceptum referre? Quæ nam iſthæc? In primis, quod ſcriptum eſt in Hierem. Dixit dominus ad me, ſi Hier 15.
ſteterint Moyſes & Samuel coram me, nō eſt anima mea ad populum iſtum. Cum Moyſes & Samuel iamdudum ætates non paucas fato conceſſiſſent, quid aliud dominus hac aſſeueratione ſignificat, quàm placari ſe frequenter orationibus ſanctorum, qui vita deceſſerant: tunc verò decreuiſſe, nullius viri quantumlibet Sancti precibus cedere? Iam quod 2. Mach. 15.
legitur in libro Machabæorum, quod viderit Iudas Hieremiam prophetam orantem pro populo & ciuitate ſancta Hieruſalem.

Phi-

Philippo ſomnium eſſe videtur. Mihi verò quid de Philippi iudicio videatur, non eſt animus pronunciare, agnoſco tamen veterũ dogmatiſtarum præſidium, quo confugere conſueuerunt, quotiès in anguſtum diſputationis medij tenerentur. Cæterũ ex quatuor libris, qui Machabæorum hiſtorias cõtinent, duos eſſe receptos ab Eccleſia, & pro canonicis habitos, teſtantur tum decreta pontificũ, tum vetuſtiſſima Patrum concilia, quorum non meminiſſe videtur Hieronymus, cum ad Chromatium & Heliodorum ſcribens, dicit hos libros ab Eccleſia legi, ſed inter canonicas ſcripturas non recipi. Haud itaq; nobis opus eſſe dono Philippi, vt pro vero ſtatuatur, Sanctos orare pro nobis, quinimò id quod addidit, In genere, merito nobis debet eſſe ſuſpectum, quando non modo in genere, verùm & in ſpecie pro certis cauſis, regionibus, atque perſonis nos viciſſim ſanctorum apoſtolorũ exemplis & doctrina precamur, & eodem modo Sanctos & angelos & homines in cælis orare credimus. Nam apud Zachariam angelus tantùm pro ciuitate Hieruſalẽ orabat: & Tobiæ preces & eleemoſynæ offerebantur ab angelo, & varia ſunt exempla, quibus pro priuatis, ſeu cauſis, ſiue perſonis orandum eſſe docemur. Nunc his de Philippi conceſſione ſuppoſitis, argumentationis vim expendamus: Porro, inquit, vt maximè pro eccleſia orent Sancti, tamen nõ ſequitur, quod ſint inuocandi. Qui ſic? Quia cum neque præceptum, neque promiſſio, neque exemplum ex ſcripturis de inuocandis Sanctis afferri poſſit, ſequitur, conſcientiam nihil poſſe certi de illa inuocatione habere. Et cũ oratio debeat ex fide fieri, quomodo ſcimus, quod Deus approbet illam inuocationem? Vnde ſcimus ſine teſtimonio ſcripturę, quod Sancti intelligant ſingulorum preces? Hactenus argutè quidem & ſubtiliter: ſed ſupereſt, vt facetè nos etiam irrideat: Quidam, inquit, planè tribuunt diuinitatem ſanctis, videlicet quod tacitas cogitationes mentium in nobis cernant. Diſputant de matutina & veſpertina cognitione, fortaſſis quia dubitant, vtrum mane aut veſperi audiant, &c. Videtis viri (ne quid inuidioſius attingam) prudentiſſimi, quibus technis vobis inſidientur veſtri doctores, quibus fucis veritatem, quæ nuda eſt inquirenda, illiniant. Interrogant, affingunt, ſubſannant, & in omnes ſeſe formas atque figuras inuoluunt, vt videantur euiciſſe, cum nihil minus efficiant. Sed quid ad nos? Errant illi, fortaſſis non malitioſè, ſed quia ita illis videtur, & arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo, ſi, quibus potuerint modis & artibus, receptæ in populo Chriſtiano doctrinæ aduerſentur, nos veritatem pro noſtra virili parte tuemur. Primum, vt eiſdem gradibus, quibus ille deſcendit, nos aſcendamus, quod nobis exprobrant diſputationem de notitia matutina & veſpertina, in Auguſtini contumeliam potiùs quàm noſtrã commemoratur, qui quarto libro ſuper Geneſim ad literam, & libro XI. de ciuitate Dei de hac duplici notitia diſertiſſimè tractat. Cognitionem rerum in verbo, quam habent Sancti, appellat matutinam, nos illam ſuperius attigimus, earundem rerum cognitionem in proprio genere veſpertinam appellat. Auguſtinus ergo vocandus erat in ius, ſi quid impietatis habet huiuſmodi doctrina: nos eius viri authoritate contenti ſumus, quandiu grauior illi non opponitur, à quo ſcimus nihil doceri, quod non vel ex diuinis literis, vel ex arcanis naturæ penetralibus, quam ſolertiſſimè eſt indagatus, produxerit in lucem: Porrò in eo quod præmittit Philippus, nos tribuere Sanctis diuinitatem, quod tacitas mentium cogitationes in nobis cernant, more ſuo colligit, hoc eſt, illegitimè. Non enim ſequitur: ſi vir ſanctus cognoſcat hominis alicuius cogitationes, quod ſtatim ſit Deus, aut diuinitatem habeat. Cognouit enim Daniel cogitationes Nabuchodonoſori regis, nec tamen habuit deitatem: & omnes fermè Prophetæ non modò cogitationes, verùm & abditiſſima quæque cognoſcebant interdum, vt quibus proprias etiam cogitationes dominus reuelabat, & tamen non erant dij, niſi eo modo, quo ij, ad quos factus eſt ſermo Dei, dij quodammodò dici meruerunt. Denique in argumentatione ita exigit à nobis ſcripturæ locum, quo probentur ſancti intelligere noſtras preces, quaſi quod non intelligant, ipſe vllis aut rationibus, aut teſtimonijs monſtrauerit eſſe perſpicuum. Cùm interim non deſint viri ſapientes, quibus videantur nullo miraculo opus eſſe ad hoc, vt animæ corporibus exutæ, præſertim felices, viuentium cogitationes intelligant. Nam quid, inquiunt, obſtabit? Localis intercapedo? Atqui ea, quæ loco non circunſcribuntur, nulli rei poſſunt eſſe propinqua, atque adeò nec diſtantia quidem, idcircò in alio mundo, ceu loco eminentiori, conſtituta, vniuerſa quæ geruntur apud nos, ex æquo proſpiciunt. Obſtabit fortaſſis receſſus interiorum ſenſuum, qui ſunt quaſi remotiores animæ officinæ. Sed hi haud minus cedunt animis iam felicibus, quàm corporibus glorificatis vniuerſis corpora ſunt ceſſura. Cur enim obſit animæ corpus, quò minùs ſuas vires exerceat? Quinimò cur ſpiritus felix in cæteros ſpiritus non habeat eandem vim, quam corpora felicia in cætera corpora creduntur habere? Conſerat nunc Philippus Lutheranam philoſophiam cum his Philoſophis, nec in-

Libri Machabæorum.

Zach. 1.

Philipp.

Cognitio matutina & veſpertina.

Daniel 2.

indoctis,nec ineptis,aut ſi mauult ad ſcriptu-
ras confugere, probet per eas, quòd ſpiritus
beati preces non videant. Nam quod videre
non poſſint, nulla ratiocinatione probabit,
nec validiora poterit argumenta producere
ad improbandum, quod hi non inualidis cer
tè confirmant. Quanquàm ad hoc,vt intelli-
gant omnes noſtras preces, non eſt illis opus
videre cogitationes, quandoquidem non ſo-
la cogitatione precamur. Poſtremò cùm fidē
exigit, quæ eſt illi velut panoplia, non videt
ſufficere nobis,dum cæteros rogamus,vt pro
nobis orent,communem fidem,quam habe-
mus de Chriſto, quod quoties per nos ipſos,
vel per alios oramus, quicquid petierimus,ſi
nobis accipere expedierit,procul dubio fiet,
ſin minus, aliud ſalnti noſtræ & Chriſti glo-
riæ magis expediens pro illo reddetur. Hoc
1.Par.17. tum Chriſti promiſſiones, tùm ſanctorū Pa-
trum exempla docēt apertè. Nam Dauid pro
templi conſtructione, quam piè quidem op-
tauerat ac religiosè, accepit vt filius quē ma-
ximè ſibi cupiebat in regnum ſuccedere, qui-
que aptior futurus erat illi functioni,templū
ædificaret. Paulus pro ſtimulo carnis,quem
Matth.26. deprecabatur,accepit vim,qua poſſet angelū
ſatanæ ſuperare. Chriſtus denique pro calice,
quem à ſe rranſferri prolixius orauit, obti-
nuit, vt prætereuntis & quaſi momentaneæ
mortis commercio ſuos poſſet, hoc eſt, ele-
ctos,æternæ vitæ munere donare. Quam er-
gò fidem exigit in oratione Philippus? Qua
credamus, ac certò ſtatuamus, nos quicquid
petierimus,aſſequuturos? Hanc qui poſſunt
habere,qui diuerſum & in ſe,& in alijs ſunt ex
perti? Id quod exemplis modò deſcriptis ap-
paret. An qua credamus, aut fidamus illi,quē
obſecramus, vt pro nobis oret? Neq; hanc
poſſunt habere, qui viuētium preces efflagi-
tant: Omnis enim homo mendax. Vndè fieri
poteſt,vt pro nobis non oret js,qui promiſit,
& vt oret,fieri etiā poſſit, vt non exaudiatur.
Sed exigit fortaſsis fidem, qua credamus, nō
improbari à Deo huiuſmodi preces. Sic enim
quærit à nobi: Cùm oratio debeat ex fide fie-
ri,quomodo ſcimus,quòd Deus approbet il-
lam inuocationem? Nunc vt argumētatonem
redargutione ſemel exhauriam, ego viciſſim
ab illo quæro,cur dubitet placere Deo, ſi Sā-
Iacob 2. ctis deſeramus honorem, quē peccatoribus
deſerri nunquam prohibuit? Si enim orare,
vt pro nobis orent,honorare eſt,hunc hono-
rem vt ſibi viciſsim exhibeant, peccatoribus
præcipit Iacobus. Hunc honorē detulit Ro-
manis Paulus. Denique ſi indigni ſunt ſancti,
vt pro nobis orēt, quomodo peccatores dig-
ni ſumus, vt pro nobis inuicem oremus? Si
autem pro alijs orare,res eſt indigna,vt à ſan-
ctis petatur, quomodo Chriſtus orat pro
nobis? Sed vnus eſt, inquit Philippus, media-
tor Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, Chriſtus vnus mediator.
idcircò non licet nobis plures opponere me-
diatores. Quid ais bone vir? Nunquid omnes
illi ſunt tibi mediatores, qui pro nobis orant?
Ergò ego ſum mediator tuus, pro quo nō ſe-
mel (teſtis eſt mihi Chriſtus) oraui, vt pietatis
ſpecimen, quod hactenus dediſti, perficiatur.
Quod verò in te ad Eccleſiæ ſāctæ trutinam
expenſum, inuentum eſt minus habens, refi-
ciatur ab eo, qui calamum ceſſatum non con-
ſringit,& linū fumigans non exſtinguit. Nec Eſa.42.
ego tantùm, verùm & vniuerſi, quantumli-
bet peccatores, mediatores eſſe poterimus,
quibus præcipitur orare, vt ſaluemur. Abſit, Mediatoris
vt tam vulgarem exiſtimationem habeamus ratio in quo
de mediatore, cuius ratio ſita eſt, non in eo, ſita ſit.
quòd pro cæteris poteſt orare, ſed in eo,
quòd cæterorum omnium preces & opera in
illo tantùm & per illum placent ei, qui dixit:
Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè
complacui,& idcircò mediator eſt, hoc eſt, v-
niuerſis factus medium ſalutis æternæ, vt po-
te de cuius plenitudine nos omnes accepi-
mus. In illo enim hab[illegible]tat o[illegible]nis plenitudo
diuinitatis corpora[illegible]o noui teſta-
menti mediator eſt, vt [illegible]e intercedente,
in redemptionem [illegible]arum præuaricationum,
quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſ-
ſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæ-
reditatis,&c. Vides hic Chriſtum idcircò me-
diatorē eſſe pro nobis factū, vt ſit via ad pro-
miſsionū cōſequutionē, ſoluens, vt alibi dici- Ephes.5.
tur, inimicitias in carne ſua, legē mandatorū
decretis euacuans, vt duos condat in ſemetip
ſo, in vno nouo homine faciens pacē, vt recō-
ciliet ambos in vno corpore Deo per crucē,
interficiens inimicitias in ſemetipſo,& euan-
gelizans pacem his qui longè erant: & pacem
his, qui propè. Quoniam per ipſum habemus
acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrē. Hunc
mediatorem vniuerſalis agnoſcit Eccleſia,
cui ſoli acceptum fert, quicquid gratiæ aut
gloriæ hactenus collatum eſt, aut confertur
hominibus: reliquos verò, quātumlibet ſan-
ctos, colit, non vt mediatores, ſed vt huius
mediatoris miniſtros, quinimò vt membra,
per quæ multoties nobis ſua dona largitur.
Quemadmodum vir pius ſolet indigenti de-
narium manu porrigere, lingua conſilium,
& cæteris ſui corporis membris imbecillium
neceſſitati frequenter adeſſe. Itaque cùm Sā-
ctorum merita (quod nobis Philippus obij-
cit pro religione) orando citamus & interpo-
nimus, non ex ſāctis facimus mediatores, ſed
Chriſtum in membris ſuis agnoſcimus, cui
innixi illi, Deo placuerunt. Id quod luce
clarius apparet ex ordine, quem in ſolēnibus
precibus ſeruat Eccleſia. Nam præter hoc,
quod cùm ſanctos ipſos alloquimur in Lita-
nijs, nihil ab illis petimus, niſi vt orent pro
nobis,

nobis, quoties illorũ merita patrem deprecantes proponimus, ſemper vt per Chriſtũ Ieſum omnia illa à nobis contingant, peroramus: nimirum apertè confitentes, neminem ſanctorũm eſſe idoneum ad placẽdum Deo, nedum ad nobis placãdũ, niſi Chriſtus, in quo cætera ſanctorum multitudo patri complacuit. Gratificauit enim nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem, &c. Vides nos vbiq; vnum profiteri mediatorẽ, ſine quo neque nos, neque ſancti ipſi, quorũ meritis vtimur, vt à Chriſto profectis, placere Deo poteramus. Vides nos vbiq; per illum interpellare patrem, vbiq; ad illum vnum, velut ad ſacram ancoram, quod aiunt, cõfugere, cuius merita fatemur eſſe, non tãtùm quæ in proprio ac naturali corpore geſſit, ſed & illa, quę in myſtico quotidiè operatur? Supplebat enim Paulus, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore ei⁹, quod eſt Eccleſia: hoc eſt, patiebatur Chriſt⁹ in Paulo, quæ iam in ſeipſo pati non poterat. Quod fortaſſis ſignificauit vuln⁹ illud Chriſti corpori iam emortuo inflictum. Corpus nanq; Chriſti mortuum eſt Eccleſia, cui dicitur: Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quid aliud à nobis requiris? Teſtimonium, inquis, ex quo certò ſciamus, quòd Deus velit miſereri, & exaudire inuocationes, per hũc vel illũ propiciatorem, nam talis extat de Chriſto promiſſio, de Sanctis nulla exſtat talis promiſſio. Nobis non ſunt opus alia teſtimonia præter ea, quæ de Chriſto mediatore & propiciatore tradũtur, cùm fateamur omnia per Chriſtum nobis à patre donari. Quòd verò Sanctorum preces & merita, vt Chriſti membrorum, interponimus, non cogit noua teſtimonia proferre, cùm nihil aliud niſi Chriſtũ in illis agnoſcamus. Quin potiùs oporteret Philippũ, qui Eccleſiæ cõſuetudini & religioni temerè reclamat, ex ſcripturis probare eſſe impium, quod nos ex eiſdem productũ & expoſitum, nihil impietatis continere probauim⁹. Cùm enim vniuerſalis Eccleſia ab origine mundi eundem ſemper habuerit mediatorem, haud magis fidei noſtræ obeſt Sanctorum inuocatio, quàm Iſraelitico populo: Quod in Geneſi orabat Iacob, vt inuocaretur ſuper eos nomen eius, & nomina patrum ſuorũ, Abraam, Iſaac: quanquàm nos nullius Sancti nomẽ inuocamus, nec in vllius nomine petimus: tamen illos, qui Deo placuerũt, oramus, vt nobis eundem ſuis precibus placẽt, idq; tã Propheticis quàm Apoſtolicis doctrinis & exẽplis. Cur. n. tres amici Iob admonẽtur, vt illum cum ſeptem tauris, & totidẽ arietibus adirent, & pro eis ſacrificium offerret? niſi quia ille aptior erat ad placandum holocauſtis, cuius pietas magis placuerat.

Epheſ. 1. *Colloſ. 1.* *Gen. 48.*

Aut quid ſeueritatis habent illa verba: Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum? ſi nõ conſueuit placari Deus, illorum præcipuè precibus, quorum opera illi maximè placuerunt, in Chriſto tamen, cuius membra ſunt omnes Sancti, electi in ipſo (vt ait Apoſtolus) ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu Dei in charitate. Tantam igitur habentes impoſitam nubem teſtium, quarto quoque verbo prouocamur à Philippo, vt teſtimonium ex ſcripturis proferamus de Sanctorũ inuocatione: cùm ipſe nullum hactenus adduxerit ad probãdum, quòd Sancti non ſint inuocandi, tantùm enthymematibus cõſuetis ex affirmatiuis colligit negatiuas, & accumulat exempla, quibus Eccleſiæ proceres reddat odioſos, nam vulgi ſuperſtitionem non dignatur attingere. Quæ nam exempla? Quòd ex Sanctis faciamus mediatores, quòd Sanctorũ merita pro alijs applicemus, quòd Chriſti gloriã in Sanctos transferamus, quòd fingamus Chriſtũ duriorem eſſe Sanctis, & ideò magis confidamus miſericordię Sanctorum, quàm miſericordiæ Chriſti: denique quòd Chriſtum fugientes, confugiamus ad Sanctos. Quis hęc non exhorreat? quis non exſecretur? Sed quàm vera ſint, ex proximè dictis apparet. Simile eſt, quod inferiùs obijcit: Fortaſſis, inquit, ex aulis Regum ſumunt hunc ordinẽ, vbi amicis interceſſoribus vtendum eſt. At ſi Rex conſtituerit certum interceſſorem, non vellet ad ſe cauſas per alios deferri. Ita cùm Chriſtus ſit conſtitutus interceſſor & pontifex, cur quærimus alios? Paſſim vſurpatur hac forma abſolutionis: Paſſio domini noſtri Ieſu Chriſti, merita beatiſſimæ virginis Mariæ, & omnium Sãctorum, ſint tibi in remiſſionem peccatorum. Hic pronuntiatur abſolutio, quod non ſolùm meritis Chriſti, ſed meritis aliorum Sanctorum reconciliemur, & iuſti reputemur, &c. Quærit à nobis Philippus, cùm Chriſtus ſit conſtitutus interceſſor & pontifex, cur quærimus alios? A quo viciſſim ego quæro: Si ita Chriſtus conſtitutus eſt interceſſor, vt alij omnes ſuperfluant, & ſint prorſus inutiles, cur Paulus fidelium Romanorum quęrebat interceſſionem? Cur Iacobus docet, vt viciſſim omnes pro nobis intercedamus? Cur angelus pro ciuitate Hieruſalem intercedebat? An aliud eſt orare pro alio, quàm pro illo intercedere? Si rex ita conſtituit certum interceſſorem, vt non velit ad ſe cauſas per alios deferri, quomodo Raphael Tobiæ preces & eleemoſynas detulit ante Deum? Et ſi angeli fidelium cauſas non agũt apud Deum, quorſum ſpectãt verba illi Chriſti? Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, qui in me credunt, quia angeli

Hier. 15. *Rom. 15.* *Zachar. 1.* *Matth. 18.*

geli corũ ſemper vident faciem patris. Reſpondeat Philippus ſuis propriis obiectionibus, ſi nõ vult negare ſcripturas, & quicquid pro illis reſponderit, pro nobis intelliget eſſe reſponſum. Acrius tamen vrgeret exemplum, quod affert de abſolutione, ſi ita ſe res haberet vt ille narrat. Nam ſacramentorum ſuſceptio ſpecialis quędã eſt fidei profeſsio, qua ſoli Chriſto fidendum eſt, vt ſacramenta ſint efficacia, imò vt impia non ſint. Sed quis neſcit Abſolutionis formam nihil aliud neceſſariò exigere, quàm ſimplicem enunciationem, qua ſignificetur peccator abſolui? cuiuſmodi eſt hæc: Ego te abſoluo. Cui ſunt qui præmittant: Dominus Ieſus Chriſtus te abſoluat. Alij: Dominus Ieſus Chriſtus, qui plenam habet poteſtatem abſoluendi, te abſoluat, & ego authoritate ipſius, qua fungor & poteſtate mihi conceſſa, &c. te abſoluo ab omnibus peccatis tuis, quæ mihi modo, &c.

Verùm hæc & alia ad ornatum verborum, aut excitandam deuotionem eius, qui abſoluendus eſt, pertinent, & non ad neceſſitatem ſacramenti. Cæterùm verba quæ producit Philippus, vt nos inſimulet impietatis, haud abſolutionis partes ſunt, ſed precum, quas nonnulli adiungunt abſolutioni. In quibus precibus, quòd nihil habeat periculi, Sanctorum allegare merita, & illorum implorare preces, hactenus expoſuimus vtcũque, an ſufficienter, iudiciũ ſit penes pios & integros lectores, modò catholicæ veritatis, quã vniuerſalis Eccleſia vſu ſimul & doctrina retinet, integritas maneat ſemper incorrupta.

Iam quòd varijs diuis variæ tribuantur procurationes, velut ſortiones prouinciarum, &c. quę vltimo & maximo huius Articuli paragrapho Philippus enumerat, non de ſapiẽtium errore, quod nobis opprobrat, ſed de vulgi ſimplicitate, & quorundam verbo Dei abutentium ad quæſtum, procedunt iniquitate. Quæ omnia etſi pontificum ac ſacerdotum ſocordia, interdum & colluſione, hactenus creuerint, nunc Chriſti Ieſu fauore primùm, deinde verbi Dei ſarculo indies, quæ impia ſunt aut vana, ſuccidũtur: quæ verò præter impietatem retineri poſſunt, aut purgantur, aut excoluntur, aut diriguntur, idque citra tumultus & ſchiſmata, quæ ſunt maximè vitãda inter fideles, quamdiu ſalua pietate vitare poſſumus. Quibus vitandis atque ſedandis nos vtcunque pro noſtra virili parte laboramus. Quòd ſi nobis plãtantibus atque rigantibus nondum viſum eſt arcanæ Dei ſapientiæ, vt pacis incrementum ſuccedat, bona tamẽ ſpes eſt fore, vt effectus Chriſto probetur, cui ſit honor & gloria in ſęcula ſęculorum.

ARTICVLI, IN QVIBVS RECENSENTVR ABVSVS mutati, & primùm de vtraque ſpecie,

Ex Confeſsionis Auguſtanæ Prototypo.

CVm Eccleſiæ apud nos de nullo fidei articulo diſsentiant ab Eccleſia Catholica, tantùm paucos quoſdam abuſus omittant, qui noui ſunt, & contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti, Rogamus vt Cæſarea Maieſtas clemẽter audiat, & quid ſit mutatum, & quæ fuerint cauſæ, quò minùs coactus ſit populus illos abuſus cõtra conſcientiam obſeruare. Nec habeat fidem Cæſ. Ma. iſtis, qui vt inflamment odia hominũ aduerſus noſtros, miras calumnias ſpargũt in populum, hoc modo irritatis animis bonorum virorum, initiò præbuerunt: occaſionem huic diſsidio, & eadem arte conantur nunc augere diſcordias. Nã Cæſarea Mat. haud dubiè comperiet tolerabiliorem eſſe formam & doctrinæ, & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & maleuoli deſcribunt. Neque veritas ex vulgi rumoribus, aut maledictis inimicorum colligi poteſt. Facilè autem hoc iudicari poteſt, nihil magis prodeſſe aut dignitatem ceremoniarum conſeruandam, & alendam reuerentiam ac pietatem in populo, quàm ſi ceremoniæ ritè fiant in Eccleſiis. Laicis datur vtraque ſpecies ſacramenti in cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. vigeſimoſexto: Bibite ex hoc omnes: vbi manifeſtè præcepit Chriſtus, de poculo vt omnes bibant, & ne quis cauillari poſsit, quòd hoc ad ſacerdotes tantùm pertineat, Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam vtraque ſpecie vſam eſſe, & diu manſit hic mos in Eccleſia, nec conſtat, quando, aut quo authore primùm mutatus ſit, tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus. Cyprianus teſtatur aliquot locis ſanguinem populo datum eſſe. Item teſtatur Hieronymus, qui ait: Sacerdotes Euchariſtiam miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis diui-

Hanc clauſulam, tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus, Exẽplar Vuittembergenſe anni 1531. in octaua forma euulgatum, non habet.

diuidunt. Imò Gelaſius Papa mandat, ne diuidatur ſacramentum, Diſtinct. ij. de conſecratione, cap. Comperimus, tantùm conſuetudo non ita vetus aliud habet. Conſtat autem, quòd conſuetudo contra mandata Dei introducta, nō ſit probāda, vt teſtatur Canon diſtinct. viij. cap. veritate, cum ſequentibus. Hæc verò conſuetudo non ſolùm contra ſcripturam, ſed etiam contra veteres canones & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt vtraque ſpecie ſacramenti vti, non fuerunt cogendi, vt aliter facerent cum offenſione conſcientiæ. Et quia diuiſio ſacramenti non conuenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus, De vtraque ſpecie.

ET quoniam communis Miſſa apud nos celebratur, vt intelligat populus, ſe quoque ſanctificari ſanguine Chriſti, & diſcat verum vſum cæremoniæ, datur laicis vtraq; pars ſacramenti in cœna Domini, quia ſacramentum non ſolùm inſtitutum eſt pro parte Eccleſiæ, ſcilicet pro presbyteris, ſed etiam pro reliqua Eccleſia: igitur & populus vtitur ſacramento, ſicut Chriſtus inſtituit, & quidē Chriſtus inquit Matth. vigeſimo ſexto, Bibite ex hoc omnes. vbi manifeſtè ait, de poculo vt omnes bibant. Et ne quis cauillari poſſit, quòd id tantùm ad ſacerdotes pertineat, Pauli ordinatio ad Corinthios teſtatur, totam Eccleſiam communiter vſam eſſe vtraque parte. Hic mos diu manſit etiam in Latinis Eccleſijs, nec conſtat, quando, aut quo authore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur populo ſanguinem datum eſſe. Sic ſcribit alicubi ad Cornelium Papam: Quomodo docemus, aut prouocamus eos, in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum priùs in Eccleſia poculū Domini iure cōmunicationis admittimus? Et Hieronymus inquit, Sacerdotes Euchariſtiā miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis diuidunt. Exſtat in decretis canon Pontificis Gelaſij, qui prohibet diuidi ſacramentum, his verbis: Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantùm corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant, qui proculdubiò, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius, eiuſdemq; myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt accidere. In hiſtoria tripartita ſcriptum eſt in obiurgatione Theodoſij Imperatoris, quem Ambroſius noluit ad communionem admittere ſine pœnitentia, propterea quòd Theſſalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbè vltus erat, trucidaueratq; ſeptem milia ciuium. Hic Ambroſius inquit: Quomodo his manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus, qua temeritate, ore tuo, poculum ſanguinis pretioſi percipies? &c. Conſtat igitur, veteris Eccleſiæ morem fuiſſe, dare populo vtramque ſacramenti partem. Tantum conſuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem. Non diſputabimus autem, quid ſentiendum ſit de conſuetudine recepta contra authoritatem apoſtolicæ ſcripturæ, contra canones, contra exemplum veteris Eccleſiæ. Intelligunt enim omnes pij, conſcientias de doctrina Chriſtiana verbum Dei conſulere debere, nec approbandam eſſe conſuetudinem contra verbum Dei. Quanquàm autem conſuetudo mutauerit in Latina Eccleſia veterem morem, tamen non improbat, aut prohibet. Nec verò humana authoritas prohibere ordinationem Chriſti, & receptiſſimum vſum veteris Eccleſiæ debet. Ideò nos non duximus prohibendum eſſe vſum integri ſacramenti. Et in ea cæremonia, quæ debet eſſe fœdus mutuæ dilectionis in Eccleſia, non volumus contra charitatem duri eſſe aliorum conſcientijs, qui maluerunt integro ſacramento vti, neq; ſæuitiam ea in re vllam exercendam eſſe putauimus. Sed quantum poſſumus vnà cum ipſa cæremonia, reſtituimus piam doctrinam de fructu cæremoniæ, vt intelligat populus, quomodo ſacramentum propoſitum ſit, ad conſolandas conſcientias eorum, qui agunt pœnitentiam. Hæc doctrina inuitat pios ad reuerentiam & vſum ſacramenti. Etenim non ſolùm cæremonia mutilata fuit anteà, ſed etiā neglecta doctrina præcipua de fructu. Et fortaſſis cæremoniæ mutilatio ſignificauit obſcuratum eſſe Euangelium de ſanguine Chriſti, hoc eſt, de beneficio mortis Chriſti. Nunc Dei beneficio renouatur ac reſtituitur pura doctrina de fide, vnà cum cæremonia.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum reſponſio ad Articulum de vtraq. ſpecie.

QVòd in Confeſſione Principum & Ciuitatum numeratur inter abuſus, Laicos duntaxar ſub alrera ſpecie Euchariſtiæ cõmunicari, ideoq; in Dominijs eorum vtraque ſpecies laicis detur, Reſpondendum eſt iuxta Eccleſiæ ſanctæ cõſuetudinem, malè hoc dinumerari inrer abuſus. Quin iuxta Eccleſiæ eiuſdem ſanctiones, & ſtatuta potiùs abuſum eſſe, & inobedientiam laicis dari vtrãq; ſpeciem. Nam ſub vna ſpecie panis, communicauerũt ſancti in primitiua Eccleſia, de quibus Lucas inquit: Eranr perſeuerãtes in doctrina Apoſtolorum, & cõmunicatione fractionis panis. Acto. 2. Hic Lucas ſolius panis meminit. Similirer Acto. 20. inquit: Vna autem ſabbathi cùm conueniſſemus ad frangendum panem. Imò Chriſtus inſtitutor huius ſacratiſſimi ſacramẽti reſurgens ex mortuis, ſub vna tantùm ſpecie Euchariſtiam dedit diſcipulis euntibus in Emaus, vbi accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis. Illi autem cognouerunt eum in fractione panis. Lucæ 24. vbi ſanè Auguſtinus. Chryſoſtomus, Theophilactus & Beda, quorũ aliqui ante multa ſecula, & non longè poſt Apoſtolorum tempora affirmant fuiſſe Euchariſtiam. Chriſtus quoque Ioan. 6. perſæpè meminit ſolius panis. S. Ignatius S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus in epiſtola ad Epheſios ſolius panis in Euchariſtiæ communione meminit. Idem facit B. Ambroſius in libro de ſacramentis, de communione laicorum loquens. In Concilio Remẽſi præcipitur, vt laicis deferant ſacramentum corporis, & nulla fit ibi ſpeciei mentio. Hinc ſanè intelligitur, viaticum ſub vna tantùm ſpecie datum infirmis. Comprobant antiqui canones pœnitentiales: nam Agathenſe concilium trudit criminoſum ſacerdotẽ in monaſterium, & ei tantùm laicam communionam permittit. Oſius in Sardicen. Concilio prohibet quibuſdam temerarijs, ne laicam communionem percipianr, niſi in fine pœniteanr. Fuit ergò ſemper diſcrimen in Eccleſia laicæ cõmunionis ſub vna, & ſacerdotis ſub vtraq; ſpecie. Hoc pulchrè prædictum fuit in veteri teſtamento de poſteris Heli: Futurum eſt, inquit Deus. 1. Reg. 11. vt quicunque remãſerit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteũ, & toſtam panis, dicatque: dimitte me obſecro ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam bucellam panis: Hic oſtendit ſacra ſcriptura poſteros Heli, ablato ab eis ſacerdotio, petere admitti ad vnam partem ſacerdotalem, ad buccellam panis. Sic ergò & noſtri laici vna parte ſacerdotali, vna ſpecie contenti eſſe debẽt. Nã & Romani Pontifices, Cardinaleſque, & omnes Epiſcopi & ſacerdotes extra Miſſam, & in extremis pro viatico (vt in Niceno Concilio appellatur) ſumendo, vna ſpecie contenti ſunt, quòd vtique non facerent, ſi putarent vtranque ſpeciem ad ſalutẽ eſſe neceſſariam.

Euchariſtia viaticum eſt.

Pſ. 10.

Quamuis autem multis olim in Eccleſijs vtraque ſpecies laicis data fuerit (nam tunc liberum erat ſub vna, aur ſub vtraque ſpecie communicare) tamen propter multa pericula mos iſte dandi vtranque ſpeciem deſijt: penſata enim populi multitudine vbi ſunt ſenes, iuuenes, temulenti, debiles, inepti ſi non adhibeatur magna diligentia per effuſionem liquidi, facilè fieret iniuria ſacramento. Pro tanta quoque multitudine populi, difficultas eſſet in vaſe pro ſpecie vini cautè promẽda, quod diutius aſſeruata aceſceret, ac moueret nauſeam, vel vomitum ſumentibus. Neque ſine periculo effuſionis facilè circũferri poſſet ad infirmos. his, & alijs rationibus haud dubiè ſpiritusſancti inſtinctu permotæ ſunt Eccleſiæ, in quibus mos fuit laicis vtranque ſpeciem dare, vt deinceps vna daretur: potiſſimũ eo attẽto, quod integer eſt Chriſtus ſub qualibet ſpecie, & non minùs ſub vna ſumitur, quàm ſub duabus. Sicque in Cõcilio Conſtãtienſi tã honorificè celebrato decretũ exſtitit. Sic & Synodus Baſileenſis legitimè decreuit. Et licèt liberum fuerit olim vel vna, vel vtraque ſpecie vti in Euchariſtia, inſurgenti tamen hæreſi, quæ docebat, vtramque ſpeciem eſſe neceſſariam, Eccleſia ſancta, quæ à ſpiritu ſancto dirigitur, interdixit vtranque ſpeciem laicis. Sic enim ſolet Eccleſia contrarijs aliquando conſtitutionibus hæreſes exſtinguere: vt dum orirentur, qui aſſerebant in

ſolo

ſolo azimo confici Euchatiſtiam: dum Neſtorius Mariam ſemper virginem voluit eſſe ſolùm matrem Chriſti, non Dei matrem, Eccleſia autem prohibuit eam dici Chriſto tocon. Quare petẽdum eſt à Principibus & Ciuitatibus, ne hoc ſchiſma in Germaniam, in Imp. Rom. induci, neque ſe ab vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine ſeparari patiantur. Neque moueant argumenta in hoc Articulo adducta. Nam Chriſtus quidem inſtituit vtramque ſpeciem ſacramenti, ſed nullum reperitur in Euangelio, quod vtranq; præceperit à laicis ſumẽdam. Etenim quod ait Matth. 26. Bibite ex hoc omnes, hoc duodecim Apoſtolis dictum eſt ſacerdotibus, quod ex Marco liquet, dum ait: Et biberunt ex eo omnes, quod certè in laicis hactenus non eſt completum, vnde nunquam fuit ille mos per totam Eccleſiam, vt laicis vtraq; ſpecies daretur, licèt is fortaſsè fuerit apud Corinthios, & Carthaginenſes, & alias aliquas Eccleſias. Quòd verò Gelaſium adferunt cap. Comperimus, de conſecratione, diſtin. 2. ſi inſpiciant literam, inuenient quòd de ſacerdotibus, & non de laicis loquatur Gelaſius. Vnde reijciendum eſt, quòd conſuetudinem dandi vnam ſpeciem aiunt eſſe contra ius diuinum. Omnium autem maximè reijcienda eſt appendix Articuli, quod ob id proceſſio cum Euchariſtia negligenda ſit, ſeu omittenda, quòd ſacramentum diuidatur. Nam ipſemet fide Chriſtiana ſciunt, aut ſcire ſaltem debent, Chriſtum non eſſe diuiſum, ſed integrum ſub vtraque ſpecie: Et nullibi Euangelium prohibere, diuiſionem ſpecierum ſacramentalium, id quod in die Paraſceues per vniuerſam fit Catholicorum Eccleſiam, licèt conſecratio fiat à celebrante ſub vtraq; ſpecie, qui & vtranq; ſumere debent. Quare admonendi ſunt Principes & Ciuitates, vt ſolitam reuerentiam, & honorem debitum inpendant Chriſto filio Dei viui, redemptori, & glorificatori noſtro Domino cæli, & terræ, cùm veraciter eum præſentem credant & agnoſcant, id quod à ſuis progenitoribus Chriſtianiſſimis Principibus religioſiſſimè norunt obſcuratum.

In Præfationem articulorũ quos abuſibus aſcribunt, ammaduerſio And. Fabricij.

VEritatis tanta vis eſt, vt eius iurati hoſtes, quaſcunque tandem machinentur inſidias, eãdem ſubterfugere nequeant. Author enim eſt beatus Pamphylus, Chriſti Ieſu martyr, Origenem in commentarijs epiſtolæ ad Titũ, (hæc nunc deſiderantur) ſcripſiſſe, quòd omnis ille nobis habendus ſit hæreticus, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate chriſtianæ fidei credit, quàm habeat definitio traditionis eccleſiaſticæ. Hoc ita eſſe, cùm intelligerent Prophetæ noſtri Aquilonares, ideo vt in prioris partis ſuæ Confeſſionis epilogo modò fecerant, ita & hic, ne palàm & apertè hæreticos ſe eſſe teſtentur, deterſa prorſus fronte, affirmant ſe nihil aliud docere aut profiteri, quàm habeat eccleſiaſticæ definitionis traditio: Eccleſiæ, inquiunt, apud nos de nullo articulo fidei diſſentiunt ab eccleſia Catholica. Sed vaniſſima hæc impudẽtia, deinceps, vt in ſuperioribus articulis factũ eſt, ad manifeſtam lucem cum ex noſtris tum aliorum animaduerſionibus producẽda eſt, clarumq; efficietur, Lutheranos concionatores in poſterioribus articulis non modò Eccleſiaſticis dogmatibus aduerſari, verũ etiam à ſe ipſis, proprijsq; ſententijs diſceſſiſſe. Fingunt tamen, vt iam recitatum ex ipſorum verbis mendacium tegant, ſe tantùm paucos quoſdam abuſus reprehendere, qui noui ſint, & contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti. Certè ſi abuſus duntaxat caſtigandos ſuſcepiſſent nunquàm tantas turbas in Chriſti familia excitaſſent, cùm eius rectores & paſtores quò fuerunt meliores, eò ardentiùs omnes maculas & abuſus ſublatos cupiuerunt, & hodiè etiamnum deſyderant. Primum ſummumq; Dei cultum funditùs euertunt. Fœdiſſimas libidines, confirmant, ſtupra & ſacrilegia laudibus euehunt, Iuriſiurandi ſanctitatẽ dedecorant, Cupiditatibus omnibus habenas laxant, poteſtatis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vincula diſſoluũt, & tamen paucos quoſdam abuſus duntaxat perſtringere videri volunt. Qui ad hunc ſe gerunt modum, perclarè profectò de legitimo Chriſtianæ doctrinæ vſu loquuntur & ſentiunt. Specioſus eſt iſtis abuſuum titulus, vt eorum obtentu quicquid pium, quicquid ſanctum, quicquid honeſtum, quicquid reipublicæ Chriſtianæ eſt ſalutare & neceſſarium perrumpant, ſummamq; barbariem in mores hominum inuehant. Eò nuper natum Euangelium procedere, ſi quis adeo cæcus eſt, vt non videat, etiam palpare poſſet. Quod igitur inter nouos abuſus referunt, quod canonibus repugnare dicunt,

quod vicio temporum receptum affirmant, hoc eſſe ipſiſſimam Eccleſię Chriſti traditionem, hoc eſſe antiquam fidelium doctrinã, hoc eccleſiaſticis legibus reſpondere, quiſq; intelligere poterit, qui Chriſtianam fidẽ nõ ex hæreticorum doctrina, ſed ex patrũ monumentis hauſerit. Illi ſi iuxta Prophetæ cõſilium interrogentur, quid de veritate ſentiendum ſit, nõ obſcure reſpondebunt: Qui hic Cæſaream maieſtatem rogant, vt clemẽter audiantur, qui populum Chriſtianum ab vſitata doctrina ſeuocarunt, & per textu abuſuum homines ad inobedientiam pertrahunt, ſi veteres illi Eccleſiæ ſcriptores conſulantur, vaniſſimi & crudeliſſimi animarũ parricidæ eſſe deprehendentur. Non docẽt ſcripturæ, non permittunt Apoſtoli, vt tales vel audiantur, vel foueantur. ſed vt deuitentur, necaue quidem illis dicatur, & ſententia legitimi Magiſtratus puniantur. Qui Cæſaris clemẽtiam hic requirunt, perinde petierint, vt deterrimas Imperij Chriſtiani peſtes eius Maieſtas foueat & tueatur. Sed alteram præfationis partem paucis expendamus. Nõ habeat, inquiunt, fidẽ Cæſarea Maieſtas iſtis, qui vt inflam ment odia hominum aduerſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum. Sed qui tandem illi odiorum inflãmatores? Certe intelligimus, non alios hic deſignari, quam antiquæ fidei & Apoſtolicę traditionis propugnatores, qui Ideo calumnias in populum ſpargere dicũtur, quia lupos incautis ouibus oſtẽdunt, & ne illorũ fiant eſca, quanta poſſunt prouiſione cauẽt. Omnium aũt calumniarũ, quibus ſe obrui queruntur, caput in eo eſſe repoſitum inſinuant, quod dicatur in fidei articulis ab Eccleſia catholica diſſentire. Sed ſi illud ſuperioribus animaduerſionibus nondũ ſatis cõprobauerimus, quæ ſubijcientur clariora, vt ſperamus, reddent. Inde etiã manifeſtũ erit (quòd prętera hic accuſant) Catholicos huius funeſtę Tragidiæ initijs nõ prębuiſſe bonis viris diſſidiorũ occaſionem, nec eadẽ hodie alere, ſed profligatiſſimos homines, qui animo tumẽti, & ſuperbiſſima nequitia bellum aduerſus Chriſti Eccleſiam ſponte ſuſceperũt, iuſtiſſimè repreſſiſſe. Sed ea eſt hominũ ſeditioſorũ in legitimos Magiſtratus vetus querela, quotieſcũq; per illos ſtat, quo minus ad ſuum libitũ rẽpublicã peruertere poſſunt, paſtores præbent lupis diſſidionũ occaſiones, quia in greges ouium ſuam rabiem exaſperare non permittuntur.

Affirmant deinde lupi iſti rapaces, haud dubie tolerabiliorem eſſe & doctrinæ & cerǽmoniarum formã apud ſe, quàm apud alios. Credimus ſane, ſi ſuum ingenium & cupiditates ſpectent, tolerabiliora eſſe quæ ipſi proponunt & ſequuntur, quàm quæ ſecundum Eccleſiæ Catholicæ pręſcripta exiguntur. Quid enim flagitioſis apoſtatis gratius eſſe queat, quam in locum diuinæ ſeruitutis, abdomini ſeruire? quid illis tolerabilius, quàm proculcato ſpiritali ſacrificio, ſacra veneri & Beelphegor erigere? Quid profanatoribus religionis magis acceptu, quàm omnem poteſtatẽ & iuſtitiam, ne vllas dent pœnas, pedibus ſubſternere? Sed aliam religionem, aliam ſapientiam Catholici in Eccleſia Chriſti didicerunt, tolerabiliuſque eſſe intelligunt, mille mortes ſubire, quàm tantam abominationem aliquãdo ſuis ſuffragijs cõprobare. Ne autem illi aduerſus quos agim criminentur, nos vulgi rumores ſequi, nec tã ſtudio æquitatis quàm maleuolentia aliqua ſibi reſiſti affirment, nõ poſtulamus vt fides in tantarum rerum diſceptatione Catholicis adhibeatur, niſi quæ affirmamus ſolitis rationibus, ex quibus veritas mox eluceſcat comprobata videantur. Porro in extrema huius pręludij clauſula, cum adijciunt, nihil magis prodeſſe ad dignitatem conſeruandam cæremoniarum, & alendam reuerentiam ac pietatem in populo, quàm ſi cęremoniæ rite fiant in Eccleſijs, non ſatis quid velint aſſequimur. Nam ſi rationem (quod ſuſpicamur) reddere velint, quare ipſorum doctrina & cæremoniæ ſint tolerabiliores quã Catholicorum, nihil ſane agunt. Illud ſiquidem in rebus ſacris rite fit, quod ex more bene fit & recte. Longo ſcilicet vſu & inueterata conſuetudine apud pios omnes hoc cõprobante. In ſola igitur Eccleſia Catholica, quæ longa ſerie temporum tradita fideliter conſeruat, dignitas cæremoniarum inuenitur, diuinarum legum reuerentia alitur, & pio cultu populus in officio retinetur. Apud quintiautem Euangelij prophetas, ſi illis quæ à Catholica Eccleſia ad impietatis cõfirmationem ſunt ſuffurati detrahantur, cũ omnia ſint noua, aut ex diſſipatis hæreticorum ciſternis repetita, nec vlla cæremoniarum dignitas haberi, nec populi pietas retineri, nec quicquam in eorum Eccleſijs rite fieri poteſt. Illud ita ſe habere ſequentes articuli luculentius demonſtrabunt.

Eiuſdem Andreæ Fabritij in Articulum de vtraq. ſpecie animaduerſio.

ARticulum de vtraque ſpecie cum primum diſcutere cœpimus, pauliſper meditationi habenas laxauimus, tandemque labor noſter eò excurrit, vt videremus nõ cõmode reliquorum articulorum animaduerſionibus illa quæ in eam rem ſcripſimus poſſe adiungi. Si quis igitur quid de hoc argumento ſentiendum ſit diffuſius cupiat explicatum, legere poterit nouem libros quos in ce pertractãdo cõſumpſim , ac breui, Deo

vo-

volente, euulgare decreuimus. Ibi primo libro concluditur, nec Chriſtum nec Apoſtolos mandaſſe, vt chriſtiani omnes vtraq; ſpecie ſacramenti vterentur, atque ex eorum ſactis colligi, alterius ſpeciei vſum cum diuina lege non pugnare, liberumque fuiſſe in primitiua Eccleſia, vel altera ſpecie, vel vtraque vti. Secundo autem oſtenditur, Lutheranos peruerſe & doloſe Cyprianum & Hieronymum ad confirmationem dogmatis de vtriuſque ſpeciei neceſſitate proferre, eoſque ſcriptores facto & ſcriptis contrariam ſententiam ſtabilire: Quodque Lutherani falſam ſententiam canoni Gelaſij affingant, & illos qui Catholicè ſub altera ſpecie communicant, integrum ſacramentum percipere. Tertio libro demonſtramus conſuetudinem communicandi laicos ſub altera ſpecie, nec aduerſus ſacram ſcripturam, nec aduerſus canones Eccleſię pugnare, eamque conſuetudinem non eſſe contra exemplum Eccleſiæ receptam. Duobus deinde ſequentibus libris explicatur, quàm parum tranquillam habere poſſint cõſcientiam, qui cõtempto Eccleſiæ Catholicæ iudicio, ſub altera ſpecie communicant, Lutheranorumque ſchiſma eo potiſſimum ſpectare, vt Chriſto debitus cultus detrahatur, & omnis pietas extinguatur; nec vllos magis contra Chriſti inſtitutionem ſacramentum Euchariſtiæ diuidere, quam ipſimet noſtri temporis [illegible]gelici faciant. His autem in apertum productis, mox apparuerit quanto ſcelere occaſione huius argumenti Eccleſiam Catholicam dilacerarunt illi, qui noſtro ſeculo commentitios neſcio quos abuſus ſibi caſtigandos tumenti animo ſuſceperunt. Ipſimet alioqui ſatis declarant, quã [illegible]lus doctrinæ vanitas, cum quæ ante [illegible]runt, nunc prorſus ex ſua confeſſione [illegible]dunt, nunc alia & alia ſupponendo adulterant, & ſubuertunt. In archetypo enim cum meminiſſent Cardinalis Cuſani, poſtmodũ eam clauſulam ſuſtulerunt, forte tandem agnoſcentes, quam fortiter & ſolide aduerſus Bohemos ſcribens, ſentẽtiam de vtraque ſpecie ille expugnarit, vt certe ſatius viſum fuerit, prorſus eius authoritatem non interponere, lectorique occaſionem non prebere vt de illis ſcriptis inquirat, quibus propria vanitas magis retunderetur. Præcedente autem tempore malitia & cæcitas Melãchthonis in huius argumẽti pertractatione ita excreuit, vt cum Catholicorum rationibus agnoſcere cogeretur, temere à ſua factione defendi, communionem ſub vtraque ſpecie habere neceſſarium Domini mãdatum, maluerit nouo fuco mendacium ſuum velare quam errore agnito ad reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem reſpicere. Tacet igitur in variata ſua confeſſione, Chriſtum precepiſſe, vt Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie ab omnib⁹ chriſtianis percipiatur, & ad illud quod proximum eſt, quodque imperitis pro eodẽ haberi poſſit, conuertitur. Loco mãdati Domini, eiuſdem inſtitutionem vrget: Datur, inquit, laicis vtraque pars ſacramenti in cœna Domini, quia ſacramentum inſtitutum enim non ſolum pro parte Eccleſiæ, ſcilicet pro presbyteris, ſed etiam pro reliqua Eccleſia. Quas in archetypo dixerunt ſpecies ſacramenti hic contra conſuetum loquendi modum partes vocant, vt ſemper ſe in peius proficere demonſtrẽt. Affingẽdo enim partes admirando huic myſterio, quod ſub diuerſis ſpeciebus Eccleſia Catholica vnum eſſe agnoſcit, aut Manichæorum impietatem denuo excitare, aut neſandam Neſtorij diuiſionem approbare videntur. Quod preterea inſignis ille religionis Magiſter addit de inſtitutione huius ſacramenti, plane friuolum eſt, & inane. Ita enim colligit: Sacramentum Euchariſtiæ non pro parte duntaxat Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia eſt inſtitutum, [illegible]cis igitur chriſtianis vtraque pars eiuſdem ſacramenti eſt diſtribuenda. Sed an nõ eandem ſequẽdo dialecticam abſurdiſſima quęque concludere, & humana omnia commiſcere liceat? Quidni enim pari robore ſic ratiocinemur? Deus Magiſtratum inſtituit, nõ pro parte Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia: obſcuriſſimis igitur quibuſque è populo ſumma poteſtas deferenda eſt. Nunquid etiam eiuſmodi ſophiſmate, Dathan, Core, & Abiron iuſtificare poſſumus? Quid enim obſtat vt ſic non concludamus? Sacerdotum Aaronicum, non pro parte duntaxat ſynagoge Iudæorum, ſed pro tota ſynagoga fuit inſtitutum. Impie igitur dignitatem illam ſuperiorem factio illa non vſurpauit: quodque ex eodem ſequitur, Impius eſt Deus, qui tam ſeuere in illam animaduertit. Aliud eſt igitur Deum vniuerſis Chriſtianis vel toti Eccleſiæ aliquid mãdare: aliud pro tota Eccleſia aliquid inſtituere. Quæ enim vniuerſis Chriſtianis obſeruãda mãdantur, ſuo tempore & loco ab omnibus etiam ſunt præſtãda. Sed quæ pro omnibus Chriſtianis ſunt inſtituta, non mox præceptum habent annexum, quo neceſſitas imponatur, vt quod eſt pro omnibus inſtitutũ à ſingulis vſurpetur. Ita enim Magiſtratus ciuilis & Sacerdotum diuinitus quidem ſunt inſtituta ad vtilitatem totius populi, non quidem vt à ſingulis, ſed vt ab aliquibus de cõmunitate præſtentur & exerceantur, ſemperque in populo Dei, alia fuit poteſtas eorum, qui publicã perſonam gerunt, alia autem vulgi conditio.

Viderit etiam Melāchthō cur in variata ſua confeſſione dicat, apud Catholicos obſcuratum eſſe Euangelium de ſanguine Chriſti. Qui hoc euomere in totam Eccleſiam auſus eſt, an exiſtimabitur vere credidiſſe, ſub ſpecie panis vnà cum corpore domini, ſanguinem etiam contineri? Qui ad eum modum Chriſtum dilaniat, & in multas partes diſtrahit, quid mirum, ſi tandem ex confeſſione Carolo Imperatori exhibita, extremā clauſulam ex toto ſuſtulerit? In Confeſſione enim variata, ne verbo quidem meminit proceſſionis, quæ apud Chriſtianos in ferijs venerabilis ſacramenti, celebrari ſolet, verituſq; eſt illis, propter ſolemnem ſacramenti ritum, vltra impingere quod ſacramentum diuidant. Non ignorauit etiam homo aſtutus quam variè & inconſtanter Apoſtolus Germaniæ de adoratione Euchariſtiæ ſcripſerit. Se enim & diſcipulū proprio pugione confodiens, ita ad Vualdenſes Baldenſes ſcribit: Qui non credit in Euchariſtia eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, non eſt mirum ſi ille neque ſpiritualiter, neque corporaliter adoret. Qui autem credit (quemadmodum credendum eſſe oſtendimus) ille certe vel ſine monitore corpus & ſanguinē Chriſti reuerenter & religioſe tractabit. Hæc ille, cuius verba vt diuina oracula vulgo adorantur, de fonte ipſo vnde omnis irreuerentia, quæ aduerſus tremendum illud myſterium a confeſſioniſtis committitur.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de vtraque ſpecie.

Concilium Conſtātienſe.

PRimùm hic dicam, quod non poſſit abuſus eſſe, quod tanto Patrum conſenſu definitum eſt. Nam ſacrum Conſtantienſe concilium ſeſſione 13. conſuetudinem communicandi laicos ſub vnà tantùm ſacramenti ſpecie, nempe panis, non ita recentem, ſed matura Patrum deliberatione, ad cauenda quædam, quæ inde fortè acciderant pericula ac ſcandala, rationabiliter introductam, ac diutiſſimè obſeruatam teſtatur, & quod ob hoc conſuetudo pro lege tam firma, quæ citra vniuerſalis Eccleſię authoritatem infringi non poſſit, haberi debeat. Quapropter, inquit Decretum, dicere quòd hanc conſuetudinem, aut legem obſeruare illicitum ſit, cenſeri debet erroneum: & pertinaciter aſſerentes oppoſitū præmiſſorū, tanquàm hæretici arcendi ſunt, & grauiter puniendi per Diocœſanos locorum ſeu Officiales eorum, &c. Audi etiam nunc, quam pœnam minetur ſacra Synodus ijs, qui pro ſua temeritate laicis ſacramentum corporis & ſanguinis ſub vtraq; ſpecie porrigunt. Item ipſa ſancta Synodus decreuit & declarat ſuper iſta materia Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & dominis, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum in ſpiritualibus vicarijs vbilibet conſtitutis proceſſus eſſe dirigendos, in quibus eis committatur & mādetur authoritate huius ſacri Concilij ſub pœna excommunicationis, vt effectualiter puniant contra hoc decretū excedentes eos, qui communicando populum ſub vtraque ſpecie panis & vini exhortati fuerint, & ſic faciendum eſſe ſuſcipiant, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentiā ſalutari. Qui verò ex illis ad pœnitentiam redire non curauerint, animo indurato, per cenſuras eccleſiaſticas per eos vt hæretici ſunt coercendi, inuocatio etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſecularis. Et adeò placuit iſta definitio poſterioribus, vt in Cōcilio Baſileēſi magno Patrum conſenſu non ſolùm approbata, ſed etiam renouata fuerit, & ſuper hac re tale etiamnum edidit decretum.

Conſuetudo haberi debet.

Decretū Concilij Cōſtantienſ.

Pœna porrigentium ſacramentum ſub vtraque ſpe. &c.

Laudabilis conſuetudo communicandi laicum populum ſub vna ſpecie ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſimè obſeruata, & à doctoribus, diuinæ legis, ſacrarum ſcripturarum atq; canonum multam notitiam habētibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine authoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Ex vtroq; decreto diſcis priuſquàm Concilia decreuiſſent ſub vna communicandum eſſe ſpecie, conſuetudinem illam obtinuiſſe, quodq; illa conſuetudo non ſine authoritate introducta ſit. Non poteſt ergò cōſuetudo illa inter abuſus numerari. Sed pone iam abuſum eſſe communionem ſub vna tātum ſpecie, ergó ne ille abuſus abrogari debuit à S. Concilijs? Cur ergò probarunt, cur definierunt, hunc obſeruandum eſſe abuſum? Certè ſi hic abuſus fuiſſet, fuiſſet ſanè intolerabilis, & abrogandus: nūc autem conſuetudo fuit vetus, ſicut audis, quā citra controuerſiam duo Concilia generalia ſibi ſuccedentia approbant, ſtatuuntq; hæreticum & erroneum, ſi quis fortè ei obluctetur. Et non arbitror quenquam tam miſerè errare, vt dicat iſtud decretum ſine ſpiritusſancti ſpeciali conſenſu eſſe probatum.

Cōſuetudo à Conſtantienſis Concilij in Cōcilio Baſileēſi confirmata eſt, Seſſ.30.

Communicatio ſub vna ſpecie non eſt abuſus.

Temerè ergò ſub vtraque ſpecie laicis porrigunt ſacramentum. Nam Eccleſia Catholica de vetere primùm conſuetudine, deinde ex decreto Conciliorū laicos ſub vna tantum ſpecie cōmunicat. Et iſte mos cōmunicandi laicos ſub vtraque ſpecie, non habet mandatum Domini. Quòd citant Aduerſarij: Bibite ex hoc omnes, non ad laicos, ſed Apoſtolos referri poteſt. Apoſtolos verò tunc ſacerdotes inſtituit. Et omnes Euangeliſtæ dicunt, quòd in illa cœna cum ſolis Apoſtolis diſcubuerit. Hinc vnus ex eis dicebat:

Communicatio ſub vtraque ſpecie nō habet mandatum

Matth.14.

bat: Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim, his porrexit ſacramentum ſub vtraque ſpecie. Lucas proinde teſtatur, quòd illis ipſis, quibus corpus ſuum & ſanguinem dederat ſub vtraque ſpecie, poteſtatem fecerit hoc ſacramentum conficiendi, alijsque porrigendi, imò priùs facta eſt eis iſta poteſtas conficiendi ſacramentum, quàm alteram ſpeciem ſacramenti, id eſt, vini, porrectione biberét. Priùs ergò ſacerdotes erant quàm ſacramentum ſub ſpecie vini perciperent. Sic autem habet Lucas: Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Magno conſenſu dicunt hic omnes Catholici ſcriptores, quòd Chriſtus iſtis verbis Apoſtolos & omnes in Apoſtolici muneris functionem accitos, vt ſacramenta conficiant, alijsque porrigant, ordinauerit, & poſt hanc ordinationem vt ſacerdotes, acceperunt etiam vini ſpeciem. Sequitur enim: Similiter & calicem poſtquàm cœnauit dicens: Hic eſt calix noui teſtamenti in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Et ad hunc ſenſum Lucæ, debent etiam aliorum Euangeliſtarum textus referri. Nemo ſanè inficias ierit, quòd omnibus æque Chriſtianis præceptum ſit, vt carnem Chriſti & ſanguinem bibant, iuxta illam vocem Chriſti: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Terribilis planè ſententia, qua dicuntur vita carituri, qui hoc ſacramentum non percipiunt. At nuſquam præcepit Chriſtus, quòd laici etiam debeant hoc ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub vtraque ſpecie percipere. Catholica Eccleſia ſentit, quòd tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini integrum ſit ſacramentum: & ideò qui accipit ſub ſpecie panis Euchariſtiam, ſimul corpus & ſanguinem accipiat. Hoc ſolùm intereſt inter communionem ſub vtraque ſpecie, & communionem ſub vna ſpecie, quòd illa maiorem habeat Dominicæ paſſionis expreſſionem. Non ergo negant Catholici, corpus Chriſti & ſanguinem eſſe percipienda, ſed negant à Chriſto præceptum eſſe quatenus vt ſacerdotes, ita & laici communicent ſub vtraque ſpecie. Sed hoc nolunt Aduerſarij: Sic enim referunt in Confeſſione:

Lucæ 22.

Communicatio ſub vtraque ſpecie quib. præcipiatur.

Ioan. 6.

Quid interſit inter vtramque cõmmunionem.

Et ne quis poſsit cauillari, quòd hoc ad ſacerdotes tantùm pertineat, Paulus exemplum recitat ad Corinthios, in quo apparet, totam Eccleſiam vtraq; ſpecie vſam eſſe, & diu manſit hic mos in Eccleſia. Nec conſtat quando, aut quo authore mutatus ſit.

Non dicunt Catholici, cõmunionem ſub vtraq; ſpecie ita ad ſolos ſacerdotes pertinere, vt laicis omninò concedi non poſſit, ſed quòd ea cõmunio ſacerdotibus ſolis, & non laicis ita præcepta ſit, vt nunquam liceat eis panẽ ſanctum offerre, quin ſub vtraq; ſpecie ſacramentũ ſumere debeant. Et hoc ſignificat illa pretioſi ſanguinis, quæ in cruce facta eſt, à corpore diuiſio. Cũ verò Chriſt⁹ ſacramẽtũ hoc in cibũ daret, viu⁹ erat & à ſumẽtib⁹ viu⁹ accipiebatur, neq; ſanguis ab ei⁹ corpore erat ſeiũctus. Et hinc eſt teſtimoniũ, quòd & nunc ſub vna tantum ſpecie communicare poſſint fideles, quantumuis, quod liberè cõfiteor, Eccleſia per ſpiritum ſanctum inſtructa, decernere poſſet, ſi deeſſent incommoda vt ſub vtraque ſpecie populus communicaret. Contrà verò Eccleſiæ decretum, quod nunc contrarium docet, temerè, & cùm graui peccato nunc ſub vtraque ſpecie quidam porrigunt, & quidam accipiunt Euchariſtiam. Qui enim Eccleſiam non audit, ethnicus cenſetur & publicanus; & reipſa malè porrigit, & malè accipit, qui Eccleſiaſticis decretis non obtemperat. Qui ſic manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit. Neque apparet ex Paulo, totam Corinthiorum Eccleſiam ſub vtraque ſpecie communicaſſe, & niſi doceant hoc apertius ex Paulo, non credemus eis: ſed eadem facilitate, qua ipſi probant, nos contemnimus. Sed eſto quod cõmunicauerint aliquando fideles ſub vtraq; ſpecie ex permiſſione Eccleſię, nũ ex hoc docebitur præceptũ eſſe quod nõ debeant fideles cõmunicare niſi ſub vtraque ſpecie? Minimè id quidẽ, nam hac de re nulla eſt neque in Euangelijs, neque canonicis epiſtolis, neque Patrum decretis, ſyllaba. Imò conſtat diuerſum, quòd fideles haud rarò in primitiua Eccleſia ſub vna tantùm ſpecie cõmunicauerint. Nã Ignatius Apoſtolorum ſynchronus in epiſtola ad Epheſ. recẽſet, fideles ſub panis ſpecie cõmunicaſſe, calicis interim & vini ne ſemel quidẽ meminit. Et Ambroſius in libro de ſacramentis de cõmunione laicorũ diſſerens, ſolius panis, nullam calicis facit mẽtionẽ. Gregorius refert, in Concilio Remẽſi ſtatutum fuiſſe, vt ſacerdotes infirmis corporis Chriſti ſacramẽtum afferrent, calicis nihil meminit. Et in alio cõcilio præcipitur, vt ſacerdos ſemper paratam habeat hoſtiam, nihil tale de calice decernitur. In Concilio etiam Agathenſi habetur de communione laicorum, quod ſub vna tantùm ſpecie fieri debeat. Decreta Conciliorũ Baſileen. & Conſtantien. annotauimus paulò antè. Imo videtur & ex Euangelio, quod Chriſtus ipſe exordit⁹ ſit primùm hominibus ſub vna ſpecie corpus & ſanguinem ſuũ porrigere. Sic .n. legimus apud Lucã: Et factũ eſt cùm recũberet cum eis Ieſus, accepit panẽ, & bñdixit ac fregit, & porrigabat illis,

Eccleſia variare poſſet conſuetudinẽ cõmunionis.

Matth. 18.

1. Cor. 11.

Communio ſub vtraque ſpecie non habet mandatũ, quantum ad laicos.

Ignatius.

Ambroſius.

Grego. lib. 3. Dialog.

Aliud Concilium.

Concilium Agathenſe.

Luc. 24.

Auguſtinus.

Chryſoſtom.

& mox:

Theophylus Theophylactus.

& mox: Et aperti ſunt oculi amborum, & cognouerũt eũ in fractione panis. Auguſtin⁹ libro 3. de cõſenſu Euangelico, Chryſoſtom⁹ homelia 17. vtroq; antiquior Theophyl⁹, & Theophylactus iunior, exponunt hunc locũ cõcorditer de cõmunione. Et in actis Apoſtolorum græca exemplaria apertius loquũtur de communione ſub vna ſpecie: Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. *Act. 2.* Fortè iam ſatis clarum eſt, hanc ſub vna tãtum ſpecie communicandi conſuetudinem in primitiua Eccleſia viguiſſe, & poſt audaculos quoſdam iſtis noſtris Aduerſarijs ſimiles hanc bonam cõſuetudinem anteuertiſſe, quibus poſtea Cõcilijs obuiare oportuit. Porrò quod hic addunt, non conſtare quando aut quo authore mutatus ſit mos communicandi ſub vtraque ſpecie, Catholicorum tuentur ſententiam. Arguunt enim quod iſta conſuetudo, quæ in Catholica Eccleſia hactenus perdurat, haud ita recèns nata, ſed à vetuſtiſſimis Patribus, ſicut etiam aiunt Catholicorũ Decreta, rationabiliter introducta ſit. Concedimus, tempore Cypriani apud Carthaginẽ morem ſuiſſe, vt porrigeretur fidelibus Euchariſtia ſub vtraque ſpecie, ſed non erant tunc eadem pericula, quæ poſtea magis ac magis accreuerunt, non erat tunc decretum ne fieret, vt nunc eſt, alioqui Cyprianus hãc conſuetudinem, quæ tum erat, non tolerauiſſet. Iſti temerarij nihil non audent, ſed ſtatuunt quæq; pro ſua corrupta libidine. iã addunt etiam mẽdacium probationis loco.

Communio, ſub vna ſpecie iam vetus vt neſciatur quando nata ſit.

Imò Gelaſius Papa mandat, ne diuidatur ſacramẽtum, diſtin. 2. de Conſecrat. cap. Comperimus.

Sacrum Gelaſij Papæ decretũ accipimus, ſed fallaciam iſtorum quis æquo ferat animo? Gelaſius Papa de ſacerdotib⁹ loquitur, qui fortè tum per errorem abſtinebant à ſacro calice, hoc probat capitis citati ſummarium, quod ſic ſonat: Corpus Chriſti ſine eius ſanguine ſacerdos non debet accipere. Hoc probant verba paulò ante in eadem diſtinctione allegata ex cõcilio Toletano, cap. Relatum eſt. Hoc etiam probat gloſa cap: Comperimus. Vides itaque & hoc argumẽtum veritatis declaratione eneruatum eſſe. Audi nunc alium cauillum.

Gelaſij decretum adulterant.

Conſtat autem, quod conſuetudo contra mandata Dei introducta, non ſit probanda, vt teſtantur canones diſtinct. 8. cap. Veritate, cum ſequentibus. Hæc vero conſuetudo non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam cõtra veteres canones, & exemplum eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerint vtraque ſpecie ſacramenti vti, non fuerunt cogendi, vt aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Hic manifeſtè falſum aſſumunt Aduerſarij, & ob hoc haud mirum eſt, quod ex falſo falſum concludant. Certè damus, malã cõſuetudinẽ, quæ contra mandatum Dei obtinuit, abrogandam eſſe, ſed quod cõſuetudo cõmunionis ſub vna tantũ panis ſpecie contra mandatũ Dei, contra ſcripturã, cõtra veteres canones ſit, negabunt oẽs boni viri. Nã vt nunc docuimus, nullibi in ſcripturis aut ſacris canonibus præcipitur, quod laici debeant ſub vtraq; ſpecie communicare, imò ſacri Canones præcipiunt, ne communicent ſub vtraq; ſpecie. Neque poteſt decretum decreti robur infirmare. Quare nemo exiſtimet hunc Canonem & ſequentes, quos de diſtinct. 8. allegant Aduerſarij, labefactare velle fidem receptiſſimæ conſuetudinis, quã tantus ſanctorum Patrum aſſenſus in tot cõcilijs, vbi ſpiritusſanctus fuit præſentiſſimus, approbauit. Quare, inquiunt iſti, ſi qui maluerint vtraq; ſpecie ſacramenti vti, non fuerunt cogẽdi, vt aliter facerent cum offenſione conſcientiæ. O religioſas mentes, nullum habent euidens ſcripturę teſtimonium, nullum habẽt Patrum decretum, & nullam habent rationem, quibus probent ſuam opinionem, & tamẽ volunt aduerſus laudatam Eccleſiæ conſuetudinem, aduerſus Conciliorum decreta, ſub vtraque ſpecie communicare. O pias iſtorum conſcientias, quæ malunt ſuæ opinioni, quàm Eccleſię ſubſcribere. Vide cum quanta dignitate communicent, qui cum contemptu Eccleſiaſticæ conſuetudinis, cum præuaricatione veterum canonum communicant. Sed tale fuit ſemper ab initio hæreticorum ingenium, vt qui in Eccleſiam irruptionem meditarentur, vehementer aduerſus ius faſq; inſiſterent. Nos igitur cauebimus ab eis, vt ab ethnicis & publicanis, vtpote Eccleſiæ Dei obſtreperis & iuratiſſimis inimicis. Quod in Apologia addunt iſtis Aduerſarij, Chriſtus inſtituit vtrãque partem, & inſtituit non pro parte Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia: nam non presbyteri ſolùm, ſed tota Eccleſia authoritate Chriſti, non authoritate humana vtitur ſacramento, eadem facilitate corruit, qua corruunt omnia, quæ aduerſus Eccleſiæ inſtitutum moliuntur. Ne autem hic in ſinu gaudeant, quaſi iam debellatum ſit, breuiter dicimùs, quod Chriſtus quidem vtramque ſacramenti ſpeciem pro tota Eccleſia inſtituit, ſed ob hoc ſtatim non ſequitur vtrãque ſpeciem ab omnibus eccleſiæ membris neceſſariò eſſe ſumendam. Nam ſi hoc ſtatim ſequeretur, ſequeretur etiamnum, confectionem ſacramenti ex æquo ad omnes promiſcui ſexus homines pertinere: ſequeretur quoque omnibus à peccatis abſoluendi poteſtatem eſſe factam. Nam conſecrationis & abſolutionis munera pro tota eccleſia ſunt inſtituta. Sed quam longe à vero diſſidet, quod tota

Communio ſub vna ſpecie non eſt contra ſcripturã.

Eccle-

Ecleſia conſecrare & abſoluere debeat, tam longè à præcepto eſt, quod omnes fideles teneantur ſub vtraq; ſpecie communicare. Et verè tota Eccleſia vtitur hoc ſacramēto corporis & ſanguinis Chriſti, non humana authoritate tantum, ſed & authoritate Chriſti, non tamen vtitur eo ſub vtraqne ſpecie de authoritate Chriſti, qui laicis nihil præcepit de vtraque ſpecie, ſed tantum ſacerdotibus. Hactenus nobis de communione ſub vtraque ſpecie dictum ſit, quod non ſit de mādato Dei, tametſi eccleſia hoc decernere poſſet, vt cōmunicarēt etiam laici ſub vtraque ſpecie, ſicut iam diuerſum in Cōcilijs definiuit, quod grauiter cōſcientiam ſuam maculent, qui contra orationem Eccleſiæ ſub vtraque ſpecie cōmunicant, & in primis qui rudi populo hoc perſuadent.

Ioannis Cochlæi diſcuſſio Articuli de vtraque ſpecie.

Mendacium.

FAlſò iactitant in Confeſſione ſua Proteſtantes, quod de nullo Articulo fidei ab Eccleſia Catholica diſſentiant, falſitas enim iſta ex ſupradictis patet. Quod ſi opus foret, poſſent vel ſexcenti enumerari ex diuerſis Concionatorum ſuorū libris articuli, in quibus longe aliter ſentiunt, quàm ſentit Eccleſia Catholica. Quod & ex ipſo facto apertiſſimum eſt. Quanta ſunt enim in ipſorum Eccleſijs per vigintiduos annos mutata? Certè lōge alia eſt nunc ibi facies, vſus & diſpoſitio omnium rituum & ſacrorum, quàm fuit antea. Quod autē vſum vnius ſpeciei in adminiſtratione Euchariſtię pro abuſu haberi volunt, non rectè faciunt. Poſſumus enim & ex ſcripturis, & antiquis ſcriptoribus luculenter probare, quod extra Miſſam ſemper licitum fuerit vna ſpecie vti. Nam quando in Emaus duo diſcipuli Dominum in fractione panis cognouerūt, atteſtātur magni & claſſici authores, Auguſtinꝰ, Chryſoſtomꝰ, Theophilactus, Beda, &c. nō ſimplicē aut naturalē iam amplius, ſed benedictione Domini conſecratū fuiſſe panē, hoc eſt, verū corpus Domini. Quod & de illa fractione panis dici poteſt, de qua in actibus Apoſtolorum legitur. Diſertè enim ibi dicitur, In cōmunicatione fractionis panis. Item, Frangentes pa[illegible] circa domos cum exſultatione cibū ſumebāt. Itē, Vna autem ſabbathi cum conueniſſemus ad frangendū panē. Certè non fruſtra ibi dicitur, Cōmunicatio. Quod ſi fractio illa panis non cōſecrati ſed ſimplicis & naturalis panis fuiſſet, rectius dixiſſet Lucas, cum exſultatione illum ſumebant, quàm, Cum exſultatione cibum ſumebant. Neque opus fuiſſet vna Sabbathi conuenire ad frangendum panem ſimplicem, & naturalem, hunc enim domi ſumere cuique licebat, ſicut manifeſtè docet Paulus, vbi arguit Corinthios, dicens: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Et hæc ex ſcripturis.

Extra Miſſā vſus vnius ſpeciei ſemper in Eccleſia. *Luc. 24.* *Act. 20.* *Fractio panis* *1. Cor. 11.*

Teſtimonia Patrum de vna ſpecie.

Ex Patribus autem manifeſtè narrant exempla Tertullianus, Cyprianꝰ, & Ambroſius, ex quibus liquet, extra Miſſam vnius ſpeciei vſum ſemper licitum fuiſſe. Tertullianus libro 2. ad vxorem ſuam, Cyprianus in ſermone de lapſis, Ambroſius in libro de exceſſu fratris ſui Satyri, vbi omnes narrant Euchariſtiam ſub ſpecie panis reſeruatā fuiſſe. Tertullianus & Cyprianus domi in arca priuatim tempore perſecutionis, quando in vnū conuenire quotidie nō licebat. Ambroſius in orario, in naui, quādo frater eius recepit Euchariſtiam, & ſuſpendit eam in collo ſuo, vt eius præſidio è naufragio euaderet, quod & factum fuit.

Ciboria ante mille annos.

Legimus præterea in vita Simmachi Papę, quod in duabus Eccleſijs, quas conſtruxit, Ciboria fecerit argentea. Is aūt Papa ante mille annos mortuus eſt. Leguntur item antiqui Conciliorum Canones, in quibus præceptum eſt ſacerdotibus, vt ſemper habeant in Eccleſijs Euchariſtiam pro infirmis paratam, ne ſine viatico diſcedant. Certa proinde pœna conſtituta fuit presbytero, qui non bene cuſtodierit Euchariſtiam, ſi fortè mus aūt aliud animal arroſerit, aut ſi pars in terram ceciderit & inuenta non ſit. Ex his omnibus facilè patet, quod nō ſit res per ſeſe illicita extra Miſſam ſub vna ſpecie Euchariſtiam ſumere. Imò nullū exſtat receptū aut probatum ab Eccleſia exemplū ſumēdi Euchariſtiam extra Miſſam ſub vtraque ſpecie.

De cōſec. diſt. 2. cap. Presbyter cum ſeq. &c. *Nota.*

Gelaſij canones.

Quod igitur in Confeſſione ex Gelaſio Papa obijcitur, intelligendum eſt (vt declarat & Rubrica & Gloſa ibidē atque etiam alij Canones duo proximè præcedentes) de ſacerdote ſacrificante, cui certè non licet in ſacrificio vnā duntaxat ſpeciem ſumere. Extra ſacrificium vero neque ſacerdotibus, neque laicis vnquam illicitū fuit vna ſpecie vti. Cōſuetudo igitur communicandi ſub vna ſpecie, nequaquam eſt contra mandatum Dei: Nuſquam enim mandat Chriſtus, aut Paulus, aut aliquis Apoſtolorum, vt extra Miſſam nō niſi ſub vtraqne ſpecie communicetur. Non eſt igitur dicenda Sacramenti diuiſio, vbi vel laicis porrigitur, vel pro infirmis in pixide reſeruatur, vel in Monſtrantijs venerabiliter circūfertur ſub vna dūtaxat ſpecie ſacratiſſima Euchariſtia. Licèt enim altera ibi ſpecies externa, nēpe vini non adſit, adeſt tamen res Sacramenti tota, totus ſcilicet Chriſtus, verus Deus & homo.

Vna vti ſpecie non eſt mandatum Chriſti.

Quamuis vero dici ſoleat corpus Domini, ex eo quod verba conſecrationis ſuper panē dicta, expreſſam tantum de corpore Chriſti

men-

mentionem faciunt,& conuerſio ſubſtantialis (quã vulgo tranſſubſtantiationẽ dicimus) directè à panis ſubſtantia in corpus Domini tendit: concomitanter tamen adſunt & alia, quæ Chriſti ſunt, vt ſanguis, anima, deitas, atque adeò totus Chriſtus, verus Deus & homo, cui adoratio & latriæ cultus ſummo iure debetur. Proinde impijſſimus eſt iſte ſectarum nouarum error, quo putatur in hoſtia conſecrata, quæ ſeorſum ſine calice conſecrati vini repoſita, ſeruatur vel in Ciborijs, vel in Monſtrantijs, aut extra Miſſam porrigitur infirmis, nõ eſſe verum corpus Domini. Vnde fit vt in terris & Dominijs Proteſtantium, propter hunc errorem non liceat hoſtiam conſecratam vel per plateas ad infirmos portare, vel in Ciborijs reſeruare in templis, vel in publica proceſſione venerabiliter deuotionis gratia circũferre. Et quod adhuc longe horribilius eſt, non licet in ijſdem Dominijs verum corpus domini aut eius ſanguinem Deo in odorem ſuauitatis, aut veram Miſſam vllam celebrare, neque licet ibi amplius tranſſubſtantiationẽ panis & vini, in corpus & ſanguinẽ Chriſti confiteri. Hi ſunt profectò maximi, & horrendiſſimi abuſus Euchariſtiæ. Quibus & iſte accedit, haud leuis ſane error, aut paruus abuſus, quod ſacramento hoc vnitatis omnes Proteſtantiũ Eccleſiæ abutuntur in ſchiſmate contra Eccleſiam Catholicam, in odio contra Papam, & omnẽ clerum Catholicum, & in peccatis nõ rite confeſſis. Hæ nimirũ ſunt trabes magnæ ex oculis diſſidẽtium à nobis fratrũ, ſalubriter & quãtocius extrahendę, ad quarum collationẽ ſane contentio de vtraq; ſpecie vix feſtucæ rationem habet. Eſt enim cẽtuplo grauius communicare in ſchiſmate cõtra Eccleſiam excitato, ſiue id ſub vna, ſiue ſub vtraq; ſpecie fiat, quàm cõmunicare extra Miſſam ſub vna duntaxat ſpecie. Cõmunicare .n. ſub vna ſpecie, neq; Chriſtus, neq; Paulus prohibuit vſquã: Communicare verò in ſchiſmate maximè prohibuerũt ambo. Chriſtus .n. ait, Vt ſit vnũ in nobis, ſicut nos vnũ ſumus. Paulus verò, Obſecro vt idipſum dicatis omnes, & non ſint inter vos ſchiſmata. Itẽ vnus panis & vnũ corpus ſum⁹ oẽs, qui de vno pane mãducamus omnes. Certè adeo magnũ eſt peccatum hodie contra Eccleſiæ conſuetudinẽ & contra generalium Conciliorum conſtitutionem & decretum, ſub vtraque ſpecie extra Miſſam per rebellionem communicare, vt ſcriptura idololatrię illud (quę eſt grauiſſimum peccatum) cõparauerit, & ſimilia eſſe dixerit, in hæc ſane verba; Quaſi peccatũ ariolandi, eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.

Error impijſſimus. — *Abuſus grauiſſimus.* — *Trabes in oculis Proteſtantium.* — *Ioan. 17.* — *1. Cor. 1. & 10.* — *1. Reg. 15.*

Negamus igitur ea, quæ hac de re contra veritatem aſſerit in Apologia Philippus. Neque enim pium eſt, neque Chriſti Inſtitutioni, aut verbis Pauli conſentaneum, vti vtraque ſpecie in ſchiſmate, ſicut vbique faciunt in Eccleſijs ſuis Proteſtantes. Quod autem ait, Chriſtum inſtituiſſe vtramque partem non pro parte Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia, hoc quidem concedimus, ſi rectè intelligatur. Et addimus etiam, quod Chriſtus pro nullo ſchiſmate vllam inſtituerit partem, quia inſtituit ſacramentum vnitatis, non diuiſionis: dilectionis, non odij, non ſeparationis, non ſchiſmatis. Certè pro tota Eccleſia inſtituit Dominus vtramque ſpeciem huius ſacramenti, propterea in Catholica Eccleſia vbiq; vtraque ſpecies pro tota Eccleſia conſecratur & offertur à ſacerdotibus, vti ex ſacro Canone Miſſæ manifeſtum eſt. Atque etiam ex Euangelio, vbi ſacerdotibus, (qui Apoſtolorum loco ſunt) ait Dominus, Hoc facite in meam commemorationem. Niſi enim hoc verbum, Facite, ibi pro conficite, ſeu conſecrate accipiatur, non poterimus ex vlla ſcriptura facilè demonſtrare, conſecrandi poteſtatẽ ſacerdotibus à Chriſto eſſe datam. Scriptura enim nuſquam dicit, quod ex pane & vino fiat verum corpus, & verus ſanguis Chriſti, per prolationẽ verborũ Chriſti à ſacerdote factam. Cõſecratur itaque, & offertur Euchariſtiæ ſacramentum & ſacrificium, non pro parte Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia.

Vtraque ſpecies pro tota Eccleſia in ſacrificio. — *Lucæ 22.* — *Hoc facite in meam commemorationem.*

Non autem ſumitur ab omnibus pro tota Eccleſia, ſed quicunque ſumit, ſicut per ſeipſum, ita & pro ſeipſo ſumit, non pro alijs. Non enim alijs ſed ſibi prodeſt, quicunque dignè ſumit, ſicut & econtrà non alijs, ſed ſibi nocet, quicunque ſumit indignè. Præterea non ſumũt paruuli, non fatui, non energumeni, non Catechumeni, non pœnitentes publicè, & tamẽ pro ipſis quoque conſecratur, & offertur in ſacrificio Miſſæ. Nemo igitur neceſſariò adſtrictus eſt ad vtrãq; ſpeciẽ ſumendam, præterquam ſacerdos conſecrãs & offerens. Reliqui quotquot ſumunt, tantùm ſumunt ſub vna ſpecie, quantum ſacerdos ſub vtraque. Non igitur partem, ſed totum ſacramentum reipſa ſumunt, licet ſecũdum externum ſignum (quod tamen nulla ſubſtantia, ſed merum accidens eſt) partẽ ſacramenti ſumere dicantur, in re autem ipſa nihil minus ſumunt, quàm ſumit ſacerdos celebrans. Vaniſſima igitur & improbiſſima minimeque neceſſaria eſt illa Proteſtãtium de vtraque ſpecie contentio, per quam ſanè vt vmbra merè accidentalem vtriuſque ſpeciei apprehendant vera[illegible] ſubſtantiam & rem ſacramenti, corpus [illegible]guinem Chriſti, aut ſumunt indignè propter ſchiſma quod faciunt, aut omnino non ſumunt, ſi non ſit à legitimo ſacerdote conſecratum.

Pro alijs non ſumitur, ſed offertur. — *Totum ſacramentum.*

Sumi-

Similes in hoc (abſit iniuria comparationi) Aeſopico cani, qui per aquam tranſiens, verã carnem, quam in ore aut rictu portat, dimittit, vt vmbram eius, quæ ſibi per aquam maior quàm ipſa caro videtur, apprehẽdat. *Idololatria Proteſtantiũ.* Heu quanta eſt hæc animarum perditio, Si enim verè ſumunt ibi corpus Domini, ſumunt indignè, vtpotè in ſchiſmate. Si autem ſumunt pro vero corpore Domini, merum panem non ritè conſecratum idololatriam committunt, adorantes purum panem piſtũ pro corpore Chriſti, atque adeò pro ipſo Chriſto, Deo creatore & redemptore ſuo, idquod (proh dolor) frequentiſſimè faciunt, habent enim presbyteros multos voce tantùm, & ſecundum externam ſpeciem, qui reipſa & intus meri ſunt laici, quippe à nullo Epiſcopo vero ritè conſecrati, & in presbyteros ordinati. Hi ſunt verè grandes & horrẽdi abuſus. Communicare autem ſub vna ſpecie extra Miſſam, nequaquam eſt abuſus, quia nuſquã prohibitum eſt.

Rectius vtraq; ſpecies, quam vtraq; pars dicitur. Quod autem nunc nouo loquendi modo Philippus non vtranq; ſpeciem, ſed vtranq; partem vocat, aliquid noui monſtri alere videtur. Nos certè antiqua Eccleſiæ fide credimus, laicos atq; etiam ſacerdotes extra Miſſam ſub vna ſpecie huius ſacramenti, nõ partem rei contentæ, ſed totam rem contentam, nempe totum Chriſtũ ſumere. Quod ſi Philippus credat, ſub pane (vt ipſe loquitur) aut ſub ſpecie panis, (vt nos loquimur) tantummodo partem eſſe, hoc eſt, ſolum corpus, & carnem Chriſti, & nõ ſanguinem, animamq; & deitatem eiuſdẽ, falſiſſimam habet de hoc ſacramento fidem, quia negans concomitantiam, putat ſe ſumere ſolam carnem Chriſti ſine ſanguine, qual.s profectò in rerum natura nuſquam eſt. Eſt ergo merè phantaſtica talis caro, non reuera caro Chriſti, adhuc phantaſtica capitis, quod ſibi talem carnem effingit, vaniorem certè adhuc, quàm ſit vmbra carnis, propter quã canis in aqua veram carnem dimittit.

Calumnia Reliquas Philippi falſitates & calumnias circa hunc Articulum, multis confutare verbis neqnaquam eſt neceſſarium. Non enim pœnæ cauſa ſubtrahitur laicis, atque etiam ſacerdotibus extra Miſſam conſtitutis, altera ſpecies ſacramenti, ſed in bonum potiùs eorum, ne fiant rei Chriſto per effuſionem precioſiſſimi ſanguinis eius in terram, atque per hoc ſumant ſibi hoc ſacramentum, nõ ad ſalutem, ſed in iudicium. *Super eodem art.* Et hoc quoque falſum eſt, quod nullum huius rei vetus exemplum afferre poſſimus. Nos enim ſupra attulimus multa, & quidem vetuſtiſſima, tum ex ſcripturis, tum ex antiquis authoribꝰ. *Prohibitio alterius ſpeciei defenditur.* Quod autem ait, prohibitionem alterius ſpeciei nõ poſſe defendi, egregiè fallitur: Tum quia iã pridem defenſa eſt à plurimis contra Bohemos, inter quos & Gerſon Pariſienſis Cancellarius reperitur, quem Philippus ipſe diuino ſpiritu illuminatum olim dixit, & Nicolaus de Cuſa Cardinalis: Tum quia prohibitio illa non eſt vniuerſalis, neque loco, neq; tempore. Non loco, quia non prohibet ijs, qui ſemper vtriuſque ſpeciei vſum etiã pro laicis habuerunt, ſed ijs tantùm, qui iam antea vſum vnius ſpeciei receperant: propter nouitatem autem Bohemorum, Calixtinorum (quandoquidem & illi iampridem antea vnius ſpeciei vſum habuerant) dubitabant, aut malè illorũ exemplo reprehendebant. Contra huiuſmodi igitur nouitatem erroneam, prohibuerunt generalia Concilia, ne quis vſum vnius ſpeciei extra Miſſam reprehẽdat, néue ſine Papæ licentia eum vſum aboleat, & nouum, ſicut Bohemi temerè ſecerunt, ſuapte authoritate introducat: quia per nouitatem turbaret Eccleſiæ pacem, ſicut grauiſſimè turbant eam (proh dolor) Proteſtantes.

Ioannis Hoffmeiſteri iudicium ſuper Articulo de vtraque ſpecie.

QVòd laicis vtramq; ſpeciem ſacramenti porrigunt Aduerſarij, ſcimus, & mallemus ipſos Doctoris ſui Lutheri approbaſſe & ſequutos fuiſſe ſententiam, quàm diuerſum, non citra temeritatem attentaſſe. Scripſit autem illorum alpha Lutherus, dum adhuc meliorem ſpem de ſe præberet, neque dum frontem omnino perfricuiſſet, in hanc ſententiam: Non dixi, neque conſului, neque eſt intentio mea, vt vnus aut aliquot Epiſcopi propria authoritate incipiant alicubi vtramque ſpeciem porrigere, niſi ita conſtitueretur ac mandaretur in Concilio generali. Hactenus ille in declaratione Euchariſtiæ: qui vtinam non mutaſſet ſententiam. Ego certè ſicut non poſſum negare veteris Eccleſiæ vſum in adminiſtratione ſacroſanctæ Euchariſtię, ita non poſſum probare Aduerſariorum temeritatem. Et vtinam maiori diligentia inculcaſſent plebiũ auribus, quod Paulus dicit: Qui manducat & bibit indignè, *1. Cor 11.* iudicium ſibi manducat & bibit, &c. quàm illud: Bibite ex hoc omnes. Plurimum refert, crede mihi, non quibus ſub ſpeciebus, ſed quo animo ſuſcipias Chriſti corpus, & ſanguinem. Sed quid dicam? Aduerſarij reuocari volunt veterem communicandi vſum: quod ſi reuocarent etiam veterem excommunicandi vſum, vereor ne habituri eſſent multos, qui auderent vel adſtare ſacramenti huius de quo loquimur, diſpenſationi, vos (vereor ne & nos) illis porrigitis corpus Dominicum, quos veteres vix Chriſtiano nomine dignos cenſuiſſent. Sed ſi hæc Aduerſarij plebibus ſuis inculcarent, non tam

Eſaie 3. benignos baberent auditores. Quid ille? Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Sed ad rem propius. Legimus inſtitutionem huius Sacramenti in Euangelijs, & eius vſum atque rememorationem in Apoſtolicis literis, nec nos latet qualis fuerit vſus Patrum ſuperioris ſeculi. Et ex S. Thoma Aquinate apparet, vſum vtriuſque ſpeciei fuiſſe ſuo, ſæculo in multis Eccleſijs. 3. par. q. 80. art. 12. Neque tamen is ſum, qui exiſtimem hac in re vel temerè, vel impiè ab eccleſiaſticis, qui noſtrum vſum obſeruare docuerunt, tentatum eſſe. Quod ſi quis pergat dicere, Patres qui noſtrum vſum & docuerunt, & probarunt, nec fuiſſe pios, nec doctos, videat ne ipſe impius & indoctus conuincatur proteruè cornicum, quod dicitur, oculos cõfigere. Certè me non parum mouet, quod vſus noſter tam diu obtinuerit in Eccleſia, vt non conſtet certò, quis nam eius author fuerit. Profectò ſi impium foret altera tantũ ſpecie Eccleſiæ vti, tot ſancti Deoq́; deuotiſſimi Patres ac doctores vtique ad eiuſmodi errorem ſopiendũ incubuiſſent. An verò à tempore illo nullus albæ, quod dicitur, gallinæ filius prorepſit, qui potuiſſet inſtitutum Chriſti vendicare? Quæ enim Chriſtiana religio erroris neſcia ſuſcipit, ait Damaſcenus, & in tot ſecula ſeruat inconcuſſa, minimè vana ſunt, ſed vtilia, Deo placita, ſalutique noſtræ conducibilia plurimum. Soli Luthero ſcilicet reſeruatum eſt, vt tanquam alter Eſdras Domini legem reſtauraret. Addam, non latet Aduerſarios, quid olim in adminiſtratione Euchariſtiæ immutatum fuerit à Patribus. Quare ad imitationem veteris Eccleſiæ non etiam communicant infantes corpore & ſanguine Domini? Quare non ad imitationem
1.Cor.11. Eccleſiæ Corinthiorũ collatis epulis in templo ſub cœnam Domini conuiuantur? immutatum, & antiquatum hoc eſſe, dicent. Accipimus. Exſpectare ergo oportebat & ipſos, hac in re Eccleſiæ iudicium. Quod ſi cum Luthero ſuo hic perrexerint, nolle audire Eccleſiã in eo quod à Chriſto inſtitutũ eſt, periculum eſt, ne aliquot illorum dogmata caſura ſint. Recordentur dogmatis ſui de non expreſſe præceptis, &c. Enimuerò ſubdubito, Aduerſarios ſua temeritate in altiſſimæ negocio cõcordiæ dediſſe cauſam Sacramentariorum temeritati: imò & prouocaſſe Iram Domini, (qui illud voluit eſſe Symbolum pacis, quod illi fecerunt teſſeram omniũ litium) vt vulpes iſtas peſtilentiſſimas, Sacramentarios puta, non prohibuerit. An ne diſcipulis Lutheranorum accidit, quod cani illi Aeſopico?
Sic Irenæus aduerſus hære. lib. 2. cap. 12. An non pro carne vmbram acceperunt? Noluerunt ab Eccleſia, quę ipſos Chriſto genuerat, accipere ſub ſpeciebus panis verum corpus Domini vtique non præter ſanguinem: & coacti ſunt à ſuis accipere inania ſigna, panem & vinum. Et hic vide gradus, per quos deuentum eſt ad hanc Sacramentariorum hæreſim. Lutherus ab initio negauit authoritatem Eccleſiæ: qua negata licebit cuilibet ex proprio capite ſibi fingere nouas ſcripturæ interpretationes, aut potiùs deprauationes. Lutherus ergo contempta Eccleſiæ interpretatione, tranſſubſtantiationem impugnat, ſuaq́ue interpretatione confirmare conatur. Hoc videns Zuuinglius contempta & Eccleſię, & Lutheri interpretatione, propriã adſert, cum Luthero in cœna vult habere panem, vinum, contra Eccleſiam verò & ipſum Lutherum negat corpus & ſanguinem Domini in cœna. Rogas qua authoritate? Ea, qua Lutherus tranſſubſtantiationem impugnat, nimirum proprijs adinuentionibus Eccleſiã contemnendo, & nouam verborum Chriſti fingendo interpretationem. Hæc igitur videntes Anabaptiſtę, neque Eccleſiam, neque Lutherum, neque Zuuingliũ audire volunt, & etiam ſibi ſua & noua fingunt ſomnia. Sed hæc ſatis pro tempore. Meo iudicio Eccleſia noſtra, quæ Euangelium Chriſti & habet, & ſequitur, quæ à ſpiritu ſancto in omnem veritatem ducitur, adeoq́; eſt columna, & firmamentam veritatis, nihil temerè, ſicut & ſupra admonuimus, nihil impiè immutauit: & huius ipſius matris noſtræ exſpectamus ſententiam tam in his quàm in alijs. Cur ergo matri meæ contradicerem? Hæc mihi Euangelium tradidit, huius itaque interpretationem ab illa non iniuria exſpectare me puto. Quod Aduerſarij allegãt Euangelium, Apoſtolos, Patres, nihil hic nos remoretur. Scripturis ſacris ſuam authoritatem ſaluam, & ſacroſanctam volumus, Patrum item non contemnimus teſtimonia, ſed horum omnium ſenſum ceu diximus, à ſpiritu Eccleſiæ exſpectamus. A noſtris dictum eſt, quod à nobis hoc loci dici potuit: ab illis ergo pius lector copioſiora quęrat. Neminem ex Catholicis legimus hactenus, qui non volens in hoc negocio exſpectet iudicium Eccleſiæ, & in horum ſententiam manibus & pedibus concedo.

Alfonſi Viruesij Philippica decima ſeptima.

COmmunio ſub vtraque ſpecie, de qua Philippus oppidò quàm inſolenter diſſerit, biſariam poteſt à laicis vſurpari: aut quia Chriſtum non eſſe ſub alterutra credunt: aut quia non exiſtimant ſatisfieri Chriſti præcepto, niſi ſub vtraq; ſpecie communicent. Horum prius nemo hactenus credidit præter eos, qui vſque adeò inſaniunt, vt negent realem Chriſti præſentiam in ſacramento. Quorum hæreſim præſenti opere non attingimus: tantùm cum illis agimus, qui de ſacramento Euchariſtiæ Catholicè cre-

credũt, ſed non perinde (quamuis religionis cauſam ſuæ temeritati prætexunt) religioſè, & pacificè vtuntur. Quo igitur nomine appellem hunc nouum ritum, quem priuato conſilio aduerſus vniuerſalem Eccleſiam inuexiſti? Credite nobiſcum, Chriſtum non diuidi ſpecierum varietate, vt in altera ſolus ſit ſanguis, in altera ſola ſit caro, alioqui in neutra eſſet Chriſtus, nec in vtraque quidem, cũ neque caro ſine ſanguine viueret, neque ſãguis eſſet viuus extra carnem. Cum ergo non eſtis vnius ſpeciei cõmunione contenti, quia creditis neceſſarium eſſe vnicuique fidelium ad æternæ vitæ conſecutionem, vt ſub vtraque ſpecie communicet, ſic enim habet veſtra cõfeſsio: Laicis datur vtraque ſpecies ſacramẽti in cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini, Bibite ex hoc omnes, vbi manifeſtè præcipit Chriſtus de poculo vt omnes bibant, &c. Falſa igitur eſt hactenus Eccleſia, quæ tam multis ſeculis hunc morem intermiſit. Non enim conſtat, vt vos ipſi in Confeſsione veſtra fatemini, quando, aut quo authore mutatus ſit mos geminæ cõmunionis: quod proculdubio facilè conſtaret, ſi non iã eſſet vetuſtiſsima iſta mutatio. Quòd ſi admiſerimus, Eccleſiam tot ſeculis erraſſe, videtis quam multa infideles aduerſum nos colligerent abſurda. Nam, vt cætera prætermittam,
Matth.28. quonam authore errauit? Illo nimirum, qui
Ioan.16. pollicitus eſt, ei ſe adfuturũ vſq; ad ſeculi finem, quique ſpiritumſanctum illi promiſit à quo doceretur omnem veritatem. Quomodo verò hanc docuit, citra quam (cum tamen à vobis neceſſaria ad ſalutis æternæ cõſequutionem aſſeratur) vniuerſa Eccleſia per tot ſecula errauit? Hanc obiectionem diluit Philippus huiuſmodi verbis: Nos, inquit, Eccleſiam excuſamus, quæ hanc iniuriam pertulit, cum vtraque pars ei contingere non poſſet: ſed authores, qui defendunt rectè prohiberi vſum integri ſacramenti, quique non ſolum prohibent, ſed etiam vtẽtes integro ſacramẽto excommunicant, & vi perſequuntur, non excuſamus: ipſi viderint, quomodo Deo rationem ſuorum conſiliorum reddituri ſint.

Nec ſtatim iudicandum eſt, Eccleſiam conſtituere aut probare, quicquid Pontifices conſtituunt, præſertim cum ſcriptura de Epiſco-
Ezech.7. pis & Sacerdotibus vaticinetur in hanc ſententiam, vt Ezechiel ait: Peribit lex à Sacerdote. Philippus his verbis ita cauſam Eccleſię agit, vt in ius trahat plures, non modo Pontifices & Epiſcopos, verum & viros non minus pietatis obſeruatione, quam ſapientiæ fulgore conſpicuos, quorum tempore conſtat intermiſſum fuiſſe morem communicandi ſub vtraque ſpecie. Eſt enim vſqueadeò vetuſtus vnius ſpeciei vſus in cõmunione, vt eius initium nec Aduerſarij quidem inuenire potuerint. Eſt apud Euſebium Cæſarienſem lib.6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap.34. epiſtola Dionyſij vetuſtioris aliquando Epiſcopi, viri pietate iuxta atque eruditione inſignis, qua non obſcurè ſignificatur, Euchariſtiæ ſacramentum vnica ſpecie iam tum ſolitum tradi ſaltem infirmis: Eius verba vt interpretata ſunt à Ruffino tranſcribam: Dionyſius verò ab hoc ſcribendo ad ſupradictum Fabianum intexit etiam quandam hiſtoriam dignam memoria, dicens Serapionem quendam fuiſſe apud Alexandriam, vnum ex his, qui lapſi ſunt, eundemq́; ſæpè deprecatum, vt ſuſciperetur, nec tamen impetraſſe. Oppreſſum hunc deinde ægritudine, ita vt triduò iam ſine voce prorſus iaceret. Paululum verò quarta die reſpirantem vocaſſe ad ſe filiam ſuam, & dixiſſe: Quouſq; me detinetis? Quęſo vos, cito aliquis presbyterũ roget, vt poſſim aliquando dimitti: & cum hoc dixiſſet, rurſum ſine voce permãſit. Abijt curſu puer ad presbyterum noctis tempore. Infirmabatur presbyter, venire non potuit, tamen quia præceptum fuerat à me, vt lapſis in exitu nemo cõſolationis ſolatia denegaret, & maximè his, quos priùs id rogaſſe conſtaret: parum Euchariſtiæ puero dedit, qui ad ſe venerat, quod infuſum iuſſit ſeni præberi. Regrediente adhuc puero, antequam domum ingrederetur, rurſus Serapion reſpiciens, Rediſti, inquit, fili? & licèt presbyter venire nõ potuerit, tu tamen imple, quod tibi præceptum eſt, vt poſſim diſcedere. Cumq́ue eſſet completa ſolemnitas, velut cathenis quibuſdam vinculiſq́ue diſruptis, lætiorem iam ſpiritum reddidit, &c. Hæc Euſebius. Vnde quod ſacramentum commiſſum eſt puero, quod parum Euchariſtiæ datum, quod infundi iuſſum, vino ſcilicet, aut aqua quo ſumi poſſet ab ægroto, qui moribundus & æſtuans deglutire nequibat, omnia hæc declarant in ſpecie panis accidiſſe. Nam ſi moris eſſet, ſpeciem vini dari, nõ fuiſſet opus infuſionis tam disertè meminiſſe. Sed vſa fuerit aliquando Eccleſiæ vtraque ſpecie: At eadẽ generali Synodo mutauit hanc conſuetudinem: quinimò ætates iuſtiſſimis cauſis mutatam eiſdem reſtitui vetauit. Nec authoritatem, quã Philippus detrahere Pontificibus verbis Prophetæ conatur, vniuerſalis Synodi decretis negare poterit, tametſi nihil ſit tam firmum, & euidens, quod non poſſit apud ignaros eleuari. Vnde & aduerſus hæc, & id genus alia argumenta obijcitur Chriſti præceptum, quod nullis hominum conſuetudinibus, aut decretis poſſit labefactari: *Bibite, inquit Chriſtus, ex hoc omnes.* Nos Chri- Matth.26.
ſti præcepta labefactare nõ conamur, ſed intelligere, nec animum inducere poſſumus, Eccleſiam vllo tempore Chriſti præceptum

deſeruiſſe, nedum aduerſus illud quicquam publicè decreuiſſe. Cum enim generalis Concilij decreta produxerim, nó me exiſtimo humanam conſuetudinem, aut humanas allegaſſe leges, ſed diuinas, quandoquidem eo loco habenda ſunt omnia, quæ generali Synodo ſanciuntur, maximè ſi totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſus acceſſerit, non ſuffragiorum (quod fieri nequit) collatione, ſed vniuerſorum, qui aliàs nunquàm diſceſſerant ab Eccleſia, obedientia, & approbatione proceſſus. Conſideremus tamen ſi placet, qui ſint illi, quibus præcipitur vt bibant: Nempe Apoſtoli Chriſti duodecim, cũ quibus diſcumbebat, vt narrat Matthæus, quibus ſuccedunt Epiſcopi & presbyteri: ita vt ſi ad homines illos verba Chriſti referas, nullos poſſint alios obligare: ſi verò ad ordiné, & perſonas quas gerebant, ſolos obligat ſacerdotes. Alioqui cum æquè generaliter dictum ſit: Hoc facite in meam commemorationem, omnibus Chriſtianis eſſet præceptũ, vt conſecrarent, aut ſi hæc verba præcipientis non ſunt vt illa, ſed poteſtatem tradentis, omnibus eſſet collata conſecrandi poteſtas. Id quod, etſi Lutherus olim docuerit, à nullis eſt Lutheranis hucuſque receptum. Soli enim ſacerdotes conſecrant, & nihil ab Eccleſiæ conſuetudine & doctrinæ, in hoc differt veſtra Confeſſio. Quicquid igitur præſcriptionis & præcep i habent illa verba, non ad omnes Chriſtianos, ſicut nec poſteriora hæc, referendum eſt, ſed ad ſacerdotes, qui vtriuſque cenſuræ pondus ſuſtinere debent. Eſt tamen aliquid in prioribus, nempe illis: Bibite ex hoc omnes, quo potuerunt ſimplices Chriſtiani aliquando vti, ſanguinis ſcilicet potio, quod non eſt in poſterioribus: quippe qnod cum ſolam ſignificent hierarchiæ poteſtatis collationem, nihil ſit in eis, quod ſimplicibus Chriſtianis poſſit concedi. Et quanquam Philippus oblitus authoritatem, quam vna vobiſcum Germani, ſe deſerre Synodis vniuerſalibus ſuperiùs eſt profeſſus, non exiſtimet ab Eccleſia fieri, quod Pontifices conſtituunt. Auguſtinus tamen Eccleſiam feciſſe iudicat, quicquid Pontifices & Epiſcopi cæteris Chriſtianis non refragantibus, faciunt. Et hinc aſſumit potiſſimum medium argumentationis aduerſus Donatiſtas. Cum igitur tot ſecula Pontifices, & ſacerdotes cæteri non miniſtrauerint ſanguiné Chriſti laicis, niſi quatenus ad corporis communionem, ſequitur ſanguinis participatio, & communi fidelium non refragantium conſenſu iſta communio ſit approbata, tanquam quæ ſufficeret ad æternam ſalutem, nemini dubium eſſe debet, quin proſit, & ſufficiat, nec opus ſit laicis poculi communione, ne cogamur alioqui dicere, tam multos annos Eccleſiam caruiſſe re, quæ neceſſaria illi erat ad ſalutem animarum. Imò nullam cogeremur credere toto illo tempore Eccleſiam fuiſſe, ſi nemo erat in illa, qui hanc veritatem auderet publicè profiteri, & pro ea, ſi opus eſſet, mori. Quanquam quem per Deum vererentur, aut timerent? Principes? Horum nihil intererat, nec ad illos pertinebat huius cauſæ cognitio. Romanum Pontificem? Atqui Eccleſiæ nunquam defuerunt aliquot boni viri, quorum tanta eſſet pietas, & fidei virtus, vt vtriſque etiam Principibus inuitis, quin & mortem intentantibus, veritatem, quę ſcitu videretur neceſſaria Eccleſiæ, nunquam fuerint tacituri. Seruauerat ſibi Dominus in Iſraelis plebecula flagitijs, & infidelitate corrupta ſeptem milia virorum, & Chriſtiana Reſpub. per vniuerſum penè or- 3 Reg.19
bem diffuſa, nullum tot ſeculis habuit qui ſtaret à veritate, qui clamaret & profiteretur, quod tantoperè neceſſarium erat ei, & cæteris vniuerſis fidelibus? Ego quidem nequeo hactenus intelligere, quid conducat, aut quid emolumenti afferat Pontificibus, cæteriſq; ſacerdotibus hæc conſuetudn, vt ſi in rem Chriſtianorum eſſet, vtriuſq; ſpeciei communio, non illam perpetuò retinerent. Haud enim auget ſubtracta, cenſus Eccleſiarum: neque quia lex eſt prohibitiua, diſpenſationibus, aut compenſationibus ditat Romanos, tantùm proſpicit fidelium pietati, ne circunducto calice, & promiſcuè multitudini virorum, fœminarum, adoleſcentium, ſenum, ſapientum, inſipientum, ægrotantium, & valentium, decumbentium, & progredientium propinato, ſiniſtrum aliquid accideret eorũ, quibus tener, ac fluidus liquor eſt obnoxius. Qua in re non conferimus Chriſti præceptum cum humanis traditionibus, nec humanam prouidentiam diuino mandato præferri contendimus: ſed hoc agimus, vt intelligantur Chriſti verba per Philippum aduerſus nos producta, quorum optima interpres eſt conſuetudo Chriſtianorum, non quæcunque, ſed cum ſanctiſſimorum virorum, tum Catholicæ Synodi doctrina confirmata, & omnium fidelium roborata conſenſu. Non ſatis aſſequi poſſum quid ſibi vult Philippus, cum dicit, noſtros Theologos nó hoc egiſſe Auguſtæ, vt excuſarent Eccleſiã, cui adempta eſt, inquit, altera pars ſacramenti. Et addit: Id decuit bonos, & religioſos viros. Erat quærenda firma ratio excuſandæ Eccleſiæ, & docendarum conſcientiarum, quibus non poteſt contingere niſi pars ſacramenti. Nunc ipſi rectè defendunt prohiberi alteram partem, & vetant concedere vſum vtrinſq;, &c. Quid ego audio? An non excuſat Eccleſiam à ſumptione alterius partis, qui defendit rectè fidelibus prohiberi laicis?

An ali-

An aliter defendenda eſt quàm docendo, adſtruendo, cõfutando? Scimus omnes quomodo ſit, actum hiſce de rebus Auguſtæ, nõ armis, ſed verbis: non exercitibus, ſed literis: non turbulento vulgi præiudicio, ſed tranquillo ſapientium congreſſu: vbi defendiſſe, atque probaſſe, rectè prohiberi laicis alteram ſpeciem communionis, quid aliud eſt, quàm eccleſiam excuſaſſe? Si modo excuſatione opus eſt Eccleſiæ, quæ nihil excuſandum ſtatuere poteſt, aut docere. Excuſet Eccleſiam Lutherus, qui illam totiès accuſat, qui à tempore Niceni Concilij eccleſiã à veritate lapſam auſus eſt blaſphemare. Nos ſola Eccleſiæ conſuetudine, & approbatione vniuerſa, quę nobis dantur crimini ab hęreticis, excuſamus: qui ſanctam & Catholicam Eccleſiam agnoſcimus, & in Symbolo profitemur: quod neutiquam eſſet, ſi quicquam accuſandum admitteret. Erramus ſinguli fortaſſis Catholici, omnes tamen errare non poſſumus. Nam qualis fuiſſet Eccleſia, in qua tot ſeculis nemo fuerit, qui pro re adeò neceſſaria, nempe pro Chriſti præcepto (ſi Philippo credimus) publicè deſerto reclamaret vſque ad Huſſum, & Vuickleſum nouellos hæreticos Lutheri duces? Non vult recipere Philippus locos, quos noſtri ex ſcripturis produxerunt, oſtendentes Apoſtolorum tempore vſos fuiſſe fideles altera parte ſacramenti, idque ſignificari quotiès de fractione panis, calice prætermiſſo fit mentio. Fortaſſis hic eſt tam ſuperſtitioſe dialecticus, vt non admittat negatiuam collectionem ex affirmatiuis propoſitionibus, qua tamen nihil frequentius (quod ſuperiùs non vno loco monſtrauimus) ſolet vti: Nos vt non omnes huiuſcemodi collectiones probãmus, ita nõ omnes reijcimus in diſputatione, loquor theologica, in qua ſummo iure agere, eſt interdum iniuriã ſacras literas afficere. Vbi prætermiſſum fuerit aliquid, quo maximè opus erat his, quæ dicuntur, quodque maxime cohærebat cum eis, videtur ſcriptura negare quod non aſſeuerat: atq; adeò tunc temporis non prorſus ineptè ex affirmatione vnius & alterius pręmiſſione, colligitur eius, quod prætermiſſum eſt, quodque nuſquam eſt alias in eiſdem literis affirmatum, negatio. Cæterum cauſam, cur Philippo non probetur huiuſmodi collectio, audiamus: Quanquam autem, inquit, nõ valde repugnamus, quo minus aliqui (loci ſcilicet adducti) de ſacramento accipiantur, tamen hoc non ſequitur, vnam partem tantùm datã eſſe: quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſuetudine ſermonis. Pulchra, me Hercle reſponſio, per quam ſequitur, nõ potuiſſe fideles corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine, non tamen ſequitur, non potuiſſe panis ſuſcepiſſe ſpeciem ſine ſpecie vini: Quãdoquidem regulariter vnius partis intelligentia, tunc in alterius expreſſione concluditur, quando neutra poteſt eſſe ſine altera, aut illud efficere, quod totius narrationis ſumma complectitur. Ita animæ appellatio corporis, interdum etiam totius hominis ſignificationem in ſacris literis habet, & multi id genus tropi in eiſdem inueniuntur. Corpus autem Chriſti viuum, quale continetur in ſacramento, quamuis non poteſt eſſe ſine ſanguine, poteſt tamen ſub ſpecie panis contineri, & fidelibus tradi, ſine ſanguinis ſeorſum conſecrati participatione. Nam etiam tunc cum apoſtoli Chriſto Ieſu miniſtrante communicauerunt ſuſcepta panis ſpecie verum corpus Chriſti, atque perfectam, calice etiam nondum hauſto, communionem ſuſceperant, tametſi alijs myſterijs ante poculum nondum completis: quæ myſteria non ad quoſuis Chriſtianorũ, ſed ad Hierarchas ſolum in Eccleſia pertinent. Haud igitur eſt opus ijs locis, quæ Philippus fatetur accipienda de ſacramento, vt addamus de noſtro, calicem in ſcriptura prætermiſſum, quando quod attinet ad veram corporis & ſanguinis Chriſti communionem, æque perfecta eſt ſine poculo atque cum eo. Et hæc de Philippi reſponſione per tropos. Eſt autem operæpretium animaduertere, quàm æquus ſit nobis Philippus antagoniſtes, cum locum producit ex ſcripturis, contendit ſingula verba eſſe ſimpliciter accipienda: expoſitiones, ſi quæ afferũtur clamat eſſe impias, eſſe ſophiſmata, cum verò viciſſim ſcripturæ locis vrgetur, tunc quid non comminiſcitur, vt effugiat? Vbi omnis abſcedit ſcripturæ ſimplicitas: accedunt tropi grammatici, dialectici, rhetorici, vt eſt in hac reſponſione videre. In multitudine argumentorum, quę producuntur à noſtris, haud poſſunt omnia eſſe paria. Philippus infirma quæque carpit, inuadit, exagitat, & vſque ad ſanguinem, quod aiunt, emungit: Et fingamus inquit, liberum eſſe, vti vna parte aut ambabus, quomodo poterit prohibitio defendi? Quomodo? Quia ſi calicis communio non eſt neceſſaria, non debet in periculum contumeliæ Chriſti vulgo concedi. Poſtremò ipſe (quod noſtros accuſauerat non feciſſe) Eccleſiam excuſat, quæ hanc iniuriam pertulit. Imò vero hoc eſt Eccleſiam accuſare. Nam (vt nos etiam pro noſtris attigimus) qualis eſſet iſta Eccleſiã, quæ prætulerit antiquari Chriſti præceptũ, quę non ſtetit à Chriſto aduerſus ſacramenti diuiſores, non clamauit, non totis viribus ſategit, vt retineatur Chriſti mandatum, ſi de hac re vllum eſſe credebat? Pertulit, inquit Philippus, hanc iniuriam. Carnificum iniurias, & tyrannorum pertulit Eccleſia,

quæ & hodiè illà non deſunt. At quamobrē illas pertulit? Non vt conniueret,& diſsimularet veritatem,ſed vt veritas regnaret,& aduerſus mundi huius,& inferorū phalāges eſſet in propatulo:nec hoſtium peruicacia poſſet aboleri,aut obſcurari Chriſti doctrina.Nā hoc eſt quod Eccleſia ferre nequit, alioqui non eſſet eccleſia. Quinimò tantùm vt hæc non ferat,omnia diſcrimina ſubire decreuit, ſciens quod portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Vnde & gloriatur in Pſalmo: Propter verba, inquit, labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Nos ergo illā duntaxat Eccleſiam agnoſcimus,quę Chriſti præcepta perpetuo retinet, nec vnquam paſſa eſt intercipi veritatem. Iccirco,quamuis nouandarum rerum cupidi, vt vulgi curam gerere videantur, fingunt vniuerſis præcipi quod ſolis ſacerdotibus eſt pręceptum, nos tamen quicquid Eccleſia auſa eſt intermittere conſtanter aſſerimus, non eſſe Chriſti mandatū. Sed vtinā abſcindantur,qui vos conturbant.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De coniugio Sacerdotum.

PVblica querela fuit,de malis exemplis ſacerdotum,qui non continebant: Quam ob cauſam & Pius Papa dixiſſe fertur,fuiſſe aliquas cauſas cur ſit ademptum ſacerdotibus coniugium,ſed multo maiores eſſe cauſas,cur reddi debeat,ſic enim ſcribit Platina: Cum igitur ſacerdotes apud nos publica illa ſcandala vitare vellent,duxerunt vxores,& docuerunt,quod liceat ipſis contrahere matrimonium:primùm,quia Paulus dicit, Habeat vnuſquiſque vxorem ſuam,propter fornicationem:item,Melius eſt nubere,quàm vri. Secundò Chriſtus inquit, Non omnes capiunt verbum hoc,vbi docet,non omnes homines ad cælibatum idoneos eſſe,quia Deus creauit hominem ad procreationem,Geneſis primo. Nec eſt humanæ poteſtatis,ſine ſingulari dono & opere Dei,creationem mutare. Igitur qui non ſunt idonei ad cælibatum,debent contrahere matrimonium : Nam mandatum Dei,& ordinationem Dei,nulla lex humana,nullum votum tollere poteſt. Ex his cauſis docent,ſacerdotes ſibi licuiſſe vxores ducere.

Conſtat etiam in Eccleſia veteri, ſacerdotes fuiſſe maritos: Nam & Paulus ait, Epiſcopum eligendum eſſe,qui ſit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos, ſacerdotes vi coacti ſunt ad cælibatum,qui quidem adeò aduerſati ſunt, vt Archiepiſcopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis,ea de re pene ab iratis ſacerdotibus per tumultum ſit oppreſſus. Et res geſta eſt tam inciuiliter,vt non ſolùm in poſterum coniugia prohiberentur,ſed etiam præſentia contra omnia iura diuina & humana, contra etiā ipſos canones factos,non ſolū à Pontificibus, ſed à laudatiſſimis Synodis, diſtraherētur.

Et cum ſeneſcente mundo,paulatim humana natura fiat imbecillior, conuenit proſpicere,ne plura vitia ſerpant in Germaniam. Porrò Deus inſtituit coniugium, vt eſſet remediū humanæ infirmitatis. Ipſi Canones veterem rigorem interdū poſterioribus temporibus,propter imbecillitatem hominum laxandum eſſe dicunt: Quod optandū eſt vt fiat & in hoc negocio. Videntur enim Eccleſijs aliquando defuturi Paſtores,ſi diutius prohibeatur coniugiū.

Cum autem exſtet mandatum Dei,cum mos Eccleſiæ ſit notus,cum impurus cælibatus plurima pariat ſcandala,adulteria,& alia ſcelera digna animaduerſione boni magiſtratus,tamen mirum eſt,nulla in re maiorem exerceri ſæuitiam,quàm aduerſus coniugium ſacerdotum. Deus præcipit honore afficere coniugium,leges in omnibus Rebuſp. bene conſtitutis,etiam apud Ethnicos,maximis honoribus ornauerunt : At nunc capitalibus pœnis excruciantur Sacerdotes,& quidem contra Canonum voluntatem,nullam aliam ob cauſam, niſi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum,quæ prohibet coniugium.1. Tim.4. id facile nunc intelligi poteſt, cum talibus ſupplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana poteſt mandatum Dei tollere,ita nec votum poteſt tollere mandatum Dei: Proinde etiam Cyprianus ſuadet,vt mulieres nubant, quæ nō ſeruant promiſſam caſtitatem: verba eius ſunt hæc libro.1. Epiſtolarum,epiſt.11. Si autem perſeuerare nolunt,aut non poſſunt,melius eſt vt nubant,quam vt in ignem delitijs ſuis cadant, certè nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciant,& æquitate quadam vtuntur Canones erga hos,qui ante iuſtam ætatem vouerunt,quomodo ferè hactenus fieri conſueuit.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ, Articulus De coniugio Sacerdotum.

CVm doctrina Chriſtiana honorificè prædicet coniugium, eoq́ vti iubeat, non ſolum procreationis cauſa, ſed etiam ad frenandas vitandasq́ libidines, nunc non ſolum Pontificia lege, ſed etiam noua, atq́ inuſitata ſæuitia prohibentur cõiugia ſacerdotibus, & contracta dirimuntur, idq́ hoc eſt indignius, quod hæc in Eccleſia fiunt, quæ vt maximè abhorrere debet à turpitudine, ita coniugium ad vitanda multa ingentia flagitia ſummo ſtudio tueri debebat. Adhæc cum in omnibus ethnicis Rebuſp. mediocriter conſtitutis, propter grauiſſimas cauſas, coniugiũ magno in honore fuit, quid minus decet in Eccleſia, quàm & ſanctiſſimum coniugij fœdus diſtrahere, aut capitalibus pœnis velut ſummum ſcelus, punire coniugium? vnde hæc in Eccleſiam, in qua debet excellere mutua dilectio, peruaſit immanitas? Porrò res loquitur ipſa, quantum turpitudinis ac ſcelerum pariat Pontificia lex, de cælibatu. Nec vlla humana voce dici poteſt, quantum vitiorum ex hoc fonte in Eccleſiam exundauerit. Nam vt non dicamus de Epicureis, quos nihil pudet, quam multi boni, ac pij viri infeliciter luctati ſunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem deſperationem inciderunt. Quo ſpectat autem hæc noua crudelitas, niſi vt illa infinita ſcelera in Eccleſia confirmentur, & vt improbi peccent impunitius? Hæc cauſa nihil opus habet diſputatione. Nam hæc noua lex quæ nunc defenditur ab aduerſarijs, quæ & prohibet Sacerdotibus coniugia, & contracta diſtrahit, pugnat cum iure naturali, diuino, cum Euangelio, cum veterum Synodorum conſtitutionibus, cum veteris Eccleſiæ exemplis. Tantum nobis opus eſt pietate & æquitate optimi Imperatoris, quem oramus, vt pro ſua pietate, & pro ſuo officio, abolita tyrannica lege, mederi Eccleſiæ ſtudeat. Cum omnis iniuſta crudelitas Deo diſpliciat, tum illa maximè, quæ exercetur in Sacerdotes pios & eruditos, qui bene merentur de Eccleſia. Ac non ſolum diuina oracula minantur atrociſſimas pœnas his, qui crudelitatem exercent aduerſus ſacerdotes, ſed exempla etiam exſtant omnium ætatum, quæ comprobant, illas minas non eſſe irritas. Nam, vt alia innumerabilia exempla omittamus, gens Beniamin ferè tota deleta eſt, propter ſtupratam hoſpitis ſacerdotis coniugem. Cum enim cadauer mulierculæ, quæ vexata ſtupris, exſtincta erat, diſſectum, miſſum eſſet ad Principes Iſrael, iudicauit vniuerſus populus tantam immanitatem ſeueriſſimè eſſe puniendam. Cumq́ non dederentur ad pœnam authores facinoris, tota gens Beniamin magna clade accepta pœnas dedit. At hoc tempore multiplici iniuria afficiuntur ſacerdotes. Ipſi, cum quidem nullum eis crimen obijciatur niſi coniugium, excruciati horribilibus ſupplicijs necantur, miſeræ coniuges, & parui liberi eiecti ſuis indulis vagantur extorres, ſine certa ſede, ſine tecto, ſine lare. Paulus vocat prohibitionem coniugij doctrinam dæmoniorum. Id teſtantur non ſolum turpiſſima vicia, quæ cælibatus inuexit in Eccleſiam, ſed etiam ipſa hæc aſperitas, quæ propter hanc legem exercetur in ſacerdotes, & eorum coniuges ac liberos. Nam diabolus homicida eſt, & piorum calamitatibus præcipuè delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi ſunt, talium conſiliorum authores. Nos hanc ſæuitiam, neque dignam Chriſtianis, neque vtilem eſſe Eccleſiæ iudicauimus.

Quod verò obijcitur authoritas legis Pontificiæ, cur non allegant authoritatem Canonum aduerſus turpia exempla impuri cælibatus & ſcelera digna animaduerſione? Nulla debet eſſe authoritas Pontificij decreti pugnantis cum iure naturæ, & cum mandato diuino. Naturâ ita homines conditi ſunt, vt ſint fœcundi, quare Iuriſconſulti dicunt coniunctionem maris & fœminæ eſſe iuris naturæ idq́ docet Geneſis. cap. 1. & 2. Deinde cum Paulus inquit, vnuſquiſque habeat vxorem, ad vitandam fornicationem, certè præcipit omnibus, qui non ſunt idonei ad cælibatum, vt contrahant coniugia. Et Chriſtus monet, non omnes idoneos eſſe ad cælibatum, cum ait: Non omnes capiunt verbum hoc.

Porrò, nec leges humanæ, nec vota valent, pugnantia cum mandato diuino. Et euentus teſtatur, naturam legibus humanis non poſſe mutari. Videmus quantum turpitudinis pariat ille cælibatus. Ac ſi qui ſint boni viri, qui ſtudent eſſe caſti, hi intelligunt oneris, & periculi magnitudinem, & præcipuè deplorant hanc ſui ordinis ſeruitutem. In Nicena ſynodo quidam conati ſunt legem ferre, vt ſacerdotibus interdiceretur conſuetudine coniugum. Repudiata eſt hæc lex ab vniuerſa Synodo, & fuit quondam mitior Latina Eccleſia, tantum enim dimittebat à miniſterijs eos, qui cum gererent munus Eccleſiaſticum, ducebant vxores, non prohibuit coniugium. Hæc noua lex eſt Pontificum,

igno-

ignota veteri Eccleſiæ ac ſynodis, quæ in totum prohibet coniugia, & contracta diſtrahit.

Conſtat autem vtranq; partem huius decreti pugnare cũ Euangelio. Allegatur cõtra nos Eccleſiæ & Synodorum authoritas, quam Pontifices ipſi huius decreti authores impudenter contempſerunt. Nec obſcurè reclamauerunt pij ſacerdotes, huic nouæ legi. Nam hiſtoriæ Eccleſiæ teſtantur, eam non ſine acerrimis certaminibus impoſitam eſſe Eccleſijs. Tarraconenſis Epiſcopus ſcribit ad Syricium Pontificem, ſacerdotes Hiſpanos non poſſe adduci, vt legem accipiant, qua interdicebatur eis conſuetudine vxorum, quas ibi tragœdias agit Syricius, quam inclementer reſcribit? Hæc enim ſunt Syricij verba indigna Pontifice: Dicat mihi nunc ille ſectator libidinum, quiſquis eſt, præceptorq; vitiorum, & deinde Pauli dictũ alieniſſimum detorquet ad ſuam cauſam, qui in carne ſunt, placere Deo non poſſunt. Dubium profectò eſt, vtrum inſcitiæ, an impudentiæ adſcribendum ſit, quòd tam contumelioſe loquitur de coniugio, nihil enim agebatur aliud, quam vt interdiceretur Sacerdotibus vſu coniugum, quas tunc habebant. Deinde autem poſteriores Pontifices multo duriores fuerunt. Cum decretum Pontificium de abijciendis vxoribus in Germania recitaret Synodo Archiepiſcopus Moguntinus, ita exarſerunt iræ ſacerdotes, vt minarentur ſe impetum facturos in ipſum Archiepiſcopum. Et erat res cum digna, tum acerba, abijcere præſentes coniuges, ſed vicit tandem vel vis, vel ſuperſtitio. Quanto mitior f[…] C[…]prianus mulieribus, quæ non ſeruabant promiſſam caſtitatem: Scribit enim lib 1. […] Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt vt nubant, quam vt in ignem […] ſuis cadant, certè nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum præbeant.

Porrò iniuſtæ leges non ſolent eſſe perpetuæ: Rogamus igitur optim[…] Imperatorem, vt inter cætera Eccleſiæ incommoda, etiam huius legis vitia conſideret, […] in re, & illud conſiderandum eſt: Natura ipſa hominum veluti ſeneſcit, & fit imbecillior. Quare prouidendum eſt, ne vitia creſcant, nec debent leges ipſæ ſemina eſſe vitiorum. Plato grauiſſimè dicit, leges virtutis cauſa ferendas eſſe. An autem traditio de cælibatu pietatis cauſa propugnetur, aut alio quodam conſilio, non difficile eſt iudicare. Poſtremò, cum Chriſtus præcipuè commendauerit pijs curam miniſtrorum Euangelij, rogamus, vt optimus Imperator ſæuitiam prohibeat, quæ diu iam in homines pios, Sacerdotes exercetur, ac cum Eccleſia potius deliberet, quàm cum aduerſarijs noſtris. Debent in Eccleſia excellere dilectio & miſericordia, quare maximè abhorret vera Eccleſia, à crudelitate non neceſſaria, nec vult interfici ſacerdotes propter tyrannicam traditionem. Parcì etiam vult miſeris mulieribus ac liberis ſacerdotum. Horum omnium vitam atque ſalutem Eccleſia tibi clementiſſime Imperator commendat. Omnes pij vbique terrarum, horum calamitatibus, & taciti deſiderant Chriſtianam lenitatem in hoc negocio, tibiq; communibus lachrymis doctos & bonos viros Eccleſiæ vtiles, & horum coniuges ac liberos commendant, quem videat & natura præditum eſſe eximia quadam, & heroica bonitate, & in hac cauſa hactenus ſingulari vſum eſſe moderatione, quæ quidem ſignificat te de Repub. ritè ſananda deliberare. Non vult Eccleſia te alienæ crudelitatis miniſtrum fieri. Maximus honos eſt Regum, quem tribuit eis Eſaias, cum eos inquit Eccleſiæ nutricios debere eſſe, hoc eſt, imperia, defenſionem pacis, & humanæ ſocietatis, non ſolum corporali vtilitati ſeruire, ſed etiam adiuuare Euangelium, cum videlicet & tegunt ſacerdotes, & tranquillitatem ciuitatibus concedunt, vt inſtitui ad religionem iuuentus, & homines doceri poſſint. Rogat igitur Eccleſia, vt memineris, tibi pios Sacerdotes, tanquam alumnos tuendos eſſe, tuum munus eſt innocentiæ præſidio eſſe, depellere iniurias, præcipuè ab imbecillibus, qui ſe tueri non poſſunt ipſi, à pijs mulieribus, à pueritia, ab orphanis. In his etiam Sacerdotum coniuges, & liberos, qui verè ſunt orphani, tibi commiſſos eſſe diuinitus exiſtimes. Eccleſia vel maximè φιλόστοργος eſt, & non modo coniugum inter ſe charitatem, parentum erga liberos amorem probat, ſed afficitur etiam ipſa deſertorum atque orphanorum ærumnis. Ac verò in tanta bonitate naturæ tuæ, nihil eſſe ἄστοργον iudicat, quare ſperat tibi dolorem quoq; afferre, Sacerdotũ neces ac ſupplicia, coniugũ & liberorũ exſilia. Monet illud etiam Eccleſia, vt prouideas, ne pleriq; doctrinæ Chriſtianæ loci, quorũ neceſſaria eſt explicatio, ſimul opprimãtur, dum piè eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus ſtudia doctrinæ Chriſtianæ. Quid agũt Aduerſarij aliud, niſi vt deletis omnib⁹ literis, & oppreſſa doctrina, tantũ pendeãt homines ex authoritate illorũ, qui dominãtur, ſomnia indoctorũ, quamlibet impia, quãlibet abſurda, ducãt

eſſe

eſſe oracula. Hanc barbaricam ſeruitutem exiſtimant aduerſarij prodeſſe, dominationi ſuæ, nec obſcurè multis iam in locis hac ſeruitute iacet oppreſſa Eccleſia. Etſi autem non eſt concedenda licentia, conuellendi ſententias vera authoritate receptas, nec diſcedendum eſt vel à ſcripturis, vel à decretis veterum Synodorum, in quibus pronunciarunt de doctrina Chriſtiana, tamen non licet authoritatem Eccleſiæ prætexere omnibus abuſibus, ac vitijs, quæ recentior, ac deterior ætas in Eccleſiam inuexit. Nimium autem blandiuntur ſibi homines, ſi nihil vitij deriuatum eſſe putant in Eccleſiam ex affectibus hominum cupidorū, ex illis labyrinthis, & tenebris doctrinæ ſcholaſticæ, & traditionum. Neque verò tam propter coniugium periclitantur hoc tempore boni viri, quàm propter ſtudium repurgandæ, & illuſtrandæ doctrinæ Chriſtianæ, quod regere, & adiuuare Epiſcopi debebant. Nam his præcipuè commendata eſt cura, ornandæ, & defendendæ doctrinæ, hi debent eſſe huius ſanctiſſimi & vtiliſſimi ſtudij gubernatores, & hortatores.

Sed non ad ſolos Epiſcopos, verùm etiam ad pios Principes, ac maximè ad Imperatorem pertinet, purè intelligere Euangelium, dijudicare dogmata, aduigilare, ne impiæ opiniones recipiantur, aut cōfirmentur, idololatriam omni ſtudio abolere. His officijs præclarè meriti ſunt de pijs magni heroes Gedeon, Ezechias, Ioſias, Conſtantinus, & plerique alij. Quare exiſtimabis & tui officij eſſe, cauere ne obruantur ea, quæ piè & vtiliter patefacta & emēdata ſunt à bonis & pijs viris, ne impij abuſus authoritate tua ſtabiliantur. Pſalmus inquit: Propter templum tuum in Ieruſalem reges offerent tibi munera.

Sunt autem propria Regum munera, in Eccleſiam conferenda, inquirere veram doctrinam, & curare, vt boni Doctores præficiantur Eccleſijs: dare operam, vt ritè dijudicentur Eccleſiaſticæ controuerſiæ: non delere piam doctrinam, ſed excitare potiùs ac propagare, & defendere: Concordiam Eccleſiæ rectè conſtituere, & tueri. His veris muneribus potes nunc, optime Imperator, ornare Chriſti Eccleſiam, quæ quidem à te præcipue, & Chriſtus requirit ipſe, & petunt Eccleſiæ horribilibus modis lacerata. Poſtremo cum humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maximè in Eccleſia, in qua longe pluris fieri debent, ſalus piorū, dilectio, & pax publica, quam vllæ traditiones humanæ, multò ſatius eſt diſſimulare abrogationem huius traditiunculæ de cælibatu, quam confirmare libidines, diſſipare coniugia, ſuſcipere ſæuitiam in Sacerdotes, ac eorum coniuges ac liberos, opprimere piam doctrinam, vaſtitatem efficere in Eccleſijs. Hanc igitur coniugij cauſam, quoniam nihil habet obſcuri, totam pietati, & bonitati tuæ Imperator commendamus, & res tota poſita in arbitrio eorum qui præſunt. Nam leges de cælibatu ſeu veteres ſeu nouæ, tantum ſunt humani iuris, in quo mitigando plurimum authoritas Eccleſiæ valere debet.

Quàm multa poſſemus exempla commemorare ex omnium temporum ac gentium hiſtorijs, in quibus cernuntur horrenda exempla pœnarum, quæ libidines ſequuta ſunt. Inter cauſas diluuij fit mentio libidinum, poſtea quinq; vrbes hiatu terræ ita abſorptæ ſunt, vt monumentum pœnæ æternum, lacus Aſphaltites manſerit. Cum Iſraelitæ diſceſſiſſent ex Ægypto, & multi ſe conſuetudine mulierum Moabiticarum polluiſſent, duodecim Principes Tribuum ſuſpenſi ſunt, & trucidata viginti quatuor millia hominum. Funditus poſtea deleti Cananæi, & nominatim, inter cauſas recenſentur inceſti concubitus. Aliquanto poſt ſecuta eſt clades Beniamin, propter ſtupratam Leuitæ coniugem. Deinde Dauid eiectus regno propter adulterium. Aliquoties & Hieremias hæc tria, idolorum cultus, tyrannides & adulteria, cauſas eſſe clamitat ingentium calamitatum, quæ oppreſſerunt vniuerſam gentem Iudæorum, cum in Babylonem captiua abduceretur.

Hæc eò ſcripta ſunt, vt ſtatuamus, Deum iure iraſci vagis libidinibus, & impuros ac inceſtos, non caſu in pœnas ruere, ſed puniri diuinitus. Ergo etiam ethnicarum ciuitatum excidia nos de ira Dei aduerſus hæc ſcelera admonent. Euerſa eſt Sibaris, Athenæ, Sparta, Thebæ colliſa bellis ciuilibus pœnas impudicitiæ dederunt. Et Roma cum tot Nerones ac Heliogabalos habuiſſet, tandem concidit, vndique dilacerato Imperio armis barbaricarū gentium plurimarum. Longus catalogus eſt & apud Ariſtotelem, ciuitatū in quibus mutationes politiarum, & ſeditiones propter libidines extiterunt. Præter has pœnas admonet Eccleſiam Paulus, accedere aliam pœnam, videlicet amentiam ſeu furorem, vt Romano. 1. & ad Epheſios 4. cap. ſcribitur. Ac fortaſſe iam gubernatores Eccleſiaſticos hac pœna oppreſſit, qui magna ex parte palam ſunt Epicurei, palam defendunt idola propter

opes,& autheritatem,rident dicta cæleſtia,quæ minantur pœnas idolorum cultoribus, impudicis,parricidis.Omnia à ſe honeſtè fieri prædicāt regni cauſa,hos eſſe bonos ciues, amantes tranquillitatis,vt qui regni Pontificij maieſtatem tueantur,cōprobant errores,& manifeſta flagitia.Tota rerum natura teſtis eſt,eſſe Deum, & punire turpitudines, & tyrannides. Quare etiamſi rident nunc has conciones,tamen ſciant ſe aliquando hæſuros in pœnis,ad quas etiam ab ipſa rerum natura depoſcuntur.

Cum igitur conſtet, legem de celibatu pugnare cum mandato Dei,ſentimus rectè facere ſacerdotes,& alios,qui honeſta coniugia contrahunt, ſicut Paulus inquit, eligendum eſſe vnius vxoris virum.Sentimus & gubernatores poſſe & debere legem Pontificiam abolere. Errant enim,qui putant aut iure diuino coniugium prohiberi ſacerdotibus,aut poſſe legem talem à Regibus,aut Epiſcopis ferri,prohibentem coniugium. Ac ſi nolint Eccleſiæ mederi gubernatores,tamen rectè faciunt pij,qui ſequuntur regulam Apoſtolicam, quæ ait : Deo magis parendum eſſe quàm hominibus.

Denique cum legis Pontificiæ defenſio multa peccata coniuncta habeat, confirmationes vagarum libidinum,ſuperſtitiones,& neces piorum Sacerdotum, manifeſtum eſt, noſtras Eccleſias rectè facere,quod legem illam Pontificiam abolent,ac damnant. Rogamus etiam inclytum Imperatorem,ne ſe defenſione impuri cælibatus,& cæde ſacerdotum polluat.Scriptum eſt enim : Beatus qui miſeretur egeni & pauperis,in die mala liberabit eū Dominus.

CAROLI CAESARIS,& Catholicorum Principum reſponſio ad Articulum de coniugio Sacerdotum.

QVod ſecundo loco commemorant inter abuſus cælibatum cleri, & quo pacto Sacerdotes eorum vxores ducant,& alios ducere ſuadeant,res profectò eſt admiratione digna,quòd cælibatum ſacerdotalem abuſum vocent,cum è conuerſo violatio cælibatus,& illicitus ad coniugium tranſitus,in ſacerdotibus potius abuſus dici mereatur. Etenim ſacerdotes nunquam vxores debere ducere,teſtatur Aurelius in ſecundo Concilio Carthaginen. vbi inquit: Quia ſic docuerunt Apoſtoli exemplo, & ipſa ſeruauit antiquitas, Nos cuſtodiamus: & paulò ante talis legitur Canon:Placet vt Epiſcopi,Presbyteri & diaconi, vel qui ſacramenta contrectant,pudicitiæ cuſtodes,ab vxoribus abſtineant. Ex quibus verbis liquet,ab Apoſtolis receptam eſſe hanc traditionem, non nouiter ab Eccleſia inuentam. Auguſtinus Aurelium ſequens in quæſtione vltima noui & veteris teſtamenti,in hæc ſanè verba ſcribit, & interrogat, Si fortè dicat, ſcilicet, & bonum eſt nubere,cur non licet ſacerdotibus vxores habere? Calixtus Papa vir ſanctus,& martyr,conſtituit ante mille & trecentos annos, ne ſacerdotes ducāt vxores.Similia legūtur & in ſacris concilijs Cæſarien. Neocæſarien. Aphricanen. Agathenſi. Grunden. Aurelianen. Meldenſi. Et ita obſeruatum fuit à tempore Euangelij & Apoſtolorum, quòd nunquam licuit conſtituto in ſacerdotio de iure ducere vxorem,verum quidem eſt,quod ob miniſtrorum Dei defectum in primitiua Eccleſia, coniugati admittebantur ad ſacerdotium, vt ex Canonibus Apoſtolorum & Paphnutij reſponſo liquet in Concilio Niceno. Attamen volentes contrahere, tenebantur id facere ante Subdiaconatus ordinis receptionem, vti legitur in cap. Si quis eorum, diſt. 32. Hanc conſuetudinem primitiuæ Eccleſiæ vſque in hunc diem reſeruauit,& retinuit Græca Eccleſia. Cum vero per gratiam Dei creſceret Eccleſia,vt miniſtrorum in Eccleſia nullus eſſet defectus,Siricius Papa ante annos mille centum & quadraginta,procul dubio non ſine ſpirituſancto, omni modo indixit ſacerdotibus continentiam, cap. Plurimos diſt. 82. quam Innocentius primus, Leo magnus & Gregorius magnus Pontifices approbauerunt & confirmarūt,& in hunc vſque diem Latina vbique ſeruauit Eccleſia. Quibus ſatis liquidum eſſe exiſtimatur,non abuſum eſſe cælibatum cleri, à tam ſanctis Patribus tanto tempore comprobatum, & ab vniuerſa Latina Eccleſia receptum. Ad hæc ſacerdotes veteris legis tempore officij & miniſterij ſui in tēplo ſeparabantur ab vxoribus, ſicuti Zacharias tēpore vi-

cis

cis ſuæ. Luc. 1. Cum autem ſacerdotes nouæ legis ſemper debeant eſſe in miniſterio, ſequitur, eos ſemper debere continere. Amplius: Coniuges nō debent ſe fraudare officio coniugali, niſi ad tempus, 1. Cor. 7. vt vacent orationi. Cum ergo ſacerdos debeat ſemper orare, ſemper debet continere, his rationibus vſi ſunt Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus. Præterea S. Paulus ait: Volo vos ſine ſolicitudine eſſe: Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quę domini ſunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. 1. Cor. 7. Sacerdos ergo, qui iugiter debet placere Deo, ne diſtineatur ſolicitudine vxoris, & non reſpiciat retro cum vxore Loth. Geneſis 19.

Porrò adumbrata fuit ſacerdotalis continentia etiam in veteri teſtamento, nam Moſes accepturus legem, præcepit vt in diem tertium nō appropinquarent vxoribus, Exod. 19. Sacerdotes igitur accepturi Legislatorem Chriſtum Domini, & ſaluatorem noſtrum, multò minus appropinquare debent vxoribus. Similiter iuſſi ſunt ſacerdotes portare fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, Exod. 28. quod fuit ſymbolum futuræ continentiæ in ſacerdotibus, ait Beda. Etiam Abimelech daturus panem benedictum pueris Dauid, interrogabat prius an mundi eſſent à mulieribus, Dauid reſpondit mundos eſſe ab heri & nudiuſtertius. 1. Reg. 21. Ergo ſemper mundi eſſe debent ſumentes panem viuum, qui de cælo deſcendit. Ioan. 6: Manducantes Paſcha præcincti erant renibus. Exod. 12. quare Sacerdotes frequenter manducantes paſcha noſtrum Chriſtum, cingere conuenit renes per continentiam, & mundationem, ſicut eis imperat Dominus: Mundamini, inquit, qui fertis vaſa Domini. Eſaiæ. 52. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Leuit. 19. Seruiant itaque Sacerdotes Deo in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus ſuis. Luc. 1.

Hinc S. martyr Cyprianus teſtatur ſibi à Domino reuelatum, & cum ſeueritate iniunctum, vt Clericos ſtudioſe admoneret, ne cum fœminis commune haberent domicilium. Vnde continentia ſacerdotalis cum ſit à Concilijs & Pontificibus præcepta, & à Deo reuelata, proprio voto à ſacerdote Deo promiſſa, non eſt reijcienda: nam hanc exigit ſacrificij quod tractant excellentia, orationis frequentia, libertas, & puritas ſpiritus, vt curent quomodo Deo placeant, iuxta S. Pauli doctrinam.

Hæreſis Iouiniani. Et quia conſtat, antiquam hanc fuiſſe hæreſim Iouiniani, quam damnauit Romana Eccleſia, & ſcriptis conuicit B. Hieronymus, S. Auguſtinus dixit hanc hæreſim confeſtim fuiſſe extinctam, nec peruenisſe ad ſacerdotum corruptionem: hanc ſacerdotum corruptionem, & abuſum Principes tolerare non debent, in perpetuam ſacri Romani Imperij ignominiam & infamiam, ſed conforment ſe potius vniuerſali Eccleſiæ: neque moueantur ab his, quæ eis ſuggeruntur. Nam quod Paulus inquit, 1. Corin. 7. Vnuſquiſque habeat vxorem propter fornicationem, reſpondit S. Hieronymus, S. Paulum loqui de eo, qui non vouit. Sicut Athanaſius intelligit illud S. Pauli, Non peccat virgo ſi nupſerit, virginem hic dicit, quæ Deo dicata non ſit. Sic ad illud: Melius eſt nubere quàm vri, acris extat reſponſio B. Hieronymi contra Iouinianum. Nam ille idem S. Paulus ait: Bonum eſt homini mulierem non tangere, habet namque ſacerdos medium, vt necq, vratur, neque nubat, ſed per gratiam Dei contineat, quam oratione deuota & caſtigatione carnis, ieiunijs, & vigilijs, à Deo impetret. Amplius, dum aiunt Chriſtū docuiſſe, non omnes homines ad cælibatum idoneos eſſe, hoc quidem verum. Ideoq; nec omnes idonei ſunt ad ſacerdotiū, ſed ſacerdos oret, & poterit capere verbum Chriſti de continentia, ſicut S. Paulus dicit, omnia poſſum in eo, qui me confortat, Philip. 4. eſt enim continentia donum Dei. Sap. 8. Præterea cum prætendatur hanc eſſe ordinationem & præceptum Dei, Geneſ. 1. reſpondit ante mille annos in hæc verba Hieronymus: Neceſſe fuit prius plantare ſyluam & creſcere, vt eſſet poſtea, quod poſſit excidi. Præceptum tunc erat de procreatione prolis, vt repleretur terra, qua modò repleta, & adeo quidem vt ſit preſſura gentiū, nō eſt

amo-

amodò præceptum volenribus continere. Vatiè pręterea iactant maudatum Dei, oſtendant ſi poſſunt vbi Deus præceperir ſacerdoribus, vt ducanr vxores. Ad hoc reperitur in iure diuino, vt vora ſemel emiſſa reddantur. Pſal. 40. & 75. Ecclesiaſt. 5. quare igirut expreſſum illud ius diuinum non ſeruatur? Corrumpunr quoque S. Paulum, quaſi præcipiar, Epiſcopum eligendum debere eſſe marirum, cum S. Paulus dicat: Epiſcopus ſit vnius vxoris vir: quod non eſt intelligendum, quòd debeat eſſe marirus, alioquin Martinus, Nicolaus, Titus, Ioannes Enangeliſta, imò Chriſtus non fuiſſent Epiſcopi. Quare Hieronymus explicat verba S. Pauli, quòd Epiſcopus ſit vnius vxoris vir, hoc eſt, quòd non ſir bigamus. Veritas expoſitiònis liquet non modo ex aurhoritare Hieronymi, quæ ramen magna eſſe debet apud quemque Catholicum, ſed ex S. Paulo quoque, qui de vidua deligēda ſcribir, Vidua deligatur non minus ſepruaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, 1. Ti. 5. 1. Tim. 3.

Quod poſtremo adducunr factum Germanorum, factum adferunr, non fas. Dum enim Impetatori Henrico quarto contenrio eſſet cum Romano Pontifice, antè etiam cum filio proceribus Imperij, iura humana pariter ac diuina confuſa fuerunt, adeò vt laici illo tempore temerè arrentarint ſacra tractare, ſordib⁹ pro ſacro oleo vti, baprizare, & mulra alia à Chriſtiana religione aliena facere. Simili exorbitantia Clerus exceſſit, quod pro iure iam allegari nequit, neque licitum fuerit ſacri lega marrimonia dirimire, quæ contra vora, cōtra ſanctiones Patrum & Conciliorum nulliter fuerunt conrracta, quemadmodum & hodie ſacerdotū non ſunr rata marrimonia, cum prætenſis eorum vxoribus, fruſtra ergo quærunt mundum ſeneſcere, & imbecillitari remedium laxanr: Nam Deo conſecrati alia habent imbecilliraris remedia, vrpote fœminarum conſortia deuident, otia fugianr, ieiunijs, & vigilijs carnem macerent, prohibeant ſenſus exteriores ab illicitis, & præterea viſum, & audirum, oculos quidem ne videant vanirates, paruulos Pſal. 136. denique, id eſt, carnales cogitariones allidant ad pettam: perra aurem Chriſtus eſt, affectus reprimant, Deum frequenter & deuote orationibus pulſent, hæc procul dubio ſunt potentiſſima conrinentiæ remedia in Eccleſiaſticis viris & DEO ſeruienribus.

Paulus autem rectè dæmoniorum doctrinam dixit eorum, qui nuprias prohibenr, quales fuerunr Tarianus & Marcion hæretici, horum Auguſtinus & Hieronymus meminerunr. Sed adeo Eccleſia non prohiber nuprias, vr eriam matrimonium inter ſeptem ſacramenta connumerer, cum quo ſanè ſtar, vr ob excellens miniſterium, excellenriorem Eccleſiaſticis præcipiar mundiciem. Falſum enim eſt, eſſe mandatum Dei de conrrahendo, alioqui peccaſſet Ioannes Euangeliſta, S. Iacobus, Laurentius, Tirus, Marrinus, Carharina, Barbara, &c. Nec Cyprianus ab eis inductus loquitur dè virgine, quæ ſolemne votum fecerar, ſed de ea, quæ decreuerat continenter viuere, vt initiū Epiſt. 11. lib. 1. ſatis indicar. Certiſſima enim eſt S. Auguſtini ſententia, virginibus vouentibus nō ſolū nubere, ſed & velle nubere damnabile eſt. Vnde abuſus Matrimonij, & voriftagium in Clero non eſt tolerandum. 1. Cor. 4. Hæreſis Tatiani & Marcion.

Andreæ fabricij In articulum de coniugio Sacerdotum animaduerſio.

QVantum articulus de coniugio ſacerdotum à Lutheranis prępoſitus progreſſu temporis ſit adauctus, mox apparet ex collatione editionis anni quadrageſimi cum ipſo archetypo. Lectoris diligentię permittimus vt inde harmonicum conſenſum requirat, quo tanto breuiori verborum ambitu quæ annotanda duximus complectamur. In primis igitur excutiendum cenſemus quidnam precipue ſit illud de quo inſtituta eſt quæſtio, deinde cuiuſmodi argumentis hoc ipſum confirmetur. Neque enim in dubium hic reuocatur, An liceat Maritos, & difficultatibus matrimonij implicatos ad Sacerdotium aſſumere, ſed hoc diſputant & in eo tota cauſa verſatur, vtrum qui iam ſacerdos eſt ordinatus, ducere vxorem iure poſſit. Catholici conſtanter negant, contrà Lutherani ſumma pertinacia defendunt.

Primum iſtorum argumentum ex authoritate Pauli ducitur, 1. ad Corinthios 7. cum ait, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat propter fornicationem. Admiranda eſt hic Lutheranorum impudentia, quòd illum Pauli locū in ſuam ſententiā pertrahere audeant, cum toto illo capite oſtendat nuptias nullū habere Dei mandatum, ſed eas, vti etiam

con-

continentiam, liberæ eſſe electionis: Tantiſper tamen atque animum ad alterū non obfirmauerimus, ſanctique propoſiti religione, perpetuam caſtitatem ſeruare non promiſimus. Ita enim ſcriptores eccleſiaſtici, de nuptijs & virginitate diſſerentem Paulum, intelligerunt, cum In eodem ad Corinthios capite ſcribit, Si acceperis vxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccauit. Neque de ea (inquit Chryſoſtomus, quæ ſibi elegerit virginitatem, loquitur, quippe quæ iam peccauit. *In cap. 7. prime ad Corinthios.* Nam ſi viduæ: quæ ſecundis ſe nuptijs alligarunt, iudicium ſubeant, ſi ſemel viduitatem elegerint; multo magis virgines. Hoc obiter voluimus attingere, vt videatur, quibus perſonis Apoſtolus eo loco facultatem cōtrahendi matrimonij permittat. Corinthij poſtquam ex Apoſtolorū doctrina didicerant, quantopere Deo placeret continētia, Chriſtumque ipſum eorum fœlicitatem celebraſſe, qui ſe propter regnum Dei caſtraſſent, Paulum conſuluerunt, oporteret ne Chriſtianos ab vxore abſtinere, an nō? His autem ita reſpondet: Bonum eſt homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Sed hic Lutherani egregiè quē magiſtrum ſequantur oſtēdunt. Nā vt Satan cum Chriſto diſputans, ſcripturam ad hunc citauit modum, vt in errorem induceret, ſuamque vanitatem confirmaret, ſic etiam illi hoc loco. Allegant pauca quædam Pauli verba, quæ nuda nude intellecta, omnibus laqueum nuptiarum inijcere videantur, ſed collata cum eo quod coniunctum eſt, plane diuerſus eſſe deprehenditur ſcopus Apoſtoli, & ad virginitatis laudem ipſum toto illo capite colliniare, fit manifeſtum. Pendent enim verba, quæ ad ſuum errorem capiunt Lutherani, ex eo quod immediatè precedit, Bonum eſt homini mulierem non tangere: Si bonum, vult dicere, & quod longe præſtat inquiris, melius omnino eſt, cum muliere non conuerſari. Qui ita docet, qui ita omnibus Chriſtianis conſulit, an vt Sacerdotes, quos oportet eſſe cæteris ſanctiores, vt matrimonium contrahant imperat? Qui ad cautionem, qui ad remedium imbecillitatis, hominibus ſolutis nuptias permittit, an illis qui vel matrimoniū vel caſtitatem elegerūt vult eſſe liberum, vt fidem datam violent? An hoc illud eſt quod ſubijcit? Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum: dico autem non nuptis & viduis: Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut ego: Quod ſi non continent, nubant. De his loqui Apoſtolum, qui neutri parti ſunt alligati, iam diximus. Talibus enim conſulit, vt exploratis viribus ſuis, ſi tantam in ſe ſentiant, vim cupiditatis vt ſibi continentiam promittere non poſſint, matrimonium contrahant. Cauſam verò ſui conſilij reddens, addit; Melius eſt enim nubere quā vri. Sed hoc etiam ſuo more fraudulenter allegant Lutherani, & quod Paulus ad illos duntaxat refert, qui dum libertatem alterutrum eligendi habeant, ſe difficulter continere poſſe ſentiunt, generatim ad omnes cælibes transferunt. Qua parte impuriſſimū illum Iouinianum imitātur, qui eadem ſententia Sacerdotum & Virginum continentiam cenſuit inſectandā. Aduerſus eam peruerſitatem cum doctiſſimè ſcripſerit beatus Hieronymus, *In lib. contra Iouinianum.* nihil fuerit neceſſum, vt hic prolixiorem contexamus ſermonem. Satis fuerit illud monuiſſe, quod (viri) apud Paulum non ſignificet, quomodocumque à carne tentari, ſed non continere, & à concupiſcentiæ flammis ſuperari. Vt nimirum dicat: Licet velim omnes homines à coniugio abſtinere, & ad mei imitationem continenter viuere, tamen his qui ſolutam adhuc habent eligendi optionem, ſi valde vrgeantur à carne, & libidini inhiantes continere nolint, permitto vt contrahant. Satius enim eſt, vt quod licitum eſt faciant, quam vt illicitis deſiderijs ſeruiant. Qui igitur in ſacerdotij ordinem eſt cooptatus, ſuam ſequatur vocationem, & quam Deo promiſit vitæ continentiam, omni ſtudio integram præſtet, ac cuſtodiat. Si autem caro vehementius ſubinde rebellet, nefas fuerit eum ad matrimonium, cui coram Deo renunciauit, confugere. Sed habet alias rationes diuinitus propoſitas, vt infirmitati ſuæ medicinam accerſat. De his breuiter ſcribens Chryſoſtomus, Quomodo, inquit, hortaris homines, vt matrimonio non coniungantur? Quod mihi perſuadeo, virginitatem coniugio multo eſſe præſtantiorem: *Lib. de virg. cap 10.* Neque tamen propterea connubium in malis pono: quin etiam ipſum magnis laudibus afficio. Eſt enim continentiæ portus ijs, qui preclarè eo vti voluerint. Nam neque appetitum furere ſinit. Quaſi enim molem quandam illi legitimam opponens coniunctionem, ac libidinis fluctus ſuſtinens, in magna nos tranquillitate collocat & retinet. At ſunt quidam, qui huiuſmodi præſidio non indigeant, ſed eius loco ieiunijs, vigilijs, corpore ſuper ſolo ſternendo, vita denique duriter agenda, naturæ furorem leniant. Sed hæc pharmaca illis non ſapiunt, qui chriſtianam profeſſionem, libertatem carnis interpretantur. Quare Lutherani vt nauſeantem ſuum ſtomachum magis proderent, afferunt & illud Chriſti: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. *Matth. 19.* Quid iſtud ad coniugum ſacerdotum? Verum quidem eſt, non omnes

capere verbum Chriſti de cœlibatu, & ideo longè plures inuenias qui ſe matrimonio aſtringant quàm qui Sacerdotium eligant. Quod etiā nec ſato fit aut ſortuna, ſed libera vniuſcuiuſque electione. His enim datur vt Chriſtum hortantem ad pudicitiam ſequantur, tontinenterque viuant, qui gratiæ Chriſti collaborant, qui poſtquam cœlibatum elegerunt, pudicitiæ pręcepta implere cupiunt, qui ad hoc ſedulò Dei auxilium inuocant, qui vt accipiant quod petunt, laborant. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulſanti aperietur. Ita poſt Hieronymū & Chryſoſtomum ſuperiorem locum Theophilactus interpretatur, vt intelligamus, ex mera ignauia proficiſci eorū incontinentiam, qui ſuſcepto ſacerdotio, dicunt ſe ad cœlibatum non eſſe idoneos. Propter frigus enim piger arare noluit. Hinc aliundè faſces colligunt, quibus ſopitum fortè carnis calorem accendant. Reſpicientes enim

Geneſ.1.

ad illud Geneſeos, Creſcite, & multiplicamni, dicunt hominē ad procreationē eſſe creatum, nec eſſe humanę poteſtatis, ſine ſingulari dono & opere Dei creationem mutare. Clarius ſuam ſententiam exprimerēt Cōfeſſioniſtæ, ſi dicerent, hominem nihil aliud eſſe quàm Epicuri de grege porcum, eumq; ad hoc natum vt carni potius quam ſpiritui inſeruiat. Ad illuſtrandam Dei gloriam, ad virtutis cultum, ad cœleſtem beatitudinem creatum hominem eſſe didicimus, ſed quomodo ex verbis illis, Creſcite & multiplicamini, dici debeat eſſe creatus ad propagationem, non aſſequimur. Neque enim ſententia illa ad quoſcūque homines pertinet, ſed ad eos tātum, qui iam matrimonio ſunt copulati, & quod ſit thori immaculati officium, demonſtrat. Alius eſt inſtituti matrimonij finis, alius eſt creati homines ſcopus. Quod Deus in hominis natura ſexus aliquod diſcrimen eſſe voluerit, hoc factū eſſe, vt aptus foret ad propagationem, non dubitamus; ſed ad eum ſenſum, quem Lutherani volunt, hominem creatum eſſe ad procreationē, prorſus negamus. Scimus enim Priapum illum Saxonicū alibi ſcribere, tam eſſe neceſſarium hominem coire, quam cōmedere & bibere. Atque vt hanc ſententiam paululum tegeret Philippus in variata ſua confeſſione, naturæ aptitudinem, cum matrimonij officio confundens, Natura, inquit, homines ita conditi ſunt, vt ſint fœcundi; quare Iuriſconſulti dicunt coniūctionem maris & fœminæ eſſe iuris naturæ. Si naturæ ſit conditio eſſe fœcundum,

Matth.19.

quomodo ergo Chriſtus dicit quoſdā eſſe Eunuchos, qui de matris vtero ſic nati ſint? quomodo idē ſuos milites ad pudicitiæ premia hortatur? Nā poſtquā dixit tertium eſſe genus Eunuchorū, qui ſe caſtrauerunt propter regnū Dei, hortādo inſert. Qui poteſt capere capiat, hoc eſt, qui poteſt certare cū naturalib9 cōcupiſcētijs certet, qui poteſt gloriā virginitatis fortiter pugnando adipiſci, pugnet, ſuperet & triumphet. Sed cū hoc ſuaſit Chriſtus, cū eadē pluribus explicauit Paulus, creationē credo hominis interuertere inſtituerūt, & naturæ Dn̄s, creaturā ſuam in nihilū redigi voluerit. Fortè etiam Deus ex duplici natura hominē creans nō inſeruerit animę vim vllā qua carnalibus motib9 cōcupiſcentiarum reſiſtere poſſet, ſed hoc voluerit vt potius ſecundū carnales delectationes quam ſecundū ſpiritū vitā inſtituat. Sed audi quid hac de re ſentiat Chryſoſtom9: De9 hominē creans ex duplici natura, corporis & animæ: in corpore quidē creauit quinq; ſenſus, & motus quoſdā cōcupiſcentiarū, naſcētium ex occaſione ſenſuum predictorū: in anima aūt creauit iudicia & virtutes, vt intelligat malarū rerū & bonarū diſcretionem, vt poſſit reſiſtere motib9 ſuis corporalib9. Qui ergo ſecundū delectationes carnales viuere elegerūt, neq; cōſiderāt in anima ſua iudicia & virtutes eſſe creatas: nec .n. experiūtur ea ſi ſint, ſed tantū ſenſus carnales, & mot9 carnales, cōcupiſcentiarū, naſcētium ex occaſione ſenſuum predictorū exequuntur, ex quo fit, vt ſic arbitrentur & dicant, quia omnia bona carnalia & mūdalia ideo creauit Deus, vt omnibus eis vtamur. Nā ſi verè nō ſunt creata in nobis ſecūdū animā iudicia & virtutes, quibus poſſumus reſiſtere motibus cōcupiſcentiarū noſtrarū carnalium: certū eſt, quia ideò creata ſunt bona carnalia, vt vtamur illis. Si aūt creatū eſt in nobis, & intelligere eos & poſſe reſiſtere eis: ſine dubio nō ideo creata ſunt corporalia bona & mundalia, vt eis vtamur, ſed vt reſiſtētes eis, meliori ſtudio acquiramus nobis mercedē. Nā nec intelligere malū & bonū in nobis eſſet creat ū. niſi prius creatū fuiſſet & poſſe reſiſtere malo. Vt quid .n. homini datū fuiſſet intelligere, ſi nō fuiſſet & datū & poſſe facere quod intelligit melius eſſe? Nunquid animalibus Deus creauit intelligere, quod honeſti9 & laudabilius eſt? Non, quia nec creauit in eis poſſe facere aliquid quod melius eſt. Sic nec homini creaſſet intelligere, niſi creaſſet ei, & quod intelligit facere poſſe. Hęc ex Chryſoſtomo trāſcripta voluimus, vt intelligatur, naturales carnis appetiones non tantū ad propagationē in homine inueniri, ſed maximè ad virtutis exercitium, quod nō tā in tēperato vſu libidinis, iuxta fines à Deo pręſcriptos, quā in cōcupiſcentiæ refrenatione, cōſiſtit. Cæterū homines animales, menteq; corrupti poſteriorē iſtā rationē intelligere nequeunt, nulloque diuini verbi teſtimonio fulti affirmare pergunt, ſuis ſacerdotibus eſſe licitū, vxores

Chryſ. in op. 25 nat. hom. lib. 3.

res ducere, illud mandatũ Dñi eſſe affirmantes, quod nunquam iuſſit aut mãdauit. Quin ex ſuperioribus liquet, quod potius Dñs voluerit vt ex neceſſitate virtutem ſaciamus, & ſubinde repullulantes carnis motus in exercitium virtutis, fortiter luctando, conuertamus. Sed qui ſua figmẽta, titulo mandatorũ
Pſal. 49. & 75. Eccleſ. 5. Dñi circũueſtiunt, viderint qua authoritate, vota expreſſo Dei verbo comprobata, & ex pręſcripto Dñi repetita, profanare docent, atque in ſummã contẽptionem hominũ adducãt. Eiuſdẽ eſt peruerſitatis cũ aiunt Pau-
1.Tim. 3. lũ dicere, Epiſcopũ eſſe eligẽdum qui ſit maritus. Qui alibi vult oẽs continenter viuere ſuaq; conſectari veſtigia, quo pacto etiam Epiſcopos ab eiuſmodi cõtinentia reuocarit? Rectè ſanè docuit Paulus cũ cẽſet Epiſcopũ oportere eſſe vni⁹ vxoris virũ; ſed eſſe vnius vxoris vir, iuxta eiuſdem ſententiam, poteſt, qui etiam nullam vxorem habeat, qui nimirũ vxore vnica, quam habuerit ſit viduus. Nihil itaque aliud eſt eſſe vnius vxoris virũ quã non eſſe bigamũ. Ita enim Athanaſius, Chryſuſtomus, Ambroſius, cæteriq; religionis duces Paulũ intelligunt. Epiſcopus, inquit Hieronym⁹, ſit vnius vxoris vir, non vt ſi nõ habuerit ducat, ſed ne duas habuerit. Nec fuerit neceſſum, vt ab alijs, quid Paulus ca phraſi voluerit, repetam⁹, cũ ipſemet de vidua, quæ fuerit vni⁹ viri vxor, loquẽs, clariſſimè ſe exponat. Neq; enim vidua dici poteſt, quæ actu ad præſens virũ habeat. Quare quẽadmodũ illa vidua dicitur eſſe vnius viri vxor, quę tota vita ſua nõ niſi vnum maritũ habuit, ita etiam Epiſcop⁹ dicitur eſſe vni⁹ vxoris vir qui tota vita vnã duntaxat vxorẽ habuit. Sed ſuo more Pauli ſenſum aſſecutus eſt Luther⁹, qui alibi, ſimul & eodẽ tẽpore, duas vxores homini permittit, nec erubuit etiam marito coadiutorẽ in vxore tradere. Qui hunc adorãt Epicurũ, quid mirum ſi ſuos ſacerdotes velint eſſe impuriſſimos. Cum etiã ad eandẽ rem dicunt, quod in Germania primũ antè annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti ſint ad cælibatũ: Præclarè ſanè laude ſuam patriam exornãt, deerat enim hoc ad eius encomium quod antè quadringentos annos abundarit ſacerdotibus cõiugatis. Si tamẽ illud ſit cõiugium, quod impurus aliquis apoſtata cũ moniali, aut meretrice aliqua, cõtra leges cõtrahit. An vero res ita ſit, vt ſcribũt nõ magnopere moramur. Quandoquidẽ hoc etiã conceſſo nõ tam ſuam cauſam probãt, quã impuritatẽ ſui generis hominẽ accuſant. Si aũt vllã vim ineſſe argumento vellent, cõprobare ſimul deberẽt, Eccleſiam, eiuſq; præſides aliquãdo incõtinentiam illã ſacerdotũ approbaſſe. Sed proprio ſe cõfodientes gladio addunt etiam tunc omnia eiuſmodi coniugia, quæ verius proſtibula appellaſſent, fuiſſe ab ipſis epiſcopis prohibita. Quòd vero inciuilitatis iſtud factũ accuſant, affirmantes cõtra omnia iura diuina & humana, cõtra ipſos canones à Põtificibus & laudatiſſimis Synodis cõpoſitos, hoc eſſe tentatum, manifeſta calũnia eſt, & mẽdacium impudentiſſimum, neq; quicquam Catholici hic ſibi concedi volunt, quod non vel expreſſo Dei verbo, vel ſacris canonibus, iiſq; antiquiſſimis, vel traditione apoſtolica, vel Patrũ authoritate, vel longiſſima annorũ obſeruatione nõ ſit cõſeruatũ. Reuoluant euãgelici totam antiquitatẽ, iura omnia humana & diuina perſcrutentur, nũquam tamẽ oſtendẽt, quòd tẽpore euangelij exiſtẽs in ſacerdotio, iure, vxorẽ ducere potuerit. Atque illud eſt quod hic diſputatur, quodq; cõfirmare deberent, qui ſacerdotum ſuorum impuritatẽ excuſare ſtudent, dum mulierculas peccatis oneratas, prætextu legitimi matrimonij, ad ſuas libidines abducunt. Permiſſum quidem fuit tẽpore naſcẽtis Eccleſiæ, vſq; ad Siricij & Innocẽtis tẽpora, propter defectũ perſonarũ, vt etiam coniugati in ſacerdotes ordinarentur, ſed vt à ſacerdotio ad coniugium vlli redirẽt nũquam conceſſum fuit. Hoc etiam damus ante tempora Siricij nõ fuiſſe publica lege prohibitũ, vt qui adhuc in cõiugio exiſtentes ad Sacerdotiũ aſſumpti erãt, ab officio maritali prorſus abſtinerent, ſed tamẽ nec tunc defuerũt, qui & priuatim & publicè docerent, quanto magis deceret ſacerdotẽ eſſe continentẽ, quã ſollicitudinibus vxorijs diſtrahi. Ea tamen moderatione tunc vſa eſt Eccleſia, vt nemini, qui ita ad ſacerdotũ eſſet aſſumptus, manifeſta prohibitione officij cõiugalis, laqueus inijceretur. Sed tẽpore procedente cũ ex conuerſis ad Chriſtũ nõ defuerunt cœlibes, qui ad officium ſacerdotale eſſẽt idonei, nemini coniugato in Eccleſia latina fas fuit ad ſacerdotium procedere, niſi promitteret ſe deinceps caſtè & cõtinẽter victurũ. Eius cõſtitutionis author fuit Siricius. Eam confirmarunt Innocentius, Leo, Gregorius Põtifices vt vitæ ſanctitate ita etiam doctrina clariſſimi. In Græca vero Eccleſia, vetus cõſuetudo permãſit, fuitq; in arbitrio eorũ qui ex coniugio ad ſacerdotium tranſierunt, vel in officio maritali perſiſtere, vel ſi vxor cõſenſiſſet ab eodem abſtinere, idq; hodie etiam apud illos iuxta conſuetudinẽ ſextæ Synodi obſeruatur. His nimirũ rationibus permoti ſunt Græci, ne in neceſſitate, deſtituerentur Eccleſię ſuis miniſtris, ſi coniugati aſſumi nõ poſſent, deinde etiam ne vxorib⁹ fieret præiudiciũ, vel prætextu ordinationis à ſuis maritis expellerentur, curaq; earum abiecta victu & veſtitu deſtinerẽtur, vel ipſis etiam occaſio fornicandi pręſtaretur. Minimè tamen iſta conſuetudo vel tantillum facit pro ſacri-

legis ſacerdotum nuptijs, quas hoc articulo confirmare ſtudent Euangelici. Nunquam enim ſub noua lege, non modo apud Latinos, verumetiam apud Græcos, licuit ſacerdoti matrimonium contrahere. Quinetiam apud illos quiſquis contrahere voluit, id facere debuit ante ſuſceptum ordinem ſubdiaconatus. Ita enim canon 6. ſynodi, quæ apud Niceam celebrata eſt, habet: Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari: hoc ante ordinem ſubdiaconatus faciat. Deſinant igitur iura diuina aut humana obtendere, deſinant ad canones, aut ſynodorum conſtitutiones prouocare, qui iura omnia peruertunt & violant. Hoc non eſt vitia extirpare ex Germania, ſed vt ea longiùs ſerpant procurare, impioſque iuſtificare, & quod malum eſt, bonum dicere, quod verò bonum, malum affirmare Chriſtique gratiam euertere. Illud ita eſſe, quæ ab Euangelicis præterea ſubijcitur ratio luculentiùs demonſtrat. Senescente mundo, inquiunt, paulatim natura humana fit imbecillior. Porrò Deus inſtituit coniugium, vt eſſet remedium humanæ infirmitatis. Ergo ſacerdotes incontinentes ad hunc veluti portum confugere debent, eorumque cauſa canones toto orbe recepti, iuraque omnia laxari oportet. Quid de canonibus, quæ in hac cauſa lati ſunt, ſentiendum ſit, pro inſtituta à nobis breuitate ſufficienter modo locuti ſumus. Aduerſus vero humanæ imbecillitatis prætextum pro nobis reſpondeat B. *Lib. de virg. cap. 43.* Chryſoſtomus. Non nunc primum, inquit, ſed iam diu hæc inſita eſt in hominum genere libido; quæ quidem cum violentior olim eſſet, & planè indomita, Chriſti aduentu & eius virtutis vi, quæ nobis adhibita eſſe, domitu facilis eſt facta. Rurſus exponens *1. Cor. 7.* illud Pauli: Si ſe non continent nubant: Melius eſt enim nubere quam vri. *Chryſ. cap. 29 lib. de virginitate.* Vides, inquit, vt per ſe nuptias nuſquam admiremur, ſed propter inceſta atque ſtupra, propter tentationes, propter incontinentiam? Hæc quidem omnia ſupra ſcripſit. Verum quod ipſos malè verbis acceperat, rurſus iucundiori vocabulo rem ipſam appellat; incendium & ardorem nominans. Ac ne id quidem, vt auditorem non laceſſeret, prçteritum voluit. Non enim dixit, Si quadam libidinis vi coguntur, ſi tranſuerſi aguntur, ſi non poſſunt: Nihil omnino poſuit eiuſmodi, quod aut vim illatam oſtendat, aut venia dignum ſit. Verum quid is inquit? Si verò ſe non continent, nubant. Quod eorum voluntati tribuendum eſt, qui propter pigritiam nolunt elaborare. Demonſtrat enim ipſos rei facultatem habentes, ob id minus eam perficere, quod laborem defugiunt. Cauſa igitur incontinentiæ iuxta Chryſoſtomum non tam in imbecillitate naturæ conſiſtit, quam in eorum deſidia, qui cum per gratiam Chriſti fortes eſſe poſſint, tamen non vincere, ſed vinci malunt, ſeque vltro Veneri captiuos offerunt. Scimus etiam inſtitutum eſſe coniugium, non tantum ad procreationem, verumetiam vt in natura inſitum reſtinguat calorem, & hominem in officio temperantiæ retineat. Sed quid hoc ad eum qui nullo iure contrahere permittitur? aut quanti id illius refert, qui alia habeat adminicula, quæ conditioni miniſtrorum Eccleſiæ magis congruant? Vigilijs, ieiunio, orationibus omnia tela ignita diaboli, in eo qui nos confortat, non difficulter extinguere, ac funditus tollere liceat. Hæc & eiuſmodi ſunt remedia, quæ à ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſacerdotibus, perſoniſque Deo dicatis proponuntur. Cuiuſmodi ſi eo quo decet conatu, ſequantur, multo minùs difficultatis in tuenda virginitate, quàm in coniugio experientur. Atque ne hoc temerè videamur affirmare, audi quomodo iſtud ex Paulo oſtendat Chryſoſtomus: Accedit eo *Lib. de virg. cap. 49.* inquit, quod tertium quoddam comprobari vult. Quidnam id eſt? Virginitatem non ex earum rerum haberi numero, quas adipiſci non poſſumus, ſed ex illis eſſe, quæ maximam habent facultatem. Id autem facit (Paulus) cum multis partibus plures ineſſe docet in coniugio difficultates, tanquam ſi diceret: Grauis tibi videtur huius rei cultus ac laborioſus? Ego vero virginitatem propterea colendam cenſeo, quod tantam ea facultatem habeat, vt multo minùs quam coniugium, negotium nobis exhibeat: quòd verò veſtri miſereor, inquit, & moleſtia liberos eſſe volo; idcirco vt coniugio abſtineatis vobis autor ſum.

Porrò ridiculum eſt, quod hic Lutherani adijciunt, metuendum eſſe, ne Eccleſijs aliquando defuturi ſint Paſtores, ſi diutius prohibeatur coniugium. Mirum cur etiam non dixerint, totum mundum eſſe periturum, ſi contra omne ius, apoſtatis & ſalacibus Sacerdotibus non dentur vxores. Forte nouam tribum Leui ſub Chriſtianiſmo inſtituere meditantur, ad quam ſolam, ius ſacerdotij pertineat, excluſis nimirum illis, qui ex thoro immaculato ſunt progeniti. Sed trepidauerunt miſeri timore, vbi non erat timor, longeque aliter res euenit, quam ipſi portenderunt. Nunc enim apud illos precipuè videmus deeſſe Sacerdotes legitimoſque Paſtores, qui ſub nomine matrimonij, ſacrilegos concubitus permiſerunt. Ita illi reipublicę conſuluerunt, qui honore ſe afficere coniugium impudenter mentiuntur, hocque vno maximè anguntur, quod pijs magiſtratibus

vi-

videant curę eſſe, ne ſacrilegę eiuſmodi commixtiones impunitę relinquantur.

Vt etiam querelas ſuas, quas in variata cōfeſſione longiſſimo ſermone amplificāt, laruā aliqua induant, fucūq; incautis faciant, aſſerunt, & Paulū dicentē: Doctrinā eſſe dęmoniorū, quæ nuptias prohibeat. Quod Paulus docet hoc non tanquam verbū hominis, ſed tanquā verbū Dei recipiūt, & probāt Catholici, ſimulq; cū illo Tacianos & Marcioniſtas, cæteroſq; qui nuptias tāquam malas & illicitas repudiarunt, condēnant & deteſtantur. Sed aliud eſt cōiugiū velut rē illicitā improbare, aliud eſt corrigere iuſtiſque ſupplicijs eos vindicare, qui re ſancta vtūtur nō ſanctè. Viderint etiam iſti caluniarum artifices, vtri matrimonij dignitatem magis tueantur: Catholicinè qui matrimonium cæteris nouę legis ſacramentis annumerant, an vero ipſi qui matrimonium nō eſſe ſacramentū cōtra expreſſum Dei verbū affirmāt. Proferūt etiam locum ex epiſtola 11. Cypriani libro primo, ſed pari fraude, atq; ſcripturas ipſas, allegare ſolēt. Sic habet integer Cypriani loc9. Quod ſi ex fide ſe Chriſto dicauerunt, pudicè & caſtè, ſine vlla fabula perſeuerent, ita fortes & ſtabiles, premium virginitatis expectent. Si aūt perſeuerare nolūt, vel nō poſſunt, meli9 eſt nubant, quam in ignē delictis ſuis cadāt. Cartè nullū fratribus aut ſororibus ſcandalū faciant. Sed homines rerū eccleſiaſticarū imperiti, aut malitia occæcati minimè conſiderarunt eas virgines quæ cōtinētiæ votum ſuſcipiunt, nō omnes eſſe pari gradu, nec ijſdē vinculis alligari. Aliæ.n. ſunt quę ſimplex caſtitatis votū emittunt, aliæ vero quæ emiſſo ſolēni voto ſe Deo aſtringunt. Iſtæ velatæ dicuntur, & nō modo ſingulari ſuo propoſito, verūetiam ſub teſtimonio Eccleſiæ, religioſo habitu apparentes, ſacerdotis opera Deo cōſecrantur. Illæ verò non velatę virgines appellātur, & duntaxat ſingulari ſua voluntate, citra conſecrationē Epiſcopi vel ſacerdotis ſtatum ſuum continenter & firmiter tenerē decreuerunt. Iſtis ſi perſeuerare nollent in propoſito permiſſum fuit nuptias adire, velatis vero virginibus facto ſolēni voto nunquam hoc fuit liberum. Quare de iſtis primo loco mentionē faciens Cyprianus, iubet vt pudicè & caſtè ſine vlla fabula in eo quod ex fide ſuſceperunt, perſeuerent. Non velatis vero virginibus quibus non ſit propoſitum cōtinentiam ad finem vitæ ſeruare, ſuadet vt vltra non procedāt, nec ſe Deo cōſecrari patiantur. Satius enim eſſe vt nubant quam vt concupiſcentiæ flammis ſuccumbētes, æternam damnationem ſibi acquirant. Hoc autem voluiſſe Cyprianū, cum ex iſta ipſa epiſtola, tum ex alijs eius ſcriptis colligi poteſt. Quomodo.n. virgines velatas matrimonium cōtrahere voluerit, qui ne eas cum maſculis habitare permittat? Qui Deum, inquit, timemus, cum omni obſeruatione diſciplinę, diuina precepta teneamus: nec patiamur errare fratres noſtros, & pro arbitrio & fructu ſuo viuere, ſed ad vitā ſingulis fideliter conſulere: nec pati virgines cum maſculis habitare, non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul viuere, quando & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frenari à nobis, & regi debeat, ne diabolo inſidianti, & ſęuire cupienti, ad nocendum detur occaſio, quando & Apoſtolus dicat: Nolite locū dare diabolo. Libro etiam de ſingularitate clericorum, non modo ſacerdotibus non permittit coniugium, verūetiam illis interdicit omni mulierum conſortio, ſimul affirmans ſe hoc non temerè aut propria authoritate, ſed ex diuina voluntate facere; quam ex ſcripturis, & ex diuina reuelatione demōſtrat. Sed quia nunc, inquit, de fœminarum cōmoratione vulgariter inter vos quidam ad ignominiam deuoluti ſunt, etiam de hac re ſpecialiter vobis, Dñi correptione ſcribere cōpulſus ſum: qui miſerum me pro veſtra negligentia cum ſeueritate corripiens, mandare pręcepit, ne clerici cum fœminis commorentur. Quàm congruenti etiam pudicitiæ diſciplina velit idem Cyprianus virgines contineri, & quàm digno ſanctimonię habitu eas coercendas cēſeat, repetatur ex libro quē in hoc argumento conſumpſit. Spargunt etiam concionatores per vniuerſum articulū querelas de publicis ſcandalis & malis exemplis quæ ab illis offeruntur, qui cęlibē vitā profitentur. Quid vero eſt quod Lutherani eadem Sophiſtica etiam non tollunt matrimonium? Præter enim adulteria, varia cōmittuntur à coniugatis ſcelera, grauiſſima animaduerſione digna. Plurimi ſunt qui impingunt in legem de remouendis dijs alienis & vno ſolo Deo adorando, an ideò lex mala eſt? Tanta eſt paſſim in Germania & alibi blaſphemorum multitudo, tam profanus & frequens iuramentorum vſus vt pleriq; hoc etiam laudi aſcribāt, an ideò lex mala eſt quæ iubet ne nomē Dñi in vanum aſſumatur? Nūquam magis peruerſitate morū profanata ſunt feſta, quam iſtis temporibus, an ideò iniqua lex eſt de ſanctificando die Sabbathi? Multi ſunt qui parentibus & Magiſtratibus cum ſacris tum politicis debitum honorem non præſtant, an ideò lex de parentibus colendis abroganda eſt? Quid multis? Cùm multa paſſim committātur, Homicidia, multa adulteria, multa furta, multa mendacia, an ideò leges quæ ad eiuſmodi vitia reprimenda latæ ſunt, vim & authoritatem ſuam perdiderunt? Vaniſſimo igitur errore detinentur Lutherani, cum de legibus ita diſputant, vt propter preuaricantium

Ephes. 4.

Cyp de diſciplina & habitu virgin.

tium malitiam eas abrogari velint. Catholici vero intelligentes non bonas leges ſcandaliſare, ſed legum tranſgreſſioné, de legibus ita differédum ſentiuht, vt illis ſaluis, vitia ipſa, & preuaricantium malitia reprehendantur, minimeq́; impunita relinquantur. Hinc per varios Pontifices & in pluribus ſynodis frequentes multæ in concubinarios, & ſacerdotum incontinentiam ſunt etiam conſtitutæ; vt certè maleuoli minimè cauſam calumniãdi habeant, quòd vllam impuritatem in cœlibatu approbemus. Sed dicent, aliud eſſe legum diuinarum, aliud humanarum cõſtitutionum iudicium. Illę enim fixę ſunt & perpetuę, iſtę verò ad vtilitatem hominum mutari poſſunt. Hoc ita eſſe non inuiti fatemur, nec ignoramus, iura humana, etiamſi rationi & æquitati inſiſtant, quandoque in meliora poſſe conuerti. Sed quid hoc ad cauſam aduerſariorũ fecerit? An arbitrij iuriſque humani duntaxat eſſe dixerimus, vti ſuſcepto ſacerdotio nemo vxorem ducat? Illi quidem hoc volunt, nos vero negamus, atque ex iure etiam diuino poſt ſuſceptum ſacerdotium non eſſe licitum cuiquam vxoré ducere conſtanter aſſirmamus. Quod ne temerè videamur facere, vnde in eius iuris notitiam deueniamus paucis attingamus. Primo igitur inde diſcimus ſacerdotalem continentiam ex iure diuino deſcendere, quod illi in veteri lege diu antè inſtitutum Chriſti ſacerdotiũ, (Exod. 12.) præceptis & moribus fuerit adumbrata. Nã ſi tunc quotquot paſcha illud vetus erãt mãducaturi, præcincti renibus eſſe debebant, quãtò magis nunc illi, quorum officium eſt paſcha nouum non modo comedere, verũ etiam ſacra myſteria peragere, carnalia deſideria, quæ in renibus potiſſimùm ſedem habent, per continentiam reſrenare debent? Si (Eſaie 52.) etiam Dñs per Eſaiam pręcipit vt mundentur qui ferunt vaſa Domini, quãto mundiores eſſe debent, qui ipſum Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum ore & manibus ferunt? Si Leuitis dicitur, Sancti eſtote quoniam ego (Leuit. 19.) ſanctus ſum; quanto magis ſanctitas, corporiſque & animæ puritas à ſacerdotibus nouæ legis requiratur? virtute caſtitatis Heliam, Heliſeum plurimoſque prophetarum filios (Chryſ. lib. de virg. cap 79.) ſimiles angelis factos his verbis oſtédit Chryſoſtomus. Qua quæſo re differebant ab angelis Helias, Heliſæus, Ioannes, veri hi virginitatis amatores? Nulla, niſi quod mortali natura conſtabant. Nam cætera ſi quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quam beatæ illæ mentes: & idipſum quo inferiore conditione videntur eſſe, in magna eſt eorum laude ponẽdum. Vt enim terrarum incolæ, & ij, qui eſſent mortali natura, poſſent ad illam virtutem vi, & contentione peruenire, vide, quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione pręditos fuiſſe oporteat. Virginitatem fuiſſe, quæ tales eos reddiderit, ex eo perſpicuum eſt. Nam ſi vxores habuiſſent & liberos, haud facilè adducti eſſent, vt & in ſolitudine viuerent, & ſuas familias contemnerent, & reliqua quæ neceſſaria eſſent ad vitam, non compararent. Nunc vero his omnibus ſoluti vinculis, tanquam in cœlo, ſic in terris diuerſantes, non parentibus, non lecto non menſa, non alijs eiuſgeneris rebus indigebant, quin illis cœlum erat pro tecto, ſolum pro ſtrato, pro menſa ſolitudo, & quę ſterilitas ſolitudinis, alijs famis effectrix videtur, ſanctis illis viris ſuppeditabat rerum omnium copiam. Porrò cũ Moyſes accepturus legem, (Deo ita volente) omnib⁹ Iſraelitis pręceperit, vt in diém tertium (Exod. 19.) non appropinquarent vxoribus, quanto minus fas fuerit ſacerdotibus muliebres amplexus ſequi, cum legiſlatorem ipſum Chriſtũ manibus & pectore complecti debent? Sacerdotalis enim continentiæ ſymbolum fuiſſe, (Exod. 28.) Patres ſcribunt, quòd in veteri teſtamento qui ad eum gradum conſcenderant, iuſſi ſint fœminalia linea portare, vt turpidinem carnis ſuę operirent. Quid, quod Abimelech (1. Reg. 21.) ſacerdos panem benedictum pueris Dauid non priùs dandum cenſuerit, quàm intelligeret eos eſſe mundos à mulieribus? Sacerdotibus quidé veteris legis fuit permiſſum, (Leuit. 21.) vt vxorem acciperent, idque tantum ſemel, eamque virginem; quod ſi putent ſe nouæ (Ezech. 44.) legis ſacerdotes, in exemplum poſſe trahere, aut licentius etiam quam illi contrahere poſſe, audi quid illis ante mille ducentos annos Siricius reſpóderit: Plurimos, inquit, Sacerdotes Chriſti atque Leuitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de coniugibus ſuis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum, hac pręſcriptione defendere, quia in veteri teſtamento ſacerdotibus ac miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt ſectator libidinum, pręceptorque vitiorũ, ſi æſtimat quod in lege Moyſis paſſim ſacris ordinibus à Domino laxata ſunt frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur ſancta ſanctorum præmonet dicés: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter? Cur etiam procul à ſuis domibus, anno vicis ſuæ in templo habitare iuſſi ſint ſacerdotes? Hac videlicet ratione ne vel cum vxoribus poſſent carnale exercere commercium, vt conſcientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam expleto deſeruitionis ſuæ tempore, vxorius vſus ſolius ſucceſſionis cauſa fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Leui, quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti. Præ-

ter eam cauſam, quam hic affert Siricius de facultate data Leuitis, vt vxores ducerent, producit Ambroſius & iſtam, quod vnuſquiſque Sacerdotum & Leuitarum, poſt expletas vices ſuas in miniſterio ſacro, propter multitudinem ſacerdotum multum haberet temporis priuſquam ordo ad illum recurreret. Secus autem fit hodie apud Chriſtianos ſacerdotes, quibus incumbit, vt non vno tantum loco, ſed toto orbe terrarum oblationem illam mundam, cuius meminit Zacharias, offerant. Sed quę comparatio vmbratilis illius cultus cum ipſa veritate? Iuuerit tamen intellexiſſe, quod ſacerdotes veteris legis ſemel tantum ducere poterant non quidem viduam, non meretricem, ſed virginem, quodque continere debebant, quo tempore vices officij peragendi ad ipſos recurrebant, vt qui nullo diſcrimine noſtris temporibus ſacerdotibus vxores dare volunt, quanto Chriſti ſacerdotum, Leuitico ſacerdotio impurius reddere meditentur, omnes intelligant. Cæterum vt ex apoſtolicis literis plura repetamus teſtimonia, non iudicamus eſſe neceſſum, quandoquidem paulo ante quid Chriſtus, & Apoſtolus de continentia ſentiant, explicuerimus. Si autem ſit, qui dicat illos conſulere, non precipere continentiam: ſatemur quidem illud, & addimus: Quod ſi illi omnibus hominibus ad capeſſendam eam virtutem conſilium dent, quid cum ſacerdotibus egerint, quorum gradus vt eſt ſublimior, ita etiam ſanctitas maior eſſe debet. Non extet etiam expreſſum Dei verbum, quod clare & manifeſte ſacerdotibus cœlibatum imperet, quid refert? Quandoquidem quis fuerit Domini ſenſus, quamque continenter ſuos ſacerdotes viuere Chriſtus voluerit, non ſit obſcurum. Leges, inquit Chryſoſtomus, nobis tulit Chriſtus, partim per ſe; partim per Apoſtolos. Quod autem ipſe per ſe leges omnes non tulerit, audi eiuſdem teſtimonium: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Homines ſane carnales ante perceptionem Spiritus ſancti neceſſario iuſſo ad continentiam aſtringere, quam durum & difficile fuiſſet, nemo eſt qui non intelligat. Quare meliori opportunati eam legem Chriſtus reſeruauit, donec Apoſtoli & diſcipuli Spiritu ſancto accepto, ſua ſponte quod optimum eſſet eligerent, & cuiuſmodi integritatem ſacerdotalis dignitas requireret, non modo moribus, verumetiam manifeſta conſtitutione declararent. Sic enim habet canon Apoſtolicus numero vigeſimus quintus: Ex his qui cœlibes in clerum peruenerunt, iubemus vt tantummodo lectores & cantores (ſi velint) nuptias contrahant. Hanc legem Eccleſia Catholica tanta cura ſemper obſeruauit, vt nemo ſit (etiam ſi diſrumpantur ſacrilegarum nuptiarum defenſores) qui ex vlla bonæ fidei hiſtoria, vel probato aliquo ſcriptore oſtendere poſſit, vllum fuiſſe tempus, quod ſacerdotes ad eam ſeruandam non obligarit, vel contrario decreto ab ea iuris conſtitutione exemerit. Si quis autem adeo impudens fuerit, vt, citra vllam authoritatem, hoc in primitiua Eccleſia non fuiſſe obſeruatum dicat, mox eum reuicerit ſecundi Concilij Carthaginenſis authoritas. Ibi enim ab hinc ducentis annis ſupra mille, Aurelius Epiſcopus ita dixiſſe ſcribitur: Cum in pręterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam, caſtitati per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, vt condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei ſacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet: vt Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui ſacraméta cõtrectant, pudicitiæ cuſtodes etiã ab vxoribus abſtineãt. Ab omnib⁹ dictum eſt: Placet, vt in omnib⁹, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt. Hæc ſecundo canone eius concilij. Poſſemus non paucos proferre ſcriptores Eccleſiaſticos, qui quod Patres ibi affirmant ſuis monumentis cõprobarent, niſi actũ agere videremur. Vnus aut aliter ſuffecerit, & quia Aduerſarij etiam Beatũ Hieronymũ in ſuam ſentẽtiam alibi pertrahere nõ verẽtur, vellemus vt non grauẽtur ſimul ex illo recognoſcere, quidnã primi illi Religionis noſtræ duces circa cœlibatũ obſeruarint. Ita .n. ſcribit ad Iulianũ: Petrus cũ reti & nauicula etiã vxorẽ reliquit. Et lib. 1. contra Iouinianũ, Qui, inquit, aſſumpti ſunt in Apoſtolatũ relinquũt officium cõiugale. Idẽ cõtra Vigilãtium: Quid faciẽt, ait Orientis Eccleſię, Quid Aegypti, & Sedis Apoſtolicę, quę aut clericos virgines accipiũt, aut cõtinẽte⁹, aut ſi vxorẽ habuerint mariti eſſe deſiſtunt? Rurſus ad Pãmachiũ ita ſcribit: Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias cõtinentes fuerũt, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi aut Virgines eligũtur, aut vidui, aut poſt conſecrationẽ in ęternũ pudici. Quid vero Auguſtinus de cõtinẽtia ſacerdotũ ſenſerit nõ vno loco explicauit. Licet .n. dum adhuc ſecularib⁹ ſtudijs, huiuſq; mũdi vanitatib⁹ eſſet dedit⁹, virtutis

Lib. de virg. cap. 13.

Ioan. 16.

eius vim capere nō poſſet, Catechumenus tamen effectus, concubitū ante omnia ſibi fugiendū eſſe duxit, non modo adulterinū aut meretricium, verūetiam, ſi forte haberetur, cū propria vxore. Libro enim 6. Confeſſionū, (Cap. 3.) ipſum, inquit, Ambroſium fœlicē quendā hominē, ſecundū ſeculū opinabar, quē ſic tantæ poteſtates honorarēt, cœlibatus tantū ei⁹ mihi laborioſus videbatur. (Lib. 1. cap. 10) In Soliloquijs aūt; Nihil, ait, mihi tā fugiendū quā concubitū eſſe decreui. Nihil eſſe ſentio quod magis ex arce deijceat animū virilē quam blādimēta fœminea, corporūq; illa cōtactus, ſine quo vxor haberi nō poteſt. Itaq; ſi ad officiū pertinet ſapientis (quod nondū cōperi) dare operā liberis, quiſquis rei huius tantum gratia cōcumbit, mirādus mihi videri poteſt, at vero imitandus nullo modo: Nā tētare hoc, periculoſius eſt, quam poſſe, fœlicius. Quāobrē ſatis, vt credo, iuſtè atq; vtiliter pro libertate animæ meæ mihi imperaui, non cūpere, nō querere, nō ducere vxorē. Tametſi igitur aliquādo liceat & bonū ſit matrimonium cōtrahere, Sacerdotibus tamē minimè licet, aut decet. Huius cauſam pluribus explicatam ſi quis requirat, legere poterit libr. quæſtionū ex vtroq; teſtamēto, eiuſdē Auguſtini, ſub finē quæſtionis 127. Tot etiam apud Gratianū (A diſtinc. 26. vſque ad diſtinct. 32.) extant Pōtificum reſponſa, tot celeberrimarū ſynodorū decreta, ex quibus quę toto orbe fuerit, in preſenti argumēto ſententia elucescit, vt qui ea legat ſane dubitare nequeat vſque à tēporibus Chriſti, ex Apoſtolica traditione ad nos deriuatā eſſe eam legē; quæ ſacerdotibus inire matrimonium prohibet.
Hinc ſemper hæreſeōs ſunt cōdemnati qui cōtraria ſenſerunt & docuerunt. Iouinianus ante aliquot ſecula voluit ſacerdotibus & ſacratis virginibus cōiugia permitti. Voluit idem dormitans Vigilantius, voluerunt Peputiani, voluīt Viclephius. Sed Deus ſemper in nihilum redigit eorū conatus, doctiſſimorumq; hominum ſcriptis, & Catholicæ Eccleſiæ iudicio, ſacrilega libido, quæ ſub vmbra legitimi cōiugij latitare volebat extincta eſt. Viderint igitur Lutherani quos duces ſequātur. Certè quotquot Catholici ſumus, non alios agnoſcimus quam Chriſtū ipſum & Apoſtolos, horū nō modo doctrinā, verūetiā cōuerſationē approbātes. Fruſtra profectò illi petūt & optant, vt canonū rigor ibi laxetur, vbi quid ius diuinū exigat, tot rationib⁹ oſtēditur. Vnde ſi hodie Cōcilio aliquo admitteretur vt etiam ex cōiugatis Sacerdotes eligerētur, qui nec à cohabitatione, & familiaritate legitimæ vxoris arcerētur (quēadmodū hortat Paphnutij. 6. ſynodo Græcis permiſſum eſt) nunquam tamen concedendum exiſtimo vt vllus ſuſcepto ſacerdotio matrimonium cōtrahat, aut qui de facto cōtraxerūt, meretrices ſuas quas titulo vxoris circūueſtiunt, retineat. Cōcludim⁹ igitur quod cū ſacerdotalis cōtinentia excellentiā ſacerdoti exornet & libertatē Spirit⁹ maximè promoueat, cū veteri etiam lege fuerit adūbrata, & tēpore miniſterij preſcripta, cū à Prophetarū filijs fuerit maximo fructu obſeruata, cū Apoſtolorū conſtitutione ſit imperata, ipſorūq; morib⁹ confirmata cū à cōcilijs & ſanctis pōtificibus frequētiſſimè ſit repetita, cū perpetuo Eccleſiæ vſu ſit corroborata, cū diuina reuelatione ſit ſtabilita, cū proprio voto ſacerdotis Deo ſit promiſſa, cū inquam tāta vis rationū diuinitùs ſit ſubminiſtrata, nullius factionis impuritate eſt abroganda.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de coniugio ſacerdotum.

HAud facile dici poteſt, quàm in animo crucientur bene Catholici, ob quotidiā (Sacerdotum incontinentia) ſacerdotū ſpurciſſimā vitā, qua toti mūdo ſeſe traducūt, qui tēpla ſoli Deo cōſecrata impudicitia contaminānt, qui de mēbris Chriſti mēbra faciunt diaboli. Si cuiuſuis priuati hominis fornicatio & impudicitia turpis eſt & diuina animaduerſione digna, multo maximè ſacerdotis, qui debebat ſpeculator eſſe, & voluptatib⁹ diffluentes, verbo & exēplo redarguere. Si cuiuſuis priuati hominis fornicatio Eccleſiaſticā interturbat harmoniam, quāto magis ſacerdotū incōtinentia & luxuria, & cū plebe in cibo, in potu, in veſtitu, in accubitu, equalitas offendet omnes cordatos viros. Sanè igitur vitādę fornicationis conſilium facilè probauero, ſed hūc modū, quem tradunt iſti, vt ducant vxores, omnes bene Catholici dānant: primū, quòd hac ratione (Coniugij Sacerdotum incommoda.) bonis hominibus anſam dāt offenſionis, deinde quod peccāt in iura Pōtificia, & in Conciliorū decreta, tertio quòd cōſcientiam ſuā grauiter vulnerent. Manifeſtum eſt, quantū pij homines ob publica ſacerdotum cōiugia offendantur, quos vident cum alijs vnam vitam viuere, & omnia nuptiarum incommoda, tumultuantis familiæ ſtrepitum, infantium vagitus, rei domeſticæ curam, vxoris querimonias, ſuſurria, lachrymas, & alia omnia nuptiarum incommoda perferre. Quomodo talē honore afficient à cæteris hominibus nihil diſcretum? Oportebat autem ſacerdotem exemplar eſſe abſolutiſſimæ vitæ, quod tuto imitari poſſent homines pro ſua virili in tāto rerū mūdanarū tumultu. Quàm difficile vero ſit vxori ſimul, & rebus domeſticis eſſe deuinctum, & ſimul rebus diuinis, orationi, lectioni, & ſtudijs vacare, teſtatur ipſa illorum, qui vxores duxerunt, ſacerdotum conſcientia. Iura Pontificia adimunt ſacerdotibus matrimonia, vt licētius Deo militent, vt licentius ſacris ſtudijs ſe occupent,

vt

vt magis verbo Dei populum Chriſtianum, & cum maiori auctoritate erudiant, quæ omnia coniugia impediunt, & non ſinũt ſacerdotem, ſacerdotem eſſe. Conciliorũ decreta quædam vetuſtiora permittebant, vt ſacerdos eſſe poſſet, qui haberet vxorem, ſed nulla ſuſtinẽt, vt qui ſacerdos eſt, vxorẽ ducat, & tamen iſtorum ſacerdotes licentiſsimè ducunt vxores, non vt generalia Patrum Cõcilia, ſed vt imperant quędam Hombergiana & Marpurgiana Catthorum conciliabula.

Apud Heſſos cogebantur ſacerdotes ad coniugia.

Imperant inquam: nam cogebantur boni ſacerdotes, & qui citra ſuſpicionem vixerant, contrahere. Hic recordor cuiuſdam optimi viri honorabilis ſacerdotis, & annorum circiter quinquaginta ſex, qui cum lachrymis referedat, ſe cum ancilla ſua, qua cum honeſtiſſime & omnium iudicio caſtiſsime vixerat, vel cum alia adoleſcentiore contrahere, vel certè exſulare, vel ſolum ſine cuiuſcũque ancillæ cohabitatione & miniſterio viuere debere. Iam audis, apud iſtos cõiugium coactionis eſſe & neceſsitatis, adeò vt non liceat eis, tametſi bene vellent, in cælibatu viuere. Dura prorſus lex, & qua ne gentes quidem ſuos ſacerdotes onerarunt. Quid hic dicam de cõſcietiarum ipſorum ſacerdotum vulnerib⁹, cum ipſimet teſtari debeant, ſe in anima vermem perſerre perpetim ſe infeſtantem, ac perpetrati facinoris commonentem, & quotidianis eam morſibus excarnificantem? Hic fortè quis dicat, multò melius eſſe, quòd ſacerdotes vxores ducant, quàm quòd turpiter cum concubinis fornicentur. Hic breuiter reſpondebimus, neutrum bonum eſſe, & quòd neque vxores ducere, neq; fornicari, ſed continere debebant. Ducere vxorem ſacerdoti non permittũt leges, & fornicari prohibent diuina iura, vtriuſq; mali neutrũ apprehendere debet ſacerdos, ſed oret Deum, caueat pericula vt continere poſsit.

Eſt quidem matrimonium inſtitutum ad remedium humanæ infirmitatis, ſed ſacerdotes, qui ſe ſemel Deo deuouerũt, alia quærere debebant ſuæ imbecillitatis pharmaca, quàm matrimonium.

Remedia ad coercendum carnis pruritum.

Primum.

Carnalibus illis, & illis, qui non capiunt verbum cœlibatus, cõceditur ſuaue illud & amarum antidotum, ſpirituales verò, & qui ſe caſtrauerunt propter regnũ cœlorum, ſummopere cauere debent fœminarum neceſsitudinẽ & contuberniũ: quandoquidem, quòd ait Hieronymus, fœmina viſcus eſt tenaciſsimus, ad illaqueandas animas.

Hieronymus

Vbi ergo iuuenis ſacerdos cum iuuene fœmina habitat, non deerit diaboli viſcarium.

Auguſtinus.

Et Auguſtinus: Grauem inimicum cõſequuta eſt caſtitas, cui nõ ſolũ reſiſtendũ, ſed poſt admiſſo equo, vt dicitur, ab eo lõge fugiendum. Breuis ſermo & rigidus cũ huiuſmodi habendus eſt. Nec minus cauendæ ſunt quia bonæ indolis ſunt, vel quia piæ cõuerſationis eſſe probantur: quo etenim melioris famæ exiſtunt, eò citius alliciunt, &c.

Secundum.

Deinde qui ſacerdotes ſunt, præſertim cauere debent, ne peſſimis cogitationibus, quæ ſolent incautis imponere animis, ſeſe oblectent, ſed quamprimum natæ fuerint, memoria cruentæ paſsionis Chriſti obtundantur, elidantur in ſemine, ne excreſcant zizania.

Hieronymus

Beatum vocat illum Hieronymus, qui ſtatim vt cœperit mala cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram Chriſtum.

Tertium.

Haud parum quoque profuerit reſtinctioni prurientis libidinis, ſi omnes carnalium tentationum motus ſcuto fidei excipias, vt vbi concupiſcentiæ te cœperint commouere ad libidinem, inſtruat te fides, quibus ſias animæ periculis obnoxius, ſi aſſenſeris: contra, qua corona doneris, ſi viceris. Doceat te etiãnum fides, hanc vitam breuem eſſe, & vmbra inaniorem, fumoq; fugaciorem, vindicẽ malorũ ſeueriorem, & mortẽ nullis temporib⁹ morituram. Hoc fortè nõ fuerit pœnitendum laſciuientis carnis capiſtrũ.

Quartum.

Meminerint proinde ſacrorum myſtæ, vt ſaucię carnis vlcera crebro ieiuniorũ & laborũ cauterio ſanent.

Prouerb. 29.

Qui delicatè nutrit ſeruum ſuum, inquit ſcriptura, in fine ſentiet eum contumacem: nam qui comeſſationibus vacat, qui potationibus indulget, præſentiſsimis continẽtiæ hoſtib⁹, non poteſt nõ labi.

Prouerb. 20.

Luxurioſa res eſt vinum, inquit in Prouerb. Salomon, & tumultuoſa ebrietas.

Hieronymus

Loth, inquit Hieronym⁹, per temulentiam neſciens libidini miſcuit inceſtũ, & quẽ Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Nedũ vina, ſed & gulæ indulgentia libidinibus fomentum præſtat.

Quintum.

Iam qui velit incentiua libidinis prorſus cauere, fugiat ocium, quo non eſt aliud peſtilentius malum ad illaqueandum imbecillium animos, quotidiana verò recreet mentem ſuam ſcripturarum lectione, quæ præſertim continentiam nutrire, carnis pruritum medullitus poſsit exſtirpare.

Eccleſ. 33.

De ocio dicebat Eccleſiaſticus: Multam malitiam docuit ocioſitas.

Hieronymus

De ſacrarum lectione ſcripturarum, quod noxios carnis motus compeſcant, teſtimonium habemus Hieronymi: Ama, inquit, literarum ſtudia, & carnis vitia non amabis.

Sextum.

Fortiſſimum quoque munimentum aduerſus domeſtici hoſtis ferociam, eſt oratio, hæc enim contra quoſlibet hoſtis inſultus, virtutem & vincendi ſpem adminiſtrat.

Iſidorus.

Hinc de ſummo bono ait Iſidorus: Hoc eſt remedium eius, qui vitiorũ tentationibus æſtuat, vt quoties quolibet tãgitur vitio, toties Deo ſe ſubdat, ad orationẽ recurrẽdo, quia frequẽs oratio vitiorum impugnationẽ exſtinguit. Hæc & ſi quæ ſunt talia, debebant eſſe ebullien-

lientis ſemper & recrudeſcentis tentiginis pharmaca, non illa illegitima & fœda coniugia. Iſtis remedijs innumera iuuenum & puellarum multitudo incendia libidinum & concupiſcentiatum flammàs ſuperauit, & apud Aduerſarios aliquot vel Acherontij ſenes & decrepiti, ſed parum imò nihil gratiæ confidentes, ſed deſperátes contrahunt matrimonia, perinde atque Deus ſuæ olim defuturus eſſet pollicitationi. Id quod planè Paulo non placuit, ſed quaſi animans Imbecillum, & bene operari ex ſe impotétem, dicebat: Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. His igitur remedijs debebant apud Aduerſarios ſacerdotes rediuiuam libidinum flammam reſtinguere, & diuinæ gratiæ nihil diffidere.

1.Cor.10.

Verba Pij extenuantur.

Verba Plj, quæ ex Platina referút Aduerſarij, haud ita magni facimus, nam graues atque prudentes viri nonnunquá obiter quædam loquuntur, quæ ſepulta eſſe profuerat. Certè qui in verbo non offendit, hic perfectꝰ eſt vir: Quòd ſi in ea ſententia ipſe perſtitiſſet Pius, vt erat nomine & re vir pius & bonꝰ, vtique ſategiſſet, vt cum conſenſu Concilij redderentur ſacerdotibus vxores. Si voluit & non potuit, manifeſtum eſt, quòd non ſit in manu cuiuſuis hominis vertere, quod magno Eccleſię Catholicæ conſenſu, & authore ſpiritu ſancto inſtitutum eſt & apprnbatum. Temeritatis igitur arguẽdi hic ſunt Aduerſarij, qui non ſolú permiſerunt, vt contraherent ſacerdotes, ſed etiam coegerunt vel nolétes, vel qui caſtiſſimè ſine querela vixerát. Sed videamus quo prætextu errorem ſuum adumbrent.

Iacob.1.

Docuerút quod liceat ipſis cótrahere matrimonium. Primú, quia Paulus dicit: vnuſquiſq; habeat vxorem propter fornicationé. Item, Meliꝰ eſt nubere quàm vri. Haud quaquam vt ſomniant hic Aduerſarij, Paulꝰ cuilibet contrahendi matrimonij copiam facit, cum ſe titillauerit innata libido. Quando .n. dicit: Vnuſquiſque habeat vxorem ſuam, neque præcepit, neque conſuluit, vt nullus vir ſua vxore, nulla fœmina ſuo careat viro, alioqui ipſe inter ſe pugnantia traderet, neque multum ſibi cóſtaret in tam breui ſermone. Si hoc præceptum eſſet, vt vnuſquiſque vir ſuam habeat vxorem, & vnaquæque mulier ſuum virum, fruſtra diceret: De virginibus præceptum Dñi non habeo, conſilium antẽ do. Item: Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: qui non iungit, melius facit. Item: Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicut & ego. Audis igitur ex his quę loquitur Apoſtolus, quòd omnes æquè Chriſtiani non obligentur vt contrahant, & quòd inculcetur etiam ſtatus melior. Si melior, vtique erit & perfectior. Sed quibus conſulit cælibatum, bellijs an hominibus? Certè hominibꝰ rationis cópotibus, qui ſibi & maleſuadis concupiſcentijs adiutore Deo imperare poſſunt. Si in natura eſſet virginitas, nullum eſſet meritum: ſed iam in natura non eſt, ſed ſupra naturam: & ob hoc bene dicit Ambroſiꝰ, quòd in carne præter carnem viuere, vita ſit non humana, ſed angelica. Dicit itaque hoc verbo Apoſtolus, qnòd cuique liberum ſit vxorem ducere vel cælibatum eligere. Neutri quoque obligatur, ſed in hac parte relinquitur ſuo inri, vt vel illi, vel huic ſtatui ſe ſubiuget. Illis qui neque matrimonio, neque cælibatui ſeſe obligarunt, & præterea non continent, dicit Apoſtolus: Quod ſi non continent, nubant: melius enim eſt nubere, quàm vri. Hic dicant, ſi ſynceriter poſſunt Aduerſarij, an non ſimiliter peccet Deo, qui vouit caſtitaté ſuam, & poſtea ducit vxnrem: vt ille, qui cótraxit matrimonium, & adulterat ſubinde. Quòd iſte adulter peccet plurima ſunt ſcripturarú teſtimonia. Iſte homini, ille Deo non ſeruat fidem. Quę maior tráſgreſſio homini, an Deo mentitum eſſe? Sed tamen vtriuſque vna poſſet eſſe querimonia, videlicet, nó poſſum continere & ſic fiet tãdem, vt Anabaptiſtas vxorum numeroſitate ſuperét. Semper enim allegare poſſent, quia non ſufficit mihi vna, neque duæ, neque tres, imò etiam oportet habere decimam, alioqui prorumpam in adnlterium, & in vetitam libidinem. Vides itaque quòd tam coniugibus, quàm cælibibꝰ refrenanda ſit concupiſcentia: illis in matrimonio quo eſt vir mulieri obnoxius, & contrà mulier viro: iſtis in continentia, vt fidem Deo ſeruent incorruptam, exſpectentq; viciſſim à Deo auxilium vt ſeruare poſſint, Inſulſe loquaris plane ſi dicas, pẽdere à Deo vt iuuare velit. Nã teſtimoniũ Chriſti habemus quòd Deus det ſpiritum bonú petentibus ſe.

Verba Pauli adulterant.

1.Cor.7

Cælibatus nõ eſt in natura, Ambroſius.

Magis peccat qui Deo quã qui hominibus non ſeruat fidem.

Deus libenter audit eos, qui continere cupiunt. Luc.11 Ambroſius.

Quod auté iſte, quem adduximus, genuinus verborum Pauli, quæ allegant Aduerſarij, ſit ſenſus, teſtantur veteres ſcripturarum interpretes. In primis Ambroſius ſuper hoc verbo: Habentes damnationé, quia primam fidem irritam fecerunt, ſic ait: Quid maneat tales oſtendit, ne facilè audeant, quod implere difficile eſt, aut ſi animus eſt huic deuotioni deditus, apud ſe interim teneat, quia dicit temerariú eſſe, quod adhuc iuuenili ætati credi nó debet. Damnationi .n. fit obnoxius, qui ab hoc declinat, quòd rectè fecerat. Quantú .n. laudabile eſt, ſi impleat, quod vltra vires eiꝰ creditur, tanto magis puniendus erit, ſi hoc audeat ſibi imponere preſumptione temeritatis, quod ferre non poſſit: nec ad veniam pertinere debet, quod primordio in-

1.Tim.5.

2.Cor.8.

Infidelis inuentus eſt. Deinde Chryſoſtom⁹ *Chryſoſtom.* id[?]m Pauli dictum ſic tractat: Cum illi ſe deuouerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt. Fidem pactum dicit, contra veritatem mentitę ſunt, inquit, ipſum irritauerunt, & fœdera violauerunt. Et Auguſtinus, cuius verba Beda ſuper prędictã Pauli ſentẽtiã adfert:

Aug. ad Iuli. de ſancta vi duitate. In coniugali vinculo ſi pudicitia cõſeruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali & virginali continentia, excellentia, virtus muneris amplioris expetitur: qua expetita & electa, & voto deuoto oblata, iam non ſolum capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere velle, damnabile. Nam vt hoc demõſtret Apoſtolus, non ait, Cum in delitijs egerint, in Chriſto nubunt: ſed, Nubere volunt: habentes, inquit, damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt: etſi non nubẽdo, tã*1. Tim. 5.*tum volendo: nõ quia ipſæ nuptiæ velut malum dãnandæ iudicãtur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta fides voti, damnatur nõ ſuſceptio à bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore. Poſtremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem poſterius inuenerunt, ſed quia continentię primam fi*Auguſtinus.*dem irritam fecerunt. Quod hic Auguſtin⁹ loquitur de viduis, quæ ſe voto obligant, referri debet ad ſacerdotes, qui ſimiliter caſtitatem ſuam Deo vt hoſtiam multo redolentiſſimam obtulerunt. Et nullus initiatur ſacerdotio, quin primum promittat ſe caſtitatẽ obſeruaturũ. Quod ſi quis continẽtiam ex animo cupit ſeruare incontaminatã, & nihil negligit eorum quę ad obſeruationẽ eius iuuant, hunc diuina gratia quoq; iuuat, vt ſeruare poſſit, quod ei alioqui eſſet impoſſibi*1. Cor. 7.*le. Vnde ſuper illo verbo Pauli: Vnuſquiſq; proprium donum habet à Deo, vnus quidẽ ſic, alius vero ſic, dicit idem Auguſtinus, Vnuſquiſq; iuxta votũ ſuum donũ Dei habet, vt ſi velit ipſius nutu Dei poſſibilitatem cõ*Vri quid ſit Paulo.*ſequatur. Eſt igitur in poteſtate noſtra, per gra[?]am Dei non vri: nã nemo vritur, niſi volens. Neq; enim tẽtari, ſed à tentatione vinci, vri eſt, alioqui & in matrimonio conſtituti vrerẽtur, qui, ſi Paulo credim⁹, tribulationẽ *Ambroſius.* carnis habent. Idem docet etiam Ambroſius ſuper hunc locum: Vri, inquit, eſt deſiderijs agi, aut vinci. Cum enim voluntas calori carnis conſentit, vritur. Nã deſideria pati, & non vinci, illuſtris viri eſt & perfecti. Ex his arbitror ſatis doctum eſſe, quod ſacerdotibus & alijs, qui ſuapte ſe ſponte ad perpetuum deuinxerunt cœlibatum, nulla contrahendi ex ſcripturis ſuffragetur lex, & quod aduerſus carnis illecebras alia eis quęrenda ſint canteria, nempe illa, quæ diximus, aut ſi quæ ſunt alia.

Secundo: Chriſtus inquit, Non omnes capiunt verbum hoc, vbi docet, nõ omnes homines ad cælibatum idoneos eſſe, quia Deus procreauit hominẽ ad procreationem. Geneſ. 1.

Bene monẽtur hic Aduerſarij, quod om- *Cælibatui natura nemo idoneus,* nes homines nõ ſint idonei ad cælibatũ. Sanè ex propria natura & virture nemo ad cęliba- *Gene. 8.* tũ aptus eſt, quandoquidem mox à corrupta natura omnis homo ad malũ eſt propenſus. Id quod in Moyſe bene dicebat Dñs: Senſus & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ad adoleſcentia. Et plerunque tametſi *Eccliſ. 20.* deſit facultas peccãdi, delinquit libidinis cupiditas. Hinc eſt illud Eccleſiaſtici, Cõcupiſcentia ſpadonis deuirginabit iuuenculam. Vt igitur continens ſis, opem oportet te di- *Sapient. 8.* uinitus implorare, iuxta ſententiam Sapientis: Et vt ſciui quia aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum ſumma erat ſapientia, ſcire, cuius eſſet hoc donum: adij dñm, & deprecatus ſum illum. Vt continentia ſine Dei munere obſeruatu eſt impoſſibilis, ita facilè ſeruare poteſt, qui hoc donũ Dei impetrauit. Hoc igitur eorũ, qui cælibatũ amant, ſummũ debet eſſe ſtudium, vt aſſidue Deum indeficiẽte rogẽt prece, ne in re tam iuſta ipſis deſit. Aderit autẽ, & [?]deò aderit, vt tibi non deneget ſeruãdæ caſtitatis facultatẽ, modo tu bonã habeas volũtatem. Pulchrè de hac re diſputat Origenes:

Non auditis ex diuinis ſcripturis, quia cer- *Origenes ſuper Leuit. Hom. 9.* tamen eſt inter homines, carni aduerſus ſpiritũ, & ſpiritui aduerſus carnẽ? Neſcitis quia ſi carnem ſolam nutriatis, & ipſam frequẽti mollitie, ac iugi deliciarum fluxu foueatis, inſoleſcet neceſſariò aduerſus ſpiritũ, & fortior illo efficietur? Quod ſi fiat, eum ſine dubio in ditionẽ ſuã redactũ, ſuis coget & legib⁹ ac vitijs obedire. Si verò ad eccleſiã frequenter veniens, aurem literis diuinis admoueas, explanationemque mandatorum cęleſtium capias, ſicut cibis & delitijs caro, ita ſpiritus verbis diuinis conualeſcet, ac ſenſibus & cupiditatibus robuſtior effectus, carnẽ ſibi parere coget, ac ſuis legibus obſequi. Nutrimẽ- *Continentia, quibus nutriatur.* ta igitur ſpiritus ſunt, diuina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ. His alitur cibis, his cõualeſcit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis; nolite dicere, quia volumus; ſed, non poſſumus. Volumus continenter viuere, ſed carnis infirmitate decipimur, & impugnamur ſtimulis eius. Tu das ſtimulos carni tuę, tu eam aduerſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cũ eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.

Ex his verbis Origenis facilè colligis, qui ſint ad cælibatũ idonei, qui inidonei, quibus reb⁹ continẽtia iuuetur, quib⁹ vitietur. Audi

nunc

Chryſoſtomus hom. 17. in epiſt. Hebræ.

nunc etiam, quàm potenter Chryſoſtomus eorum ſententiam expugnet, qui dicunt nõ omnes idoneos eſſe ad cælibatum: Nõ oportet dicere, inquit, non poſſum continere, & accuſare cõditorẽ. Si .n. impotẽtes fecit nos, qui iubet, accuſandus eſt. Qualiter igitur ais, multi nõ poſſunt, nõ volunt dij. Si enim voluerint, omnes potuerint. Propterea & Paulus ait: Volo omnes homines eſſe vt meipſum, quia ſciuerat quod omnes eſſe poterant vt ipſe. Non enim ſi impoſſible eſſet, hoc dixiſſet. Vis fieri? velle primum aſſume ſolum. Dic mihi in omnibus artibus cum voluerimus fieri, contenti ſumus, ſolo autem velle tangimus res? Tale eſt quod dico: Vult quis fieri gubernator? non dicit volo, & in hoc contentus eſt, rem tangit. Agricolari rurſus vult, at non dicit ſolum, volo, ſed rem tangit. Demum in omnibus non ſufficit velle ſolum, ſed ſufficit velle cum opere, quam aſſumit rem quæ laboratur. Dicamus enim cooperatorem & cõgeſtorem, ſolum velimus, ſolum operi offeramur, in re ſolum ſolliciti ſimus. Hactenus Chryſoſtomus. Si tantum ſtuderent aliquot ſacerdotes ſeruandæ continentiæ, quãtum ſtudent calicibus epotandis, ſi tantum vacarent orationibus, ieiunijs, bonis & honeſtis ſtudijs, quãtum nũc, proh pudor, aleæ, venationi, & alijs ineptijs vacãt, nemo eorum cauſaretur continentiæ culmẽ apprehenſu eſſe impoſſibile.

Cogit nos vt ſecundum naturam viuamus.

Quod nunc hic addunt, Deum creaſſe hominem ad procreationem ſolum, ad rhetoricæ pertinet theologiam, & argumentum eſt magis irridendum, quàm refellendum. Tantum tamen commode reſpondeatur, quod Deus humani generis ſator non ſolum creauerit hominem, vt procreentur ſoli carnales filij, verum etiam vt crearẽtur, qui relicta carne ſpiritui totos ſeſe manciparent. Tam religioſi ſunt iſti, vt omnia ad carnem metiantur, & ſtultè metuunt, ne omnes monachatum profiteantur, aut presbyteratum. Tam religioſi ſunt ſcilicet, vt putent Deum ſuis promiſſis deſore, qui vbique docent, & hoc bene docent, quòd toti ex Deo pendere debeamus. Et ſi qui nunc toti ex Deo dependent, & eum implorant, vt animam ſimul cũ corpore ſeruare poſſint impollutã, perurgent eos iſti, vt mandatum Dei iam in nouo teſtamẽto ſpirituali procreationis genere innouatum faciamus, & vt non rogemus Deum, qui det nobis continẽdi robur & perpetuam voluntatem. Prius docere debebant mandatum eſſe, quod ſacerdotes & omnes monachi aduerſus votum, & aduerſus cõſtitutionem cõtrahere debeant, quàm iſtas nugas impudenter orbi inueherent. Nam omnes Catholici negant, hoc præceptum eſſe, quod omnes ſimiliter liget, videlicet quod omnes teneantur matrimonia contrahere, ſiue ſacerdotes, ſiue monachi. Si præceptum eſt, cur non duxerunt ante nos vxores Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & alij omnes boni Põtifices & Monachi? Si eſt hoc præceptum vt omnes filios procreent, cur relinquunt ſuas vxores ad Euãgelicum munus acciti Apoſtoli? Si præceptum eſt vt omnes fœminæ nubant viris, cur cælibes viuunt quatuor Philippi filiæ? Nam hoc præter acta Apoſtolica, docuit nos etiã Eccleſiaſtica Euſebij hiſtoria. Si denique hoc præceptum eſt vt omnes matrimonialibus ſint legibus impediti, cur de pauciſſimis legitur, quod fuerint mariti? Mariti dico vxorum, quas ante, non quas poſt ſacerdotium duxere.

Cælibes fuerunt plerique omnes veteres Epiſcopi. Matth. 19. Actor. 21. Lib. 3. cap. 25

Apoſtolus Paulus matrimonio deuinctis ſuadet, vt aliquando ad tempus ex alterutrius conſenſu ab officijs coniugalibus cõtineant, quo ſint orationi magis idonei. Quid ergo? Non placent Deo orationes quas fundunt illi, qui ab actis matrimonialibus in Eccleſia Deum orant? Sanè non videtur, nam Apoſtolus confidenter dicit: Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Et ſi quid placẽt, non tamen tam efficaces ſunt, quàm ſunt eorum orationes, qui ſe prorſus à voluptatibus & carnalibus concupiſcẽtijs cohibent. Quid ergo faciet ſacerdos, qui debet quotidie pro toto mũdo impollutas offerre hoſtias? Certè qui cogitur ſemper orare, ſemper debet continere, vt orare poſſit cum fruge. Hinc optimè dicebat Origenes ſuper hoc Pauli dicto:

1. Cor. 7.

Sacerdos ſemper orat ſemper contineat.

Origenes.

Certùm eſt, impediri ſacrificium indeſinens ijs, qui neceſſitatibus coniugalibus inſeruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinẽti & perpetuę ſe deuouerit caſtitati. Ambroſius hanc eãdem quoque munit ſententiam:

Ambroſius in epiſt. Tim. cap. 3.

Si plebeis, inquit, hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe præcepit Apoſtolus vt vacent orationi, quanto magis leuitis aut ſacerdotibus, quos die noctuque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare. Et Hieronymus libr. 1. contra Iouinianum ſic dicit:

Hieronymus.

Sed & hoc inferendum, ſi laicus & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: ſacerdoti, cui ſemper ex officio offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in vetere lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ libidinem ſolent prouocare.

Quid

Ad cœlibatum adhortatur Apoſtolus.

Quid recenſemus Sanctorum dicta, cum etiam Apoſtolus Corinth. quibus de cœlibatu ſcripſit, ad vtilitatem conſuluerit, non autem præceperit continentiam, præſertim cũ hæc videretur occaſionem præſtare, quò ſecuri poſſent, qui eam arriperent, Dominum orare. Iam non video quos magis oporteat ſine ſolicitudine eſſe, quos magis deceat cęlibes eſſe, quos neceſſe ſit magis ad orandũ eſſe idoneos, quàm ſacerdotes, qui ad diuina miniſteria præcipuè ſunt acciti, qui diuinis altaribus nunquam debent non adſtare. Verùm ſi opponãt nobis Zachariam Pontificẽ, & Elizabetham eius coniugem, Petrum & ſocrũ eius, adducemus Hieronymũ, qui in hac arena ante annos fere mille ducentos Iouinianum deiecit, ſic dicentem:

Hieronymus

Conſueta Iouiniani vecordia non intelligit iſtos quoque inter eos qui legi ſeruierint, debuiſſe numerare: neque enim Euãgelium ante crucẽ Chriſti eſt, quod paſſione & ſanguine ipſius dedicatur. Iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apoſtoli habuerunt quidẽ vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale. Eiuſdem roboris eſt quod hic in Cõfeſſione rhetoricantur magis quàm theologizant iſti, metuunt ne ſi diutius ſacerdotibus vxores negentur, deſint paſtores, qui curam gerant animarum. O bella capita, ſi nõ vacarent cerebro, perinde eſt atque ſi dicerent: Niſi reſtituantur ſacerdotibus vxores, nemo erit paſtor, nemo erit qui docendi populum munus obeat, nemo erit qui præeat, quaſi ad ſolos pertineat ſacerdntes generationis officium, & nõ ad omnes qui legitimè poſſunt contrahere. Aut certè hoc volunt, aut vt ex ſolis ſacerdotibus ſolum procreentur ſacerdotes, quemadmodum ex ſolis Leuitis ſolum nati ſunt Leuitæ. Operæpretium fuit vt Leuitæ vxores haberent, ex quibus Leuitas nouos acciperẽt, aut certè interiſſet breui genus illud Leuiticũ, interiſſet etiamnum diuinus cultus, cui iſtud peculiariter erat applicatũ. At non neceſſe eſt, vt nunc ſacerdotes vxores habeant, ex quibus nouos ſacerdotes accipiant. Si qui verò accipiant, non ſine graui populi totius ſcandalo accipiunt. Nam ex legitimis virorum & mulierum matrimonijs naſcuntur, qui ſacerdotio poſſunt initiari. Et hi grauiter ferrent, ſi ex ſolis ſacerdotibus ſacerdotes deberent naſci. Cupiunt enim omnes boni parentes, vnum ſaltẽ filium Deo cõſecrare, qui mortificata carne in caſtitate corporis & ſpiritus mundiſſimas Deo viuo offerat hoſtias. Si qui ſunt ſacerdotum filij, ſi nõ publicitus, tamen clam apud plebeios exſibilãtur, quanquã ipſi filij hoc nihilo ſint peiores.

Nota, quod in Confeſſione metuant.

Leuitæ neceſſario habebãt vxores.

Peſſime audiunt apud omnes ſacerdotes concubinarij, & vtinam ſummus Pontifex & omnes boni Epiſcopi huic malo mederẽtur tandẽ, nõ vt redderẽtur eis vxores, ſed vt cogerent eos ad remedia cęlibatus ſeruãdi, quę oſtendimus, vel ad alia efficaciora. Nam neceſſe eſt, vt ſacroſanctis Patrũ Synodis ſuus ſeruetur honos. Ante annos mille trecentos Calixtus Papa vir vitæ ſanctimonia, & martyrio clariſſimus decreuit, quòd ſacerdotes deberẽt cælibes eſſe, & iſti mentiuntur inſtitutionem de continẽtia nouitiam eſſe, & vix quadringentos annos natam. Hoc vero fuit illius ſancti viri decretum:

Decretũ Calixti de cœlibatu ſacerdotum.

Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis cõcubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus, cõtracta quoque ab eiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitẽtiam redigi debere, iuxta ſacrorum Canonum definitionem iudicamus. Et ex hoc decreto liquet, diu ante Calixtum cautum fuiſſe in Eccleſia, ne ſacerdotes vxores haberent. Et hæc definitio adeò placuit poſteriorib⁹, vt & in Cęſarcenſi, Meldenſi, Toletano primo & quinto, Neocæſareẽſi Cõcilijs approbata ſit & nouata. Quippe, in Synodo Cæſareenſi ita conſtitutu eſt: Presbyter, qui vxorem duxerit, ab ordine illum ſuo deponi debere ſtatuimus. Quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſẽrit, extra Eccleſiam abijciatur, & pœnitẽtiam agat.

Synodus Cæſareenſis.

In Concilio Meldenſi decreuerũt Patres, neminem ad ſacrum ordinem admittendũ, niſi qui aut virgo ſit, aut probatę caſtitatis, & qui vſq; ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.

Concilium Meldenſe.

In Concilio Toletano ſecundo præcipitur, vt ad Diaconatum acceſſuri, continentiam profiteantur. In Concilio Toletano quinto hic canon editus eſt: Quando Preſbyteri & Diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, vt caſtè & purè viuant ſub timore Dei. Et ante omnia iſta Concilium Neocæſareenſe, in quo præſentes fuerunt Baſilius & Gregorius, hoc ſtatuit: Presbyter ſi vxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere. Quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportere. Vnus eſt Cõciliorum & ſanctorum Patrum concentus, quod continere debeant ſacerdotes tam à coniugibus quàm concubinis, & iſti allegant ius naturæ, quaſi nemini legem naturæ liceat freno continentiæ compeſcere, & carnem iugo ſpiritus domare. Libenter volunt veteribus canonibus, inquiunt, obedire, ſed hos canones veteres (nam Concilium Neocæſareenſe fuit anno Domi-

Concilium Toletanum, 2 & 5.

Concilium Neocæſareẽſe

ni trecenteſimo decimoquarto (nolunt recipere qui ſuo áduerſantur inſtituto. Allegant Paulum dicentem, Epiſcopum eligendum eſſe eum, qui maritus ſit, quaſi hoc neceſſe ſit vt maritus ſit, & quod ſine vxore nemo debeat Epiſcopus eſſe. Hic ipſi cogunt Epiſcopos, vt ducant vxores, cum hoc liberum ſit vnicuique vt contrahat vel non contrahat matrimonium. Quanquam non neſciamus, Hieronymum ita hunc locum interpretatum eſſe, vt intelligatur de vxore mortua, non autem viuente. Et hæc etiam ſententia non diſplicuit Chryſoſtomo, qui etiam refert quoſdam ante ſe ſic eam intellexiſſe. Citant & alia quædam paulò abſurdiora, quæ vaniſſimum fuerit refellere. Nam omnia pertinent ad legitima matrimonia plebium, non ad nouas & illicitas nuptias Sacerdotum, qui coram Epiſcopo ſuo iureiurando ſeſe obſtrinxerunt, vt purè & caſtè viuerent. Liber erat ante Sacerdotium, vt vxorē duceret vel non duceret. Nunc non licet matrimonialibus implicato legibus ſacerdotē eſſe, tametſi non negemus aliquando licuiſſe, cum in initio naſcentis Eccleſiæ eſſent aliqui boni viri coniugati, quib^9 ſacerdotale officium neceſſariò committi debebat. Nunc in Catholica Eccleſia non admittitur, niſi qui continentiā prius vouerit perpetuam. Et qui non vult eā vouere, ſacerdotio cēſetur indignus. Tātum de Sacerdotum cælibatu.

Hieronymus quomodo intellexerit locum, Oportet Epiſcopū, &c.

Ioannis Cochlæi diſcuſſio Articuli de coniugio Sacerdotum

IN hoc Articulo valde petulanter rhetoricatur Philippus in Apologia, tū grandiloquis ad Cæſaream Maieſtatē exclamationibus, tum amarulentis in aduerſarios cōuicijs & calumnijs, tū denique verſutis aduerſus legem Celibatus argutijs. Nos quidē libēter ab eo audimus, Cæſarem dici caſtū & pudicum facie. Conuicia autem & calumnias in Theologos illos, quos Cæſar ipſe in publico receſſu Auguſtenſi à virtute & eruditione commendauit, approbare non poſſumus. Quis enim probet quod laicalis & vxoratus iſte Theologus procaciter vocat, illos Theologiæ Doctores, homines nihili, Sardanapalos, nebulones, &c. Aut quod multis malitioſe grauat eos calumnijs. Quales ſunt, exēpli gratia, quod apud eos flagrent prodigioſæ libidines, quod Curios ſimulēt & Bacchanalia viuant; quod prætextu religionis reipſa dimicent de damnatione, quod approbēt regnū Antichriſti, cuius nota ſit, cōtemptus mulierum, quod multos bonos viros crudeliter occidant, quòd non poſſint placari, niſi manifeſta veritas proijciatur, & id gen^9 aliæ. Quæ profectò ſine impudenti petulantia talibus viris in publico, præſertim ad Cæſarem, ſcripto nequaquam obijci poſſunt. Nos igitur his omiſſis, ad rationes & argumenta potius tam Confeſſionis quàm Apologiæ ſuccinctè reſpondebimus. Primùm igitur ad illud Apoſtoli: Vnuſquiſque habeat vxorem ſuam propter fornicationem, reſpondemus cum S. Hieron. hoc intelligendum eſſe de eo viro, qui votum caſtitatis nondum emiſerit. Sicut & illud eiuſdem Apoſtoli: Virgo ſi nupſerit, non peccat, de ea tātum virgine intelligitur, quæ caſtitatis votum Deo non fecit. Siue enim vir, ſiue virgo votum ſuum præuaricata fuerit, ab eodem Apoſtolo damnatur his ſanè verbis: Habentes damnationē, quia primam fidem irritam fecerunt. Malè igitur infert Apologia ex hoc verbo Apoſtoli præceptum, quod præcipiat ſacerdotibus vxores ducere, eò quòd & ipſi ſunt homines. Si enim hoc verum eſſet, ſanctiſſimi viri Ioannes Euangeliſta, Marcus, Lucas, Timotheus, Ignatius, &c. fuiſſent huius præcepti præuaricatores, quia vxores nō habuerunt. Quēadmodū neque Athanaſi^9, neq; Baſili^9, neque Nicolaus, Martinus, Ambroſi^9, etiā innumeri alij ſanctiſſimi Epiſcopi & Presbyteri, qui cælibē duxere vitam. Sicut & ipſe Dominus, & ipſe quoque Paulus Apoſtolus eius, qui & in eodem capitulo, quod Philippus allegat, expreſſe dicit: Volo autem omnes vos eſſe homines ſicut meipſum, ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidē ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptijs & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego.

Conuicia & calumniæ in Theologos.

Reſponſio ad verba Pauli. 1. Cor 7.

1. Tim 5.

Paulus cælebs.

Secundo. Ad illud eiuſdem Apoſtoli: Melius eſt nubere quàm vri, quod & Iouinianus olim nequiter obiecit, ac male intellexit, dicimus breuiter, quod vri non pro qualibet carnis concupiſcentia hic accipitur, ſed pro ea duntaxat, quæ rationi prædominatur, & eam in peccati conſenſum trahit. Iuxta illud Iacobi: Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcētia ſua abſtractus & illectus. Deinde cōcupiſcentia ſi cōceperit, parit peccatum, qui autem concupiſcentiæ non conſentit, is non vritur, quantumuis caro ferueat inquieta. Ea enim pugna, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, per ſe peccatum non eſt, ſed virtutis potius exercitiū, ſi ſpiritus fortiter carni reſiſtit. Tunc autem eſt peccatum quando ſpiritus vincitur à carne, & victus præbet ei conſenſum. Quod autem illa carnis tentatio, non ſit ſecundum ſe peccatum, niſi acceſſerit ſpiritus aut rationis conſenſus, patet vel ex eo quod Chriſtus Paulo, contra huiuſmodi ſtimulum carnis oranti, dixit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur, alioqui ſi ſtimulus iſte vera eſſet vſtio,

1. Cor 7. Melius eſt nubere quàm vri.

Iacob 1.

Gala 5.

2. Cor. 12.

de-

debuiſſet & Paulus nubere ne vreretur.

[illegible]

Tertio. Ad illud quod ex Geneſi de maſculi & fœminę cóiunctione adducunt, quòd ſit creatio & ordinatio Dei, lex naturæ, Ius naturale, quòd ſit immutabile: ideoq́ue ſit neceſſe ſemper manere ius cótrahendi coniugij, nec poſsit vllius tolli ſtatutis ac votis: Ad hoc dicimus, quòd etſi Deus creãdo dat vnicuique ſexum, per quem coniunctio naturalis viri & fœminæ fieri queat, nemini tamen imponit neceſſitatem coniungẽdi. Poteſt enim illa naturalis potentia ſeu ſacultas coniungendi, vel per liberum arbitrium cohiberi, vel externa vi aut lege prohiberi, licet naturalis ille affectus internus, quẽ Storgen Phyſicũ græcè appellat Philippus, ex ipſa natura tolli nequeat. Poteſt igitur vel continẽtiſſimus Monachus vel Epiſcopus eum habere affectum, qui tamẽ ſeipſum caſtrauit propter regnum cælorum. *Matth. 19.*

Poſt votum nubere non licet.

Verùm non omnes capiunt hoc verbum. Quid tum verò? neque etiam neceſſe eſt omnes fieri ſacerdotes aut monachos. Qui capere poteſt capiat. Ad votú caſtitatis faciendú nemo cogitur. Qui autem vltrò caſtitatis votum emittit, huic authoritas diuina & verbũ Dei neceſſitatẽ ſeruandi voti iniũgit, & quidem in multis ſcripturæ ſacræ locis, tam veteris quàm noui Teſtamenti. Hic breuitatis gratia ſufficiat vnicus ille locus, quem ſapientiſſimus poſuit Eccleſiaſtes, dicens: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet.n. ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcũque voueris, redde, multoq́ue melius eſt nó vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Hæc ibi. Quamuis igitur votum, caſtitatis nó tollat naturam, aut ius naturale, tollit tamen actum coniungendi, aut nubendi. Actus enim nó eſt neceſſarius, ſed poteſt aut lege prohiberi, aut per liberam voluntatem cohiberi. *Eccleſ. 5.*

Luther de necessitate cõiugali.

Peſſima igitur & ſcandaloſiſſima Lutheri doctrina, per quam docuit huiuſmodi coniunctionem magis eſſe neceſſariam vnicuique, quàm comedere, dormire, ſcreare. Videmus enim eam coniũctionem etiam in beſtijs, & in auiculis, quæ caueis incluſæ tenentur, longiſſimo tempore etiam in mortem vſque ſuſpendi ac prohiberi poſſe. Quantò magis poteſt homo, qui ratione prędítus eſt, ab ea vel perpetuò abſtinere, adiuuante Dei gratia, ſi emiſſo voto continentiam fideliter à Deo petat. Idem enim qui dixit, Sine me nihil poteſtis facere, dixit quoque, Petite & accipietis. *Ioan. 15. Matth. 7.*

Veteres Canones de cælibatu.

Quartò. Ad illud quod lex Pontificia de cælibatu diſſentiat à veterum Synodorũ Canonibus, dicimus hoc non eſſe verum. Contrarium enim oſtendit ad longum S. Auguſtinus in libro de quæſtionibus noui & veteris Teſtamenti, quæſtione vltima. Et Synodus ſecunda Carthaginenſis ſic habet in ſecundo Canone: Aurelius Epiſcopus dixit: Cum in præterito Concilio de caſtitatis & continentiæ moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitatis per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos, inquã, Presbyteros & Diaconos ita placuit, vt condecet ſacros Antiſtites, & Dei ſacerdotes, nec non & Leuitas vel qui ſacramẽtis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibꝰ, quò poſsint ſimpliciter quod à Deo poſtulãt impetrare. Vt quod Apoſtoli docuerunt & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineãnt. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt & in omnibus, & ab omnibus, pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt.

Canon Apoſtolorum de cælibatu.

Ecce antiquum hoc Cõcilium clarè teſtatur, Cælibatum non eſſe nouã Rom. Pontificum legem, ſed ita docuiſſe Apoſtolos, & antiquitatem ita ſeruaſſe. Quẽadmodũ & viceſimus ſextus Canon Apoſtolorũ teſtatur in hæc verba: Innuptis autẽ, qui ad clerũ prouecti ſunt precipimꝰ, vt ſi voluerint, vxores accipiãt, ſed Lectores Cantoresq́ue tantũmodo. Iniuſtè igitur criminatur Philippus iſte, de inſtitutione cælibatus, Rom. Põtifices poſteriores. Cũ etiam Hieronymus contra Vigilantium ſcribens teſtetur, non ſolũ occidẽtis, ſed etiam, orientis Eccleſias eos habuiſſe Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, qui aut virgines eſſent, aut mariti eſſe deſinerẽt. Falſa igitur ſunt omninò, quæ in contrarium aſſert Philippus.

Qualis in coniugio immunditia.

Quintò. Ad illud, quod de mũdicia cõiugij contendant, dicimus. Etſi non eſt in cõiugio ea immundities, quæ in peccatum reputetur, ſicut in fornicatione, aut adulterio fit: eſt tamẽ in actu cõiugij nó parua aut leuis immundicies corporalis ex carnis libidine, quã etiã ſancti patiũtur parentes, dũ generãt. Nos verò eam immunditiem non reputamꝰ in peccatum, ſicut falſò & iniquè reputat Lutherus, qui verè peccatum & actualem culpã ex ea facit. *Luther. in aſſer. art. 2.*

Mũdicia corporalis miniſtrorũ Eccleſiæ.

Quod aũt eam immũdiciem Eccleſia mater in ſuis miniſtris, qui altari ſeruiunt, & ſanctũ ſanctorũ ibi manibus ſuis cõtrectant, recuſat habere, neq; eſt cõtra rationẽ, neq; contra ſcripturã. Rationi.n. conſentaneum eſt, vt etiam corporalis mũdicies cuſtodiatur in ijs, qui in altari corpus Dñi, quod omnium mũdiſſimũ eſt, cõtrectãt. Et rationi etiã adſtipulatur ſcriptura. Quippe Moyſes iuſſit omnẽ populũ per triduũ cõtinere ab vxoribus, vt dignè audirẽt ex ore Dei verba Decalogi. Et *Exod. 19.*

1. Reg. 21. Abimelech ſacerdos Dauidi & ſocijs eius nõ erat cõceſſurus, vt de panibus propoſitionis comederēt, niſi mundi fuiſſent & ab vxorib⁹ cõtinuiſſent ab heri & nudiuſtertius, vt ſacra *Luca 1.* habet hiſtoria. Prӕterea, quando ſacerdotes agebãt in templo vices ſuas, ab vxoribus cõtinere illis diebus tenebantur.

Friuola euaſio. Quod Philippus ait, aliud eſſe miniſtrare, aliud orare, & per hoc vult inferre, quod cõſuetudo cum cõiuge, hoc eſt, actus cõiugalis non impediat ſacerdotem, ne oret, nihil *1 Cor. 7.* valet. Paulus enim manifeſtè contrariũ aſſerit his verbis: Nolite (inquit) fraudare inuicem niſi forte ex cõſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterũ reuertimini in idipſum. Cũ igitur ſacerdotes Chriſti teneãtur quotidiè, & miniſtrare in tẽplo, & orare ꝓ populo, rationabile eſt valde, & ſacrę ſcripturę cõſonũ, vt cӕlibem agãt vitã ad ſeruiendum Dño in ſanctitate & iuſtitia corã ipſo omnib⁹ diebus ſuis.

Aequare virginitati coniugium. Sextò. Ad illud, quod negat Philippus ſuos ӕquare matrimonium virginitati, aut Iouiniani hӕreſim probare, aut reſuſcitare, &c. dicimus verè impudens hoc eſſe mendaciũ, quod ille falſò in calũniam imputat noſtris. Luther⁹ enim in diabolico & pluſquam carnali Epithalamio ſuo (quod in ſeptimum prioris epiſtolӕ Pauli ad Corinth. capitulũ ſcripſit, totum ibi ſenſum Pauli peruertens) manifeſtè ӕquat Matrimonium virginitati. Hӕc enim ſunt ibi noui huius Iouiniani verba: Coram Deo ӕque multũ valet ſiue ſis, ſiue non ſis virgo, & ſicut ſupra dictum eſt (in- *Inſana verba Lutheri.* quit:) Qui ſeruus vocatus eſt, libert⁹ eſt Dñi, ita & hic dici poteſt; Quӕ virgo vocata eſt, mulier eſt coram Deo: & quӕ mulier vocata eſt, virgo eſt corã Deo. Apud Deum. n. omnia ӕqualiter valent, nec vlla eſt differentia perſonarũ aut meritorũ, ſed ſola fides ӕqualis eſt in omnibus, & per omnia. Inſani autem Doctores, diaboli, Monialibus & cunctis virginibus ſingulares aureolas in cӕlo fabricant, atque ex eis ſponſas Chriſti faciunt, perinde ac ſi cӕteri Chriſtiani non ſint ſpõſӕ Chriſti. Hӕc ille ſatis Iouinianicè.

In eo autem libello, quem Germanicè de *Adhuc inſaniora.* vita coniugali edidit, plus quàm Iouinianicè loquitur. Ibi enim non ӕquat (ſicut Iouinianus fecit) ſed longiſſimè prӕfert coniugium virginitati, etiam ei quӕ per ſolemne votum Deo ſacrata eſt, adeò ſanè carnaliter, vt dicat; nullam eſſe comparationem inter coniugatam & Monialem, ſicut & viӕ Domini, & viӕ hominum nullam habent inter ſe ſimilitudinem. Quin etiam Moniales vſqueadeò deijcit, ac damnat, vt dicat eas non eſſe dignas, quӕ paruulo baptizato, etiam ſi ex fornicatione aut inceſtu prognat⁹ ſit, vel cunas agitent vel pulmẽtum faciant.

Omnia prӕterea opera, omnem conuerſationem & tribulationem earum eſſe impi- *Philippus contra Lutherũ.* am, caſſam, & pernicioſam. Rectius autem in Apologia pręfert Philippus virginitatem Matrimonio, ex eo quòd eſt quӕdam caſtratio ſui ipſius propter regnum cӕlorum, vt diſcere aut docere Euãgelium vacet. Proinde ait virginitatem pręſtantius coniugio donũ eſſe, quę nos libenter concedimus & acceptamus, tanquam Euangelio & Paulo cõſentanea, longè magis quàm ea, quӕ Lutherus & Iouinianus docuerunt.

Septimo. Ad illud, quod accuſat legẽ cӕ- *Cœlibatus onus leue.* libatus tãquam onus importabile, quod noceat publicis moribus, pariatq́; flagitioſas libidines, &c. dicimus quòd Chriſtus ipſe ſuo nos docuit exemplo cӕlibatũ, & onus ſuum *Matth. 11.* leue iugumq́; ſuaue dixit. Quod & Apoſtolus eius Paulus confirmat, dicens: Exiſtimo *1 Cor. 7.* enim hoc (nempe virginitatem) bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori, noli quӕrere ſolutionem. Solutus es ab vxore, noli quӕrere vxorem. Si autem acceperis vxorẽ, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi, &c.

Reuera igitur Cӕlibatus multo leuius eſt *Calumnia in cœlibatum.* onus quàm coniugium, nec nocet per ſe publicis moribus, neque per ſe parit flagitioſas libidines, vt falſò ei imputat Philippus, commemorans odioſè vicia, propter quӕ diluuium totam terram, & quinque ciuitates ignis de cӕlo diſperdidit. Illis enim temporibus cӕlibatus in vſu non erat, neque vlli in Sodomis, aut ante diluuium monachi, aut moniales fuiſſe leguntur. Nequiter igitur & inique trahit hic publicè in ſuſpitionem eiuſmodi vitiorum totum genus cӕlibum Philippus, cum per Dei gratiam adhuc hodiè innumeri Sacerdotes, Monachi & Moniales ab eiuſmodi vitijs immunes exiſtant.

Reliqua, quӕ Apologia contra Cӕliba- *Coniugium non eſt mandatũ a Deo.* tum producit, aut calumniӕ ſunt, aut nugӕ, quӕ ſpeciali reſponſione non indigent. Quӕ autem in Confeſſione obijciunt, ex ſupradictis facilè diluuntur. Non eſt ſanè mãdatum Dei, vxorem ducere, aut prolem procreare, ſed liberum relinquitur, alioquin Chriſtus ipſe reus fuiſſet mandati, quia vxorem non duxit. Ipſe autem ſciens, hoc non eſſe à Deo mandatum, verè & ſecurè dixit: Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Votum igitur caſtitatis, nequaquam eſt contra mandatum Dei, fruſtra igitur in- *Ioan 14.* geminant Proteſtantes, ac crebrò repetunt illud; Mãdatum Dei neque votis, neque ſtatutis aut legibus hominum tolli, aut mutari poteſt. Pia enim vota, Dei mandatum nec

tol-

tollunt, nec ſoluunt, ſed ſunt potiùs ſupererogationis opera, quæ non ſunt à Deo pręcepta. Nõ peccat igitur is, qui caſtitatem nõ vouet. Peccat autem is, qui votum caſtitatis ſemel emiſſum nõ ſeruat, ſed retroſpiciens, ſicut vxor Loth, regno Dei indignum ſe facit, & Deo ſuo fidem impiè fallit.

Gen. 19. Luc. 9. Eccle. 5.

Coniugiū ſacerdotum nõ ſuiſſe quã vitatū.

Quod autem dicunt, in Eccleſia veteri nõ fuiſſe cælibatum, & in Germania primũ, ante annos quadringentos ſacerdotes vi coactos eſſe ad cælibatũ, nos id falſum eſſe ſuprà copioſè oſtendimus ex facto Chriſti, Apoſtolorũ, & ſanctiſſimorũ Põtificum, Epiſcoporũ & Conciliorũ, non vnius Germaniæ, ſed omniũ totius orbis prouinciarum. Nuſquã enim cõſuetudo vnquam fuit, quod Epiſcopis Presbyteris, Monachiſq; & Monialibus coniugium inire licuerit. Quin etiam in Germania conſuetudo illa nunquam fuit approbata, aut recepta, nec ante, nec poſt quadringentos annos. Quas enim habuerunt vxores ſanctiſſimi illi Epiſcopi, primi fidei Chriſtianæ plãtatores in Germania, Boniſacius, Kilianus, Burchardꝰ, Rupertꝰ, Vuilibaldꝰ, Erhardus, Vdalricꝰ &c. quas deinde habuerũt eorũ ſucceſſores per annos plus minus octingẽtos? Quãquam non diffitemur, tẽpore ſchiſmatis, quod contra Rom. Põtificęs excitauit in Germania Imperator Henricꝰ quartꝰ (aut ſecundum quorundã opinionẽ & computũ tertius) quoſdã Presbyteros, cõtra Canones & antiquã cõſuetudinẽ, vxores duxiſſe de facto, tãquam prænaricatores, & ſuperioribus ſuis rebelles. Quemadmodũ & nũc per viginti annos multos non modo Presbyteros, ſed & Monachos temerè ac ſcandaloſè feciſſe nõ negamus, ſed multo cũ dolore ac gemitu deflemus. Qua verò authoritate talia facta cõprobantur? Nonne & à Iouiniano ante mille annos Moniales quædã deceptæ nupſerũt, etiam Romæ, vti teſtatur Auguſtinus & Hieronymus? At friuolũ eſt argumẽtũ, ex facto quorundam præuaricatorum & hæreticorũ rem aliquam, quæ Canonibus & legibus interdicta eſt, iuſtificare, aut generaliter defendere: ſic enim & alia peccata omnia defendi aut excuſari poſſent, ſi valeret argumentum ab exemplo & ex facto impiorum, qui omnia conculcant. Per hæc tamen nolumus Cõcubinatum, aut vllum aliud vicium ſacerdotũ, Monachorumue aut Monialium defendiſſe, quæ corrigi potiùs ac tolli deſideramꝰ.

Schiſma tẽpore Gregorij ſeptimi.

Ioannis Hoffmeiſteri iudicium ſuper Articulo de coniugio Sacerdotum.

MVlta hic congerunt Aduerſarij, quæ veriſſima eſſe non imus inficias. Quid igitur pronũtiemus? Articulus hic ſicut & proximus, de quo iam diſputauimus, ad ius poſitiuum pertinet, id quod neminẽ negare putamꝰ. Exſpectãda itaq; & in hoc negotio fuerat ſententia Eccleſiæ. Rectè haud dubiè, Pium Papã dixiſſe credimꝰ, fuiſſe cauſas cur adimeretur ſacerdotibus cõiugiũ, ſed multò maiores eſſe cauſas cur reddi debeat. Hæc igitur Pontificis ſententia ponderanda eſt. Legimus apud Patres veteris Eccleſię maxima cælibatꝰ encomia, id quod nec Aduerſarios latere poteſt. Prudenter itaq; proſpiciendũ fuerat, vt clerus veteri ſuę reſtitueretur puritati, quocũq; tandẽ modo (pio tamẽ) fieri poſſet. Quod ſi impuritas illa clericorũ huius ſeculi, alia ratione caueri aut tolli non poteſt, niſi permiſſione coniugij, non ignoramus Eccleſię, vt negotium hoc aliter inſtituat ſupereſſe authoritatem. Cogitandum etiam eſt, vtrum expediat ob quorundã leuitatem, tam bonam immutare conſuetudinẽ: an ne impuriores cogere in ordinem. Certè quod Eccleſia ſuper cælibatu inſtituit, diabolicũ nõ eſt: quoniam illud ipſum inſtituit, non in præiudicium Matrimonij, ſed in profectũ Euangelij. Tollantur radices impuritatis, ebrietas, luxus, otium, & periculoſa cũ leuioribus mulierculis conſuetudo: in horum autẽ locum ſubſtituatur abſtinẽtia, continentia, ſacra lectio, cura diligẽs animarum, & nulla erit neceſſitas relaxandi cælibatum. Dum enim venter à guſtu pingueſcit, inquit D. Baſilius, neceſſe eſt & partes ſub ipſo à redũdante humore in profundo ebulliẽte, ad naturales operationes concitari. Suppeditat enim venter incumbens illis, quæ ad œſtrum incendunt. Hæc ille. Nec diſſimilia habes apùd D. Hieronymum de cuſtodienda virginitate ad Euſtochium. His addam: Caueatur ne iunioribus & rudioribus ad ſacerdotium pateat aditus, niſi illi bonam ſpem de ſe exhibuerint, vtiles ſe fore ad miniſterium ſiue Diaconum Eccleſię Chriſti. Multi iam ſic ad ſacerdotium accedunt, nunquam acceſſuri, ſi certi eſſent ſibi nunquam permittendas fore concubinas. Sed quid multis? Ex veteri teſtamento liquet, ſacerdotibus permiſſum coniugium, certa tamẽ conditione, id quod ab Aduerſarijs non obſeruatur. Vide epiſtolam D. Leonis 49. Et ex certis hiſtorijs pater, maiorem partem ſacerdotum ſemper vixiſſe in cælibatu. Cauſas Ambroſius & Auguſtinus alibi ſcripſerunt. Exſtant etiam ſuper hoc, Conciliorum & ſummorum Põtificum decreta: an verò hæc omnia ob huius ſeculi malitiam reſcindenda ſint, aliorum eſto iudicium. Suprà teſtati ſumus nos nolle derogare Eccleſiæ, multò minus eius authoritatem velle contemnere: & reperimus Eccleſiam nihil habere cum illis, quos Paulus ſcribit dæmoniorum doctrinas introducere. Hæreticorum eſt damnare coniugia, inquit Hieronymus, & Dei ſpernere conditionem. *1. Cor 4.*

Et iuxta Auguſtini ſententiam, ille prohibet nubere, qui hoc malũ eſſe dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit: contra Fauſtũ lib. 29. cap. 6. Sed lubet nonnullas Patrum ſententias ſuper cælibatu adſcribere. Origenes hom. 4. in Leuit. ſic ſcribit: Ante omnia ſacerdos qui diuinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi, & in cap. Matth. 19. Qui vult capax eſſe verbi, quod de caſtitate poſitum eſt, petat credens dicenti, & accipiet, non dubitãs de illo, quod dictum eſt: Omnis qui petit, accipit. Ad hũc ferè modum D. Auguſtinus etiam loquitur: Nõ eos terreat, inquiens; ſarcina continentiæ, leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ impetrat à iubẽte, quod iuſſerit. Audiamus & D. Ambroſij caſtiſſimi Epiſcopi ſententiam, quam in 1. Cor. cap. 7. habet; Qui vxorem ducit, vtiq; nõ peccat, quia quod conceſſum eſt, facit. Si verò cõtempſerit, meritum ſibi collocat & coronam. Huic caſtiſſimo Epiſcopo ſuccedat maximus virginitatis & cõtinentiæ encomiaſtes D. Hieronymus, nam & huius authoritatem nemo ſanæ mentis contemnere audet: Si laicis imperat Paulus, vt propter orationẽ abſtineant ab vxorum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidiè pro ſuis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Hactenus ille. Cæterùm quod ad votum continentiæ attinet, ſuo loco nonnihil dicemus, nam & hoc ipſum diligẽtiſſimè tractarunt veteres. Quod hic addam amplius non habeo. Qui cælibatum Eccleſiæ hæreſeos accuſant, ipſo facto declarant, quàm diligenter verſati ſint in veterum ſcriptis, & quanti illi apud hos ſint vel nominis, vel authoritatis. Auguſtinus nobis hic cataſtrophen abſoluat: Cubilia & impudicitiæ tã magnum crimen putantur, vt nemo dignus nõ modo Eccleſiaſtico miniſterio, ſed etiam ſacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculauit, &c.

Epiſt. 44. ad Aurelium.

Alfonſi Virueſij Philippica decima octaua, de Cælibatu & Matrimonio.

NVllibi ſibi magis regnare videtur Philippus, quàm cum cauſam agit matrimonij aduerſus illorum cælibatũ, qui ſacris initiantur. Sic in exordio velut œſtro percitus furit, geſtit, ſubſannat, inuehitur, contumelijs indulget, & maledictis theologos noſtros inſectatur atq; laceſſit, vt nihil minus in Euangelica cõtrouerſia quàm Euangelium præſtet. Ita triumphat, ac ſublimis effertur, quaſi in limine controuerſiæ vicerit. Mox ad artem conuerſus exorditur ab inſinuatione, quam Cæſaris laudibus amplificat, conatur aduerſarios trahere in inuidiam, & nullum non mouet lapidem, quo lectoris animum præiudicio ſibi conciliet. Nos oratoris partibus Philippo conceſſis, vt de quibus optimè præcipiat, magnificè præſtet, euangelica modeſtia contenti, theologi partes exſequi conabimur, ita exordijs prætetitis, ac Cæſaris nunquam ſatis pro merito celebrati laudibus prętermiſſis, in rem ipſam omnes conſiderationis & orationis noſtræ neruos intẽdamus. Et quoniam Philippus in pręfatione iudicem ambit virum bonũ, & timẽtem Dei, omnes vos obſecro, quotquot eſtis in Germania viri boni (neq; enim dubito plures eſſe) adeſte animis, & vtriuſq; partis argumẽta ſimul expendite. Primum quoniam duplex hominũ genus in Eccleſia cælibatũ profitetur, Clerici ſcilicet & Monachi, quorum non vtriq; eodem iure tenentur ad cõtinendum: nos primò de ipſo cęlibatu indefinite, & ſine perſonarũ deſignatione, mox de ſacris initiatorũ, vltimo de monachorũ cęlibatu diſſeremus. Cælibatũ fatemur nemini eſſe præceptum lege diuina, neq; coniugium quidem: id quod & Philippus ipſe negare non poteſt: tametſi coniugiu multis verbis, teſtimonijs, & argumẽtis conetur adſtruere, vniuerſis eſſe præceptũ, qua tamẽ de re inferiùs ſibi aduerſatur ſecũq; pugnat, nec ſibi vnquã in hac materia conſtat. Sed vtcunque habeant ſe verba Philippi, hoc citra controuerſiã eſt: Chriſtianis nõ eſſe præceptũ coniugium, quibus non ſemel conſulitur cælibatus. Imò nec bonum quidẽ eſt cõiugium, tantũ abeſt vt ſit præceptũ, ſi Hieronymo credimꝰ, illi enim eſt minus malũ in remedium maioris permiſſũ. At iniquior fuit matrimonio Hieronymus. Nõ negamus: fortaſſis hãc ſeueritatẽ illius tẽporis laſciuia, & Iouiniani heretici petulãtia requirebat: nos in neutrã partem ab euãgelica doctrina declinãtes dicimꝰ, bonũ eſſe cõiugium, ſed meliorẽ cælibatũ. Qui matrimonio iungit virginẽ ſuã, bene facit: qui non iungit, meliꝰ facit. Quin & toto fermè capite de hoc diſcrimine Paulus diſſerit. Prætereà Chriſti doctrina tãtùm abeſt à præcepto coniugij, vt cum de illo ageret, potiùs videatur præcipere cęlibatũ, eis ſaltẽ, qui poſſent capere verbũ hoc, cum tamen cõiugium nemini præceperit. Qui ſunt, inquies, qui poſſunt capere? Nõ admodum multi, vt reor, ſunt tamen aliqui, aliàs fruſtra dixiſſet Chriſtus: Qui poteſt capere, capiat. Contendit tamen Philippꝰ cõiugium pręceptum eſſe, ſi non omnibus, certè ijs qui cõtinere nõ poſſunt. Vnde probat? O he mille locis ſcripturę, & eſt in ſpecie veriſimile. Sed quando hic veritatem tantùm inquirimus, operepretium facturos nos credo, ſi rem ipſam introrſum diſpiciamus. Eſt quidem cõiugium, vt ſuperius diximus, bonum, nõ tamen vniuerſa bona diuinis legibus præcipiuntur: ſed illa, quorũ oppoſita in vniuerſum ſunt mala, vt fides, cuius oppoſi-

Coniugium non eſt præceptũ Chriſtianis nec eſt bonum ſecundũ Hieronymũ.

Matth. 19.

Non omnia bona ſunt præcepta.

tum

tum eſt infidelitas: pietatis, impietas: modeſtiæ, luxus: pudicitiæ, libido, &c. Hæc & id genus alia ſunt bona, quæ ſacris literis præcipiuntur, aut neceſſaria prędicantur: cõiugio verò cũ opponatur cælibatus, illo ſuperior atque perfectior, non erit coniugium de ijs quæ mandantur, vt fiant, ſed quæ volentibus facere permittũtur, & probãtur etiam, ſi velis. Alioqui maximo ſe periculo expoſuiſſẽt multi viri boni, qui neſcientes an poſſent cõtinere, cælibes tamẽ conati ſunt viuere. Quis enim aut vnde ſcire poteſt homo quod continere non poſſit? An quia nõ tentatur? Ego huiuſmodi homines, ſi qui ſunt, non exiſtimo eſſe illos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, ſed qui ex vtero matris nati ſunt eunuchi, non orbitate membrorũ, quæ nemini aut quam pauciſſimis in vtero matris contingit, ſed ſingulari naturæ proprietate quæ à quodam corporis temperamẽto proficiſcitur. Nam eos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, legimus multis fuiſſe tentationibus obnoxios, quas etſi frequẽter ſentirent, nunquã tamen conſenſerunt. Huius rei exempla nõ eſt opus in Hieronymo, Benedicto, & cęteris antiquiſſimis Monachis requirere, cũ Paulus apoſtolus abundè ſuppeditet, cui dat⁹ eſt ſtimulus carnis, propter quem ter Dominum deprecatus eſt. Et ad Rom: fatetur ſe inuenire in membris ſuis legem quandam repugnantem legi mẽtis ſuæ, & captiuum ducentem in legem peccati, hoc eſt, concupiſcentiam, quæ erat in membris eius. Addit tamen: Si autem illud quod nolo facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Et multa alia quibus oſtendit ſe non conſenſiſſe ijs, quæ per concupiſcentiam ſentiebat, de quorum numero erat, ſtimulus ille carnis, quem tãtopere deprecabatur. Quibus ergo notis dignoſcentur illi, qui cõtinere nõ poſſunt? Certè difficile eſt, eſſe tamẽ nonnullos negare non audeo, cum Chriſtus dicat: Non omnes capiunt verbum iſtud: &, Qui poteſt capere, capiat. Cæterũ ex his, quæ dicta ſunt apparet, cõiugium non eſſe præceptum omnibus, quia multis conſulitur cælibatus, nec ijs, qui continere nequeunt, poſſumus dicere cõiugium præcipi, quoniam cum hos difficillimum ſit dignoſcere, ita vt de ſe ipſo vnuſquiſq; nihil min⁹ ſciat, quàm vtrũ poſſit, an non poſſit continere: huiuſmodi præceptũ aut omnes in matrimoniũ protruderet, cum in rebus ambiguis tutiorem non eligere, ſit periculum amare, atq; in illo, ſicut ait Scriptura, perire, aut difficillimis ſcrupulis cõſcientias irretiret. Quomodo ergo his malis occurrit diuina ſapientia? Nempe neutrũ præcipiendo, nec matrimonium, nec cælibatum, ſed vtrumq; permittẽdo, vtrumq; probando, ſemper tamen alterũ, hoc eſt, cælibatũ præferẽdo, & frequẽtiſſimè cõſulẽdo. Qui poteſt capere, capiat. Bonũ eſt homini mulierẽ non tãgere: & rurſum: Dico autẽ non nuptis & viduis, Bonũ eſt illis ſi ſic permãſerint ſicut & ego, & rurſum: De virginibus pręceptũ Dñi non habeo: cõſilium aũt do, tanquã miſericordiam conſecutus à Deo. Et paulò inferiùs: Si acceperis vxorem, non peccaſti: Et ſi nupſerit virgo nõ peccauit: tribulationẽ tamen carnis habebũt huiuſmodi. Poſtremò totum caput, verbis, quæ ſuprà citauimus concludit: Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benę facit: & qui non iũgit, melius facit, &, Mulier alligata eſt legi, quãto tẽpore vir eius viuit, quod ſi dormierit vir ei⁹, liberata eſt à lege, cui autẽ vult nubat: tantũ in Domino: Beatior tamen erit, ſi ſic permãſerit ſecundum conſilium meum. Vides vbique à Paulo matrimonium non præcipi, ſed indulgeri fragilibus, cælibatum vero præferri, & ad illũ capeſſendũ vniuerſos ſubinde moneri.

Aduerſus hęc omnia plures locos ex ſacris ſcripturis producit Philippus: Primum, inquit, Geneſis docet, homines cõditos eſſe, vt ſint fœcũdi, & ſexus recta ratione ſexum appetat: Digna profectò Philippo authore, ſcripturarum interpretatio. Scilicet hic erat finis tam magnifici operis, quod ſex dieb⁹ abſolueret virtus diuina, vt homo totius opificij princeps & ſcopus luſitaret in aula mundi vernante floribus & pratis, luminaribus & ſtellis ornata. Ego hominem nõ eſſe ſcio, abſit tamen vt credam, ad hoc conditum eſſe, vt gignendis liberis inſeruiat, neq; quicquã huiuſmodi in Geneſi traditum inuenio. Superior finis propoſitus eſt homini, nẽpe vt pręeſſet piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtijs terrę, & ſic vniuerſis hiſce creaturis vtẽs, ſolo creatore frueretur. Hic finis eſt & ratio, diuino prorſus opificio cõgruẽs. Geneſeos verba ſunt: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, &c. Vides hominis finem vſque adeò ſublimem, vt creaturis omnibus eminẽtior ipſum attingat creatorem. Hoc eſt. n. ad imaginem Dei factum eſſe, vt Auguſtinus exponit, vt ei⁹ capax ſit, & particeps eſſe poſſit. Et Chaldæus paraphraſtes interpretatur: Vt ſit ſicut ſimilitudo noſtra. Hic eſt finis noſter, hic ſcopus quo vniuerſa præcepta diriguntur, quæ verè ſunt præcepta. Nam gignere, quantum legitimè, filios, conditionem naturæ noſtræ ſequitur, non aſſequitur finem, quod idipſum vt donemus aliquando fuiſſe præceptum, erat fortaſſis cum orbi ita deerant homines, vt defecturum videretur genus humanum, niſi illi qui ſupererãt, alios procrearent. Vnde eadem verba, quæ in exordio mundi duobus hominibus dicta

Margin notes: 2 Cor 12. — Eccleſ. 3. — Geneſ. 1.

ſunt, poſt diluuiũ paucisſimis illis, qui ſuperfuerunt, denuò repetũtur, vt intelligas præceptum illud totius orbis inſeruire neceſſitati, non vniuſcuiuſque libidini, aut quantũuis honeſtæ voluptati. Nunc verò cùm plenus ſit hic mundus colonis, vniuerſis conſulitur cælibatus, nemini præcipitur coniugium. Roget tamẽ aliquis: Num ſi omnes quotquot ſunt homines eſſent cælibes, nonne periret humanum genus, ita & tunc cum paucisſimi erant? Huic quæſtioni reſpõdet Hieronymus contra Vigilantium: Si omnes, inquit, virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanũ genus, infantes in cunis non vagient, obſtetrices abſque mercedibus mẽdicabunt, & grauisſimo frigore ſolus atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo. Rara eſt virtus nec à pluribus appetitur. Atque vtinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt. In eandem ſententiam reſpondet Auguſtinus huic quæſtioni, quam ſibi etiam ipſe propoſuerat. Attamen verba illa, inquies, Creſcite & multiplicamini, mandatũ Dei continent præcipientis vt homines gignant, & terram impleant hominibus, quæ etſi modo ſit plena, cito tamẽ in deſertum & ſolitudinem redigeretur, ſi homines à generatione ceſſarent. Vnde & verba illa, Creſcite & multiplicamini, non permittentis, ſed præcipientis ſunt, id quod modus ipſe loquendi præ ſe fert. Quatenus & quando præceptum ſit homini generare (ſi modo præceptum eſt vnquam) modo expoſuimus: idcircò nihil noui adfert hæc obiectio præter hoc, quod verba Dei videntur ſpeciem habere mãdati. Quãquam & huic parti nihilominus reſpõdiſſe mihi videor. Mandatum enim non ſpecie verborum, ſed rei ipſius pondere eſt expendendum. Alioquin ſi quicquid imperatiuè dicitur, præcepti vim habet, nihil apertius præcipitur, quã cælibatus ijs, qui poſſunt continere, quibus dicitur: Qui poteſt capere, capiat. Hæc formula imperatiui modi eſt, ſecundum quam multi coniuges, qui poſſent alioqui cælibes vixiſſe, contrahendo peccaſſent. Nam vt ſint multi cælibes, qui continere nequeant, certè coniuges eſſe aliquos non dubito, qui continere poſſent, ſi cælibes permanere voluiſſent, quos peccare, contrahendo dicemus, ſi quicquid imperatiuè dicitur, admiſerimus eſſe præceptum. Nõ ergo, quia imperatiuè dicitur: Creſcite & multiplicamini, ſtatim iudicãdum eſt, eſſe præceptum, ſed ad rem ipſam de qua ſcriptura loquitur, eſt attendendum, an videlicet ita ſit bona, vt quæ illi ex aduerſo fuerit oppoſita, ſit mala. Quanquam quid opus eſt tam prolixa diſputatione ad oſtendendum verba illa non cõtinere præceptum cùm ex ijs, quæ paulò ante ſcriptura commemorat, conſtet non ideò

Geneſ. 1.

eſſe dicta, vt aliquid præcipiant, ſed vt fœcũditatem quandam & propenſionem ad gignendum hominum naturæ conferrent. Cuius rei ſignum eſt euidentisſimum, quod eadem verba dicta fuerant paulò ſuperiùs piſcibus vniuerſis & volatilib9, quib9 vt de præcepto nunc loquimur, conſtat nihil præcipi poſſe, cum ſint rationis atque adeò libertatis prorſus expertes. Verba ergo iſta: Creſcite & multiplicamini, non pro imperio dicta ſunt, ſed pro beneficio. Cõtulit enim illis Deus nõ tantùm hominibus, verũ & animalibus brutis naturalem illam gignẽdi vim atq; propẽſionem, qua ſemel à Deo condita, vnaquæq; genus ſuum, nemine etiam imperante, prouehunt, atq; conſeruant. Ita quod ſicut dixiſſe Deum, Fiat lux, nihil aliud eſt, quàm feciſſe vt eſſet lux, & dixiſſe: Germinet terra, feciſſe vt terra germinaret: ita dixiſſe, Creſcite & multiplicamini, nihil aliud eſſe videtur, quàm feciſſe vt animalia creſcerent, & multiplicarẽtur. Sed quid hoc ad præceptũ, de quo loquimur? Certè non magis quàm illud: Cõgregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locũ vnum, & appareat àrida, quod etiam ſub formula dictum eſt imperandi. Addũtur etiam Apoſtoli verba ad confirmandum præceptum eſſe coniugiũ: Propter fornicationem, inquit Paulus, vnuſquiſq; vxorem ſuam habeat, & vnaquæq; ſuum virum, & illud: Melius eſt nubere quàm vri. Hic tamen locus nihil præcipit, tantùm permittit nobis cõiugium, ne fornicemur. Quod ſi mihi non habetur fides, conſulãtur omnes veteres interpretes, quorum ſi vel vnus fuerit inuentus, qui hæc verba interpretetur eſſe præcipientis, vt nunc præceptum accipimus, fateor me cauſa excidiſſe. Nam de formula imperãdi iã expoſuimus, quod non quotieſcunq; ponitur, intelligẽda eſt præcipere. Loquũtur imperatiuè, qui mandãt, qui vetant, qui ſuadent, qui præcantur, qui docent, qui permittunt, & ad multa alia vſurpatur mod9 imperãdi. Quod ſi vbicunq; poſitus eſt, intelligatur præcipere, hoc iam conſequetur præceptum eſſe nõ potentibus continere, vt vxores ducant: potentibus verò, vt permaneant cælibes, ita .n. imperatiuè dicitur: Qui poteſt capere, capiat: ſicut, Vnuſquiſq; propter fornicationem vxorẽ ſuam habeat: Iam ſi hoc admiſerimus, vides, quàm perplexa, quàm ambigua redderentur omnia, quæ ad cælibatum pertinẽt & coniugium, quàm multi coniuges deberent continuiſſe, quàm multi cælibes cogerẽtur ad matrimonium, quod, vt cætera prætermittã, omnib9 ſapientib9 dicitur om9. Sed quid hominis ego ſum, qui multis coner verbis, & cõiecturis adſtruere Pauli verba nõ eſſe pcipientis, qđ per ſe perſpicuum eſt, & euidẽs? Etenim ſi Paulus hoc vellet vt vnuſquiſ-

que

que teneretur vxoré ducere, quomodo poſſent illa conſtare, quæ toties repetit eodem capite? Bonum ſcilicet eſſe mulierem non tãgere; virginitatem ſeſe non præcipere, conſulere tamen; melius eſſe cælibem permanere, virginem matrimonio non iungere, & id genus alia: Atqui non omnibus, inquiet Philippus, præcipitur coniugium, ſed his, quibꝰ periculum eſt ne fornicentur: Propter fornicationem enim, ait Paulus, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, quod & inferiùs cófirmat, inquiens: Melius eſt enim nubere quàm vri: quæ verba ſuperiora explicant, & quaſi præcepti cauſam reddunt. Facilè igitur poſſunt dinoſci, qui ſint idonei ad cælibatum: & qui ſint, qui teneantur ad matrimonium. Qui nó vritur, non ducat: ſi nolit, qui vritur, non poteſt ab Apoſtoli præcepto excuſari. Optimè quidem videris rem (vt dicunt) acu tetigiſſe, ſed expone mihi obſecro, quid ſit vri. Nam ſi vri eſt vtcunque tentari, neminem eſſe credo, aut fuiſſe vnquam, Chriſto Ieſu, & eius matre Virgine exceptis, qui non aliquando vreretur, & ita neminem alloqueretur Chriſtus cum dicit: Qui poteſt capere, capiat. & Paulus, cum dicit: Qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit: & qui non iungit, melius facit. Dices tamen non eſſe vri vtcunque tentari, ſed cum quis vehementer tentatur, tunc dicendus eſt vri. Atqui vehementer tentabatur Hieronymus, vt cęteros nunc prætermittam, cum inter deſerti algores & æſtus, inter ardores & brumas, ſame, ſiti, ſitu & ſquallore confectus, cadauer potiùs quàm homo videretur, tamen ſibi intereſſe choris fœminarum, idq́ue multotiès illi vſu veniebat. Quid commemorem Paulos, Antonios, Hilariones, Benedictos? Vides quot ſanctorum myriades hac breuitate perſtringam. An auderes dicere quod omnes hi vrerentur, quos legimus vehementer fuiſſe tentatos? Quod ſi vrebantur melius erat illis nubere, quàm ſic vri, quin & peccabant in Pauli præceptum. Miſeri, qui tot labores, inedias, vigilias, tot denique cruces pertulerunt, vt peccarent. Quis hoc dicat? Quis hoc ferat? Quomodo ergo nos explicabimus hos labyrinthos? Ego vero facilè hunc nodum diſſoluo, quia intelligo, nihil ab Apoſtolo de matrimonio aut cælibatu eſſe præceptum, ſed omnia relinqui arbitrio vniuſcuiuſque, ita vt non peccent coniuges etiam ſi cótinere poſſent, nec cælibes in hoc, quod cælibes ſunt, etiam ſi forte non contineant: quorum incontinentia erit peccatum, non tamen cælibatus. Alioqui, cur potiùs cælibatus huius, qui non cóntinet, erit peccatum, quàm cælibatus Antonij aut Hieronymi? An quia illi haud tentabantur vt caderent? Ego verò non paucos exiſtimo, viros alioqui bonos, & virtutis ſtudioſos, leuioribus tentationibus cecidiſſe, quam Hieronymus aut Antonius pertulerunt. Non igitur lapſus vnius vel alterius, nec multorum quidem, qui reſiſtere tentationibus potuiſſent, faciet cælibatum eſſe peccatum. Dices fortaſſe: Non omnes tenentur illam vim ſibi inferre, quam Hieronymus & Antonius intulerunt, vt non cederent tentationi, quamobrem opus eſt illis alio remedio vt non peccent. Fateor tamen omnes teneri ad illa, quæ nonnulli heroes præſtiterunt, idcirco illis, qui lapſi ſunt, melius fuiſſet cognoniſſe, quàm concubinas: quia melius eſt nubere, quàm vri, hoc eſt, melius eſt coniugem habere, quam illegitimo congreſſu, aut fœdis ſe cogitationibus polluere. Sed hic iam vides non præferri matrimonium cælibatui, etiamſi magnis & multis tentationibus impetatur & concutiatur, ſed illegitimæ voluptati quæ vel corpore expletur, vel mente concipitur. Hoc eſt vri. Hæc eſt fornicatio illa, quæ vt vitetur, conſulit Paulus illi, qui aliter vitare non conatur, vt vxorem ſuam habeat, nihil tamen præcepit. Rogabis fortaſſe, cur ægroto, qui alias non valet euadere, non præcipiatur medicina. Quia difficilis cognitu eſt morbus, & remedium nó admodum expediens, niſi ijs, quibus eſt neceſſarium, imò & cæteris obeſſet, ne aggrederentur ſublimiora, & innumerabilibus ſcrupulis obrueretur piorum hominũ imbecillicitas. Ad hæc tanta eſt omnium hominum aut plurimorum propenſio ad coniugium, vt nihil ſit illis, quatenus animalia ſunt, magis naturale, quàm velle gignere, id quod maximè aſſequitur matrimonium, & ſunt morbi quibus oſtendiſſe remedium, admouiſſe eſt. Idcircò non eſt magis opus præcepto ad hoc, vt matrimonia coeant, quàm ad hoc, vt homines comedant, aut bibant.

Vri quid.

Alfonſi Virueſij Philippica decimanona, de cælibatu Clericorum.

HIs de cælibatu indefinitè præmiſſis, nũc de Eccleſiæ decretis circa cælibatũ diſſeramus. Nam Philippus dignitatis collatione ac cæteris alijs inter cælibatũ & matrimonium pretermiſſis, tãtùm de legibus conatur negocium exhibere Catholicis. Primùm omnium in confeſſo eſt apud omnes, quod Eccleſia neminem cogat ad hoc, vt ſit cęlebs, tãtùm decreuit vt quando negari nequit, quin nonnulli poſſint eſſe vnà cælibes & caſti, illi nempe, qui ex vtero matris prodierũt inepti coniugio, & qui poſtea vi aliqua aut ægrotatione facti ſunt ſpadones. Poſtremò qui poſſunt capere verbum Chriſti commen-

Qui poſſunt eſſe cælibes & caſti.

dan-

dantis eos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. Decreuit, inquam, vt ſacerdotes, quorum munus eſt orare, primù pro ſe, vt ait Paulus, deinde pro populo, & totius Ecclesiæ in hoc perſonam gerere, ſumerētur de illis qui poſſint, & velint eſſe cælibes, & ita perpetuò cælibatui adſtrinxit eos, qui ſacris eſſent initiandi. Hic videor mihi videre Lutherum, Philippum, & reliquos huius claſſis anteſignanos ſannis & clamoribus obſtrepētes: Qui poſſunt, inquient, adoleſcentuli procerum & diuitum filij, vitijs, voluptatibus, luxu, laſciuia enutriti, non in ſapiētiæ, & pietatis gymnaſijs, vt olim, ſed in Principum aulis vel in foris perpetuò verſati, cuiuſmodi ſunt ferè omnes, qui ſacerdotia obtinent, caſtum præſtare cælibatum? Aut quis credat fore, vt legitimè cōtineat vulgus iſtud ſacrificulorum, quos ex meris nebulonibus epiſcopi prece aut pretio quotidiè faciūt ſacerdotes? Quotúſquiſque hominum ſacris initiatur vt Chriſto ſeruiàt, & non potiùs ignauo, quod illis videtur, vitæ genere ſine labore victum ſibi paret, & qua datum fuerit per fas & nefas ad ſacerdotia graſſetur? Quos alios nūc ſacerdotes habemus? Quos ſpadones propter regnum cælorum nobis occinis? Nam his, qui vi, aut naturæ defectu facti ſūt ſpadones, nihil fidimus, tū quod pauciſſimi ſint ad tantam meſſem Eccleſiæ, tum quod multi eorum parum apti ob alios defectus tanto muneri inueniantur. Conſequitur enim frequenter quædam animi imbecillitas, & ægritudo ad corporis tam inſignem orbitatem. Quamobrē & Eccleſia huiuſcemodi multis hominibus ſacerdotia interdixit. Hæc & alia id genus multa, vtinam non tam verè quàm petulanter obijcerētur ab Aduerſarijs. Sed nos ſi quando calamitates id genus incidunt catholicis rebus & ſacris, non ſemel reſpondimus, non defēdi à nobis epiſcoporum aut ſacerdotum mores, ſed eccleſiæ decreta, quæ

Rationes decreti experta non expedire, vt qui Deo militant, implicent ſe negocijs ſecularibus, præcepit

2. Tim. 2. ne ſacerdotes mariti, & patresfamilias eſſent. Alioqui quomodo poſſēt ſecularia vitare negotia, quibus opus eſſet vxori, liberis, & familiæ proſpicere? illis præſertim, quibus tenuis eſſet res. Ad hæc cum ſacerdotis munus, vt diximus, ſit orare ſubinde pro populo, eccleſiæ preces, vota, oblationes, Deo offerre, eſſe

Malach. 2. denique angelū & miniſtrum, vt Malachias ait, de cuius ore populus legem requirat, qui poteſt hæc omnia præſtare maritus, vxoris amplexibus, filiorum blanditijs, rei familiaris, & totius œconomiæ curis implicitus? Paulus Apoſtolus conſulit coniugibus, vt inter-

1. Cor. 7. dum ſecedant ab ſeſe, quo poſsint orationi vacare. nec audet illis præcipere, tametſi coniugio iam obligatis, vt ad priſtinam vitæ conſuetudinem reuertantur, tantū hoc illis indulget, ne propter incontinētiam tententur à Satana. Quid igitur faciendum erit illi, cui ſemper eſt orandum, idq́ue non priuata, ſed publica oratione? Idē Apoſtolus matrimonia diſſuadens omnibus Chriſtianis, cauſam annectit, quia vellet illos ſine ſollicitudine eſſe, ſine qua nō poteſt eſſe maritus. Quod ſi tantùm expedit omnibꝰ Chriſtianis ſine ſollicitudine eſſe, vt quod profitentur aſſequi valeant, quid iudicandum ſit de ſacerdotibus, quorū eſt vſque adeò cæteris eminere, vt in collàtione iſti vt homines, nempe paſtores, illi vt pecudes habeantur? Volo vos, inquit Apoſtolus, ſine ſollicitudine eſſe: Qui ſine vxore eſt ſollicitꝰ eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Philippus citans illud eiuſdem Apoſtoli, quod mulier ſaluatur per *1. Tim. 2.*
filiorum generationem, Immane quam inſolenter nobis inſultat! Si talem, inquit, locum de cælibatu Aduerſarij proferre poſſent, tum verò miros triumphos agerent, Paulus dicit ſaluari mulierem per filiorum generationem. Quid potuit dici contra hypocriſim cælibatus honorificētius, quàm mulierem ſaluari ipſis coniugalibus operibus, vſu coniugali, pariendo, & reliquis œconomicis officijs? &c. Quid ſibi vult vſus coniugalis primus in ordine officiorum, & partui prælatus? Cur non apertiùs dixit gignendo, pariendo? &c. An puduit ſuis verbis, etſi ſatis honeſtis, nominare rem, cuius merces (ſi diuis placet) eſt æterna ſalus & vita? Vbi eſt nunc doctrina quæ vniuerſis noſtris operibus adimit merendi virtutem etiam cum fide? Siccine quod hactenus negabatur ieiunijs, precibus, eleemoſynis, ipſi denique charitati, hominem ſcilicet ſeruare, ne Chriſti gloriæ videretur detrahere, nunc demum filiorum generationi, quod commune eſt cum brutis homini, tribuitur? Sed additur fides. Quaſi quiſquam hactenus merendi vim bonis operibus aſſeruerit ſine fide. Iam verò ad inſultationem reuertamur. Metitur, vt exiſtimo, Philippus ingenium aliorum, ex animo ſuo, qui vnico ſcripturæ verbulo pro ſuo dogmate reperto, ſtatim adornat triumphos. Ecce nos locum meliorem non mutilum, aut perperàm interpretatum produximus pro cælibatu, & tamen nulla tropæa erigimus, nullos canimus triumphos, tantùm teſtimonia ipſa, in eodem ſenſu quo ſcripta ſunt ab Apoſtolo, ſub oculos ponimus, quia hoc non agimus, vt de fratribus noſtris triumphemus, ſed
ne

neveritas, quorundam ſceleribus, aliorum
dogmatibus obruatur. Iam vt donemus
verba Apoſtoli ad Timotheum ita, & in
eodem ſenſu ſcripta fuiſſe, quo accipiun-
tur à Philippo, quantum intereſt inter fœ-
minam eſſe ſaluam, & eſſe ſanctam? quo-
rum prius tribuitur coniugatæ, poſteri-
us virgini. Adde quod viris in loco,
quem citat Philippus, nihil iuuat matri-
monium ad ſalutem: in noſtro verò, vi-
rorum cælibatui tribuitur placere Deo,
matrimonio placere mundo. Philippus
tamen vt eſt ad colligendum ex arcanis li-
teris Catholicas veritates ingenio ſolers,
ad vtramque coniugem pertinere, quod
Apoſtolus de fœminis dixerat, confir-
mabat. Nec iniuria quidem, quippe qui
coniugali vſui viris iuxta ac fœminis com-
muni, ſalutem non quamcunque, ſed æ-
ternam, verbis Apoſtoli ſit pollicitus. Ob-
ſecro te bone vir, per Veneris cæſtum di-
uinum, & Lutheranæ coniugis ſacroſan-
ctos amplexus, vt mihi bona fide reſpon-
deas, cum ſcripturarum loca trunca, mu-
tila, & aliorſum, quam ipſa feruntur, ad-
ducis, & his artibus propoſitum euiciſſe
credis, an te ſapientibus, & in ijſdem ſcri-
pturis exercitatis ſcribere exiſtimas? an qui-
buſdam duntaxat Germanis, quibus nihil a-
liud ſonant ſcripturæ, quàm Lutheri com-
menta dogmata? Nos hunc locum ſuperiùs
expoſuimus, tãtum matrimonio tribuentes,
quantum nec tu, nec cęteri paranymphi vul-
ris agnoſcere. Sed operæpretium erit, ipſum
hac de re Apoſtolum prolixiùs audire, vt
hoc in loco ille ſe nobis, ſicut in cæteris con-
1. Tim. 2. ſueuit, aperiat. Pauli verba ſic habent: Mu-
lier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione,
docere autem mulieri non permitto, neque
dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio. A-
dam enim primus formatus eſt, deinde E-
ua, & Adam non eſt ſeductus: ſed mulier
ſeducta, in præuaricatione fuit. Saluabitur
autem per filiorum generationem; ſi per-
manſerit in fide, in dilectione, in ſancti-
ficatione cum ſobrietate. Hic prudens le-
ctor facilè poterit animaduertere, quàm
diſſideant hæc verba ab intentione Philippi.
Non hic nuptas mulieres innuptis confert
Apoſtolus, ſed vxores viris, quibus non per-
mittit, vt dominentur vxores, nec vt doce-
ant quidem, aut alio munere dignitatis fun-
gantur: cauſamque addit, quod priùs con-
ditus ſit vir, quæ res videtur illi primas in
domo tribuere. Adhæc non ſeductus quem-
admodũ mulier in prima illa præuaricatio-
ne, in qua immane quantam perniciem at-
tulit fœminæ conſilium, & viri obſecunda-
rio, vt ex hoc venire poſſit in ſuſpicionem
erroris, quicquid domi ſuæ conſuluerit,
aut docuerit. Nullumne igitur officium in
Chriſtiana Repub. vxoribus relinquit A-
poſtolus, quo ſibi poſſint promereri Chri-
ſtum? Reliquit prorſus, ſed ea quæ infir-
ma ſunt in coniugio, nempe tædium, &
laborem geſtandi vterum, pariendi, edu-
candi, & id genus alia, quæ ſunt mulieris
propria, vniuerſa demũ illa, quæ Deus quõ-
dam interminatus eſt Euæ. Quæ ita peccato
etiam dimiſſo remanent, vt tamen honeſtata
ſint, & locupletata nõ mediocri gratiæ fru-
ctu, & veluti inferiora myſtici corporis
membra ſacramenti velamine cooperta.
Alioqui tot curas, tantam ſollicitudinem,
tam multas etiam carnis moleſtias ſecum ad-
fert matrimonium, vt interdum videatur
Apoſtolo malum (quod aiunt) neceſſari-
um, cui pro magno tribuit non eſſe pecca-
tum. Si acceperis vxorem inquit, non pec- 1. Cor. 7.
caſti, & ſi nupſerit virgo, non peccat, tri-
bulationem tamen carnis habebunt huiuſ-
modi. Ego autem vobis parco. Hæc om-
nia quantum diſſident ab ſacerdotum inſti-
tuto, quos decet ſumma tranquillitas &
quietudo? Quid opus eſt multis? Philip- Philipp.
pus ipſe veritate coactus, fatetur multa
commoda, quæ matrimonio deſunt, in-
eſſe cælibatui. Ait enim: Nec Chriſtus aut
Paulus laudant virginitatem ideò, quod
iuſtificet, ſed quia ſit expeditior, & mi-
nus diſtrahitur domeſticis occupationibus
in orando, docendo, ſeruiendo. ideò Pau-
lus ait: Virgo curat ea, quæ ſunt Domini.
Laudatur igitur virginitas propter medi-
tationem & ſtudium. Sic Chriſtus non ſim-
pliciter laudat hos, qui ſe caſtrant, ſed ad-
dit, propter regnum cælorum, hoc eſt,
vt diſcere, aut docere Euangelium vacat.
Rectè ſanè Philippus, tametſi non abſolu-
tè cælibatus commoda Chriſti & Apoſtoli
eius verbis exponit. Ob has igitur cauſas,
& alias huiuſcemodi, quas longum eſſet
nunc recenſere ſancti Patres decreuerunt,
vt ſacerdotio non fungerentur, niſi illi, qui
cælibes eſſe poſſent, & vellent. Dicat in-
terim quiſpiam: Si hoc ita eſſet, vnde ſup-
peteret nobis tanta ſacerdotum multitu-
do, quantam hodiè habemus? Imò ob id
etiamſi aliæ non eſſent cauſæ, expediret ſa-
cerdotes cælibes eſſe & pudicos, vt non
eſſet illorum tanta colluuies, quæ inuidi-
am maximam, & contemptum conciliat or-
dini ſanctiſſimo. Ad hæc laicorum ordo
minus grauaretur impenſis, quas neceſſe
eſt fieri non modicas, alendis tam multis
ocioſis. Quod ſi Germani Epiſcoporum au-
thoritate ſacrificos omnes ineptos & impu-
dicos arcuiſſent à ſacerdotij functione, il-
lis duntaxat relictis in miniſterio, qui præ-
ſtare poſſent quod profitentur (credo.n.po-
tuiſſe

tum Chriſti ipſius verba declarent, quis dubitet, quin illum, qui ſemel obtulerit, obliget ad reddendum? Verùm de hoc fuſius infra cum de votis monachorum diſſeremus. Nũc ad illum, quem legitimus ſcrupulus angit & excruciat, qui ſi omnibꝰ, quę Chriſtiana prudentia fert, ſerio ac fidei ardore tẽtatis, viderit ſe non poſſe continere, confidenter ego illi auderem conſulere, vt nõ propria authoritate, quæ potius eſſet temeritas, ſed ſummi Pontificis indulgẽtia ſaluti ſuę per matrimonium proſpiceret. At nõ poterit hoc Põtifex indulgere? Quid ergo poteſt, ſi animas Chriſti ſanguine redemptas de ipſis faucibꝰ inferni, quo ſe incautè præcipitarunt, euadere conantes, nõ poteſt eripere? An tantum poteſt excommunicationum & anathematum fulmina vibrare? leges condere, & totius orbis lites Romam transferre? Ego vero quicquid iuris illi Chriſtiana Reſpub. attribuit, libenter agnoſco, ita tamen, vt animarum ſalutem præcipuè intelligat ſibi commiſſam, & ad hãc tuendam ac prouehendam, ſciat ſe plenitudinem poteſtatis accepiſſe. Hoc eſt enim Chriſti eſſe vicarium, cum caſus neceſſitatis inciderit, poſſe facere id, quod Chriſtus ipſe faceret, ne ſalus animarum diſcrimẽ aliquod maius ſubiret. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut & ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero, de poteſtate noſtra, quam dedit nobis dominus in ædificationẽ, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam. Poteſt ergo Pontifex huiuſmodi neceſſitatibus, modo veræ ſint, per matrimonia occurrere. Alioqui ſi hanc poteſtatem ſũmus Pontifex non habeat, qui poterit Eccleſia membrorum ſuorum pericula omnia vitare, cũ in comperto ſit, plures nunc incidere paſsim neceſsitates diſpenſandi, & moderãdi leges & iura, quã condendi? Hic tamẽ aliquis roget: Quid opus eſt pontificis indulgẽtia ad proſpiciendũ animæ ſaluti, vbi cõſtat de periculo & neceſsitate? Cui ego: Quid opus eſt medico ad proſpiciendũ corporis ſaluti, vbi cõſtat de aduerſa valetudine? Nam vt me aliàs ſimili queſtioni reſpondiſſe memini, quis ægro cõcedat facultatem abutendi pharmacis, etiam ſi ſit medicus? Poteſt quidem cognoſcere, quod neceſſaria ſint illi medicamẽta, quibus verò & quatenus ſit vtendum, non proprio iudicio, ſed ſapientis medici conſilio definit. Ad eundem modum cenſendum eſt de animi morbis, aut quibuſuis alijs neceſſitatibus, niſi quod in his non quiuis poteſt eſſe medicus, cuius cenſura ſit ſaluti proſpiciendum, ſed (quod ait Paulus) qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron. Hinc enim eſt illa poteſtas, quam idem dicit ſibi & cæteris Apoſtolis traditam ad ædificationẽ, alioqui periculum eſſet, ne, quod ipſe etiam alibi cauendum præcipit, Chriſtiani (vt ſunt homines in deteriora procliues) libertatem hanc darent in occaſionem carnis. Quaſi liberi, inquit Petrus Apoſtolus, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. Cum nos liberos dicit, oſtendit nulla eſſe conſtrictos lege, niſi quatenus charitati, quam Iacobus legem perfectæ libertatis appellat, cæteræ leges inſeruiunt. Cum vero cauet, ne libertas hæc velamen malitiæ ſit nobis, priuatæ indulgentię abuſum prohibet. Quis enim iuſtam indulgendi menſuram in propria neceſſitate ſibi arroget, cum & neceſſitas ipſa non facilè dignoſcatur, ſit ne vera neceſſitas, an morbus animi ementitæ neceſſitatis ſpecie obrepens? Cæterum cum legis alicuius coercentis libertas Pontificum authoritate conceditur (loquar fortaſſis audacius) in tuto eſt conſcientia illius, cui conceſſio indulget, etiam ſi minus attente, vt ſunt humana, dum tamen non malitioſe aut oſcitanter rem ipſam expenderit. Nouit enim Chriſtus figmentum noſtrum, & ſcit mortalium cogitationes ſemper eſſe timidas & incertas prouidentiæ humanæ. Cum igitur, vt ad inſtitutum redeamus, tot ac tam rationabiles cauſæ eccleſiam coegerint, vt coniugium ſepararet à ſacerdotio, quid eſt in hac ordinatione, quod Philippus poſſit in crimen vocare? Aut quid iniquius eſſe poteſt, quàm propter mores prauos hominum ſanctiſſimas Eccleſiæ leges damnare, reſcindere? Adhæc, cum conſtet, nec Apoſtolorum, nec vllo iam inde ab Apoſtolis tempore permiſſum eſſe ſacerdotibus ducere vxores, qua fronte defendi poteſt facinus iſtud Germanorum ſacerdotum, qui tam impudenter nulla ratione habita eccleſiaſticę poteſtatis, nulla Hierarchici ordinis, nulla Pontificiæ dignitatis, nulla demum apoſtolicæ diſciplinæ atque cenſuræ, quia inter conuiuia, & Græcas compotationes, in quibus totos dies ſolent interdum conſumere, non videntur ſibi poſſe à mulieribus abſtinere, auſi ſunt in Eccleſiæ contemptũ, & totius Chriſtiani populi ſcandalum ducere vxores? Et ſuper hæc omnia (ſi diuis placet) quibus hæc non probantur, ſeſquihæretici audiunt. Magis odio, inquit Philippus, digni ſunt aduerſarij noſtri, quàm Encratitæ, qui quadã ſpecie religionis lapſi videntur. Illi Sardanapali conſulto abutuntur prætextu religionis. En noua hæreſis Sardanapalorum, peior hæreſi Encratitarũ. Agnoſcis lector Philippicos lepores, & euangelicam modeſtiam eius, qui ſe euangelium reſtituiſſe gloriatur. Sardanapalus, à quo nobis nomen imponit, Aſſyriorum rex fuit, luxu, libidine, & voluptatibus infamis. Qui ſunt igitur veri Sardanapali? Nempe qui

totos

Summus Pontifex poteſt diſpenſare cum cœlibatu ſacerdotum, vbi neceſſitas poſtulat.

Heb. 5.

Iacob. 1.

Philipp.

Noua Sardanapalorũ.

totos dies potant in ganeis, certant ſorbitiunculis, ciathorum numeris vincunt, emortuã libidinem pipere, gariophyllo, gingibere, & id genus alijs ſalſamentis reſtituunt, nunquã firmis greſſibus ſurgunt à menſa, quorum ingluuies vtrunque ſolem attingit, quorum Deus venter eſt & gloria, quibus pro ludo eſt publicè palpare mulierculas, amplecti, oſculari, luſitare, ſe à ſcenicorum ritu minimum aut parum abeſſe, quibus virginitas nõ munditia, cęlibatus eſt hypocryſis, ieiunium ſuperſtitio, quibus, vt ventri liberius inſeruirent & rei, Chriſtus meruit ſemel regnum cælorum, nec alijs bonis operibus opus eſt illis, niſi vt credant ſeſe vtcunque vixerint, ſaluos ſore. Hi ſunt mores, hæc placita Sardanapalorum. Attamen operæpretium eſt videre, pro quibus factis aut quibus meritis iudicemur peiores Encratitis, & Sardanapali audiamus. Multi, inquit, hæretici malè intellecta lege Moſi, contumelioſè ſenſerunt de coniugio, quales fuerunt Encratitæ, de quibus ſupra diximus. Et conſtat, monachos paſſim ſolitos de cælibatu ſuperſtitioſos ſermones ſerere, qui multas pias conſcientias, propter legitimum vſum coniugij perturbauerunt. Nec difficilè eſſet, nobis exempla commemorare. Nam etſi non damnabant coniugium in totum, propter procreationẽ, tamen vituperabant tanquam vitæ genus, quod vix vnquam Deo placeret, aut certè nõ placeret, niſi propter procreationem: cælibatum vero efferebant tanquàm angelicum vitæ genus. Hunc prædicabant gratiſſimum Deo ſacrificiũ eſſe, mereri remiſſionem peccatorum, mereri aureolas, ferre centeſimum fructum, & alia infinita. Has religiones angelorum Paulus improbat ad Coloſſenſes: opprimunt enim cognitionẽ Chriſti, cum ſentiunt homines ſe iuſtos reputari propter tales obſeruationes, non propter Chriſtum. Deinde opprimunt cognitionem præceptorum Dei, cum præter Dei præcepta excogitantur noui cultus, & præferuntur præceptis Dei. Quare ſedulo aduerſandum eſt in eccleſia his ſuperſtitioſis perſuaſionibus de cælibatu, & vt piæ conſcientiæ ſciant coniugium Deo placere, & vt intelligant quales cultus approbet Deus. Sed aduerſarij noſtri non requirunt cælibatum per ſuperſtitionẽ, ſciunt enim non præſtari caſtitatem, verùm prætexunt ſuperſtitioſas opiniones, vt imperitis fucum faciant. Magis igitur odio digni ſunt, quam Encratitæ, qui quadam ſpecie religionis lapſi videntur. Illi Sardanapali conſulto abutuntur prætextu religionis. Hæc ſumma eſt criminum. Propter quę Philippo viſi ſunt Catholici magis odibiles Encratitis, & digni, qui Sardanapali appellentur. Quæ crimina æquum eſt, vt membratim expendamus. Primum dicit monachos ſolitos eſſe de cęlibatu ſuperſtitioſos ſermones ſerere. Quos ſermones? Nempe quòd cœlibatum commendet Chriſtus, atque ſuadeat, quod Paulus cælibes præferat coniugibus, quod prædicet, melius eſſe non tradere virginem nuptui, quàm locare: quod ingenuè aſſeueret cælibes placere Deo, maritos mundo, diuiſas eſſe vxorem & virginem, virgines Chriſtianas corpore & ſpiritu ſanctas. Hi ſunt ſuperſtitioſi ſermones, quos Monachi ſerunt, quorum ſermonũ ſuperſtitio etiam Apoſtolum Paulum in ius vocat, ipſius enim ſunt. Sed additur, neſcio quid, de aureolis, quarum non meminit Paulus. Et quod totius criminis caput eſt, fructus centeſimus virginitati tribuitur. *Aureola virginum.* De aureolæ nomine, quæ ſolet virginitati à theologis tribui, non eſt animus cum Philippo contendere. Hoc certè veriſſimũ eſt, quoddam glorię decus ita peculiariter deberi virginibus, vt nemini aliorum quantumlibet perfecto contingat. Quod, inquies, eſt illud? Id nimirum, de quo Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi: *Apoca 14.* Vidi: & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis & cantabant canticum nouum ante ſedem & ante quatuor animalia, & ſeniores, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centũ quadraginta quatuor milia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocuuq; ierit. Habes ſummam cæleſtis prærogatiuæ, quæ ſolis eſt beatis cõceſſa virginibus. Vtere nomine, quod volueris, ad illam ſignificandam, ſi non placet aureola. Si quis enim videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem nõ habemus, neque Eccleſia Dei. Porrò quod monachi tribuunt virginitati fructum centeſimum, *Virginitati tribuitur fructus centeſimus.* vetuſtiſſima eſt ſanctorum Patrum interpretatio, ita vt ſi hâc & huiuſmodi occaſionibus ad augendum huius diſputationis volumen vellem vti, vel ſola tranſcriptione poſſem videri aliquid magni feciſſe. Sed quid ego in re non dubia teſtibus vtar non neceſſarijs? Satis ſit, Hieronymum recepta à vetuſtioribus hac euangelici ſęminis expoſitione & doctrina vſum fuiſſe, non modo ad Lætam, ad Gerontiam, & Euſtochium, verùm & aduerſus Iouinianum. Nam qua fronte audeat quis reprehendere in nobis, quod à tali viro, & antiquioribus illo factum accepimus? Hactenus de primo crimine. Proximum eſt, quòd monachi etſi non damnant coniugium in

 totum

totum propter procreationem, tamen vituperant tanquam vitæ genus, quod vix vnquam Deo placeret, aut certè non placeret, niſi propter procreationem. Quam reſponſionem mereatur tam maniſeſta calumnia, vos viri boni, ad quorum iudicium prouocauit Philippus, obſecro iudicate. Quoties grauitatis veſtræ ac prudentiæ venit in mentem, non poſſum non mirari, quî factum ſit, vt tam pertinaciter ab Eccleſia diſceſſeritis. Sed rurſus cum ad doctorum veſtrorum artes & impoſturas oculos conuerto, quos non pudet tam apertè fallere, & quicquid ſibi viſum fuerit, quò nos vobis odioſos reddant & ſuſpectos, comminiſci, mirari tantiſper deſino. Ecquis eſt, qui neſciat, vnum de capitibus controuerſiæ, quam habuimus hactenus cum Luthero, fuiſſe matrimonij dignitatem, cui Lutherus adimit ſacramentum, nos tribuimus? Et nunc (ſi Chriſto placet) audimus non probari nobis coniugium, niſi propter procreationem. Eſt inter theologos receptiſſimum & ſolemne, tria eſſe coniugij bona, proles, fides, ſacramentũ. Horum meminit Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam, & alijs locis. Ab eo accepit Sententiarum magiſter. Hinc dimanauerunt per vniuerſa gymnaſia, ita vt nullus ſit neque Summarum, vt vocant, liber, imò nec puerorum vlla chartula, in qua non inueniantur explicata, atque digeſta. Horum Lutherus & eius aſſeclæ prolem tantum reliquerunt. Nam fidem ſuſtulerunt diuortio, quo ita ſeparari permittunt coniuges, vt vtroque viuo liceat alijs coniungi. Sacramentum non modò negant, ſed irrident. Et interim occinitur nobis, quod doceamus, non placere Deo coniugium, niſi propter procreationem. Philippus vero inter hæc nondum explicat illud, quamobrem matrimonium placeat, quanquam nec placendi quidem vim illi deferet, ſi ſibi conſtare velit. Certè Paulus videtur coniugibus negare plenam facultatem placendi Deo, cum dicat, cælibis ſtudiũ eſſe, placere Deo: mariti verò quomodo placeat mundo. Hoc tamen haud matrimonij vitium eſt, ſed noſtrum, cui vitio vtcunque mederi poteſt cælibatus, nam coniugio videtur augeri. Sunt tamen alia bona in matrimonio, quæ quotidiè prædicantur à noſtris, dum illi ex ſacris literis, & totius Eccleſiæ traditione ſacramenti gratiam & dignitatem tribuunt. Eſt namque ſacramentum gratiæ ſignum efficax, modò ſit eius capax interius is, cui exterius ſacramentum confertur. Quod idipſum cum matrimonio aſſeratur à nobis, quis non videat, quantum bonum, imò quàm multa bona in hoc vno illi tribuamus? Cur ergo tanto bono ſacerdotes vti non permittimus? Quia ipſi pro maiore bono ſua ſe ſponte priuarunt. Cur verò etiam ſacerdotibus & liberis ſuademus, vt cælibes viuant? Ego vix crediderim me ſuaſiſſe cuiquam, tantum admoneo, vt vnuſquiſque conſcientiam ſuam & vires conſulat, & id ſequatur quod ſaluti ſuæ magis expedire iudicauerit. Pro his verò, qui ſuadent reſpondit Paulus, cuius exemplo faciunt. Apertè enim pronuntiat, velle ſe omnes eſſe abſque ſollicitudine, quam ſecum adſert matrimonium, eſtque multus in ſuadendo cælibatum, quem multis nominibus præfert coniugio. Mihi verò ſatis eſt oſtendiſſe, quàm abſit à vero, quod nobis obiectum eſt à Philippo. Tertium criminis caput eſt, quod commentitijs religionibus angelorum, vt vocat Paulus, opprimamus cognitionem Chriſti, & cognitionem præceptorum Dei, cum præter Dei præcepta excogitantur noui cultus, & præferantur præceptis. Quare aduerſandum eſt, inquit, in Eccleſia his ſuperſtitioſis perſuaſionibus. Hoc ſi verum eſt, quis non videat, quam horribile & deteſtandum, nedum aduerſandum? Sed quoniam religiones angelorum vocat monaſticam profeſſionem, de qua ſuo loco diſſeremus, tantum hic attingam, quod ait has eſſe, quas damnat Apoſtolus ad Coloſſ. vnde & nomen vſurpat, quod conſtat eſſe vaniſſimum. Nam Apoſtolus tantum ibi loquitur de ſuperſtitionibus Iudaicę legis, quæ ſunt, inquit, vmbra futurorum, præſtat tamen integram adſerre periodum: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & nõ tenens caput, ex quo totum corpus &c. Hic Paulus ſolis aduerſatur cæremonijs Iudaicis, idque hoc nomine pręcipuè, quod cum omnia illa ſigna eſſent, & vmbra veritatis, quæ facta eſt in Chriſto Ieſu, retinere mordicus & pertinaciter vmbram, nihil aliud erat quàm negare veritatem. Signorum enim tam peruicax obſeruatio, quid aliud erat, quàm aſſertio nondum aduenisſe, qui ſignis illis promittebatur? Id erat Chriſtum non obſcurare modo, verùm & negare. Huiuſmodi obſeruationes Paulo dicuntur angelorum religiones, non monaſtica profeſſio, de qua nec meminit quidem Paulus, niſi quatenus hortatur ad multa, quę ſequuntur monachi, tametſi non omnia aſſequantur. Eſt autem ratio nominis ſumpta à B. Stephani verbis, qui legem acceptam eſſe dicit, vt narrat Lucas in diſpoſitione angelorum, & idem Apoſtolus ad Galat. ſcribit, legem eſſe per angelos ordinatam. Sunt qui hoc nomen referant ad priua-

Matrimonio adimit Lutherus Sacramentum.

Coniugij tria bona.

Philip.

Coloſſ.

Act. 7.

priuatas reuelationes, quas comminiſcebantur Iudæi, quo ſimplicibus facilius imponetur, ne legem Moſaicam paterentur antiquari, ita vt Paulus ironicè nomen vſurpauerit. Verum vtcunque accipiatur, luce clarius apparet, nihil ad nos attinere, qui ritus quoſdã & cæremonias ex diametro, quod aiunt, à Iudaicis diſsidentes, obſeruamus, vel ad corporis mortificationem, in qua eſt abſtinentia continentiæ fidiſsima cuſtos, vel vt ſacra certo ordine peragantur. Iam quod objicitur, à nobis opprimi cognitionem mandatorum Dei, quia nouos cultus mandatis præferimus, ſi nouos cultus appellet cõſilia euangelica, Chriſtum Ieſum in partem criminis vocare videtur. Is enim interroganti iuueni reſpondit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua

Matth. 19. mandata. Ad perfectionem verò, propoſito conſilio, quod nullis eſt hactenus comprehenſum præceptis, inuitauit: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Quamquam non ignoramus, perfectionem Chriſtianam ſolius eſſe charitatis, quæ finis eſt mandatorum Dei: conſilia verò eo videntur plus habere perfectionis, quò magis inſeruiunt charitati. Verum de hoc copioſius infra. Nunc ſatis ſit oſtendiſſe, qualia ſint, & quid veritatis habeanr crimina, propter quæ vocamur à Philippo peiores Encratitis, & Sardanapalis: pro quibus meritam gratiã nunquam committet vt referamus. Sed fortaſſis nos Sardanapalos appellat ob facinora, quæ paulò pòſt ex Satyricis Poetis commemorat aduerſus Romanos. Nos verorum Sardanapalorum doctrinam & mores ſuperiùs deſcripſimus, quibus illa conueniant, iudicet lector. Nam vt veritatem tacere non poſſumus, ita contumelia quenquam afficere nollemus, vt Philippus, qui Romanis viuentibus, & Chriſtianis objicit crimina, poetica licentia in defunctos & infideles quondam iactata. Peiores verò quàm Encratitæ, ob id vocari nos credo, quod ex Paulo citat Philippus aduerſum nos: Spiritus autem manifeſtè dicit, quod in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocryſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui nouerunt veritatem. Hæc ex Paulo. Sed nos ſuperius non ſemel reſpondimus, quod Eccleſia neminem cogat ad cælibatum: tantum decreuit vt ſacerdotes non fiant, niſi ex ijs, qui poſſint & velint eſſe cælibes. Cur ergo, inquies, prohibet, ne ſacerdotes qui continere nolunt, ducant vxores? An non eſt hoc prohibere nuptias, quod Apoſtolus damnat, & vocat diſceſsionem à fide? Si hoc eſſet quod Apoſtolus damnat, nunquam apoſtolorum & totius Eccleſiæ decreto ſacerdotes arcerentur à coniugio. Non eſt prohibere nuptias, vitare, ne qui ſemel cælibatus votum ſuſcepit, fiat maritus, & irritum faciat fœdus, quod cum Chriſto pepigerat. Sed quod Encratitæ & Manichæi faciebant, docere quemcunque congreſſum viri & fœminæ, quantumuis legitimè cohærentium, eſſe illicitum & immundum, hoc eſt, nuptias damnare & prohibere, nullas credere eſſe licitas. Lex verò Eccleſiæ nullas damnat aut prohibet: ſolum oſtendit, quas credunt eſſe, has, non veras eſſe nuptias. Quamobrem? Quia non magis qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, hoc eſt, propter euangelicam pietatem poſſunt piè gignere, quam naturaliter, qui naturæ defectu, aut iniuria mutilantur. Vtrique dicuntur eunuchi, quia vtriſque eſt perpetuò adempta gignendi poteſtas, alteris legitima, alteris naturalis, atque adeò neutri ſunt apti coniugio. Alio- *Matth. 19.*

qui inepta videretur illa Chriſti collatio, quam adfert cælibatus profeſsionem duplici ſpadonum generi adiungens & æquans. Epiſcopi ergo & cæteri eccleſiæ miniſtri, quorum intereſt ſatagere, vt eccleſiaſtica diſciplina ſeruetur, huiuſmodi ſocietates ſacerdotes & fœminarum iure diſſoluunt ac dirimunt. Cur enim non dirimant publicas ſcortationes, & inhoneſta contubernia, quæ nuptiarum ſuco perpetrantur? At occi- *Philipp.*

dunt, inquit, multos bonos viros, tantum propter coniugium, & cum canon iubeat ſuſpendere ſacerdotes, iſti parum commodi interpretes ſuſpendunt, nõ ab officio, ſed ab arboribus. Atque hæc ipſa parricidia oſtendunt, hanc legem doctrinam eſſe dæmoniorum; nam diabolus cum ſit homicida, legem ſuam defendit his parricidijs. Omitto in his verbis, quod legem, quam oſtenſum eſt ſuperius ab apoſtolis fuiſſe ſancitam, & ab apoſtolicis viris perpetuo firmatam, atque ſeruatam, ne ſacerdotes ducerent vxores (ea eſt enim propter quam ſacere nimis, vt ſibi videtur, dicit homines ab arboribus ſuſpendi) legem diaboli appellat, & doctrinam dæmoniorum. Hic enim maximè locum habet illud Hieronymi: perfidiam expoſuiſſe, ſuperaſſe eſt. Tantum expendamus an iure plectantur illi, qui ſacris ſemel initiati ducunt vxores. Sunt qui velint modeſtè agi aduerſus hæreticos, & omnia debere tentari, priuſquam veniatur ad vltimum diſcrimen. Quæ omnia? nempe vt verbis, ſolidis rationibus, conciliorum placitis, ſcripturarum ſanctarum & ſanctorum interpretum teſtimonijs doceantur & con-

2.Tim.3. uincantur. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum. Quomodo autem erit ſcriptura vtilis nobis, niſi ea in his, quæ recenſet Apoſtolus, vtamur? Video enim vſu receptum apud pleroſque, vt aduerſus illos agant literis & verbis, in quos non poſſunt ſæuire verberibus, aut necibus graſſari. Quod ſi quempiam miſerum homuncionem nacti fuerint, in quem liberum ſit illis animaduertere, mox arreptum infami iudicio ſiſtunt, in quo vt celerrimè abſoluatur, & oſtēdatur immunis à culpa, criminis tamen notam nunquam non feret. Si verò aut aliorum conſuetudine ſeductus, aut circumuentus aſtutia, fortaſſis & incuria lapſus deprehenditur, ſtatim non ſolida doctrina, non blandæ ſuaſiones & monita paterna, (tametſi patres gaudent appellari) ſed carceres, flagra, ſecures aut faces expediuntur: quibus etſi corpus afficitur ſupplicio, animus tamen non poteſt immutari. Solus enim ad hoc eſt idoneus ſermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. Roget tamē aliquis: Quid fiet iſtis, qui Heb 4. peruicaci temeritate omnia iſta cōtemnunt? ſcripturas non audiunt, niſi perperam expoſitas, & ad eorum dogmata pertortas? vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine, & Patrum authoritate non mouentur? conciliorum decretis tantiſper obediūt, eatenus ſcilicet, quàtenus illis fauere videntur? Quid, inquies, fiet iſtis? Num permittetur illis impunè in ſimpliciū animas graſſari, & fidelium ſubuertere conſcientias? Abſit. Ego huiuſmodi mōſtra, quæ cicurari nulla diligentia poſſunt, cum Auguſtino, Hieronymo, & cęteris Patribus ſemper radicitus, ſi fieri poſſit, amputanda iudicaui. De qua re memini me olim ad Eraſmū ſcripſiſſe. Hoc concilio fieri credo cædes illas & ſupplicia, quæ Philippus miris modis & tragicis verbis exaggerat. Haud enim plectuntur ſacerdotes, quod vxores habeant ſolummodo, ſed quod admoniti eas dimittere nolint, quæ falſæ coniuges ſunt, & veræ concubinæ. Neque hoc ſolum, verum & ab altaris officio manus non continent, quod ſanctorū Patrum decretis Philippus nō negat eſſe cautum. Hæc contumacia eſt, quæ à iudicibus animaduertitur, in qua Philippus ipſe fatetur ineſſe ſchiſma, noſtris hæreſis aperta videtur. Continet enim iudicium prorſus inſanum, quo huiuſmodi omnes credunt eccleſiam ſemper aberraſſe, quæ hactenus prohibuit ſacris initiatos coniuges fieri.

Difficillimum eſt, Philippi inſolentiam, & contumelias in hac mareria ferre, nam ſi reſpondeas euangelica modeſtia, nihil euiceris: ſi contemnas, cauſa videberis excidiſſe, omnia furioſis clamoribus, & conuitiorum caligine obnubilat, & vel erroris fiducia, vel cauſæ diffidentia verboſis inſultationibus conatur extorquere, quòd firmis rationibus non poteſt euincere. Argumentationibus ſuis vtrinque congeſtis, tranſit ad noſtra, illa duntaxat, quæ ſibi dicit fuiſſe propoſita, vt ſignificet nobis non eſſe alia. Nos quædā huc vſque protulimus, grauiora & efficaciora credimus ab alijs eſſe producta, aut certè poſſe produci. Verùm reſponſiones eius adferamus: Primum, inquit, dicunt à Deo reuelatā Philipp. eſſe legem. Videlicet videtis extremam impudentiam iſtorum nebulonum. Audent affirmare, quod diuinitus reuelata ſit lex de perpetuo cælibatu, cum aduerſetur manifeſtis ſcripturę teſtimonijs, quę iubent, vt vnuſquiſque habeat vxorem ſuam propter fornicationem: item, quæ vetat diſſoluere contracta matrimonia. Paulus admonet, quem authorem habitura fuerit iſta lex, cum vocat eam doctrinam dæmoniorum. Et fructus indicat authorem, tot monſtroſæ libidines, tot parricidia, quæ nunc ſuſcipiuntur prætextu iſtius legis.

Quid ſcriptura ſacra iubeat, quidue permittat circa cælibatum & coniugia, ſuperius expoſuimus, nūc ſatis ſit repetere, quod millies ſuppoſitum eſſe volumus. Eccleſia neminem cogit ad cælibatum, qui continere non poſſit aut nolit: pręcipit tantum, vt illi tantū, qui volunt, (an poſſint, ipſi viderint) qui onus vltro ſubeunt, presbyteri ordinentur, & nō alij. Quæ lex quam rationabilis fuerit, ex his, quæ nobis ſunt expoſita, iudicari poteſt. Nec ſolis innitimur priuatis reuelationibus, quod genus argumentorum mihi in rebus ſerijs minimè placet, ſed euangelicis & apoſtolicis teſtimonijs, & conciliorum decretis. Aduerſus quæ omnia cum Philippus damnet cælibatum, quem hypocriſin appellat, & illi aduerſandum eſſe in Eccleſia pronuntiat, nunquam tamen audiet à nobis nebulo, aſinus, Sardanapalus, & peior Encratitis, tamen pro his, & id genus alijs nominibus, aut potius ignominijs, Chriſtum precor, vt Philippus non ſit, quod ab Eccleſiæ principibus, iudicibus, & pontificibus audit. Iam quod de fructibus dicit, facilè eſt in cōtumeliam cuiuſuis legis, etiam diuinæ, conuerti, ſi fructus legis vocentur abuſus tranſgreſſorum. Lex enim quamtumlibet bona non poteſt perficere, vt omnia peccata vitentur, quin quodammodo peccata multiplicat, dum per occaſionem auget cōcupiſcentiam. Occaſione accepta, peccatum per manda- Rom 7. tum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Peccata igitur illa, quæ Philippus imputat legi, non legis fructus ſunt, ſed carnis & concupiſcentiæ, inter quos fructus omnium peſſimus eſt morbus iſte, inſurgendi aduer-

aduerſus bonas leges propter malos hominũ mores. Nam caro ſemper aduerſus leges inſurgit, non modo tranſgrediendo, ſed iudicando, & damnãdo, quicquid legibus etiam diuinis cauetur. Sapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei nõ eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Hæc ſapientia eſt, quę cęlibatum damnat aduerſus Paulum, vt Hieronymum, & cæteros eccleſiæ proceres prætermittam. Et optime dictum eſt ab Apoſtolo, ſapientiam carnis inimicam eſſe Deo. Nihil eſt enim quod magis carni Deum reddat infenſum & exoſum, quàm legis coercio, qua prohibetur voluptatibus ſuis & concupiſcentiæ inſeruire. Vnde non ſolum aduerſus doctrinam celibatus, verum & aduerſus legem cõtinentiæ, multi verbis, plurimi operibus inſurgunt, qui ita ſcortis ſibi vti licere putant, quẽadmodum & cibis. Nam continere, inquiunt, quid aliud eſt, quàm naturę inferre vim, & eius motibus incitamento, quod illi inſitum eſt à Deo, aduerſari? Quod ſi illis coniugij remedium afferas, optimè, inquiunt, quaſi mecum poſſim, miles, mercator, aut alia quauis cauſa hoſpes, vxorculam circumferre. Quid? quod nec vxorem habere poſſum, quando indotata me rediget ad ſamem Saguntinam, & quæ dotem habuerit mihi inopi, & in diem viuenti non nubet. His, & id genus alijs verbis vtitur caro ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quin & legis, quæ prohibet ſolutis mulieribus vti, fructus eſſe dicunt, cæteras monſtroſas & horrendas libidines, ac Veneris monumenta neſandæ. Vnde & omnes mœchi, & ſcortatores mirè ſibi placent, & de pudicitia blandiuntur, cũ vident aut audiunt quoſdam in id genus ſceleribus deprehenſos. Quid eſt hoc aliud, quàm huiuſmodi flagitia continentiæ legibus imputare? Quid dicam de his, qui grauiſſima quapiam contumelia ſunt affecti? Quàm procaciter aduerſantur legi, quæ præcipit nobis remittere fratribus de cordibus noſtris, quàm audacter huic opponunt & præferunt illam viri boni deſcriptionem ex Cicerone: Vir bonus eſt, qui multis prodeſt, nemini nocet, (niſi laceſſitus) qua, ſi pro niſi habuiſſet etiam, nihil potuit dici venuſtius, nihil elegantius, nihil verius, nihil euangelicæ philoſophiæ propinquius. Sed ad illam virtutis perfectionem carnis ſapientia non potuit attingere. Spiritus enim & non carnis eſt, percipere arcanum illud verè pietatis faſtigium, quod abſconditum eſt ſapientibus & prudentibus, & paruulis tantummodo reuelatum. Aduerſatur ergo caro legi diuinę, quæ præcipit, contumelias & damna patienter ferre, & noxam inferentibus condonare. Quin & fructus eius eſſe dicunt conuicia, probra, maledicta, interdum & verbera, quæ procacium furor contemptę modeſtiæ ſolet inferre. Verum hæc haud diuinæ legis, ſed humanæ malitiæ fructus ſunt. Ad eundem modum & illa, quæ Philippus commemorat, non ſunt cælibatus fructus, ſed humanæ libidinis, quandoquidem & in maritis ſolent inueniri frequenter. Nam vltionis ſeueritatem, quam appellat parricidia, ſuperiùs expoſuimus eſſe malum (quod veteri prouerbio dictum eſt) neceſſarium, quod inuitis, vt reor, magiſtratibus infligitur contumacibus. Cæterùm ſi huius legis aliàs veriores fructus exigas, proferam tibi Nicolaum, Martinum, Gregorium, Hieronymum, Auguſtinum, Baſilium, & alios Chriſti pontifices & ſacerdotes, qui vel ab ineunte pueritia, vel integrá ætate ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. Quibus cælibatus aſſeruit euangelicam libertatem, vt eccleſiæ Dei & promptius inſeruirent, & creditis ſibi gregibus expeditius miniſtrarent, vt omittam monachorum & virginum myriades, aduerſus quos Philippus nec vnũ quidem antiſtitem proferre poterit, qui coniugis ſimul & epiſcopi functus officio, miraculis, & doctrina, aut inſigni quadam ac rara pietate in Eccleſia enituerit. Nam ſcortatores, adulteri, aut præpoſtera libidine infames, carnis & concupiſcentiæ, vt diximus, fructus ſunt, quos velut ſpinas & tribulos Chriſtiana profeſſio, colonorum ſtupore aut negligentia inculta producit. Hos cælibatus bonis & pudicis habet admixtos, quoniam ſimilis eſt quilibet Chriſtianæ pietatis ordo ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.

Secundo loco dicit, ſibi obiectum fuiſſe illud Eſaiæ: Mundamini, qui fertis vaſa Domini: & multa alia dicit eſſe citata in hanc ſententiam: quibus omnibus reſpondet, virginitatem ſine fide non eſſe mundiciam coram Deo. Quis dubitat? Sed addit coniugium propter hoc mundum eſſe, iuxta illud: Omnia munda mundis, & externas mundicias & cæremonias legis, non aſſe huc transferendas. Quia euangelium, inquit, requirit mundiciam cordis, & ſubdit exempla, quibus concludit: Cum coniugium ſit mundum, rectè dici his, qui in cælibatu non continent, vt ducant vxores, ita vt eadem lex, Mundamini, qui fertis vaſa Domini, præcipiat, vt immundi cælibes fiant mundi coniuges. Nos aduerſus hæc omnia quid obijcimus? Nempe quod Paulus ait, cælibem eſſe ſanctum corpore & ſpiritu, quam ſanctitatẽ Apoſtolus Moſaicæ legis abrogator inuictus, vt euangelij vin-

Tit. 1.

Eſaia 52.

dex acerrimus, vniuerſis Chriſtianis, nedū
ſacerdotibus ſuadet,& parum abeſt quin prę
cipiat. Nullum igitur periculum eſt à ſuper-
ſtitione Iudaica in his quæ authore Paulo ſe-
quimur,qui interpres videtur eſſe propheti-
ci teſtimonij, quod noſtri citauerant. Nam
quod citat Philippus ex eodem: Omnia mū-
da mundis, de cibis dictum eſt, quorū dele-
ctum abrogat Chriſtiana libertas. At cur
non, inquies, locum etiam habebit in vſu cō-
iugali? Paulum interroga, cuius vtraque
ſententia eſt,quanquam ciborum mundicies
ad idololatriæ ſuſpicionem refertur, qua
prorſus caret omnis, qui fideliter, & citra
ſuperſtitionem cibis infidelium fuerit vſus,
id quod de imparis matrimonij vſu docet
Apoſtolus: Sanctificatus eſt vir infidelis per
mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mu-
lier infidelis, per virum fidelem. Itaque
par eſt in hoc ratio vtriuſque. Sed non hic
agimus de hiſce rebus, quatenus illarum
delectum aſſequitur ſuperſtitio, ſed quate-
nus vſus refertur ad continentiam, qua in
re multum intereſt inter ciborum & coniu-
gij vſus. Nam cibis vtuntur parciſsimè, qui
maximè abſtinent, non tamen poſſunt pror-
ſus non vti: vſu verò coniugali potuerunt
multi carere perpetuo. Adhæc ciborum
vſum non comitatur quædam carnis intem-
peries & petulantia, cuius naturaliter om-
nes homines pudet, qualis eſt in Veneris
actibus quantuncunque legitimis, & in ea
ſitam eſſe reor immundiciem illam, pro-
pter quam coniuges non iudicauit Apoſto-
lus, ſanctos eſſe poſſe carne & ſpiritu.

Denique non tantum corporis, verum &
ſpiritus ſanctificationi obeſſe monſtratur
huiuſmodi vſus, quando ceſſandum ab eo
cenſet Paulus ijs, quibus vacandum eſt ora-
tioni. Eandem doctrinam ſignificat Petrus
1.Pet 3. Apoſtolus : Viri ſimiliter, inquit, coha-
bitantes ſecundum ſcientiam quaſi infirmio-
ri vaſculo muliebri impertientes honorem,
tanquam & cohęredibus gratiæ vitæ; vt non
impediantur orationes veſtræ. Quamobrem
ſacerdotes, quorum munus eſt ſemper ora-
re,iure decreuit Eccleſia maritos non fieri.
Negare ergo caſtum cælibatum eſſe mundi-
tiem & ſanctificationem Chriſtianis, eſt A-
poſtolo aduerſari, dicenti: Bonum eſt ho-
mini mulierem non tangere. & rurſus: Vo-
lo autem vos omnes eſſe ſicut meipſum. &
rurſum : Dico autem non nuptis & viduis,
Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut &
ego. Et poſt multa quibus cælibatum ſua-
det : Mulier innupta & virgo cogitat, quæ
Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpi-
1.Cor.6. ritu. Et in eadem epiſtola : Omne, inquit,
peccatum quodcunque fecerit homo, extra
corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus
ſuum peccat. Quicquid habet fornicatio
corporeæ functionis, & immunditiæ, com-
mune eſt illi cum legitimo congreſſu, à quo
ſolo anima differre videtur, idcirco conta-
gio illa, qua afficit peccatum corpus pec-
cantis, eadem aut ſimilis eſt propemodum
in actu coniugij, propter quam Apoſtolus
corporis ſanctitatem negat coniugibus, quā
virginibus tribuit. Quandam ergo veram
ſanctitatem atque mundiciam euangelio di-
gnam, poſsidet caſtus cælibatus, quam
coniuges quandiu coniugio vtuntur, aſſe-
qui non poſſunt. Et hanc requirit in ſacer-
dotibus ſuis Eccleſia, quemadmodum &
Synagoga dum eius typum gereret, ſuas
myſticas mundicies & ſanctificationes exi-
gebat.

Vltimò dicit obiectum ſibi fuiſſe, quod
dogma iſtud Eccleſia damnârit in Iouinia-
no. Hoc argumentum librat Philippus in
antithetis doctus poſuiſſe figuras. Nam ex-
orditur ab ironia, mox honeſti nominis
vmbra ſibi fauorem, noſtris inuidiam con-
ciliat, tandem erumpit in apertum conui-
tium: Tertium, inquit, argumentum hor-
ribile eſt, quod hæreſis Iouiniani ſit con-
iugium ſacerdotum. Bona verba. Nouum
hoc crimen eſt coniugium eſſe hæreſim. Io-
uiniani tempore nondum norat mundus
legem de perpetuo cælibatu, impudens
igitur mendacium eſt, coniugium damna-
tum eſſe &c. Et poſt nonnulla alia ſubdit:
Quod vero ad Iouiniani cauſam attinet de
collatione virginitatis & coniugij, ſupra
diximus, quid ſentiamus. Non enim æqua-
mus coniugium & virginitatem, etſi nec
virginitas nec coniugium mereatur iuſti-
ficationem. Poſtremò iuxta Rhetorum prę-
cepta, verba commiſerationis in perora-
tione multiplicat, nobis minatur dira, prin-
cipes, qui dogmati ſuo fauent, conſola-
tur, quaſi nos non legerimus illud Iſaiæ:
Et erunt, qui beatificant populum iſtum Eſa 9.
ſeducentes, & qui beatificantur præcipi-
tati. Tædet me iam verborum, quæ in
recenſendis & confutandis Philippi ver-
bis expendantur, idcirco vt ea, quæ eſſent
per ſingula animaduertenda, in compen-
dium redigamus, tria præcipuè continet
reſponſio Philippi. Primum eſt, Iouinia-
ni tempore nondum norat mundus legem
de perpetuo cælibatu. Proximum, coniu-
gium ſacerdotum non eſt hæreſis Iouiniani.
Tertium, quod ſequitur ex præcedenti-
bus, mentitos eſſe noſtros in eo, quod
obiecerant argumentando. His tribus
dictis ordine præpoſtero reſpondendum
duxi, vt ijſdem gradibus aſcendamus,
qui-

quibus Philippus deſcendit. Quod poſtremò dicit, obiectum illi fuiſſe à noſtris impudens mendaclum, non poteſt vſquequaque refelli, quia noſtrorum obiectionem ſcire non poſſumus, niſi verbis eius, qui, ne fraudis aut vanitatis in referendo teneretur, præparat ſibi aditum euadendi, dicens, non ſibi fuiſſe factam à noſtris copiam confutationis, ne coargui poſſent vanitates & calumniæ in illa contentæ. Ego congreſſibus iſtis non interfui, Idcirco horum omnium fides ſit penes Philippum. Operæpretium tamen exiſtimo fore, ſi diſpiciamus, an illi cum Iouiniano circa cælibatum & coniugia ſaltem in communi conueniat, vt ex hoc prudens lector adnimaduertat, vtra fuerit vanior, noſtrorum obiectio, an Philippi reſponſio, quia dicit ſibi cum Iouiniani dogmate non conuenire. Iouiniani dogmata mihi ſcire non contigit, niſi ex authoribus, qui eius vel obiter meminerunt, vel confutarunt errores. Haud enim, vt credo, exſtant illius commentaria. Augustinus & alij tantum articulos hæreſum recenſent. Hieronymus verò aduerſus illum ſcripturus, aſſertionum capita diſtinguens, addit etiam argumenta, quibus ſuam hæreſim confirmabat. Hieronymi verba ſunt: Proponam breuiter aduerſarij ſententias, & de tenebroſis libris eius, quaſi de fouels ſerpentes protraham, neque ſinam venoſum caput, ſpiris maculoſi corporis protegi. Pateat quod noxium eſt, vt poſſit conteri cum patuerit. Dicit virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus, eiuſdem eſſe meriti. Nititur approbare eos, qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, à diabolo non poſſe ſubuerti. Tertium proponit, inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam eſſe diſtantiam. Quartum quod & extremum, eſſe omnium, qui ſuum baptiſma ſeruauerint, vnum in regno cælorum remunerationem. Hos quatuor errores in eo deprehendit Hieronymus, quorum probationes mox etiam his verbis producit: Audite patienter virgines, audite quæſo voluptuoſiſſimum concionatorem &c. Sunt & alij loci, quibus Hieronymus perſunctoriè attingit verba Iouiniani, cuiuſmodi eſt ille in medio ferme prioris libri: Eſto, inquit, nuptiarum & virginitatis ſit dinerſa conditio, quid ad hoc potes dicere? Si virgo & vidua fuerint baptizatæ, & ita permanſerint, quę erit inter vtranque diuerſitas? Et paulò inferius: Fruſtra, inqut, hæc loqueris: quia & Epiſcopi, & Presbyteri, & Diacom vnius vxoris viri, & habentes filios, ab Apoſtolo conſtituuntur. Pro his dictis & alijs, quæ poſſent ex aliorum libris colligi, ſufficiat nobis argumentum Eraſmi, viri matrimonio non admodum iniqui, ſed authoris, ſi quem alium habet ætas noſtra, grauiſſimi: Iouinianus, inquit in argumento, ex monacho clericus, homo obſcurus, ſed diues, nec eruditus tamen nec eloquens, iam olim exſtinctam Baſilidis hæreſim conatus eſt reſtaurare, editis ſuper hac re commentarijs, quibus ex diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, perperam intellectis, probare nitebatur, virgines, viduas, & maritatas eiuſdem eſſe meriti, ſi cæteris vitæ operibus non diſcreparent. Deinde verè baptizatos non poſſe relabi In peccatum, quem errorem Auguſtinus aſcribit & Pelagio. Adhæc nihil intereſſe inter veſcentem cibis & abſtinentem, modo cum gratiarum actione ſumat. Poſtremò par fore omnibus præmium in regno cælorum, quicunque ſuum baptiſma ſeruauerint. Hæc cum Romæ doceret, neminem ſacerdotum, aut alicuius nominis clericum potuit in errorem trahere, tantú mulierculas quaſdam corrupit, adeo vt hoc audito quædam virgines ſacræ prouectæ iam ætatis nupſerint viris. Porrò quod ipſe non duceret vxorem, id negabat ſe facere, quod hinc præmium aliquod ſperaret, ſed ne moleſtijs matrimoniorum irretiretur, hoc eſt, non vt melior eſſet, ſed liberior. Hactenus Iouiniani dogma circa matrimonium, & cælibatum, authoribus Hieronymo, Auguſtino, Eraſmo, perſpicuum fecimus: nunc quid hiſce de rebus Philippus ſentiat, nequit, niſi eiuſdem verbis intelligi. Quæ vtinam ita poſſent interpretari vt nullam damnati erroris ſuſpicionem ſimplicibus inſerrent. Alioqui quid proderit, ſi nos quãtumuis quoquo modo, coacta tamen interpretatione, velimus excuſare Philippum, & alius, imò & alij omnes nolint credere, in ſcribendo ſenſiſſe, niſi quod verba ipſa præ ſe ferunt? Quibus ſi multum authoritatis detulerint, vt Germani deferunt, erit illis occaſio incidendi in hæreſim ab Eccleſia damnatam, ſi nihil aut parum, iudicandi illum incidiſſe, & peribit in conſcientia eius frater, pro quo Chriſtus paſſus eſt. Sed fotaſſis hæc nobis ſine cauſa dicuntur, idcirco quædam eius dicta, Iouiniani dictis annectamus, vt ex vtrorumque collatione lector pronunciare de conuenientia aut differentia facilè poſſit.

Iouiniani dogmat.

1.Tim.3.

Quinto loco ſuarum probationum: Cælibatum, inquit, ideo prædicant aduerſarij, ſe requirere quod ſit mundicies: quaſi coniugium ſit immundicies & peccatum, aut quaſi cælibatus mereatur remiſſionem peccatorum, & reconciliationem, coniugium vero non mereatur remiſſionem peccatorum &c. Et huc allegant cæremonias legis Moſaicæ quod cum in lege, tẽpore miniſterij ſacerdotes ſeparati fuerint ab vxoribus, in nouo teſtamento

mento ſacerdos cum ſemper orare debeat, ſemper debet continere. Hæc inepta ſimilitudo allegatur tanquam demonſtratio, quæ cogat ſacerdotes ad perpetuum cælibatum, cum quidem in ipſa ſimilitudine coniugium concedatur, tantum miniſterij tempore couſuetudo interdicitur. Et aliud eſt orare, aliud miniſtrare. Orabant ſancti tum quoq;, cum nõ exercebant publicum miniſterium, uec conſuetudo cum coniuge prohibebat, ne orarent. Sed reſpondebimus ordine ad hæc figmenta: Primum hoc fateri neceſſe eſt Aduerſarios, quod coniugium ſit mundum in credentibus, quia eſt ſanctificatum verbo Dei, hoc eſt, res licita & approbata verbo Dei, ſicut copioſe teſtatur ſcriptura. Chriſtus enim vocat coniugiũ rem diuinam, cum 1.Tim.4. ait: Quos Deus coniunxit. Et Paulus de coniugio, de cibis, & ſimilibus rebus inquit: Sanctificantur per verbũ & orationem, hoc eſt, per verbum, quo conſcientia ſit certa, quod Deus approbet: & per orationem, hoc eſt, per fidem, quæ cum gratiarum actione tanquam dono Dei vtitur. Item: Sanctificatur vir infidelis per vxorem fidelem &c. id eſt, vſus coniugalis licitus & ſanctus eſt propter fidem in Chriſtum, ſicut licitum eſt vti cibo &c. Item: Saluatur mulier per filiorum ge- 1.Tim.2. nerationem, &c. Et paulò inferius. Si mundicies propriè opponitur concupiſcentiæ, ſignificat mundiciem cordis, hoc eſt, mortificatam concupiſcentiam: quia lex non prohibet coniugium, ſed concupiſcentiam, adulterium, ſcortationem. Quare cælibatus uon eſt mundicies, poteſt enim maior eſſe mundicies cordis in coniuge, velut in Abraham, in Iacob, quàm in pleriſque etiam verè continentibus. Poſtremò ſi ita intelligunt cælibatum mundiciem eſſe, quod mereatur iuſtificationem magis quàm coniugium, maximè reclamamus. Iuſtificamur enim ueque propter virginitatem, neque propter coniugium, ſed gratis propter Chriſtum, cum credimus nos propter eum habere Deum propitium. Hic exclamabunt fortaſſis, Iouiniani more æquari coniugium virginitati, ſed propter hæc conuitia non abijciemus veritatem de iuſtitia fidei, quam ſupra expoſuimus. Neque tamen æquamus coniugio virginitatem. Sicut enim donum dono præſtat, prophetia præſtat eloquentiæ, ſcientia rei militaris præſtat agriculturæ, eloquentia præſtat architectonicę: Ita virginitas donum eſt præſtantius coniugio. Et tamen ſicut orator non eſt magis iuſtus coram Deo propter eloquentiam, quàm architectus propter architectonicam: ita virgo non meretur magis iuſtificationem virginitate, quàm coniunx coniugalibus officijs, ſed vnuſquiſque in ſuo dono fideliter ſeruire debet, ac ſentire, quod propter Chriſtum fide conſequatur remiſſionem peccatorum, & fide iuſtus coram Deo reputetur. Nec Chriſtus aut Paulus laudant virginitatem ideò, quod iuſtificet, ſed quia ſit expeditior, & minus diſtrahitur domeſticis occupationibus in orando, docendo, ſeruiendo. Ideò Paulus ait: Virgo curat ea, quæ ſunt Domini. Laudatur igitur virginitas propter meditationem & ſtudium. Sic Chriſtus non ſimpliciter laudat hos, qui ſe caſtrant, ſed addit: Propter regnũ Matth.19. cælorum, hoc eſt, vt diſcere aut docere euangelium vacet. Non enim dicit, virginitatem mereri remiſſionem peccatorum, aut ſalutem, &c. Longiorem vereor me tranſcripſiſſe ſermonem, quam ſolertis lectoris ingenium vellet. Iungatur tamen his alius paragraphus, quo nos Encratitis cõfert, & quædam alia, quæ ſuperius adſcripſimus, ex quibus omnibus haud erit operoſum colligere, quàm diſſideat Philippus à Iouiniano. Aequat Iouinianus matrimonium cælibatui, dicens eiuſdem eſſe meriti. Aequat Philippus, dicens nullius eſſe meriti. Habes tamen hic diſcrimen, quo poſſis alterum excuſare ab alterius hæreſi, ſed cogita vtrum illi, qui damnarunt Iouinianum, quòd negaret virginitatem aut cęlibatum maioris eſſe meriti, quàm coniugium; probaſſent Philippum, qui aſſeuerat virginitati nullum ineſſe meritum. Iouinianus probat cælibatum, vt vitæ genus, quam ſibi ſumpſit, & diuerſam eſſe conditionem fatetur cælibis & coniugis, ita tamen vt iſta diuerſitas non faciat cælibem meliorem, ſed liberiorem. Philippus putat ſe ab eius hæreſi euaſiſſe, quod dixerit varia eſſe dona cælibatus & coniugij. At qualia dona? Sicut prophetia præſtat eloquentiæ, ſcientia rei militaris præſtat agriculturæ, eloquentia præſtat architectonicæ. Et tamen ſicut orator non eſt magis iuſtus coram Deo propter eloquentiam quàm architectus, ita virgo, &c. Agnoſcis verba Philippi, nec enim quicquã affingo. Agnoſce ergo & alia apertiora, vt nec ij, quib⁹ opus eſt pinguiore Minerua, poſſint ignorare conuenientiam. Nec Chriſtus, inquit, aut Paulus laudant virginitatem ideò quod iuſtificet, ſed quia ſit expeditior. Non hic quęrebatur, an virginitas ſola iuſtificaret, quod nemo vnquã credidit, ſed vtrũ in Chriſtiano maioris ſit meriti, quàm coniugiũ. Reſpondebit, vt ſupra, nullius eſſe meriti, vt ſemper ſit aliqud, quo diſſideat, à Iouiniano. At quomodo differt? Non quidẽ errores eius corrigendo vel minuendo, ſed augendo: nam & hic aliunde poterat ſumi differentia, ab eo videlicet, quod pœnitentia ductus, quod tam modeſte loquutus fuerat de cælibatu, poſtea præfert illi coniugium, cum dicit: nos non habere talem locum pro

hypo-

hypocryſi cælibatus, qualem pro coniugio
ipſe producit. Citat Iouinianus aduerſus Ec-
cleſiam exordium Geneſeos, & ex vtroque
teſtamento colligit matrimonij laudes, do-
nec perueniat ad Paulum, ex quo obijcit lo-
cum prioris epiſtolæ ad Timoth. quaſi Eccle-
ſia prohiberet nubere. Eiſdem teſtimonijs
vtitur Philippus, eadem obijcit, eadem colli-
git aduerſus Catholicos: Iouinianus tamen
haud ægrè fert, ſi certo modo doceantur ho-
mines cælibatum, quandoquidē ipſe cælebs
vixit. Lutherus autem, Pellicanus, Oecolam-
padius, Oſiander, Philippus ac cæteri huius
ſectę omnes, ſunt mariti: cōtempſerunt enim
cælibatum, cuius votum ferme omnes ſuſce-
perant, & ceu rem ignauam & immundam
abiecerunt. Et Philippus ſedulo aduerſandū
eſſe pronuntiat in Eccleſia ſuperſtitioſis per-
ſuaſionibus de cælibatu. Quod ſi à verbulo,
Superſtitioſis, præſidium illi petas, vt non
quaslibet, ſed ſuperſtitioſas perſuaſiones vi-
deatur damnare, vide obſecro quas appellet
ſuperſtitioſas. Prædicare cælibatum & lau-
dibus efferre tanquam Euangelicæ vitæ ge-
nus, dicere hunc, gratiſſimum eſſe ſacrificiū,
mereri remiſſionem peccatorum, mereri au-
reolas, ferre centeſimum fructum. Horum
quædam affingit, quæ nuſquam à nobis ſunt
prædicata, vt eſt illud, mereri remiſſionem
peccatorum. Cætera haud noſtra ſunt, ſed
Hieronymi, Auguſtini, & cæterorum, qui
olim damnarunt Iouinianum: apud quos
frequens eſt illa fructuū diſtributio, ab ori-
gine Eccleſiæ, per ſanctorum manus ad no-
ſtra vſque tempora deducta: item collatio
cælibatus & angelicæ vitæ, ſumpta ex Chriſti
verbis: Non nubent, neque nubentur; ſed
Matth. 22. ſunt ſicut Angeli Dei in cælis. Has perſuaſio-
nes quibus pleni ſunt ſanctorum veterum li-
bri, Phillippus appellat ſuperſtitioſas: & cū
hoc (ſi diuis placet) blanditur ſibi, quod Io-
uiniano non conſentiat. Sed eſto, noui do-
gmatis author Philippus, quandoquidem
ita vult, niſi illi cum Iouiniano conueniat.
Omittamus eius dicta cum Iouiniani doctri-
Virginitatis meritum. na conferre, conferamus tamen cum ſacris
literis. Primum omnium virginitatem nul-
lius meriti eſſe vult. At Ioannes in Apoca-
lypſi ſingulare præmium virginibus tribuit,
cuius alij beati non ſunt participes, quanta-
cunque fide alioqui & charitate polluerint.
Quamuis enim ſine fide nemo mereatur, nō
tamen ſola fides eſt quæ meretur: quod ſu-
perius eſt à nobis abundè monſtratum. Vo-
cat Eſaias eunuchos, hoc eſt, cælibes ad ſin-
gulare præmium, ſi modo cætera cuſtodie-
Eſa. 56. rint, ſine quibus impoſſibile eſt placere Deo.
Verba Prophetæ ſunt: Hæc dicit Dominus
eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea, &
elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus
meū, dabo eis in domo mea, & in muris meis
locum, & nomē melius à filijs & filiabus, no-
mine ſempiternum dabo eis quod non peri-
bit. Si hoc præmium commune eſt omnibus
iuſtis, cur eunuchi ſpecialiter vocantur ad il-
lud? Quanquam enim mox alienigenas etiā
cuſtodientes præcepta Dei vocet ad præmia,
non tamen quicquam pollicetur, quo ſe cæ-
teris prælatos intelligant. Concordat Apo-
ſtolus Paulus Prophetæ, qui pollicetur ma-
gis beatum eſſe cælibem quàm coniugatam,
ſi permanſerit in cælibatu. Magis igitur ad-
uerſatur Catholicę veritati Philippus, dicens
virginitatem nullius eſſe meriti, quam Ioui-
nianus, qui dixerat non maioris eſſe meriti,
quàm coniugium. Philippus cælibatum ex-
cludit à pietate, conferens illud & æquans cū
oratoria & architectonica, ac cæteris politi-
cis artibus. Paulus tribuit illi ſanitatem men-
tis & corporis, & placere Deo, quod ſumma
pietas eſt. Negat Philippus, virginitatem eſſe
mundiciem, aut ſanctitatem magis quàm cō-
iugium, propterea quod dixerit Paulus, ſan-
ctificari virum infidelem in coniugio, pro-
pter vxorem fidelem. At Paulus loquitur
hic de illo genere ſanctitatis & mundiciei,
quod ſecuram reddit vxorem, ne infidelis &
idololatrę viri cohabitatione ſe pollutam &
immundam exiſtimet. Quæ ſanctificatio
perquàm ſimilis eſt Leuiticis, & externis ſan-
ctificationibus. Idem tamen Apoſtolus eodē
capite aliam ſanctitatem veriorem, nempe
corporis & animi tribuit virginibus & innu-
ptis, quam coniugium, etiam cum ſumma fi-
de, quàm diu inter officia coniugalia verſa-
tur, non poteſt aſſequi. Demū tota Philippi
doctrina, ſi cum Paulo cōferas, ex diametro
diſſidet à 7. cap. prioris epiſt. ad Corinth. vt
cætera loca prætermittam. Sed fortaſſe Phi-
lippus conabitur, quò diſcrimen iſtud effu-
giat, Apoſtoli dicta ſuo more interpretari.
Vbi dixerit Apoſtolus, Melius, interpreta-
bitur expeditius: vbi, Sanctum, interpretabi-
tur aut ſimpliciter iuſtum, vt non poſſit cæli-
batus eſſe, aut licitum, & approbatum verbo
Dei, vt poſſit eſſe etiā matrimonij, vbi Chri-
ſtus regnum cælorum interpretabitur ſcri-
pturas diſcere & docere. At quid hoc tantò
labore faciet, niſi vt nō ſolum à ſacris literis,
verum ab Eccleſia Catholica ſuis interpreta-
tionibus ſe receſſiſſe declaret? Et cū hęc ita ſe
habeant, vſq; adeò nos oēs ſtupidos fore Phi-
lippus exiſtimat, vt ad cætera omnia conni-
uentes, ſolo illo verbulo moueremur. Non
æquamus coniugiū virginitati. Sed quid ego
queror? Haud noſtra hæc iniuria eſt, ô Ger-
mani, ſed veſtra (vt nunc tandē ad vos noſtra
cōuertatur oratio) ad quos cū ceu ad bonos
viros in exordio prouocaſſet, neminē veſtrū pu-
tauit futurū, cui quicq̄ eſſet emūctę naris, aut
inte-

integri ac liberi ingenij, quo poſſet hæc omnia conferre & Iouinianũ in Philippo agnoſcere. Iam quod legem perpetui cælibatus ante Iouiniani tempus nouerit mundus, vel ex ijs Apoſtolorum & Conciliorum decretis conſtat, quæ ſuperiùs commemorauimus, in quibus edita lege cauetur, ne poſſit fieri maritus, qui ſemel ſacerdotio ſe conſecrarit. Quod ſi poſt coniugem ductam, fuerit (vt quondam neceſſitate fiebat) ſacris initiatus, ab ea ſeparari præcipitur, ſi modo ſacerdos haberi voluerit, ita vt ſemper fuerit cælibatus ſacerdotio indiuiduo connexus. Id cum ipſa verba Decretorum, tum Hieronymus palam facit aduerſus Iouinianum, qui pro ſuo dogmate epiſcoporum ac cæterorum ſacerdotum matrimonia allegauerat ex Paulo, cui inter cætera hæc reſpondet Hieronymus: Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum
1.Tim.3. facit: non enim dicit, Eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: ſed, qui vnam habuerit vxorem, & filios ſubditos in diſciplina. Certè confiteris, non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in epiſcopatu filios faciat. Alioqui ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Aut permitte ſacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines quod mariti, aut ſacerdotibus non liceat vxores tangere, in eo ſancti ſint, quia imitantur pudicitiã virginalem. Et parum infrà: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vt nulli vitio mancipatus ſit, vnius vxoris virũ, qui vnam vxorem habuerit non habeat, &c. Ibidem etiam obſeruat Hieronymus, quod ſuperiùs attigimus, eo tempore Apoſtolos permiſiſſe, vt epiſcopus eſſet vnius vxoris vir: quando recenti adhuc Eccleſia non poterant inueniri tot virgines, nec cælibes quidem, quot epiſcopis & ſacerdotibus opus erat. Obſeruemus & nos in verbis Hieronymi, tanta ſeueritate fuiſſe cautum, ne epiſcopus, ne ſacerdos vxorem haberet, vt tunc, quum non poterant ordinari niſi mariti, cogerentur mox ab ordinatione dimittere coniuges: Si deprehenſus, inquit, fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Non hic ſpectemus Hieronymum, cuius verba ſunt, tametſi habet, vt par eſt, multum ponderis eius authoritas, ſed attẽdamus tempora illa, quibus hic erat mos totius Eccleſiæ, tam vetuſtus, tam receptus, vt ex eo tanquam ex re, quæ ab ipſo etiam aduerſario negari non poterat, colligat, Eccleſiam ſemper cælibatum coniugio prætuliſſe, adeoq; decreuiſſe, vt ſacerdotes aut eligerentur cælibes, aut electi fierent. Si talem locũ, imò ſi tales locos (nam Hieronymi verba non eius, ſed ſanctorum præcedentium, & conciliorũ ſententias continent) poſſet proferre Philippus, ad confirmandum ſacerdotes aliquando vxores duxiſſe, quas tragœdias nobis excitaret? quas querelas? quas minas? quos terrores nobis incuteret? quibus nos exſecrationibus deuoueret? quàm diris, quàm terribilib⁹, quàm tumidum euge ſuis caneret Principibus? Principum vices doleo. Quorum vicem, ita me Deus amet, vehementer doleo. Ecquid eſt magis dolendum, magiſque lugendum, atque tot viros genere illuſtres, maiorum cum imaginibus, tum inſigni, vt fuerant non ita pridem omnes Germani, pietate claros, ad hæc Muſarum, quod illorum plerique ſunt, alumnos & contubernales, ita faſcinatos eſſe, & velut Circeis poculis dementatos à Luthero, vt eius & cæterorum fraterculorum ac ſacrificulorum libidini ſupplices inſeruiant? Hoccine eſt decus Germanicum, & peculiaris illa animi celſitudo, qua cæteras nationes anteire dicuntur? Hæccine eſt antiquà illa Germanorum cum pietas tum grauitas, quæ ſemper à doctrina Chriſti ſuſcepta, Eccleſiam religione coluit, fidei ſimplicitate ſuſtinuit, armis prouexit? Itáne Lutherus, Pellicanus, Oecolampadius, & cæteri profeſſionis ſuæ deſertores non poterant voluptatibus indulgere, obſequi Veneri, & libidinis ſuæ frena laxare, niſi tota penè Germania cõſentiente, probante, fauente? Quæ olim, cum Eccleſia non ferebat legitimas ſacerdotum vxores cohabitare maritis, nunc aduerſus Eccleſiã pugnat, ne Monachi, & ſacrificuli quidam ſeparentur à concubinis? Hæc fierent, ſi teſticuli vena vlla paterni viueret in vòbis? Siccinè non pudet Germaniam, quæ quondam Romanorum arma, tyrannorum ſæuitiam, hæreticorũ etiam Arianorum furorem excelſa quadam animi magnitudine & ingenuitate cõtempſit, in cuius laudibus magnificis, alioqui & opulentis ſemper conſtantia ſibi primas obtinuit, nunc tam abiectè, tam effœminate, tam indecore, impudicis quibuſdam fraterculis ceſſiſſe, vt patiatur ſe ab eccleſiæ totius communione diuelli, ne illi diuellantur à ſcortis? Videtis quantus ſe campus aperiat, quæ ſe nobis offerat copia perorandi, ſi Rhetoricis ſchematibus, & Philippi coloribus vti vellem? Sed ea eſt cauſæ, quam defendendam ſuſcepimus, ratio, vt nõ tam ſplendidæ orationis ornamenta, quàm ſolida argumenta deſideret. Quæ vter noſtrum expeditius protulerit, & aptius quibuſuis etiam Germanis, modo liberi ſunt & integri, iudicare permitto, ita tamen, vt de totiùs cauſæ ſumma nemo hominum, nec angelus quidem de cælo, ſecus ac iudicatum eſt ab Eccleſia, pronuntiare præſumat.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De Miſſa.

Falsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſſam aboleant, retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reuerentia celebratur: ſeruantur & uſitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquam quod latinis cantionibus admiſcentur alicubi Germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendũ populum. 1. Nam ad hoc præcipuè opus eſt cæremoniis, ut doceant imperitos: & Paulus præcipit in Eccleſia uti lingua intellecta populo.

. Aſſueſcit populus ut unà utantur ſacramento ſi qui ſint idonei, id quoq; auget reuerentiam ac religionem publicarum cæremoniarum. Nulli enim admittuntur niſi antea explorati, 2. atq; auditi, admonentur etiam homines de dignitate, & uſu ſacramenti quantã cõſolationem afferat pauidis conſcientiis, ut diſcant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare, & petere. His cultus delectat Deum, talis uſus ſacramenti alit pietatem erga Deum. Itaq; non uidentur apud aduerſarios Miſſæ maiore religione fieri quàm apud nos.

Conſtat autem hanc publicã, & longè maximam querelam omnium bonorum uirorum diu fuiſſe, quòd Miſſæ turpiter profanarentur collatæ ad quæſtum. Neq; enim obſcurum eſt, quàm latè pateat hic abuſus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Miſſæ tantùm propter mercedem, & ſtipendiũ, quàm multi contra edictum canonũ celebrent. Paulus autem grauiter minatur his, qui indignè tractant Euchariſtiam. Cum ait: Qui ederit panem, aut biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Itaq; cum apud nos admonerentur ſacerdotes de hoc peccato, deſierunt apud nos priuatæ Miſſæ, cum ferè nulla priuata Miſſa niſi quæſtus cauſà fierent. Neque ignorauerunt hos abuſus Epiſcopi, qui ſi correxiſſent eos in tempore, minus nunc eſſet diſſenſionum. Anteà ſua diſſimulatione multa uitia paſſi ſunt in Eccleſiam ſerpere, 3. nunc verò incipiunt queri de calamitatibus Eccleſiæ, cum hic tumultus non aliunde ſumpſerit occaſionem quàm ex illis abuſibus, qui tam manifeſti erant, ut tolerari amplius non poſſent. Magnæ diſſenſiones de Miſſa, de Sacramento exſtiterunt, fortaſſis ideò ut daret pœnas orbis tam longè profanationis Miſſarum, quàm in Eccleſia tot ſeculis tolerauerunt iſti, qui emendare & poterant, & debebant. Nam in decalogo ſcriptum eſt, qui nomine Dei abutitur, non erit impunitus. Et ab initio mundi nulla res diuina ita uidetur unquam ad quæſtum collata fuiſſe, ut Miſſa.

Acceſſit opinio, quæ auxit priuatas Miſſas in infinitũ, videlicet quod Chriſtus ſua paſſione ſatisfecerit pro peccato originis, & inſtituerit Miſſam in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus, hinc manauit publica opinio, quòd Miſſa ſit opus delens peccata uiuorum & mortuorum ex opere operato, hic cœptum eſt diſputari utrum una Miſſa dicta pro pluribus, tãtundem valeret, quãtum ſingulæ pro ſingulis, hæc diſputatio peperit iſtam infinitam multitudinem Miſſarum.

De his opinionibus noſtri admonuerunt, quòd diſſentiant à ſcripturis ſanctis, & lædant gloriam paſſionis Chriſti. Nam paſſio Chriſti fuit oblatio & ſatisfactio, non ſolùm pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos ſcriptum eſt: Sãctificati ſumus per oblationem IESV Chriſti ſemel. Item una oblatione conſummauit in perpetuum ſanctificatos. Item ſcriptura docet nos coram Deo iuſtificari per fidem in Chriſtum. 4. Iã ſi Miſſa delet peccata viuorũ & mortuorum ex opere operato, contingit iuſtificatio ex opere Miſſæ non ex fide, quod ſcriptura non patitur.

Sed Chriſtus iubet facere in ſui memoriam, quare Miſſa inſtituta eſt ut fides in his, qui utuntur ſacramento recordetur, quæ beneficia accipiat per Chriſtum, & erigat, & conſoletur pauidã conſcientiam. Nã id eſt meminiſſe Chriſti, meminiſſe beneficia, ac ſentire: quod verò exhibeantur nobis, nec ſatis eſt hiſtoriam recordari, quia hãc etiam Iudæi & impii recordari poſſunt. Eſt igitur ad hoc facienda Miſſa, ut ibi porrigatur ſacramentũ his quibus opus eſt conſolatione, ſicut S. Ambroſius ait: Quia ſemper pecco, ſemper debeo accipere medicinam.

Cum autem Miſſa ſit talis communicatio ſacramenti, ſeruatur apud nos una communis Miſſa ſingulis feriis atque aliis etiam diebus ſi qui ſacramento velint uti, ubi porrigitur ſacramentum his qui petunt. Neque hic mos in Eccleſia nouus eſt: Nam ueteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Miſſæ, de communi Miſſa plurimum loquũtur,

1. Iſtud editio Vuittenbergẽſis anni 1531. in quarto, ad hunc modum variat: Nam ad hoc unum opus eſt cæremoniis, ut doceant imperitos. Et nõ modo Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in Eccleſia, ſed etiã ita cõſtitutũ eſt humano iure.

Alterũ verò Exemplar ibi dẽ eodẽ anno in octauo formatum ſic variat, hoc modo: Nã ad hæc præcipuè opus eſt cæremoniis, ut doceant imperitos & quoſdã excitent verò ad timorẽ, aut fidẽ ac orationem tractatio verbi Dei. Et nõ modo Paulus præcipit. &c.

2. Hãc particulã: Atq; audi- : et omnia Exẽplaria Vuittenbergæ impreſſa eragerunt.

3. Exemplaria Vuittenbergæ impreſſa, legũt: Nũc verò incipiũt quæri. &c.

4. Exẽplar Vuittẽbergẽſe, ãni 1531. adiicit hãc particulã: Cũ credimus nobis remitti peccata propter Chriſtũ. Iam ſi Miſſa. &c.

Chryſoſtomus ait: Sacerdotem quotidiè ſtare ad altare, & alios ad communionem accerſere, alios arcere, & ex canonibus veteribus apparet vnum aliquem celebraſſe Miſſam, à quo reliqui presbyteri, & diaconi ſumpſerunt corpus Domini. Sic enim ſonant verba canonis Nicenι: Accipiant diaconi ſecundum ordinem poſt presbyteros ab Epiſcopo, vel à presbytero ſacram communionem. Et Paulus de communione iubet vt alij alios exſpectent, vt fiat communis participatio.

Poſtquam igitur Miſſa habet apud nos exemplũ Eccleſiæ ex ſcriptura & Patribus, confidimus eam improbari non poſſe, maximè cum publicæ cæremoniæ magna ex parte ſimiles vſitatis ſeruentur, tantùm numerus Miſſarum eſt diſſimilis, quẽ propter maximos & manifeſtos abuſus certè moderari prodeſſet. Nam olim etiam in Eccleſiis frequentiſſimis non fiebat quotidiè Miſſa, vt teſtatur hiſtoria tripartita lib. ix. cap. xxxviij. Rurſus autem in Alexandria quarta & ſexta feria ſcripturæ legũtur, eaſq́; doctores interpretantur, & omnia fiunt præter ſolemnem oblationis morem.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ, Articulus De Miſſa.

FAlsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſſam aboleant, retinetur enim apud nos, & ſumma reuerentia celebratur: ſeruantur & vſitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquã quòd latinis cantionibus admiſcentur alicubi germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendum populum. Ideò enim opus eſt cæremonijs vt doceant imperitos, & tractatio verbi Dei excitet aliquos ad verum timorem, & fidem & inuocationem. Et non ſolum Paulus præcepit vti lingua intellecta populo, ſed etiam ita conſtitutum eſt humano iure. Adſueſit populus vt vnà vtantur ſacramento, ſi qui ſunt idonei. Id quoq; auget reuerentiam, & religionem publicarum cæremoniarum. Nulli enim admittuntur, niſi priùs explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & vſu ſacramenti, quantam conſolationem proponat his, qui agunt pœnitentiam, vt diſcant homines & timere Deum, & credere, & exerceant inuocationem, petant, & exſpectent bona a Deo. Hi ſunt veri cultus Chriſtianorum. Hos cultus timorem, fidem, inuocationem, ſpem, &c. probat Deus. Itaque cum hi cultus exerceantur in vſu cæremoniarum, placet Deo ſacramenti vſus. Cum igitur & ad cæremoniam aſſueſiat populus, & de vſu admoneatur, fiunt Miſſæ apud nos ritè & piè. Et geruntur omnia in Eccleſia maiore cum grauitate & reuerentia, quàm olim.

Conſtat autem multis ſeculis publicam fuiſſe querelam bonorum virorum de Miſſarũ abuſu, ac profanatione. Non enim obſcurum eſt, quàm latè pateat hic abuſus in omnibus templis, æqualibus celebrentur Miſſæ contra Canonum interdictum. Deinde quàm turpiter ad ſacrilegum quæſtum conferantur. Plurimi enim celebrant Miſſas & ſine pœnitentia, & tãtùm ventris cauſa. Hæc notiora ſunt, quàm vt diſſimulari poſſint. Nec videtur vnquam vlla res diuina ab initio mundi, adeò vulgò ad quæſtum collata eſſe, ſicut Miſſa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant ſacramentum, cum ait: Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit ſanguinis Domini. Et in Decalogo ſcriptum eſt, qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. Vt igitur ſæpè aliàs mundus dedit pœnas pro idololatria, ita haud dubiè hæc ingens profanatio Miſſarũ atrociſſimis pœnis punietur. Et fortaſſis propter eam cauſam præcipuè plectitur Eccleſia his poſtremis temporibus, cæcitate, diſcordiis, bellis, & alijs multis peſtibus. Atque hos manifeſtos abuſus Epiſcopi hactenus, cum quidem non ignorarent eos, non ſolùm tolerauerunt, ſed ſuauiter etiam riſerũt. Nunc ſerò incipiunt queri de calamitatibus Eccleſiæ, cum alia nulla res præbuerit occaſionẽ tumultibus horum temporum, niſi abuſus ipſi, qui ita erant iam manifeſti, vt tolerari à moderatis hominibus diutius nõ poſſent. Vtinam Epiſcopi pro ſuo officio antè hæc tempora coercuiſſent auaritiam atq; impudentiam ſeu monachorum, ſeu aliorum, qui mutato veteris Eccleſiæ more, Miſſas ad quæſtum contulerunt.

Sed abuſus illi, ex quo fonte orti ſint, dicemus. Opinio ſparſa eſt in Eccleſiam, quod cœna Domini ſit opus, quod celebratum à ſacerdote mereatur remiſſionem peccatorum culpæ & pœnæ facienti, & alijs, idq́; ex opere operato, ſine bono motu vtentis. Item quòd applicatum pro mortuis ſit ſatisfactorium, hoc eſt, mereatur eis remiſſionem pœnarum Purgatorij. Sic interpretantur ſacrificium, cum Miſſam vocant ſacrificium, opus videlicet, quod applicatũ

pro-

pro alijs, meretureis remiſſionem culpæ & pœnarum, idq́, ex opere operato ſine bono motu vtentis. Sic interpretantur oblationē à ſacerdote fieri in Miſſa pro viuis, & mortuis. Hac perſuaſione recepta, iam homines docuerūt quærere remiſſionem peccatorum, & omnis generis bona: Item liberare à pœnis mortuos beneficio Miſſæ. Nec referebat, à qualibus fierent Miſſæ, quia docebant eas prodeſſe alijs, ſine bono motu vtentis. Deinde quærebatur, vtrum vna Miſſa dicta pro pluribus, tantundem proſit, quantum ſingulæ pro ſingulis. Hæc diſputatio & numerum Miſſarum, & quæſtum in infinitum auxit. Sed nos iam nō de quæſtu diſputamus, impietatem accuſamus. Docent enim noſtri, hanc opinionem de merito & applicatione Miſſæ falſam & impiam eſſe. Hic eſt huius controuerſiæ ſtatus, ac facile eſt pijs iudicium de hac cauſa, ſi quis expendat argumenta quæ ſequuntur.

Primum. Suprà oſtendimus, conſequi homines remiſſionem peccatorum gratis fide, id eſt, fiducia miſericordiæ propter Chriſtum. Ergo impoſſibile eſt cōſequi remiſſionem peccatorum propter alienum opus, & quidē ſine bono motu, id eſt, fide propria. Hæc ratio ſatis clarè refutat illam prodigioſam & impiam opinionem de merito & applicatione Miſſæ.

Secundum. Paſſio Chriſti fuit oblatio & ſatisfactio non ſolum pro culpa originis, ſed etiā pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos ſcriptum eſt: Sanctificati ſumus per oblationē Ieſu Chriſti ſemel. Item: Vna oblatione conſummauit in perpetuum eos, qui ſanctificantur. Deniq; bona pars epiſtolæ ad Hebræos, conſumitur in hac ſententia confirmanda, quod ſolum Chriſti ſacrificium meruerit alijs remiſſionem peccatorum ſeu reconciliationem. Inquit: Ideò quotannis repetita eſſe Leuitica ſacrificia, quia non aboleuerint peccata, ſed Chriſti ſacrificio ſemel ſatisfactū eſſe pro omnium peccatis. Hic honos ſacrificij Chriſti non debet trāſferri in opus ſacerdotis. Disertè enim dicit, Vna oblatione ſanctos conſummatos eſſe. Ad hæc impium eſt, fiduciam, quæ niti debet ipſa pontificis Chriſti oblatione & interceſſione, transferre in opus ſacerdotis.

Tertium, In inſtitutione cœnæ Domini non mandat Chriſtus, vt offerant ſacerdotes pro alijs viuis ac mortuis. Qua igitur authoritate hic cultus tanquam oblatio pro peccatis ſine mandato Dei in Eccleſia inſtitutus eſt?

Multo abſurdius eſt, quod Miſſa cōfertur ad liberādas animas mortuorū, nā Miſſa inſtituta eſt ad recordationē, hoc eſt, vt vtentes cœna Domini recordatione beneficij Chriſti erigant & cōfirment fidem, & conſolentur cōſcientias perterrefactas. Nec Miſſa ſatisfactio eſt pro pœna, ſed inſtituta eſt propter remiſſionē culpæ, videlicet non vt ſit ſatisfactio pro culpa, ſed vt ſit ſacramentū, quo vtentes admoneātur beneficij Chriſti, & remiſſionis culpæ. Cū igitur illa applicatio cœnæ Domini ad mortuos liberādos ſine ſcripturæ authoritate, imò cōtra ſcripturam, recepta ſit, damnanda eſt, tanquam nouus & impius cultus.

Quartum. Cæremonia ſine fide in nouo Teſtamento nihil meretur nec facienti, nec alijs. Eſt enim opus mortuum, iuxta illud Chriſti: Veri adoratores adorabūt patrem in ſpiritu & veritate. Idem probat totum cap. 2. ad Hebræos: Fide potiorem hoſtiā obtulit Abel. Itē, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: Ergo Miſſæ non meretur remiſſionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perſpicuè refutat meritum, quod vocant ex opere operato.

Quintum. Fide propria fit applicatio beneficij Chriſti, ſicut teſtatur Paulus Rom 3. Quē propoſuit Deus propitiatorē per fidē, per ſanguinē eius, & hæc applicatio fit gratis: Ergo nō fit applicatio alieno opere, neq; propter alienū opus. Nā cum ſacramētis vtimur, noſtro opere, ac noſtra fide fit applicatio, nō alieno opere. Etenim ſi nō contingeret nobis remiſſio, niſi applicatis Miſſis, fieret incerta, & fiducia eſſet trāsferenda à Chriſto in opus ſacerdotis, idq́, vt conſtat, accidit. Porro fiducia collata in opus hominis, damnata eſt.

Hæc argumenta & pleraq; alia teſtantur, neceſſariò reprehenſam eſſe opinionē de merito & applicatione Miſſæ pro viuis & mortuis. Iam ſi conſiderabitur quàm latè vagatus ſit hic error in Eccleſia, quomodo hac perſuaſione creuerit Miſſarū numerus, quomodo viuis & in mortuis hoc ſacrificio promiſſa ſit remiſſio culpæ & pœnæ, apparebit Eccleſiam propter hanc profanationē horrēdis peccatis deformatā eſſe. Nunquàm grauior cauſa, optime Imperator, in Eccleſia incidit, aut dignior, de qua boni & docti viri diligenter deliberent. Omnes pij ardentiſſimis votis à Deo petere debet, vt his peccatis Eccleſia liberetur. Reges omnes & Epiſcopi omni ſtudio anniti debent, vt hac tota cauſa ritè explicata, repurgetur Eccleſia.

Sextū. Inſtitutio ſacramēti pugnat cum illo abuſu: nihil enim de oblatione pro peccatis viuorū & mortuorū præcipitur, ſed præcipitur vt ſumātur corpus & ſanguis Domini. Et vt

id fiat ad recordationem beneficij Chriſti. Recordatio autem ſignificat non aliquam tantum hiſtoriæ repræſentationem velut in ſpectaculo, ſicut ſomniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato, ſed ſignificat fide recordari promiſſionem, & beneficium, conſolari conſcientiam, & gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim cauſa inſtitutionis eſt, vt fides ibi excitetur, & exerceatur cum hoc pignus gratiæ accipimus. Præterea inſtitutio ordinat, vt fiat communicatio, hoc eſt, vt miniſtri Eccleſiæ porrigant etiam alijs corpus & ſanguinem Domini. Et hunc morem ſeruatum eſſe in principio Eccleſiæ, teſtatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, vt alij alios exſpectent, vt fiat communis participatio.

Patefactis igitur abuſib. priuatæ Miſſæ, quia & pleraq; oẽs fiebant propter illam applicationem pro peccatis aliorū, & non conueniunt cū inſtitutione Chriſti, deſierunt in noſtris Eccleſiis. Eſt autem inſtituta vna communis Miſſa, iuxta Chriſti ordinationem, in qua Paſtores Eccleſiarum conſecrant, ſumunt, & porrigunt alijs ſacramẽtum corporis & ſanguinis Chriſti. Et fit talis Miſſa ſingulis ferijs, atque alijs etiam diebus, ſi qui velint vti ſacramento. Nec admittantur ad communionem, niſi antea explorati. Adduntur & conciones piæ, ſicut Chriſtus præcepit, vt habeantur conciones, cū hæc ceremonia tractatur. Et in his concionibus cum de cæteris articulis, & præceptis Euangelij diligenter docentur homines, tū etiam admonentur, ad quem vſum inſtitutum ſit ſacramentum, videlicet non quod ex opere operato mereatur eis remiſſionem peccatorum hæc ceremonia: Sed quòd ſacramentum ſit teſtimonium, ſit pignus, quo Chriſtus teſtetur ſe nobis præſtare promiſſa, & quod promiſſiones ad nos pertineant, quod Chriſtus exhibeat nobis corpus ſuum, vt teſtetur ſe in nobis efficacẽ eſſe tanquam in membris ſuis: exhibeat ſanguinem, vt teſtetur nos ablui ſanguine ſuo. Prodeſt igitur ſacramentum his, qui agunt pœnitentiam, & ibi quærunt conſolationem, & confirmati hoc teſtimonio credunt verè ſibi præſtari remiſſionem peccatorum, & agunt gratias Chriſto pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficij Chriſti, non propter alienum opus, ſed propria cuiuſque fide, & proprio vſu ſacramenti. Nam cùm ipſi vtimur, teſtatur ipſa Chriſti ordinatio, quod ad nos pertineat beneficium Euangelij. Talis vſus ſacramenti pius eſt, & docendus in Eccleſiis, qui & illuſtrat doctrinam de fide, & de ſpiritualibus exercitijs, & veris cultibus, & adfert pijs conſcientijs ingentem conſolationem, & erigit fidem. Ante hæc tẽpora de vſu ſacramenti longe aliter docebantur Eccleſiæ. Nihil proponebatur, niſi quod hoc opus faciendum eſſet. De fide, de conſolatione conſcientiarum, nemo quicquam monebat, & vexabantur conſcientiæ immodica diligentia confeſſionis. Hanc putabant puritatem eſſe, quam requirit Euangelium, cum Euangelium requirat verum timorem, & veram fiduciam, & vſu huius ſacramenti nos conſolatur, vt hi, qui pœnitentiam agunt, credant certò ſe habere Deum propitium propter Chriſtum, etiamſi natura infirma & immūda eſt, etiam ſi hæc noſtra inchoata obediẽtia procul abeſt à perfectione legis. Ex his omnibus ſatis liquet, Miſſam apud nos conuenire cum inſtitutione Chriſti, & ritu primæ Eccleſiæ. Ad hæc illuſtrat maximè verum vſum ſacramenti. Huiuſmodi communis Miſſa fuit in Eccleſia, vt teſtatur Chryſoſtomus, qui ait ſacerdotem ad altare ſtare, & alios ad communionem accerſere, alios verò arcere. Et ex Nicena Synodi decretis apparet, vnum aliquem celebraſſe Liturgiam, vt Græci vocant, qui cæteris omnibus porrexit corpus & ſanguinem Domini. Hæc enim ſunt verba decreti: Accipiant Diaconi ſecundum ordinem poſt Presbyteros ab Epiſcopo, vel à presbytero ſacram communionẽ. Hic disertè ipſos presbyteros ait accipere ſacramẽtum ab vno quodam porrigente. Nec priuatæ Miſſæ vlla fit mentio, ante Gregorij tempora. Sed quotiès veteres de Miſſa loquuntur, apparet eos de vna quadam communi Miſſa loqui. Cum igitur Miſſæ ritus habeat apud nos authoritatem ſcripturæ, & exemplum veteris Eccleſiæ, & tantùm intollerabiles quidam abuſus abiecti ſint, ſperamus non poſſe improbari noſtrarum Eccleſiarum morem. Cæteri ritus adiaphori magna ex parte vſitato more ſeruantur. Sed numerus Miſſarum diſſimilis eſt. Nec olim in Eccleſiis frequentiſſimis fiebat quotidiè Miſſa, vt teſtatur Hiſtoria tripartita lib. 9. cap. 38. Rurſus autem in Alexandria quarta & ſexta feria ſcripturæ leguntur, easq; doctores interpretãtur, & omnia fiunt præter ſolemnem oblationis morem.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum Reſponſio ad Articulum de Miſſa.

QVicquid in hoc Articulo ponitur de ſacratiſſimo Miſſæ officio, quod ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ conuenit Eccleſiæ, approbatur: Quicquid autẽ adijci-

adijcitur, quod cõmunis & vniuerſalis Eccleſiæ orthodoxę obſeruationi contrarium eſt, reijcitur, quia Deum grauiter offendit, Chriſtianã vnitatem lædit, ac diſſenſiones, tumult⁹, ac ſeditiones in ſacro Rom. Imp. ſuſcitat. Nã, ad ea quæ in Articulo propõũt, primò diſplicet quod contra totius Rom. Eccleſiæ conſuetudinem generales ritus eccleſiaſticos, nõ Romana, ſed Alemanica peragunt lingua, & hoc prætendunt S. Pauli authoritate ſe facere, qui præceperit in Eccleſia, lingua populo intellecta vtendum. 1. Corinth. 14. Sed ſi ea eſſet verborũ S. Pauli intelligentia, iam cogeret nos totã Miſſam in Alemanico perficere, quod tamen ipſi nõ faciunt. At cum ſacerdos ſit perſona cõmunis totius Eccleſiæ, nõ ſolum circunſtãtium, ideò non mirum, quod ſacerdos latinè, in latina celebrat Eccleſia. Proficit aũt auditori, ſi in fide Eccleſiæ audit Miſſam, & experientia docet maiorẽ fuiſſe apud Germanos Chriſti fidelium latinã linguam nõ intelligentium ſub Miſſa deuotionẽ, quàm ſit hodiè eorũ, qui in teutonico Miſſam audiunt. Et ſi Apoſtoli verba penſentur, ſufficit aliquem reſpondentem ſupplere locum idiotæ, qui dicat, Amen, id quod Canones etiam pręſcribunt. Neque neceſſarium eſt, vt omnia verba Miſſe audiat, vel intelligat, vel etiam intelligens ſemper attendat: præſtat enim intelligere, & attendere finẽ: Quia miſſa celebratur, vt offeratur Euchariſtia in memoriam paſſionis Chriſti. Et ad hoc facit, quod cõmuni ſententia Patrum, Apoſtoli, & eorum ſucceſſores vſque ad tẽpora Adriani Imperatoris in ſola lingua Hæbrea Miſſam celebrarunt, quæ profectò ignota erat Chriſtianis, præſertim gentibus conuerſis. Quod ſi etiam lingua populo intellecta in primitiua Eccleſia Miſſa fuiſſet habita, modo tamen illud non eſt neceſſarium: Nam quotidiè multi conuertebantur cæremoniarum ignari, & myſteriorum inſcij. Vnde profuit aliquando intelligere verba officij. At modo Catholici ab incunabulis imbibunt conſuetudines, moreſque Eccleſię, vnde facilè norunt, quid quolibet tempore in Eccleſia agendum ſit.

Quod aũt cõqueruntur de abuſibus Miſſarum, nemo eſt eorum, qui rectè ſentiunt, qui abuſus ſublatos eſſe non percupiant: verùm quod altari ſeruientes de altari viuant, non eſt abuſus, ſed hoc iuris eſt diuini pariter & humani. Quis enim vnquam proprijs militat ſtipendijs? ait Paulus: Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altario participant. 1. Cor. 9. Et Chriſtus ait: Dignus eſt operarius mercede ſua. Luc. 10. Sed ſuper omnia reprehẽſione dignũ eſt, quod Miſſę priuatæ in quibuſdã locis deſierũt, quaſi illæ fixos habẽtes redditus & certos, minus quæſtum quærãt, quàm illæ priuatæ. At hac abrogatione Miſſarum cultus Dei minuitur, Sanctis ſubtrahitur honor, vltima voluntas defunctorum corruit & irrita fit, debitis defuncti ſpoliantur ſuffragijs, & viuorum deuotio aufertur & frigeſcit, quare Miſſarum priuatarũ abrogatio admitti ac tolerari nõ poteſt. Neque ſatis intelligi poteſt, quod aſſumitur, Chriſtum ſatisfeciſſe ſua paſſione pro peccato originali, & inſtituerit miſſam pro actuali peccato. Nam hoc nunqam auditum eſt à Catholicis. Iamq́ue rogati plerique, conſtantiſſimè negant ab ijs ſic doceri: nõ enim Miſſa delet peccata, quæ per pœnitentiam velut peculiarem medicinam ſanantur: ſed delet pœnã pro peccato debitã, ſatisfactiones ſupplet, & gratiæ cõfert augmentum, ac ſalutarẽ viuorum protectionẽ. Poſtremo, quibuſcunque negligentijs & neceſſitatibus noſtris, ſpem adfert conſolationis & adiutorij diuini. Deut. 18.

Quod autẽ inſinuant, in Miſſa Chriſtũ non offerri, velut ab antiquo dãnatum, & à fidelibus excluſum, omnino reijciendum eſt. Hæc .n. antiqua hæreſis fuit Arianorum ait Auguſtinus, qui negarunt in Miſſa oblationẽ fieri pro viuis & mortuis. Hoc enim ſacris literis, & toti Catholicæ Eccleſiæ refragatur. Nam prædixit Dominus per Malach. iam Iudæorum abiectionem, vocationem gentium: & Euangelicæ legis ſacrificium reſpiciens; Non eſt, inquit, voluntas in vobis, nec munus accipiam de manu veſtra. A ſolis enim ortu vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Malach. 1. Nulla autem eſt oblatio munda in omni loco iã Deo oblata, quàm Euchariſtię, mundiſſimo in altaris ſacrificio. Hac authoritate S. Augusti-

guſtinus, & alij Catholici vſi ſunt pronuntiata contra perditos Iudæos, quæ certè plus debet valere apud Catholicos Principes, quàm omnes Aduerſariorum obiectiones.

Præterea idem propheta cum loquitur de aduentu Meſſiæ ait: Et purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & argentũ, & erunt Domino offerẽtes ſacrificium iuſtitię, & placebit Domino ſacrificium Iudæ & Ieruſalem, ſicut dies ſeculi & anni antiqui. Malachiæ tertio. Hæc in ſpiritu præuidit propheta, filios Leui, hoc eſt, Euangelicos ſacerdotes, dicit Hieronymus, oblaturos ſacrificia nõ in ſanguine hircorum, ſed in iuſtitia, ſicut dies ſeculi. Vnde eo ſpiritu, quo illa verba à propheta fuerunt ſcripta: eodem ſunt in Canone Miſſæ ab Eccleſia repetita. Danieli quoque dixit Angelus: Eligentur & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agent omnes impij, neque intelligẽt omnes impij. Porrò intelligent docti, & à tempore cũ oblata fuerit abominatio in deſolationem dies mille ducenti nonaginta. Daniel. 12. Hanc prophetiam eſſe implendam, nondum tamen impletam, teſtatur Chriſtus Matth. 24. Iuge ergo ſacrificium Chriſtianorũ in aduentu abominatio, id eſt, Antichriſti. Ceſſabit vniuerſaliter, ſicut iam in aliquibus Eccleſijs ceſſat particulariter, & ſic ſedebit in loco deſolationis, quando omnes Eccleſiæ erunt deſolatæ, in quibus non cantabuntur horæ canonicæ, Miſſæ non celebrabuntur, nulla diſpenſabuntur ſacramenta, nulla erunt altaria, nullæ Sanctorum imagines, nullæ candelæ, nullus ornatus. Hortari proinde oportet omnes principes & fideles Roman. Imper. ſubiectos, ne vnquam aliquid admittant aut omittant, quo viam tantæ impietati Antichriſti præparẽt. Quãdo mulier, hoc eſt, Eccleſia Catholica, velut S. Ioannes in ſpiritu vidit, fugiet in ſolitudinem, vbi habebit locũ paratum à Deo, vt eam paſcat diebus mille, ducentis, ſexaginta. Apoc. 12.

Poſtremo S. Paulus inquit, ad Hebræos 5. Omnis Põtifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Cũ aũt pontifex externus nõ ceſſauerit in noua lege, ſed mutatus ſit in meliorẽ, ergo & hodie Pontifex totum ſacerdotium offert in Eccleſia ſacrificium externum, quod non eſt niſi vnum, Euchariſtiæ ſcilicet. Huic ſoli ſeruire & accommodari poteſt, quod in actis Apoſtolorum legitur cap. 10. iuxta nouam translationẽ: Barnabas, Simon, Lucas, Cyrenæus, Manaches & Paulus ſacrificauerunt, hoc eſt, obtulerunt, quod nõ de oblatione idolis facta, verùm de Miſſa, cum Græcis Liturgia vocetur, poteſt & debet meritò intelligi.

Et Miſſam fuiſſe ſacrificium in primitiua Eccleſia abunde teſtãtur, & huic ſententiæ ſuffragantur ſancti Patres. Ignatius enim S. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, inquit: Non licet ſine Epiſcopo, neque ſacrificium immolare, neque Miſſam celebrare. Et Irenæus diſcipulus Polycarpi diſcipuli S. Ioannis Euangeliſtæ teſtatur, Chriſtum noui teſtamenti nouam docuiſſe oblationem, quã Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo. Hic Antiſtes vicinus Apoſtolorum tẽporibus, nouum teſtatur ſacrificium Euangelicum per vniuerſum orbem oblatum. Idem Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Baſilius, Hilarius, &c. docent, & teſtantur, quorum verba breuitatis gratia omittũtur. Quia igitur ſemper Catholica Eccleſia ab Apoſtolorũ tempore per vniuerſum orbem Chriſtianum ſic docuit, tenuit, & obſeruauit, ſic hodie tenet, & obſeruat, ideo hoc idem irrefragabiliter vbique teneri, & obſeruari debet.

Neque obſtat S. Paulus ad Hebræos oblationi Miſſæ, quòd vna oblatione & ſemel iuſtificati ſumus per Chriſtum. Loquitur enim D. Paulus de oblatione victimæ, hoc eſt, cruenti ſacrificij agni occiſi in ara ſanctę crucis, quæ quidem oblatio ſemel facta eſt, à qua omnia ſacramenta & etiam ſacrificium Miſſæ ſuam habent efficaciam. Tantum ergo ſemel oblatus eſt in cruce effuſo ſanguine: hodie offertur in Miſſa, vt hoſtia pacifica & ſacramentalis. Tunc offerebatur paſſibilis in forma viſibili: hodie offertur in Miſſa velatus myſterijs impaſſibiliter, ſicuti in veteri teſtamento immolabatur typicè & figuraliter.

Denique Miſſam ſacrificium eſſe, vis vocabuli oſtendit. Quoniam Miſſa nihil aliud

aliud eſt, quàm oblatio ad altare, ab Hebræo vocabulo misbeach. Græco vero θυσιαστήριον propter oblationis nomē. In ſuperioribus verò ſatis declaratū eſt, nos per fidem nō propriè iuſtificari, ſed per charitatē. Quod ſi in ſacris literis quid huiuſmodi reperitur, norint Catholici id dici de fide formata, quæ per dilectionem operatur. Galat. 5. At quia iuſtificatio à fide inchoatur, quia ipſa eſt ſubſtantia rerū ſperandarum, ad Heb. 11. Neq; Miſſam eſſe memoriam paſſionis Chriſti & beneficiorū Dei, quoniam hoc & figura de agno Paſchali, qui ſimul victima, & memoriale fuit, approbat. Exod. 12. Et non ſolū verbis & ſacramento, ſed etiam geſtibus & veſtib⁹ ſacris in Eccleſia repręſentatur, & in memoriam victimę Eccleſia offert denuò Euchariſtiam in myſterijs Deo Patri omnipotenti.

Non ergo improbatur, quòd Principes & ciuitates vnam ſeruant communem Miſſam in Eccleſia, ſi modò ritè iuxta ſacrum Canonē id faciunt, ſicut omnes Catholici obſeruāt: Sed quod omnes alias Miſſas obrogant, Chriſtiana profeſſio nō patitur. Quòd autem olim pœnitentes cōmunicabant nemo reprehendit, vtinā omnes eſſent ſic diſpoſiti, vt quotidie hunc panem ſumere dignè valerent. Sed ſi vnam Miſſam vtilē arbitrantur, quanto vtiliores eſſent plures Miſſæ, quas ipſi iniuria reprobauerūt. Quibus omnibus ritè penſatis, petendū eſt, vt hanc nouā miſſandi formulam excogitatā, & iam toties mutatam omnino caſſent & abijciant, & priſtinam celebrandi formam reſumant, iuxta Eccleſiarum Germaniæ, & toti⁹ Chriſtianitatis antiquum ritum, & conſuetudinem, atque Miſſas abrogatas, iuxta fundatorum vltimam voluntatem reſtituant. In quo ſibijpſis vtilitatē & honorē pariant, & toti Germaniæ pacem & tranquillitatem.

Andreæ Fabritij Leodij In articulum de Miſſa animaduerſio.

QViſquis huius articuli non modo poſteriores editiones, verūetiam ipſum archetypū vel à longè inſpexerit, clarè deprehendet, nō duce veritate, ſed Sathana authore, eum euulgatū eſſe. Nō ſtatim ab ipſo initio tot tanquam manifeſta conglomerantur mēdacia, vt ipſimet Lutherani ea agnoſcere iam cogantur. Primū enim mendacium eſt, quòd falsò accuſentur Ipſorū Eccleſię, quòd Miſſam aboleant. Secundū mendacium eſt, quòd apud ipſos Miſſa retineatur, & ſumma reuerētia celebretur. Tertium mēdaciū eſt, quòd in ipſorum Miſſa ferè oēs vſitatæ ceremoniæ obſeruentur. Quartū mēdacium eſt, quod ipſorum Miſſis, popul⁹ ad vſum ſacramenti magis aſſuefiat. Quintū mēdacium eſt, quòd nulli apud ipſos ad cōmunionem admittantur, niſi priùs ſint explorati, atque auditi. Hęc in ipſo ſtatim articuli fronte occurrunt. Cætera prudens lector ſuo ſtudio non difficulter eruerit. Ideo aūt breuiores hic eſſe vnlum⁹, quòd pluribus hāc materiā tractauerim⁹, in poſteriorib⁹ libris, quos de Euchariſtia ſcripſim⁹. Ex illis quāta vis mēdaciorū, & calūniarū, ipſo prototypo & poſteriorib⁹ editionibus includatur, manifeſtiùs euadet.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de Miſſa.

DE Miſſa & de ſacrificio altaris nihil hic agimus, quia ſuperiore anno aduerſus Bernardum Rothmannū hæc luce clarius edidimus. Et in hac arena fortiter deiecit Lutherum, & totam Aduerſariorum phalangē Ioannes Eckius, inuictiſſimus fidei noſtræ propugnator, & quod citra inuidiā dixerim, ſine pari.

Ioannis Cochlæi diſcuſſio Articuli de Miſſa.

TAnta eſt circa hunc Articulum & mentiēdi impudētia, & calūniandi malignitas, & nouitas loquendi, vt admodū difficile ſit, per compendium (vt cupimus) reſpōdere, & in tāta verborum confuſione ordinem inuenire. Proinde non poteſt abſque multo tædio, animique graui moleſtia hic parari reſponſio.

Manifeſta profectò eſt vanitas & impudētia, tùm in Confeſſione, tùm in Apologia, quod queritur Philipp⁹ falsò accuſari Eccleſias ſuæ partis, quod Miſſam aboleant. Quādoquidem retineant Miſſam, quæ & ſumma reuerētia celebretur, atque etiam vſitatę ſeruētur Cæremoniæ fere omnes, prӕterquàm quod latinis cantionibus admiſceantur alicubi germanicæ. Hæc ſunt verba Confeſſionis, quæ & in Apologia repetuntur, tùm in principio, tùm in fine huius Articuli. Sic enim habetur: Initio hoc iterum præfandum eſt, nos nō abolere Miſſam, ſed religioſe retinere ac defendere. Et in fine ſic ait: Hæc de Miſſa breuiter dixim⁹, vt omnes boni viri vbique gentium: intelligere queant, nos ſummo ſtudio dignitatem Miſſæ tueri, & verum vſum oſtendere. At ſciunt omnes Lutherani ac Proteſtantes, ex publico facto, & Eccleſiarum ſuarum practica, nihil horum verum eſſe, & Ipſum quoque Philippū

Manifeſtum & notorium mendacium.

longe aliter ſentire in corde ſuo.

[Conclusio Smalcald.] Nam & ipſe vnus ex ijs, & quidem ex præcipuis fuit, qui hoc anno Smalcaldiæ apud ſuos publicè cõcluſerunt, & ſcripſerũt, quod Miſſa permitti aut fieri non debeat, neque vt oblatio, neque vt applicatio, neque etiam vt gratiarum actio, neque vt opus bonum tanquam commemoratio Chriſti, & gratiarum actio loco generalis Eccleſiæ quia inde ſequerentur multæ blaſphemiæ Dei (vt dicunt) nempe quod Miſſa ſit ſpecialis cultus Dei, quem laici facere non poſſunt, & quod valeat ex opere operato, quoniam in Euangelio nulla cæremonia ex opere operato ſit cultus Dei, ſed Euangelium omnes huiuſmodi ethnicas opiniones reijciat. Quarũ vna ſit, quòd Miſſa ſit opus alijs meritoriũ, ſicut Ethnici & Iudæi ſua ſacrificia exiſtimauerant. Altera, quod Miſſa ſit gratiarum actio, qua hor.oretur Deus ex opere operato, & ſit opus commune pro Eccleſia, nõ ſicut laicorũ cõmunio. Cùm igitur in huiuſmodi abuſibus non ſit Sacramentum, meram oporteat eſſe idololatriam, quam poteſtates abolere teneantur.

Concludunt igitur ibidem, hanc cæremoniam dimittendam eſſe liberam, & nullum opus quotidianum ex ea fieri poſſe, neq; vllam eſſe differentiam inter laicorum & ſacerdotum communionem, neq; item certũ tempus huic operi præſcribendum eſſe. Hæc ex concluſis Smalcaldiæ. Quibus nõ ſunt diſſimilia ea, quæ eodem anno & priuatim ad concionatores Nurenbergenſes ſcripta, & in publicum edita ſunt, partim Vuormaciæ dum de concordia interim ageretur in libro, quem inſcripſit Philippus, Defenſionem coniugij ſacerdotum: partim Vuittembergæ, in alijs eiuſdem Philippi libellis, de Eccleſiæ authoritate, de officio Principum, &c.

[Calumnia.] Quoties verò repetit improbiſſimam hãc calumniam, qua ait: Aduerſarij in Miſſa ſolam retinent cæremoniam, eamque conferũt publicè ad ſacrilegum quæſtum, poſtea fingunt hoc opus applicatum pro alijs, mereri eis gratiam, & omnia bona. Conferre gratiam ex opere operato facienti. Item pro alijs applicatam, etiam iniuſtis non ponentibus obicem, mereri eis remiſſionem peccatorũ culpæ & pœnæ. Et in ipſos aduerſarios alicubi ſermonem torquens, huiuſmodi verbis inuehitur. Neque nos (inquit) Aerio patrocinamur, ſed vobiſcum litigamus, qui hæreſim manifeſtè pugnantem cum Prophetis, Apoſtolis, S. Patribus ſceleſte defenditis, videlicet, quod Miſſa ex opere operato iuſtificet, quod mereatur remiſſionem culpæ & pœnæ, etiam iniuſtis, pro quibus applicatur, *[Cultus Baal.]* ſi non ponant obicem. Et iterum: Hæret itaque in regno Põtificio cultus Baaliticus, hoc eſt, abuſus Miſſæ, quam applicant, vt per eam mereantur iniuſtis remiſſionem culpæ & pœnæ. Et rurſus: Volumus (inquit) admonitos eſſe omnes bonos viros, ne adiuuent aduerſarios, defendentes profanationẽ Miſſæ, ne grauent ſe ſocietate alieni peccati. Magna cauſa, magna res eſt, nec inferior illo negotio Eliæ Prophetæ, qui cultum Baal improbat, &c.

[Calumnia.] Hæ profectò non leues, aut paruæ ſunt calumniæ, iniuriæq; & blaſphemiæ, præſertim toties repetitæ, non in Apologia ſolum, ſed etiam in alijs Philippi libellis, quib⁹ Miſſam noſtram idololatriam, & Baaliticum cultum vocat. Et noſtris Doctoribus imputat, quæ illi, ne per febrim quidem ſomniauerũt vnquã, neq; in libris ipſorũ vſpiam reperiũtur. Vbi enim docent noſtri, Miſſam cõferri aut conuerti debere ad ſacrilegũ quæſtum? Aut vbi dicunt, Miſſam ex opere operato iuſtificare? aut vbi docent, applicandã eſſe Miſſam pro ioiuſtis, & non pœnitentibus, vt eis mereatur remiſſionem culpæ & pœnæ? Non ſic docẽt, aut dicũt noſtri, nec vlli fortitan heretici. *[Census sacerdotum.]* Non laudant noſtri quæſtuarias Miſſas, neq; tamẽ ſacerdotibus, tanquã bobus triturantibus, ora alligant, vt fame per Miſſas ſuas pereant. Sciunt enim à Domino dictum eſſe. *[Matth. 10.]* Dignus eſt operarius cibo ſuo: & à Paulo *[1 Cor. 9.]* apertiſſime conceſſum eſſe, vt qui altari ſeruiunt, de altari viuant. Cæterùm quod ad iuſtificationem attinet, non docẽt noſtri iuſtificari hominem per Miſſam, imò reprehendunt maximè, tàm ſacerdotem, quàm laicũ, qui vel celebrare, vel communicare auſit in peccato mortali. Non igitur noſtri ſic docẽt, *[Luther in capt. Babyl.]* ſed noua & impia eſt hæc doctrina Lutheri, quod hoc ſacramentum altaris, ſit vnica medicina omnium peccatorũ præſentium, præteritorum, & futurorũ, vt ſecurè accedant, quicunque triſtes, conturbatas, confuſas & & erroneas habent conſcientias, & qui vexantur peccatorum ſuorum ſiue morſu, ſiue titillatione. Et impiæ huic ſententiæ adſtipulatur etiam ipſe Philippus in hac ipſa Apologia ſua, vbi falſiſſimè de Miſſæ iuſtificatione *[Calumnia & error.]* calumniatur noſtros. Etenim verba eius ſic habent: Ergo ſicut promiſſio inutilis eſt, niſi fide accipiatur, ita inutilis eſt, cæremonia niſi fides accedat, quæ verè ſtatuat, hic offerri remiſſionem peccatorum. Et hæc fides erigit contritas mentes. Et hic principalis eſt vſus ſacramenti. In quo apparet qui ſint idonei ad ſacramentum, videlicet perterrrafactæ conſcientiæ, & quomodn vti debeant. Hæc non orthodoxorũ, ſed huius Philippi verba ſunt, qui docet hic (hoc eſt in Miſſa) offerri remiſſionem peccatorũ, id eſt, iuſtificationem, vt hi potiſſimum idonei ſint,

qui

qui perterrefactas habent conſcientias, quos docet vti hoc ſacramẽto, ea fide, quæ verè ſtatuat hic offerri remiſſioné peccatorũ. At cõtrarium docet manifeſtè Apoſt. dicens: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Inſignis igitur eſt iſta Philippi malitia, qua falſo imputat noſtris, quod non noſtri, ſed Lutherus & ipſimet docent. Cæca item impudentia, qua reprehendit noſtros de eo, quod ipſe & Lutherus maximè probant, ac docẽt. Toto igitur errat hic cælo Philippus, qui ponit Controuerſiæ ſtatũ in hoc vno quod noſtri doceant, Miſſam ex opere operato conſerre gratiam, aut applicatam, pro alijs mereri eis remiſſionem venialium & mortalium peccatorũ culpæ, & pœnæ. At falſiſſimum eſt, noſtros ita docere. Ergo finita eſt (ſi Philippo creditur) tota, & quidẽ maxima inter nos & Proteſtãtes de Miſſa controuerſia, & vtinam finita eſſet. Sed vaniſſimè nugatur, fallitq́; & fallitur Philippus. Non enim de hoc contendimus, An Miſſa ex opere operato conſerat gratiam, & remiſſionem peccatorũ: an, Aut Miſſa pro alijs applicata mereatur eis remiſſionem venaliũ & mortalium peccatorũ culpæ & pœnæ. Has enim fatuitates & falſas inſanias nos minimè docemus, affirmamus aut credimus. Proinde longè alius eſt, huius de Miſſa inter nos & illos controuerſiæ ſtatus.

1. Corin. 11.

Controuerſiæ ſtatus falſus.

Vera controuerſia de ſacrificio eſt.

Nos quippè dicimus Miſſam eſſe oblationẽ & ſacrificium, ſicut dixerunt omnes S. Patres & Maiores noſtri ante nos. Hoc negant Lutherani, Zuingliani, Anabaptiſtæ, & omnes alij, qui per nouã & impiam Lutheri doctrinã, ab antiqua fide Sedis Apoſtolicę, & Rom. Eccleſ. defecerunt. Quapropter & vtrumq; Canonem Miſſę reijciunt, tàm maiorẽ, quàm minorem, non ob aliam ſanè cauſam, niſi quod in eis habentur iſtæ voces: Sacrificium & Oblatio. Nos præterea dicimus, & firmiſſimè credimus, ac veriſſimè affirmamus, Miſſam eſſe opus bonum à Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis, & omnibus S. Sacerdotibus tot retrò ſeculis piè & ſalubriter vſitatum, & in vniuerſa Chriſti Eccleſia in hanc vſq; diem ritè obſeruatum, atq; vtiliter pro fidelibus Chriſti tàm viuis quàm pro mortuis celebratum, quo nullum eſt ſanctius, religioſius, ſalubrius, & Deo gratius, aut magis acceptum ſub ſole, in toto orbe terrarum. Hoc autem ſummo & pretioſiſſimo theſauro, quem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus commẽdauit & reliquit, perſæpe ſpoliare matrem noſtram conatus eſt ſerpẽs ille antiquus, & perpetuus humani generis inimicus, per miſerè deceptos ſatellites ſuos hereticos, maximè per barbaros Leoniſtas, Albigenſes, Dulciniſtas, Vuiclephitas, Vualdenſes, Orphanos, & Taboritas. Cùm autem per eos proficere ac præualere non potuerit, miſit in cor Lutheri, ſicut olim in cor Iudæ proditoris, vt Chriſtum Domini, Iudæ exemplo, in Miſſa proderet, & quidem gemina fraude & aſtutia.

Hoſtes Miſſarum barbari heretici.

Ioan. 14.

Primum enim perſuaſit ei, Miſſam non eſſe ſacrificium, ſed teſtamentum, quo promittitur remiſſio peccatorum omnibus qui ſacramentum altaris accipiunt. Proinde docuit illud non iuſtis, ſed peccatoribus prodeſſe, vt ſecurè accederẽt, quicunq; malas, triſtes, cõfuſas, & erroneas haberent conſcientias, & qui vexarentur morſu, aut titillatione ſuorum peccatorum. Deinde vbi ſenſit ſe hoc dolo non præualere vbiq;, quia religioſæ mentes abhorrerent in peccato mortali accedere, timentes, & magis credentes illud Apoſtoli: Probet autem ſeipſum homo, &c. diſputauit cum Luthero per ſomnium, perſuadens ei, quod in Miſſa Catholicorum non ſit verum ſacramentum, quia non ſeruetur ibi inſtitutio Chriſti: proinde ſit nihil aliud quàm idololatria, & blaſphemia Dei, quam Principes ac Proteſtãtes totis virib⁹ prohibere ac abolere debeant. Ad has igitur fraudes Chriſtiano populo perſuadendas excitauit vndiq; ingenioſos & diſertos homines, per quos ſanè permagnum fraudis & malitiæ ſuæ lucrum acquirit, nempè publicum odium, pluſquam Vatinianũ in Papam, Cardinales, Epiſcopos, Presbyteros, Monachos, & quoslibet altaris miniſtros, contemptum, deteſtationem, exſecrationem, & abolitionem Miſſæ, operis ſcilicet optimi ac ſacratiſſimi abuſum ſacramenti ſub vtraque ſpecie in ſchiſmate, neglectum cæremoniarum & cultus diuini in Eccleſijs, ſolitudinem, & vaſtitatem in templis, & monaſterijs, breuiter omnium ſcelerum ac ſcandalorum Inundationem & diluuium, quale præ oculis (proh dolor) videmus. Nos certè non dicimus, aut docemus, Miſſam ex opere operato iuſtificare, aut gratiam & remiſſionem peccatorum cõferre, ſicut falſo Imputat Philippus. Rectè tamẽ dicimus ac docemus, Miſſam ſecundũ ſe ex opere operato ſemper valere, & bonam eſſe, etiam ſi ſacerdos celebrãs Miſſam, non ſit bonus, ſed indignè celebrãs, & re ſacratiſſima abutẽs, iudiciumq́; ſibi mãducans & bibens. Quia per opus operatum intelligimus inſtitutionem Chriſti, & ſacramentum ſecundum ſe, ſicut à Deo inſtitutũ eſt. Quemadmodum & de baptiſmo dicimus, quòd ex parte operis operati ſemper valeat, & bonus ſit, licet ex parte operantis, hoc eſt, baptizantis, aut ſuſcipientis non ſemper ſit bonus, vtpote quando baptizans eſt in peccato mortali dum baptizat, aut ſuſcipiens baptiſmum ficta fide acceſſerit.

Luth. in captiu. Babyl.

Lutherus cõtra Miſſam angularem.

Lucra Satanæ per hæreticos.

Miſſa ex opere operato ſemper bona.

Quam

Quam ſanè ſententiã Lutherus quoq; approbare coactus eſt, quando ſcripſit contra Anabaptiſtas. Quin etiam ipſimet Proteſtãtes in ſuæ Confeſſionis Articulo octauo idem ſentire videntur, vbi ſic aiunt: Et ſacramentum, & verbum propter ordinationem, & mãdatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant, vti licere miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile, & inefficax eſſe. Hæc ipſi, &c.

Error Donatiſtarum. Hieron. 17.

Quiſquis igitur hanc noſtram ſententiam, de opere operato reijcit aut impugnat, Donatiſtarum errore tenetur, & meritò maledictus dici poteſt, eò quòd ſpem ſuam ponat in homine, & ponit carnem brachium ſuum, plus confidens in bonitate hominis operantis, quam in bonitate operis operati. Nec iniuſte blaſphemus quoque dici poteſt, quia blaſphemat opus & inſtitutum Dei, Chriſti ſcilicet: Baptiſmus enim & Euchariſtia non hominis, ſed Chriſti ſunt opera & inſtituta. Ipſe enim eſt qui baptizat. Ipſe eſt qui conſecrat, & ex pane & vino, non humana, ſed diuina virtute corpus ſuum & ſanguinem facit. Heu quantas igitur blaſphemias excitauit in Chriſtum, iam vltra viginti annos in multis & magnis Chriſtiani nominis regnis & prouincijs diabolus per maledictos ſatellites ſuos, Lutherum & complices eius. Omnis enim blaſphemia, quæ in Miſſam dicitur, in ipſum Chriſtum veriſſimè redundat: Miſſa enim, Chriſti inſtitutum & opus eſt, quod ſemper certè bonum eſt ſecundum ſe, qualiſcunque ſit is, qui Miſſam vel celebrat, vel audit, vel ſpectat. Et hoc eſt quod nos dicimus, Miſſam ex opere operato ſemper valere, nõ autem ſemper ex opere operantis, hoc eſt, ſacerdotis celebrantis, quia ſi is in peccato mortali ſcienter celebrat, grauiſſime procul dubio peccat, & opus malum, quantum ad ipſum attinet facit, malum ſcilicet ſibi, alijs tamen bonum; quia non probat ſeipſum, ſed indignè tractat ibi ſanctum ſanctorum, & indignè manducat & bibit. Miſſa tamen propterea mala non eſt, ex opere operato, hoc enim eſt inſtitutum & opus Dei, quod miniſtri malicia malum facere non poteſt. Semper igitur bona eſt Miſſa ex opere operato, & prodeſt ijs, pro quibus celebratur (niſi ponant obicem) tàm viuis, quàm mortuis, non tàm propter opus operantis, quàm propter opus operatum, quod eſt opus & inſtitutum Chriſti, optimus ſanè & ſaluberrimus Eccleſiæ per Chriſtum theſaurus. Noui ergo theologi iſti poetici & literarij, ſimiles hic ſunt Arianis, qui propterea nolebant recipere hoc verbum Homouſion, quia in ſcripturis non haberetur. Ita & iſti derident ac deteſtantur opus operatum, eò quòd in textu ſacrarum literarum iſtud vocabulum non inuenitur. Si autem rectè intelligerent, nequaquam ita exploderent: Non enim adeò cæci ſunt (vti credimus) quod non videant aliquid eſſe differentiæ inter Miſſam boni, & Miſſam mali ſacerdotis. Miſſa enim boni, bona eſt & opere operantis, & opere operato. Bonus enim facit opus Miſſæ, quod per ſeſe bonum eſt ſemper, benè, quod non ſolùm Eccleſiæ, & alijs pro quibus facit, prodeſt, ſed etiam ſibi bonum eſt & meritorium. Malus autem facit idem opus non bene ſed male, quia malum ſibi, licet alijs ſit bonum. Eſt itaq; vnum & idẽ opus illud, (hoc eſt Miſſæ celebratio quæ à malo fit ſacerdote) & bonum & malum ſecundum diuerſos reſpectus & rationes. Bonum ex opere operato, quia inſtitutum eſt à Chriſto. Malum vero, quia peccatum eſt ei, qui indigne celebrat & communicat. Neceſſaria eſt igitur iſta vnius & eiuſdẽ operis ſecundum diuerſas rationes diſtinctio, quia alia eſt ratio ex parte operantis, alia ex parte operis operati, quod ſecũdum ſe bonum eſt ſemper. Non eſt tamen ordinatum, ad iuſtificandum peccatorem, aut ad conferendum remiſſionem peccatorum. Iuſtificatio enim & gratia atque remiſſio peccatorum per alia ſacramenta quærenda eſt, vtpote per ſacramentum pœnitentiæ, ſine quo nullus quicũque mortalis peccati conſcius ſibi eſt, Miſſam celebrare aut ſacramẽtum altaris ſumere debet, quia non modo per hoc non liberaretur à peccato, ſed peccatum magis adaugeret & aggrauaret, addens priori peccato ſuo (quodcunq; illud fuerit) aliud graue peccatum indignę ſumptionis, per quod reus fieret corporis & ſanguinis Domini, ſicut expreſſe denuntiat Apoſtolus. Quod aũt Miſſa tum ad placandam iram Dei, tum ad impetranda bona, & ad præcauenda aut auertenda mala plurimum proſit, nemo piorum dubitare poteſt, ſiue à bono ſiue à malo celebretur ſacerdote. In ea enim tractatur & ſumitur præſentialiter & realiter is, à quo omnia bona velut à capite, in Eccleſiam, velut in corpus eius, deriuantur. Ipſe enim eſt mediator Dei & hominum, ipſe aduocatus noſter in cælo apud Patrem, ipſe propitiatio noſtra, ipſe Dominus, redemptor & ſaluator noſter, per quem habemus acceſſum ad Patrem.

Blaſphemia in opus Dei

Iohan. 1.

Differentia inter boni & mali ſacerdotis Miſſam.

Vtilitas Miſſarum.

1. Tim. 2. 1. Iohan. 2. Rom. 5.

Hoc enim inſtitutum eius, hoc opus Miſſæ, per ſe diſplicere ei nunquam poteſt, quia maxime & principaliſſimè eſt ipſiuſmet opus, tãquam ſacerdotis in æternũm ſecundũ ordinẽ Melchiſedech. Nemo enim aliorum ſacerdotũm poſſet propria virtute ſua, huius ſacramenti confectionem perficere. Cum igitur per eũ debeamus impetrare quicquid petimus ſicut ipſemet dicit, Sine me nihil

pote-

poteſtis facere, & rurſus: Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſquemodo non petijſtis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis: nulla profectò petitio noſtra exaudibilior aut efficacior eſſe poteſt, quàm illa, que per miniſterium ſacerdotis patri in nomine filij ſui vnigeniti, (qui ſua reali & corporali potentia eſt in manibus celebrantis) offertur in Miſſa. In nullo enim alio opere noſtro ſic adeſt ipſe mediator noſter, ſicut in Miſſa nobis adeſt. Nemo igitur dubitet, hoc in nouis ſectis contra Miſſam odium non aliunde quàm à diabolo per ſtrenuos nouę fidei prędicones introductū eſſe. Quia nullum eſt aliud opus religionis Chriſtianæ in vniuerſa Eccleſia, quod ſit vel Deo acceptius, vel diabolo magis contrarium, quàm celebratio Miſſæ. Ideo tam ſedulo inſtigat Apoſtatas vbique, vt immaniſſime clamitent contra multitudinem Miſſarū, vt tam multa bona, quæ per Miſſam habet Eccleſia, impediantur, aut penitus omittantur, & perdantur. Omnis enim Miſſa (vt iam ſæpius dictum eſt) per ſeſe bona eſt, vtpote inſtitutum Chriſti, qui dixit: Hoc facite in meam commemorationē. Si enim bonum opus operata eſt mulier iſta erga Chriſtum, quæ effudit vnguentum ſuper caput eius, quia ad ſepeliendum eum, id fecerit; operatur vtique & mater Eccleſia bonum opus, dum per miniſterium ſacerdotum celebrat Miſſas, in quibus non ſolum ſepulturæ Domini, ſed & totius paſſionis, mortiſq́; & glorioſæ reſurrectionis & aſſcenſionis eius memoriam deuote agit.

Ioan. 15. & 18. — *Diabolicū Miſſæ odium.* — *Matth. 26.*

Maligniſſimæ ſunt igitur diaboli fraudes, quibus circumuenit nouarum ſectarum authores & propugnatores, vt fortiter clament nullum externum debere eſſe in Chriſtiana religione ſacerdotium, nullum Miſſæ ſacrificium, nullam oblationem ſalutaris hoſtiæ, nullam applicationem precum Miſſalium pro viuis aut pro mortuis. Quæ omnia probat hoc vno falſiſſimo ſophiſmate ſuo. Sola fides iuſtificat, aut Sola fide apprehenditur remiſſio peccatorum. Philippus autem in Apologia ſua, vt videatur præ cæteris ſuis ſodalibus eruditior atque modeſtior, lōga declaratione proſequitur diſtinctionem ſacrificij propitiatorij & Euchariſtici. Quicquid autem verè dicit de vtroque, hoc veriſſime de Miſſa dici poteſt. Eſt enim in Miſſa verè propitiatorium illud ſacrificium, quod vnicum in mundo vult eſſe Philippus, nempe, Agnus ille Immaculatus qui tollit peccata mundi. Vnicum ſane ſacrificium eſt in omnibus Miſſis per totum orbē, per omnes Eccleſias, cunctis diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Non eſt enim hodie aliud aut alterum quam heri, aut ante annū, nec aliud erit cras, ſed idipſum quod hodie & heri, & ante mille annos, nec aliud Vuormaciæ, aliud Romæ, aut Coloniæ, ſed vnum & idem ſacrificium, vna & eadem hoſtia per omnes vbique Miſſas, vna & eadem oblatio, & immolatio victimæ ſalutaris quæ vnica eſt, non alia hodie, cras alia, ſicut alius & alius immolabatur agnus in lege veteri. Non offerimus amplius in millibus agnorum, vti fecerunt per ſacerdotes ſuos reges Iudæorum, ſed vnum & eundem agnum offerimus vbique.

Fraudes Diaboli. — *Sacrificium vnicum.*

De quo Paulus ait ad Hebr. Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula. Atque vt differentiam inter noſtrum & Iudæorum altare indicaret, mox ſubiungit: Habemus altare, de quo edère non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Quid eſt igitur aliud, negare ſacrificium propitiatorium in Miſſa, quàm negare Ieſum Chriſtum filium Dei vnicum Dominum & redemptorem noſtrum? Eſt enim in Miſſa verè & ſubſtantialiter idem ille agnus, idem numero perſona, natura & ſubſtantia, qui pependit & ſeipſum obtulit in cruce. Vnum eſt igitur & idem ſacrificium, vna & eadem hoſtia in ara crucis, & in altari Eccleſiæ oblata. Tantum offerendi modus alius eſt. In cruce enim fuit hoſtia cruenta pœnaliter ac viſibiliter per mortem & ſupplicium oblata: In altari autē incruenta eſt hoſtia non pœnaliter ac viſibiliter per mortem & ſupplicium, ſed myſterialiter, & inuiſibiliter per honorificam mortis & ſupplicij memoriam oblata, ſicut ipſe nobis pręcepit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Quod profectò pientiſſimè ac deuotiſſime iam vltra mille quingentos annos fecit, & obſeruauit Catholica per totum orbem terrarum Eccleſia: Repræſentans illam paſſionem & mortem vnici illius agni propitiatorij, non ſolùm in verbis precum & laudum, quę ibi proferuntur in vtroque Canone, verumetiam in extreno cultu, in veſtibus & geſtibus ſacerdotum. Hanc glorioſam illius memoriam nititur nunc abolere diabolus per nouas ſectas, quæ vtrumque Canonem reijciunt & omittunt, atque etiam diris linguis & calamis, tanquam abominationē blaſphemant, & geſtus, veſteſque & crucis ſigna, quibus vtitur Eccleſia in memoriam oblationis, in cruce pro nobis factæ, tanquam ludum iocularem derident. Tantam verò maliciam & impietatem humanum ingenium ex ſeipſo profectò nō habet, ſed habet ex infernali. Satana, qui Chriſto honorem & debitum cultum, nobis verò gratiam & ſalutē non fauet, ſed inuidet, & ſubtrahere parat.

Hebr. 13. — *Negare ſacrificium propitiatorium, eſt negare Chriſtum.* — *Luc. 22.* — *Memoriale mortis Chriſti.*

Quod autem attinet ad Euchariſticum ſacrificium, hic aliter ſentit Philippus, quàm in alijs ſcriptis ſuis, in quibus & Euchariſticum negat Miſſæ ſacrificium. Verboſè autem commeme-

Sacrificium Euchariſticū.

memorat hic inter Euchariſtica ſacrificia, fidem, non ſpem, non charitatem, ſine quibus tamen fides informis & mortua eſt. Nullam autem Euchariſtici ſacrificij ſpeciem enumerat, quæ in Miſſa non contineatur. In omni enim Miſſa legitur aut prædicatur Euangelium, requiritur fides, & recitatur in ſymbolo, quando dicitur Credo. Multiplex eſt ibi præterea per varias Collectas (vt vocantur) & vtriuſque Canonis orationes inuocatio. Multiplex laus Dei in introitu, in hymno Angelico, in Præſatione, in canticis diuerſis, atque etiam in ſacro Canone. Multa item gratiarum actio in hymno Angelico, in Præſatione in Canone. Breuiter quicquid ad verú & pium cultum Dei, aut ſanctorum pertinet, nuſquam perfectius aut decentius reperitur quàm in Miſſa. Abolere igitur Miſſam, nihil aliud eſt, quàm abolere veriſſimum & pijſſimum cultum Dei, totamq; memoriam paſſionis Chriſti, & pro acceptis beneficijs, gratiarum actionem. Hæc autem ſacrificia Euchariſtica, rectè vocat Philippus ſacrificia laudis & hoſtias ſpirituales de quibus & rectè allegat Petri & Pauli Apoſtolorú dicta.

Hoſtiæ ſpirituales.

Sed non rectè ait, eas hoſtias opponi, non ſolum pecudibus, ſed etiam humanis operib. ex opere operato oblatis. Paulus enim manifeſtè de huiuſmodi operibus, quæ ſpiritualiter hoſtiæ dicuntur (ſicut ipſe quoq; Philippus dicit) omnia bona opera ſanctorum, teſtatur in hæc verba. Beneficentiæ autem & & communicationis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Omnia igitur hominum opera bona ex charitate facta, poſſunt Deo offerri, tanquam hoſtiæ ſpirituales, quibus promeretur Deus. Philipp⁹ auté, vt ea ſuggillet, adijcit ex opere operato oblata, perinde ac ſi opera noſtra, ex opere operato oblata. fiant deteriora. Sed poeticus iſte Theologus non rectè intelligit, quid ſit opus operátum. De quo nos ſupra ad longum diſſeruimus. Eſto enim, quod huiuſmodi ſacrificia laudis, quæ in Miſſa fiunt, ex opere operantis, non ſint Deo accepta aut grata, iuxta illud Sapien. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: ſunt tamen bona, & Deo grata ex opere operato, quia per Spiritum ſanctú in Eccleſia ſunt inſtituta, & ſecundum ſe bona ſunt, licet operans ea, ſit malus. Non rectè igitur vocat Philippus, opinionem de opere operato, Ethnicam & Phariſaicam, quia non intelligit eam.

Hebr. 13.

Sapien. 15.

Miſſa apud Græcos.

Quod auté contra priuatas (vt vocat) Miſſas multa ex Græcis allegat, & per Monachos mendicantes ita auctas eſſe queritur, vt omnes boni viri diu iam eius rei modum deſiderauerint: & ante Gregorium, nemo veterum ſcriptorum, priuatarum Miſſarum mentionem fecerit, ad hæc paucis reſpondebimus. Primum, quantum ad Græcos attinet, ritus eorum nobis obijci non debent, tùm quia ſchiſmatici ſunt, tùm quia ſub Turcis degunt, & iuris ſui amplius non ſunt. Cõſtat autem ex Codice Iuſtiniani Imp. quod olim complures fuerunt presbyteri in vna & eadem Eccleſia, etiam apud Græcos. Quandoquidem in vna Eccleſia Conſtantinopoli tot fuerunt, vt Imperatores Honorius & Theodoſius lege publica ſtatuerint, ne plures ibi, quam nongenti, quinquaginta Decani habeantur.

C. de Sacro ſanct. Eccl. l. non plures.

Deinde quod ait, omnes viros bonos diu iam deſideraſſe modum contra multitudinem Miſſarum, nos certè non bonos, ſed diabolicos potius viros eſſe ſuſpicamur, quibuſcunq; diſplicet multitudo Miſſarum, in quibus tàm multa bona fiunt, etiam ſi non ſint boni ij, qui Miſſas celebrant, vt dictum eſt: facilè tamen credimus bonis viris diſplicere multorum ſacerdotum mores, & vitam, & abuſus rei ſacratiſſimæ. At illi meminerint, non eſſe rei ſubſtantiam tollendam propter abuſus, ſicut & ipſe Lutherus alicubi ſenſit. Tertiò, quod negat ante Gregorium ab antiquis mentionem fieri priuatarum Miſſarú, nos facilè admittimus, quãdo hoc etiam addimus, quod neq; Gregorius, neq; Beda, neque Anſelmus, neque Bernardus, neque alij inſignes poſt Gregorium Doctores de priuatis Miſſis vllam fecerint mentionem: ſi enim verè ac propriè loquamur, nullæ prorſus ſunt Miſſæ priuatæ, ſicut Reuerendiſſim⁹ Pater ac Dominus Georgius Epiſcopus Secouienſis nuper Vuormàciæ dicebat. Omnis enim Miſſa publica eſt functio, & publicum habet ſacrificium, & nulla fit priuatim pro vno tantum: in omni enim Miſſa oratur, & pro viuis, & pro mortuis. Nulla eſt igitur propriè loquendo Miſſa priuata. Non igitur noſtrum, ſed Lutheri ſcelus & inuentum eſt, liber de abroganda Miſſa priuata, qualé profectò antiquorum nemo ſcripſit. Semper & vbique licuit Presbyteris non excommunicatis, vel quotidiè celebrare Miſſam. Cumque plures in vna Eccleſia eſſent Presbyteri, non potuerunt omnes eorum Miſſæ publicè vno die, in vna eademque Eccleſia decantari. Certè Rom. Eccleſia etiam ante mille trecentos annos pluſquam quadringentos habuit Presbyteros, quemadmodum teſtatur Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica, per verba S. Cornelij martyris & Pontificis contra Nouatum: Neſciebat (inquit) in Eccleſia Catholica vnum Epiſcopum eſſe debere, vbi videbat eſſe Presbyteros xl. vj. Diaconos, vij. Subdiaconos, vij. Acolytos, xlij. Exorciſtas & Lectores, cum Oſtiarijs lij. &c. Erat autem & Nouatus Rom. Eccleſię Presbyter, ſed rebellis & Epiſcopatum ambiens, nouam ſuſcita-

Propriè loquẽdo, nullæ ſunt Miſſæ priuatæ.

Euſeb. li. 6. cap. 32.

ritauit hæreſim Nouatianorum. Quod autē Philippus verba Malachiæ Prophetæ de ſacrificio variè torquet & retorquet, nihil efficit. Nam & alia permulta habemus ſcripturę teſtimonia de ſacrificio hoc noſtro, quod varijs ſanè modis & ritibus in lege veteri præfiguratum eſſe conſtat, quemadmodum Epiſcopus Roffenſis, Clichtoueus, Eckius, alijq́; permulti contra nouas has inſanias partim latine, partim teuthonice, ſimul & locupletiſſime & luculentiſſime demonſtrauerunt. Quorum libri neque à Luthero, neque à Philippo, neque ab alijs eorum complicibus ſunt confutati. Quod ſi nullum prorſus exſtaret in ſcripturis de hoc ſacrificio teſtimonium, ſufficeret tamen nobis totius Eccleſiæ vnanimis conſenſus & obſeruatio huius ritu per mille quingentos annos, vt nobis liceat ſecurè & verè contra omnes Miſſæ hoſtes & abrogatores dicere, quod de baptiſmo paruulorum contra Anabaptiſtas dixit Lutherus: Si Miſſa eſſet res adeò mala (ſicut nouæ ſectæ ex inſtinctu diaboli dicūt) Deus eam in Eccleſia ſua tamdiu paſſus nō fuiſſet. Audiamus igitur potius antiquiſſimi & ſanctiſſimi Papæ & martyris Alexandri primi teſtimonium, quod omnibus Philippi & aliorum blateramentis & calumnijs, quas effutiunt, contra Miſſæ ſacrificium rectiſſimè opponi poteſt: Nihil (inquit) in ſacrificijs maius eſſe poteſt quā corpus & ſanguis Chriſti. Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda. Et ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Hæc verba ſanctiſſimi huius atque doctiſſimi viri Pontificis & Martyris Chriſti nō ſunt nuper dicta aut inuenta, ſed longe antiquiora ſunt, quàm omnia Irenæi, Tertulliani, Originis, Cypriani & ſequentium Patrum ſcripta, quæ Chriſti fidelibus Miſſæ ſacrificium & oblationem, contra omnes nouarum ſectarum nugas & latratus, ſatis confirmant atque defendunt. Non eſt igitur neceſſarium hîc prolixè omnia Philippi dicta diſcutere, contra quæ vel ſolius Eccleſiæ authoritas bonis, qui nō ſponte ſua errant, ſufficere debet.

Miſſæ defenſores.

Alexander primus in Epiſt. 1.

Ioannis Hoffmeiſteri iudicium ſuper Articulo de Miſſa.

QVid porrò nos ad hoc dicemus? quis Confeſſionem hanc improbare auſit? Quis innocentes illos & ſimplices ſcilicet Chriſti diſcipulos abnegatæ & reiectæ Miſſæ accuſare potuit? An non audis? Falſò accuſantur Eccleſiæ Lutheranorum, quod Miſſam aboleant. Quid igitur libellus ille de abroganda Miſſa? Item, contra exſecrabilem Cononem? Retinetur Miſſa apud vos? Et ſumma reuerentia celebratur? Hæc fortè Vuittenbergæ fiunt, ſed quid apud alios Euangelicos & Lutheranos & Zuinglianos agatur, obſcurum nō eſt. Altaria demolita ſunt, imagines partim combuſtæ ſunt, partim recluſæ in carceres, non enim ſolent ſic ſæuire in Principes, ſicut in gregarios milites. Veſtitus Eccleſiaſticus ſic in pauperum vſus conuerſus, vt medici nihilo melius habeant. Sed hæc, quoniā odioſa ſunt, plus ſatis. Hîc porrò quæritur, ſi Miſſa præſcripto modo, & iuxta quod confitetur noſtra Confeſſio, à Vuittenbergenſibus peragitur, quid prohibet, quo minus illud ipſum ab alijs Euangelicis fiat? Si Miſſa aliquid pietatis habet, non in totum negligenda fuerat: hoc quod à Zuinglianis fit. Si impia, quare non ab vtriſque relegatur? Si verò neutra, & adiaphora, quare pro & contra hanc tam importunè vociferantur? Si item partes vno eodemq́ue diuino aguntur ſpiritu, quare Zuingliani in Miſſa iam longè antea viderunt, quod hactenus Lutherani vel non agnoſcunt, vel agnoſcere diſſimulant? Item ſi Miſſam adiaphoram putant, quorſum cum blaſphemis nænijs, C. Melhofferi, & aliorum quorundam maledictis in Canonem Miſſæ eiaculatis? Exſtant multæ tractationes & retractationes Lutheri, Zuinglij, Ionæ, & aliorum, quæ quomodo cum hac Confeſſione conueniant, viderint ipſi, qui Confeſſionem & huius Apologiam identidem obtrudunt. Non abolent Lutherani Miſſam, ſed Lutherus, ſed nouiter excogitatam, ſed miſerè dilaceratam, ſed à noſtra porrò diuerſam, & in contemptum Eccleſię confictam. Et hæc ipſorum Miſſa eius notæ eſt, vt Zuinglianis, ſi non ſuperſtitio, certè luſus videatur. Qui igitur fit, quod cùm ipſi inter ſe ipſos digladiantur de ſua ipſorum Miſſa, nobis noſtram neſcio quo relegârunt? Quis non legit vel vnius Landſpergij triumphos, qui in hoc vnico Lutherum conuincere videtur, quod cōfictam mortem & ſepulturam bonæ Miſſæ populi applauſibus exhibuerit? Sed ad rem propius. Quod ad hoc negotium attinet, ſunt, opinor, in noſtra Miſſa, quibus præcipuè tenellæ quorundam aures offenduntur, hæc quæ ſequuntur: Pompa cæremoniarum, quæſtus, peregrina & populo non intellecta lingua, Sacrificij, vt ipſi aiunt, non intellecta appellatio, Opus operatum, Diuorum inuocatio, & pro mortuis ſuffragia? ad ſingula reſpondemus, nihil hic vel fingentes, vel aſtu quodam occultantes. Qui quæſtum ſequuntur, nobis non probatur, nec ipſos excuſabimus vnquam. Quorum Deus venter eſt, inuenient cui rationem, velint, nolint, dare cogentur. Cæremonię in ſuperioribus defenſę ſunt: nec

Vide Greg. Pontific. ad interrogata Auguſtini Cantuarienſis cap. 3.

latet Aduerſarios, quales in hoc ſacro apud veteres habitæ fuerint cæremoniæ: habent etiam perſpectiſſimum, quanta apud Catholicos in re cæremoniarum fuerit libertas, & hæc omnia citra cuiuſquam offendiculum. Qui mihi hac in re diffidit, libros qui hæc præſcribunt, conſulat. Monachorum ſicut in veſtitu, ita & in cæremonijs mira eſt varietas, neque tamen putamus quenquam hac de re fuiſſe ſcandalizatum. Cæremonias ego cũ picturis eodem in loco poſuerim: ad docendum vtraque plurimum valent, hoc quod Aduerſariorum ſaniores vltrò fatentur.

Iam quod ad peregrinam & vulgò non intellectam linguam attinet, cum nemine contenderim. Concedant nobis morem eius linguæ latinæ, & tum concionatores ſuos cõpellant, vt omnem Eccleſiæ vſum pro concione ſimplicioribus interpretentur: hoc qđ à priſcis Patribus ſactitatum eſſe argumento nobis ſunt, quę Chryſ. Amb. Auguſt. & alij in ſuis ad populũ Tractatibus habẽt. De Chryſoſt. certi ſumus ex huius homelijs, ex quib9 ego non ita pridem in gratiam ſtudioſorum, nonnihil eius generis collegi. Ambroſij libri de Sacramentis notiores ſunt, quàm vt longiori probatione opus ſit. Inter Auguſtini noſtri commentarios non ſemel tantum datur reperire, quæ ex Miſſæ noſtræ verbis populo ſuo interpretatur. Iã difficilior diſputatio ſupereſt, nimirum quòd de opere operato, & opere operantis conqueruntur. Hic principio Aduerſarijs meritas ageremus gratias, ſi adſcripſiſſent loca Scholaſticorũ, qui tantam, quantã illi exaggerant, impietatem docuerunt, vel potiùs ſimplicioribus perſuaſerunt. Niſi enim me fallunt omnia, aut Aduerſarij noſtri illa cõtenti ſunt (ſicut alia multa in negotio iuſtificationis: vt ſcilicet omniũ odijs Scholaſticos exponerent) aut quod veriſimilius eſt, intelligere vel nolunt, vel non poſſunt, quod Scholaſtici de opere operato, & de opere operantis ſcriptum reliquerunt. Aduerſarij opus operatum ad miniſtrũ referunt, quod Scholaſtici ad Chriſtũ, hoſtiam illam viuam & verum ſacrificium propitiatorium referunt. Cum enim nos dicimus, ſacrificium Miſſæ efficaciſſimum eſſe fidelibus ex opere operato, ad opus illud reſpicimus, quod per Chriſtum in ara crucis operatũ eſt. Si vnus agnus eſt in cruce, & qui in cœna noſtra, quomodo nõ poteſt idem eſſe effectus? De differentia Sacramenti & ſacrificij, Scholaſticos ſi conſulueris, abundè & piè reſpondebunt: nos breuitati ſtudemus. Quòd accuſant nos de non bono motu vtentis, tam verũ eſt, quàm quod falſiſsimum. Vide obſecro eccleſiæ publicas orationes, quas Collectas vulgo appellant, & videbis quàm immerito ibi calumniam ab Aduerſarijs ſuſtineamus. An qui precatur populo à Deo fidem, charitatem, & cęteras virtutes, idem ſentire poteſt in ſacrificijs noſtris, non requiri bonum motum vtentis? Item, quomodo excludere poſſunt bonum motum, qui nuſquam non meminerunt ponentis obicem? Diſtinguendũ autem eſt ibi, quoniam diſputatio eſt, quæ ad virtutem Sacramentorum attinet: hoc quod & alibi diximus. Neque enim ad bonum motum noſtrum reſpiciendum vbique, ſed ad inſtitutionem & promiſſionem Chriſti. In baptizando paruulo, quem bonum motum requiras? Alia eſt diſputatio de adultis, alia de infantibus: hi enim non poſſunt ponere obicem, ſed illi. Sed hac de re nonnihil adijciemus in ſequentibus. Nam primo omnium audiendum, quod nam illud dogma Scholaſticorum ſit, de opere operato, & de opere operantis. Albertus ille Ratiſpo. Epiſcopus ſic ſcribit in cap. Ioan 6. Antiqui, inquit, dixerunt, quod eſt opus operantis, & opus operatum. Opus operans eſt, quod eſt in operante virtutis opus, vel à virtute elicitũ, vel quod eſt eſſentialis virtutis actus. Et ſine illo nihil valet virtus ad ſalutem. Opus autem operatum eſt extrinſecum factum, quod Apothelema vocant ſancti, ſicut operatum legis ſacrificium factum, vel circuncisio facta, vel tale aliquid. Et ſine illo benè iuſtificat fides cũ operibus virtutum interioribus. Hactenus ille, cui ſubijciam, non indoctum Presbyterum, & omnium penè Scholaſticorum rapſodum, Gabrielem Bielum, cuius hæc ſunt verba, lectio. 26. in Canonem Miſſę: Miſſa, inquit, poteſt valere, & efficaciam habere dupliciter, vno modo ex opere operante, alio modo, ex opere operato. Ex opere operante, hoc eſt, ex merito perſonali perſonæ celebrantis, propter quod confert Deus petita à ſacerdote eis quibus orationem & Miſſæ ſacrificium applicat. Ex opere operato, hoc eſt, ex ipſa conſecratione, oblatione, & ſumptione venerabilis Eucharistiæ, non habendo reſpectum ad perſonalẽ ſanctitatem, aut meritum ſacerdotis? Et hoc intelligi poteſt dupliciter: vno modo, quod hic valor ſit ex inſtitutione diuina, qui efficaciter determinauit ſe ad conferendum quoſdam effectus gratuitos & ſalutares, ad conſecrationem, oblationem, & ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti factam à ſacerdote: ſicut dicimus de cæteris ſacramentis nouæ legis, quòd habent virtutẽ ex Chriſti inſtitutione. Alio modo dicitur Miſſa habere effectum, & eſſe accepta Deo, ex opere operato præciſe ratione oblationis ſacrificij, quod in Miſſa perficitur: non attendendo Chriſti inſtitutionem, (quia oblatio non videtur Deo grata eſſe, niſi ſit alicuius offerenris grati & accepti.) Eſt autem duplex offerens, ſcilicet immediatè & per-

perſonaliter. Alius offerens mediate & principaliter. Primus eſt ſacerdos offerens, conſecrans, & ſumens Sacramentum, qui ita in perſona ſua, authoritate tamen diuina, ſic perficit, quòd nemo alius in ſic offerendo ſecum concurrit. Offerens verò mediatè & principaliter eſt Eccleſia militans, in cuius perſona ſacerdos offert, & cuius eſt in offerendo miniſter. Eſt enim hoc ſacrificiũ totius Eccleſię. Primus offerens, non ſemper eſt gratus Deo, nec ſemper huic placet, quia ſæpè peccator eſt. Secundum offerens, Deo ſemper eſt acceptum, quia Eccleſia ſemper ſancta eſt & vnica ſponſa Chriſti. Hactenus ex ſententia Gabrielis, in quibus nihil opinor impij vel exhiberi, vel occultari. Presbytero Gabrieli ſubijciam ex media ætate Abbatẽ D. Bernardum, cuius authoritatem nõ vno loco videmus Aduerſarijs eſſe ſacroſanctam. Hic ergò non minùs doctus quam pius Abbas, de Baptiſmo paruulorũ contra quoſdam contentioſos diſputans, inquit: Cõſiderent hæc, qui de operę & voluntate contentioſis ſolent diſputationibns corrixari. Conſiderent & aduertant neutrum negligi oportere, vbi non videtur deeſſe facultas (loquitur autem de externo Sacramenti ritu) præſertim cùm vtrunque ſine altero, vbi tamẽ facultas deeſt, non modò ſalutem conſerre poſſit, ſed etiã ſanctitatem. Sed & hoc quoq; firmiter teneant: prodeſſe quidẽ opus ſine voluntate, non autem cõtra voluntatem, vt vndè ſaluantur infantes, inde magis damnẽtur fictè accedentes. Hactenus ille ſerm. de Innocentibus. Sed rogas fortaſſe, q̃d hæc ad Parmenonis, quòd dicitur, ſuem? At tu velim cogites, omnem quæſtionem de opere operato, & opere operantis pertinere ad diſputationem efficacię Sacramentorum. Ex Bernardo autem intelligis, Sacramentorũ virtutem non ideo labefactari, quòd accipientis voluntas illã ſuſcipere non poſſit, modò non ponat obicẽ. Neque refert quicquã, quòd ille de Baptiſmo, nos autem de Euchariſtia loquimur. Sacramenta enim virtutem & efficaciam ſuam ab vna origine ducunt, nimirùm à Domino, ab huius inquam ordinatione & voluntate, non ab offerentis, hoc eſt miniſtri, vel etiã ſuſcipientis fide, dignitate vel deuotione, hoc q̃d Lntherus ipſe in multis locis fatetur. Perpetuò enim verum eſt, quod Auguſtinus ait: Non in merito cõſecrantis, &c. Ego certè nõ video, quicquid tandem alij de meo iudicio iudicauerint, quid, quamtumue ex Scholaſticorum dogmatis gloriæ Chriſti derogari poſſit. Quòd ſi Aduerſarij perrexerint dicere Scholaſticos neq; Biblia, neque Patres priſcos, vel non legiſſe, vel non intellexiſſe vnquam, profectò ſuam impudentiam palàm aperient, & præter meritum, Patres multò meliores ſe, temerè contemnent. Res ipſa loquitur, qualis vel quantus fuerit vel vnus Thomas Aquinas, literarũ heluo, quàm anxius fuerit, ne quid peccaret in ſacras literas, quàm diligens in concordandis Patrum ſententijs? De Alberto, Ariminen. Bielo, & reliquis diligentiſſimis Scholaſticis nihil dixerim. Libenter hic notam impudentiæ agnouerim, ſi quid ſciens hîc finxerim. Profectò Scholaſtici tot rationes ſuorum dogmatum afferunt, vt velle cæteris, ſibi certè ipſis perſuaſiſſe videantur, meq; ſua ipſorum authoritate porrò frangant. Præterea ſi Aduerſarij omninò induxerint animum, de opere operato & opere operãtis nihil audire, quid fiet de articulo 5. & 8. ipſius Confeſſionis, quam tantopere probant. In quinto fatentur per verbum & Sactamenta donari ſpiritum ſanctum, tanquam per inſtrumenta. In octauo docent, ſacramenta & verbum propter ordinationem & mãdatum Chriſti eſſe efficàcia, etiamſi per malos exhibeantur. Quòd ſi Aduerſarij hîc ex animo loquuntur, an ne opus operatum, & opus operantis tectis verbis verecundi agnoſcnnt? Quod enim ipſi mandatum & ordinationem Chriſti, hoc Scholaſtici opus operatum vocant. Quod Aduerſarij de malo miniſtro loquũtur, hoc ipſum opus operantis à Scholaſticis vocatur. Sed his intermiſſis audiamus D. Aquinatem, quid ipſe de virtute Sacramentorum ſentiat: nam hac in re omnis diſputationis noſtræ cardo vertitur. Neceſſe eſt, inquit, dicere, ſacramenta nouæ legis per aliquem modum gratiam cauſare. Manifeſtũ enim eſt, quòd per ſacramenta nouæ legis, homo Chriſto incorporatur: ſicut de Baptiſmo dicit Apoſtolus, Galat. 3. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Non autem efficitur homo membrum Chriſti, niſi per gratiam: Cauſant autẽ Sacramenta gratiam, inquit idem, non principaliter, ſed per modum inſtrumenti, quod ſcilicet aliunde mouetur, nimirũ à Chriſto: hic enim inxta ſuam ordinationem per illa Tit. 3.
operatur gratiam, ſicut Paulus dicit: Per lauacrum regenerationis ſaluos nos fecit &c. Rurſum inquit, Sacramenta per propriam operationem quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute diuina circa animã, &c. Cardinalis Caietanus eiuſdem ſententiæ eſt, cum ſcribit: Euchariſtia habet virtutem collatiuam gratiæ ex ſe: nam res ſignata cõtenta in hoc ſacramento, eſt ipſe Chriſtus, &c. In 3. par. Thomæ. quæſt. 79. arti. 2. Porrò quod ab Aduerſarijs flagellãtur Scholaſtici, qui ſimpliciter docuerunt, non requiri bonum motum vtentis in ſuſcipiendis ſacramentis: quis non videt vel ex ſuperiorib⁹ quomodo hallucinati ſint: non enim auſim dicere, quàm

impudenter mētiti ſint Aduerſarij. Audi obſecro, quiſquis cupidus & amās veritatis exiſtis, qđ in hoc negotio Thomas admonuerit: In hoc Sacramento Euchriſtię, inquit, maior requiritur deuotio, quā in alijs ſacramētis, propter hoc quia in hoc Sacramento totus Chriſtus cōtinetur: & etiā cōmuniter, quia in hoc Sacramēto requiritur deuotio totius populi, pro quo ſacrificium offertur, & nō ſolū percipientium ſacramentū, ſicut in alijs Sacramētis. Et ideò vt Cypria. ait: Sacerdos pręfatione præmiſſa, parat fratrū mentes dicendo: Surſum corda: vt dū reſpondet populus: Habēmus ad Dominū, admoneatur, ſe nihil aliud cogitare debere, quàm Deū. Et alibi ſcribit: Sicut paſſio Chriſti non habet ſuū effectū, in his, qui ſe ad eā nō habent, vt debēt: ita & per hoc Sacramentū non adipiſcūtur gratiā, qui indecenter ſuſcipiunt. Vnde Aug. Aliud eſt ſacramentū, & aliud virtus ſacramenti: Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriūtur. Hactenus Aquinas, qui in eadē quęſtione expreſſis verbis inquit: Quicunque habet in ſe conſcientiā peccati mortalis, habet in ſe impedimen. &c. An qui hoc dicit, videtur nō requirere bonū motū ſuſcipiētis hoc ſacramentum? Iam opinor incuſabunt, nos negligere ſtatum cauſæ, ſaltare extra chorū, nec intentos eſſe ad ſcopū controuerſiæ: quaſi cū illi à nobis quærant de adſtanti & auditore Miſſæ, & non ſuſcipiente Euchariſtiā, nos de ſumente reſpondeamus, Accipimus. Quæſtio itaq; eſt, vtrū ſacramentū Euchariſtiæ alijs, quàm ipſam ſumentib9 proſit? Hanc quęſtionē non ineptè excuſſerūt Scholaſtici: ſed nos ne prolixiores ſimus, vnius Aquinatis verba ſubijciemus. Vtinā non ſurdis canamus. D. Thomas ipſe ſibi opponit, quæ iā nobis ab Aduerſarijs obijciuntur, ſcilicet quod hoc ſacramētum eiuſdē ſit generis cū reliquis ſacramentis, quæ nō proſunt niſi ſumentibus, &c. Reſpondet ergo in hæc verba, Hoc ſacramentū, inquit, nō ſolum eſt ſacramentū, ſed etiā eſt ſacrificium. In quantū enim in hoc ſacramento repręſentatur paſſio Chriſti, qua Chriſtus obtulit ſe hoſtiā Deo (vt dicitur Ephe. 5.) habet rationem ſacrificij: inquantū vero in hoc ſacramento traditur inuiſibilis gratia, ſub viſibili ſpecie habet rationē ſacramenti. Sic ergo ſacramentum hoc ſumentibus quidē prodeſt, per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: quia pro omnib9 ſumentibus offertur, &c. Sed alijs qui nō ſumunt, prodeſt per modū ſacrificij, inquantū pro ſalute ipſorū offertur. Quę ex Canone Miſſę addit, quoniā Aduerſarijs luſ9 eſt, nolim referre. Quod hic Thomas habet, idipſum tota ſchola, ſummo conſenſu docet: propterea ex vno Thoma diſce omnes. Quid igitur iā reſtat, niſi vt tandem recipiāt Aduerſarij oculos, & qđ ignorant, quodque ſibi ipſis abſurdum videtur, à Scholaſticis petant. Verùm ſat ſcio, ipſis quidem Aduerſarijs iudicibus, non admodum feliciter à me ventilatum eſt, vt qui ex non conceſſo Miſſæ ſacrificio, Miſſam probare voluerim. Subijciendum itaque eſt gradatim, quid de ſacrificio Miſſæ ſenſerūt Scholaſtici, qui cum nec indocti, nec impij fuerint, cum ſacras literas ab initio imbiberint, cumq; priſcorum Patrum ſcripta nō ignota nec pauca habuerint: cum itaque ſic res ſe habeat cum Scholaſticis, inquam, quis de ipſorum fide dubitauerit? Nihil hoc quidem in negotio adducunt Aduerſarij, quod à bonis iſtis magiſtris non fuerit egregie ventilatū. Sed audi ex tanto Scholaſticorum numero, vel vnum Aquinatem. Duplici ratione celebratio huius ſacramenti dicitur Chriſti immolatio: Primo quidem: quia ſicut dicit Auguſtinus ad Simplicium, ſolent imagines earum rerū nominibus appellari, quarū imagines ſunt: ſicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus: ille Cicero eſt, ille Saluſtius eſt. Celebratio autem huius ſacrificij imago quædam eſt repręſentatiua paſſionis Chriſti, quæ eſt vera immolatio. Et ideo celebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Chriſti. Vnde Ambr. dicit ſuper epiſt. ad Hebræos: In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens, quid ergo? nónne per ſingulos dies offerimus ad recordationem mortis eius? Alio modo, quantum ad effectū paſſionis: quia ſi per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis, &c. Quantum igitur ad primū modum, poterat dici Chriſtus immolari etiam in figuris veteris Teſtamenti, vnde Apocal. 13. dicitur: Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ & agni qui occiſus eſt ab origine mundi. Sed quantum ad ſecundum modum, proprium eſt huic ſacramento, quod in eius celebratione Chriſtus immoletur. Et hæc quidem ille, cui ne dicas obſecro, nec Biblia, nec Patrum ſcripta viſa eſſe: qua de re etiā ſuprà admonuimus. Allegatur apud eundem quaſi contradictorium, vnica oblatione Chriſtū conſumaſſe omnes ſanctos, &c. Et, Chriſtus tradidit ſemetipſum hoſtiam Deo &c. Additur ex D. Auguſt. In immolatione Chriſti idem eſt ſacerdos & hoſtia, &c. Rurſum ex ſententijs D. Auguſtini à Proſpero collectis: Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamē quotidie immolatur à ſemetipſo, &c. Quid igitur reſtat, niſi vt Aduerſarij Patres priſcos vel infantiæ, vel impietatis arguant: quod quàm benè illos deceat, ipſi viderint. Thomę, imò vniuerſę ſcholę ſententiā ſup ſacrificio Miſſæ Gabriel ille Biel9 copioſiſſime dedu-

Tertia part. qu. 8.

deducit lectio 85. in Canònem Miſſæ, quo lectorem remittimus. Porrò quid iam pręmiſſis addendum ſit, vix video. Canonicis literis nihil, & in nullo contradicimus, priſcos veteris eccleſiæ Patres ſua authoritate non ſpoliamus. Scholaſticos ab illis diſſentire conſtanter, & merito negamus. Eccleſiæ vniuerſalis conſenſum pro nobis habemus: ideoq́; non licebit nobis in Aduerſariorum caſtra concedere, niſi in horum gratiam, pium videatur illis impietatis notam inurere. Accinunt Aduerſarij, à ſua parte ſtare Patres, hoſq́; à nobis vt qui ſacrificij nomen non intelligamus, iniuriam pati: quaſi ſi ipſi lynceos habeant oculos, nos verò talpis ſimus cæciores. Eccleſia hactenus periculum fecit, quàm certo vobis conſtet de vera ſcripturæ intelligentia, quamtæúe apud vos authoritatis ſint Patrum pręlucubrationes. An ne prima ventilatione egregiè luſit operam Lutherus cõtra Miſſam, ex qua non ſacrificium, ſed teſtamentum maximis proteſtationibus facere inſtituerat? Qui conatus non ſolùm à noſtris, ſed etiam à veſtris impeditus, imò & eluſus eſt. Etſi enim Zuinglius nolit agnoſcere Miſſæ ſacrificium, tamen conſtanter docet, Miſſam eſſe cõmemorationem ſacrificij in cruce peracti. Quis autem non videt, Zuinglium à nobis contra Lutherũ pugnare? Facile enim accipimus, Miſſam eſſe commemorationem ſacrificij in cruce peracti. Audim' à Chriſto:
Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Et
1. Cor. 11. à D Paulo: Quotieſcunque manducaueritis, &c. mortem Domini annũtiabitis. Nec quiſquam Scholaſticorum vnquam negauit, Miſſam ſacrificij in cruce peracti commemorationem eſſe. Quod Zuinglius commemorationem, Aquinas memoriale vocat, inquiens: Hoc Miſſæ ſacrificium, quod eſt memoriale Dominicæ paſſionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatem. Hæc tam clara ſunt, vt ne mutire quidem contra auſit quiſquam. Nihil noui igitur pepererũt turgidi illi mõtes, quando cramben toties repetũt, Miſſam ſcilicet eſſe commemorationem & repræſentationem ſacrificij in cruce peracti. In quo ergo diſſonantia? In hoc opinor, quod Aduerſarij Miſſam nihil aliud volunt eſſe, niſi commemorationem ſacrificij, ſemel in cruce peracti. Nos autem ſic agnoſcimus, Miſſam eſſe & dici memoriale paſſionis Dominicæ, vt nihilominus & certò ſit & verè dicatur ſacrificium. Et hoc non eſt inuentum ſcholæ, ſed huic ex ſacris ſcripturis, à priſcis Patribus quaſi per manus traditum. Quod vt manifeſtius fiat, aliquot teſtimonia, eaque inflexibilia, adeoq́ue ad confirmandam eccleſiæ fidẽ firmiſſima adducemus. Andreas Apoſtol. frater Simonis Petri, in colloquio illo pulcherrimo, atq; Chriſtiano homine maximè digno, ſic ad Aegeam loquitur: Omnipotenti Deo (qui vnus & verus eſt) ego omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinẽ, ſed immaculatum Agnum quotidie in altari crucis ſacrifico. Cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus: & cum verè ſacrificatus ſit, & verè carnes eius manducatæ ſunt à populo, & verè ſanguis eius eſt hauſtus, tamen vt dixi integer permanet, & immaculatus & viuus. Hæc Anomius in vitis Apoſtolorum. Apoſtolo Andreæ, Ioannis Apoſtoli diſcipulum ſubijciemus Ignatiũ illum & vetuſtate & pietate inſignem, adeoq́; & martyrio glorioſum. Hic enim in epiſtola ad Smyrnen. ſcribit, Non licet ſine Epiſcopo neq; offerre, neq; ſacrificium immolare, neq; Miſſas celebrare. Hactenus ille pro ſententia noſtra, quicquid tandem hic conuellere conati ſint Aduerſarij aliquot. Iam quis neſciat apud Dionyſ. Areop. non ſemel legi ſacratiſſimam immolationem, item ſacrificationes, quibus etiam ſubiungit in Miſſa, quam ipſe Synaxim vocat, paſſionis Domini renouari memoriam, iuxta quod Chriſtus dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Et hæc quidem cap. 3. Eccleſiaſt. hierarchię. Porrò ne quis hic contentioſum ſe exhibeat ſuper ſacrificij nomine, audi obſecro, quàm apertiſſimis verbis D. Irenæus Miſſæ noſtræ ſacrificium inſtruat: Chriſtus noui Teſtamenti, inquit, nouam docuit oblationẽ, quam eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis pręſtat, primitias ſuorum munerum in nouo teſtamento, de quo in prophetis Malachias ſic præſi- Malach. 1.
gnificauit: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris. Quoniam ab ortu ſolis vſque ad occaſum, nomen meũ glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Quoniam nomen meum magnũ eſt in gentib', dicit Dominus omnipotens: manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſabit offerre Deo: omni autem loco ſacrificiũ offertur ei, & hoc purum: nomen autẽ eius glorificatur in gentibus. Hactenus ille lib. 4. cap. 32. Nec diſſimilia ſcribit lib. 4. cap. 34. Videant ergo Aduerſarij, qua fronte dicant, Miſſam abominationem, idololatriã, & neſcio qd: nõ videant itẽ nõ ſine exẽplo Põtificij (ſic enim noſtros vocãt) hacten' rectè intellexerint vaticiniũ Malachię prophetę. Neque enim ſoli Pontificij ſacrificium Miſſæ Malachiæ teſtimonio ſtabilierunt: Sed Irenæus ante multa ſecula, ho-

 mo

mo certè, cui Aduerſariorum nullus facile cõferri queat, ſiue pietatem ſpectes, ſiue eruditionem. Neque tamen ſolus Irenęus in hoc negotio adduxit Malachiam, ſed etiã D. Auguſtinus, quem hactenus in interpretandis ſcripturis, vel etiam confutandis hæreſibus explebeis illis doctorculis nemo ſuperauit. Sic enim ille ait contra aduerſarium Legis & Prophetarum: Nouerunt, qui legerunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit

Geneſ.14. Abrahã: & ſi iam ſunt participes, vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum eſt increpatio, & quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc ſacerdotium non immutabit. Mutauit quippe ſacerdotium ſecundum Aaron. Vnde alius propheta dicit ad eum, qui carnaliter Iſrael eſt: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & hoſtiam non accipiam de manibus veſtris. Ecce hoc quod eſt ſecundum Aaron. Cur autem hoc non accipiat addidit, & dicit; Quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum, glorificatum eſt nomen meum in gentibus, &c. Hæc ille lib.1. cap.20. eius argumenri quod diximus. Eſt etiam apud eundem in Pſal.33. locus, qui nobis adſtipulatur, quem breuitatis ergò tantũ allegaſſe contenti erimus. Et poſſem quidem adhuc nubem teſtium producere, qui Eccleſiæ noſtræ dogma ſummis viribus propugnant: ſed paucos pro multis producam. Si Ieſus Chriſtus, ait Cyprianus, Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris; & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationẽ præcipit; vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenũ tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe, &c. Vide totum locum epiſt. 3. lib. 2. non pœnitebis. Manifeſtum enim eſt, ſicut Theophylactus ſcribit, quod tunc Chriſtus immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum. Et in veteri quidem Teſtamento, ait Chryſoſtomus, cum imperfectiores eſſent, quem idolis offerebant ſanguinem, eum ipſe Dominus accipere volnit, vt ab idolis eos auerteret. Quod etiã inenarrabilis amoris ſignum erat. Hic autem multò admirabilius atque magnificentius ſacrificium præparauit; & cum ſacrificium commutaret, pro brutorum cæde ſeipſum offerendum præcepit. Hæc ille in cap.10. Cor.1. Et rurſus idem Chryſ. hom. de Euchariſtia in Encenijs. Quid facis, inquit, ô homo? Non promiſiſti ſacerdoti qui dixit, Surſum mentem & corda: & dixiſti, Habemus ad Dominum. Non revereris & erubeſcis? Et ipſa hora mendax inueneris. Papè, menſa miſterijs inſtructa eſt, & agnus Dei pro te immolatur. Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, &c. His teſtibus qui credere nolunt, re ipſa declarant, quales ſint, & quanti faciant Catholicæ Eccleſiæ conſenſum. Tu porrò vide quiſquis es veritatis cupidus, quid valeant, quidque ſibi velint Patrum teſtimonia. In Malachia pollicetur Dominus noui Teſtamẽti nouam oblationem, hanc porrò Chriſtus, vt Cyprianus dicit, Deo patri primus in illa vltima Cœna obtulit, & hoc fieri in ſui cõmemorationem præcepit. Hãc deinde Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, Irenæo teſte, offert in vniuerſo mundo. Et manifeſtum eſt, ſicuti Theophylactus ait, quod tunc Chriſtus immolauerit ſemetipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum. Quid ergò inde ſequitur, niſi Eccleſiæ ſacrificium nihil minùs eſſe quàm idololatriam, Patres item à nobis ſtare, & Scholaſticos præter meritum ab Aduerſarijs calumniam pati. Iam quod identidem nobis obganniunt, de memoriali Dominicæ paſſionis, de Sacrificio laudis, de Sacrificio propitiatorio, quid opus fuerit multa verba fundere? Ad tauim vſque clamitant, Chriſti ſacrificium vnicum & ſolum eſſe propitiatorium: & quis hoc negauit vnquam? Imò quis non eſt conſtanter confeſſus, Miſſam ob id ſolùm eſſe propitiatorium Sacrificium, quòd Chriſtus ibi verè, ſicut & in Cœna immolatur? Aduerſarij autem cõtra totius Eccleſiæ conſenſum, negant Chriſtum in Cœna ſemetipſum immolaſſe, obijcientes neſcio quæ ex Hebręorum epiſtola, quaſi S. Patres ipſam vel non legerint, vel non intellexerint. Hunc nodum ſecent Aduerſarij ſi poſſunt, quòd Patres conſtan- In 1. Tim.
ter docent, Chriſtum ſematipſum in Cœna 4 Hom.:
obtuliſſe, idemque vt poſthac facerent Apo- Hom.17 in
ſtoli, iuſſiſſe. Eadem litatur hoſtia, inquit Heb.
Chryſ. idem ſacrificium conſumatur, &c. Et rurſum: Ipſam hoſtiam offerimus nunc, quę, tunc (in Cœna) quidem oblata conſumi poteſt. Non hic audiamus, quod Philippus in Apologia dicit: Nos opponimus Patribus clariſſimas ſcripturas: & Patrum magna diſſimilitudo eſt. Homines erant, & labi ac decipi poterant, &c. Hæc ille. Tu iã vide, quàm validum hoc ſit argumentum. Si clariſſimæ ſunt ſcripturæ, Patribus obſcuræ eſſe non potuerunt. Patrum magna diſſimilitudo eſt, inquit: & veſtrum magna diſſimilitudo & inconſtantia eſt, multifariamque alter contra alterum & ſcripturas & Patres interpretatur. Si Patres labi & errare potuerunt, quia homines erant, quid aliud de vobis præſumendum, qui certè angeli non eſtis, & lapſus & errores veſtros, vos ipſi indies traducitis. Cæterum Miſſam eſſe, & dici ſacrificium laudis, quis negat. An nõ in ipſo Canone legitur?

Offe-

Offerunt ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, &c. Et de memoriali. Vnde & memores filij tui Domini noſtri, tam beatæ paſſionis, &c. Horum verborum meminit D. Amb. in De Sacramento. Vindicato itaque Miſſæ ſacrificio in ventum abeunt quæcunq; Aduerſarij improperant, quod Miſſam ebuccinauerimus, pro omnibus calamitatibus amouendis, pro nauigantibus, pro peregrinantibus, pro mercatorib⁹. &c. pro viuis tandem atq; defunctis. Quid enim hic fruſtra perderemus verba, cũ Apologia negare non poſſit, Chriſtum propitiatorium eſſe ſacrificium pro omnium peccatis, tam viuorum quàm mortuorum: quodq; deceat miniſtrũ publicum Eccleſiæ, pro omnium neceſſitate Deo ſupplicare. Audiant obſecro Aduerſarij vel vnum Chryſ. Ideò in myſterijs inuicẽ ſalutamus, inquit, vt multi vnum efficiamur; & communes pro non initiatis preces effundamus, & pro infirmis, & terræ & maris, & vniuerſi orbis fructibus ſacrificemus. Et rurſum: Altari aſſiſtens Sacerdos pro vniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus atq; præſentibus pro his, qui ante nos fuerunt: pro his, qui poſtea futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito, Deo noſtro gratias iubet offerre. Iã quoniam Apologia non reprobat in Miſſarum celebratione orationes fieri pro defunctis, aliquo labore nos ſubleuauit. Verũ nihil vetat, quò minùs ſuper hac re Patrum teſtimonia producamus: Et primo quidem Chryſ. qui ait: Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur cõmemoratio? Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponitur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Hæc Chryſoſt. hom. 69. ad populum Antiochenũ. Et hom. 41. in 1. ad Cor. item hom. in cap. 1. ad Philippen. D. Auguſt. eadem docet multis in locis, hoc quod Aduerſarios latere non poteſt: Nulla ratione conceditur, inquit, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti: tanquam per huiuſmodi pietatem ſuorum, ad regnũ cælorum quò perueniant, adiuuentur. Hactenus ille, qui quum docet pro non baptizatis offerendum eſſe ſacrificium, ſatis innuit, quid pro baptizatis fieri oporteat. Locus eſt ad Rhenatum de anima & eius orgine lib. 1. cap. 9. & 11. & lib. 3. cap. 12. Non itaque negandum eſt, vt idem Auguſtinus ſcribit, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificum mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſijs fiunt. Hæc in Enchiridio cap. 110. Et non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumq; ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi. Hactenus ille de cura pro mortuis gerenda, cap. 4. Hæc teſtimonia tam dilucida ſunt, tamque firma, vt nullo fuco; nulloque robore, vel obfuſcari, vel infringi poſſunt ab aliquo, nec plura addam: Hæc nos breuiter pro re, prolixiùs autẽ pro tempore diximus de Miſſæ ſacrificio, imò de totius Miſſæ vſu & fructu, Patrum nimirum inſequentes veſtigia, & vſque ad nouiſſimũ ſpiritum, in fiducia multa, confitebimur Patrum depoſitum, (vt cum Nazianzeno loquar) qui proximiores fuerunt Chriſto: & primæ fidei confeſſionem, quæ in nobis à pueris vſque eſt enutrita, quam ſub initium ſuſcepimus, & cum qua in fine diſcedemus, pietatem hanc, & ſi nihil aliud, nobiſcum auferentes Cæremonijs Eccleſiæ quantũ oportet, attribuimus: quæſtum nunquam nec quæſiuimus ipſi, nec alios illum quærentes excuſauimus peregrinę linguæ vſu ferimus, & huius interpretes in Eccleſia amamus. Sacrificium Miſſæ cum omnibus Eccleſiæ Præſulibus ſic exoſculamur, vt in nullo vel Chriſti inſtitutioni, vel ſcripturarum authoritati repugnemus, vel D. Auguſt. monente, Dominum Ieſum non præcepiſſe, quo ordine cœna ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Habemus etiam hac in re Oecolampadium adſtipulatorem, quod ſcilicet ordinem, locum, & tempus attinet: Docemur, inquit, vt quàm commodiſſimo modo & ordine vtamur. Euangeliſta enim in depingendo cœnam Domini, in externis illis non aliquid mandare, & præcepta ſtatuere, ſed nobis honeſtum ordinem commendare voluit, &c. At penè nos prætererat ingens illa tragœdia, quam quidam ſatis tragicè agunt, de priuata Miſſa abroganda, etiamſi publicam prorogandam velint ſaniores. Quid porrò ad hæc dicemus? Valeat quæſtus, accedant Miſſæ, non ex conſuetudine, ſed ex charitatis ſeruore ſacrificantes, & actum erit de illa tragœdia. Audiamus ſi placet, Lutherum tum adhuc liberum, ante editam Captiuam captiuitatem ſuam, ſic loquentem: Non damno priuatas Miſſas, quas etiam tum noui, tum expertus ſum, multis fuiſſe ſaluberrimas: nõ tamen niſi magnis tentationibus vexatis, ſed vſum earum, qui paſſim regnat, vix paucis credo ſalutarem eſſe. Quæ hic deſiderantur, quoniam apud Catholicos alios doctores fuſius & doctius tractata ſunt, adijcere nolui.

Hom. 77. in Ioan. cap. 16. Hom. 26. in Matth.

Vide Cyp. lib. 1. epiſt. 9.

Oratio. 1.

Hæc mihi & ſimplicioribus cecini, fidei meæ ſuper negotio Miſſæ rationem reddidi, hoc eſt, quod volui, Dei gratia expediui: Argutias, & ſophiſticas ſtrophas ſiue adſequor, ſiue minus, nihili facio: ſi adſequor, eludo: ſi non adſequor, tanquam ſuſpectas fugio. Neque enim, quia Ioannes non videt cuneum, quo nodum Aduerſariorum explicet, ideo Eccleſia erroris conuicta eſt. Eccleſia ſiquidem non innititur eruditioni meæ, ſed ego innititor Eccleſiæ. Nemo repentè fit ſummus, & quod hodie neſcio, ſi Deo viſum fuerit, cras aperiet: ſed cohibebo tandẽ curſum hic, & ad votorum tractationẽ me conferam.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De Confeſſione.

CONfeſsio in Eccleſijs apud nos non eſt abolita, non enim ſolet porrigi corpus Domini, niſi antea exploratis & abſolutis, & docetur populus fideliſsime de fide abſolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat ſilentium. Docentur homines, vt abſolutionem plurimi faciant, quia ſit vox Dei, & mandato Dei pronuntietur. Ornatur poteſtas clauium, & commemoratur, quantam conſolationem afferat perterrefactis conſcientijs, & quod requirat Deus fidem, vt illi abſolutioni, tanquam voci de cælo ſonanti credamus, & quod illa fides verè conſequatur, & accipiat remiſsionem peccatorum. Antea immodice extollebantur ſatisfactiones, fidei verò & meriti Chriſti, ac iuſtitiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minimè ſunt culpandæ Eccleſiæ noſtræ. Nam hoc etiam aduerſarij nobis tribuere coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentiſsime à nobis tractata & patefacta ſit.

Sed de Confeſsione docent, quod enumeratio delictorum non ſit neceſſaria, nec ſint onerandæ conſcientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impoſsibile eſt omnia delicta recitare. Vt teſtatur Pſalmus: Delicta quis intelligat? Item Ieremias: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Quod ſi nulla peccata, niſi recitata remitterentur, nunquam acquieſcere conſcientiæ poſſent, quia plurima peccata, neq; vident, neq; meminiſſe poſſunt. Teſtantur & veteres ſcriptores, enumerationem illam non eſſe neceſſariam. Nam in Decretis citatur Chryſoſt. qui ſic ait: Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq; apud alios te accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum iudicem: cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, &c. Et gloſa de pœnitentia diſt. 5. cap. Conſideret, fatetur humani iuris eſſe Confeſsionem, verùm Confeſsio cum propter maximum abſolutionis beneficium, tum propter alias conſcientiarum vtilitates apud nos retinetur.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ Articulus, De Confeſſione.

HVic parti doctrinæ Chriſtianæ in primis magnas tenebras offuderunt Theologi & Canoniſtæ. Idq; teſtantur non ſolum ipſorum bibliotheca, ſed etiam omnium piorum conſcientiæ, quæ fatentur, illas inextricabiles diſputationes Theologorum, & traditiones infinitas de pœnitentia horribilem carnificinam conſcientiarum fuiſſe. Nuſquam enim quicquam certi docent, quomodo contingat remiſsio peccatorum, de fide prorſus eſt altiſsimum ſilentium. Imò iubent perpetuo dubitare de remiſsione peccatorum. Poſtea excruciant conſcientias acerba enumeratione delictorum. Item ſatisfactionibus: Qualis enim laqueus conſcientiæ fuit traditio, quæ præcipit omnia peccata enumerare?

Satisfactiones verò obſcurauerunt beneficium Chriſti, quia etiam docti fingunt per eas compenſari æternam mortem. Indocti putabant his operibus emi remiſsionem culpæ. Quid, quod plerunq; fuerint cultus non mandati à Deo βαττολογίαι precum, inuocationes ſanctorũ, peregrinationes, & hoc genus alia. Ita fuit obruta ingenti aceruo inutilium ac malarũ opinionum ſimplex doctrina de pœnitentia. Et conſtat, multis ſeculis bonos deſyderaſſe doctrinam puriorem.

Porro præcipue opus eſt in Eccleſia extare puriſsimam & ſimpliciſsimam, de pœnitentia doctrinam. Ideo huic articulo maxime ſtuduerunt noſtri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt atq; illuſtrauerũt, vt etiam Aduerſarij ſaniores fateantur, hac in re benè meritos eſſe de Eccleſia.

Nam ſimpliciter, planè, ſine vlla Sophiſtica, proponimus Euangelij ſententiam de pœnitentia, vt intelligant homines, quomodo ad Chriſtum redire debeant, quomodo conſequãtur remiſ-

remiſſionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primum docemus, neceſſariam eſſe Contritionem, hoc eſt, veros terrores & dolores animi, qui agnoſcit iram Dei, & dolet ſe peccaſſe, & deſinit mala perpetrare. Etſi autem hi dolores neceſſarij ſunt, tamen ſciendũ eſt, remiſſionem peccatorum, non dari propter dignitatem Contritionis, ſeu horum dolorũ. Sed addenda eſt fides, hoc eſt, fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum, & ſtatuendum eſt, gratis remitti peccata propter Chriſtum.

Cùm hac fide in terroribus illis erigimur, conſequimur certo remiſſionem peccatorum, ſicut ſupra oſtendimus. Et hanc fidem concipiunt animi ex Euangelio. Item ex Abſolutione, quæ Euangelium annunciat, & applicat perterrefactis conſcientijs. Ideoq́ docent noſtri, in Eccleſijs retinendam eſſe priuatam Abſolutionem, & eius dignitatem, & poteſtatem clauium veris & ampliſſimis laudibus ornant, quod videlicet poteſtas clauium adminiſtret Euangelium, non ſolum in genere omnibus, ſed etiã priuatim ſingulis. Sicut Chriſtus inquit, Lucratus eris fratrem, &c. Et quod voci illi Euangelij, quod miniſterio Eccleſiæ nobis in Abſolutione adminiſtratur, credendum ſit, tanquam voci de cælo ſonanti.

Hoc totum beneficium Abſolutionis & huius miniſterij, antea fuit omnino obſcuratum falſis opinionibus illorum, qui docuerunt, Abſolutionem non valere, niſi ſufficienter contriti ſimus. Et poſtea iubebant dubitare de Abſolutione, quia nemo ſciret ſe ſatis contritũ eſſe. Quid fuit hoc aliud, quàm Euangelij conſolationem eripere conſcientijs, & tollere ex Eccleſia, ac prorſus abolere miniſterium Euangelij, ſeu poteſtatem clauium? Quis non videt hos tam pernicioſos errores meritò reprehenſos eſſe?

Cum autem Confeſſio præbeat locum impertiendæ abſolutioni priuatim, & ritus ipſe intellectum poteſtatis clauium, & remiſſionis peccatorum conſeruet in populo: Præterea cum illud colloquium magnopere proſit admonendos & erudiendos homines, diligenter retinemus in Eccleſijs Confeſſionem, ſed ita, vt doceamus, enumerationem delictorum non eſſe neceſſariam iure diuino, nec onerandas eſſe conſcientias illa enumeratione. Nullum enim extat in ſcripturis Apoſtolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorũ recitatio impoſſibilis eſt, iuxta illud Pſalmi, Delicta quis intelligit? Item Ieremias ait: Prauũ eſt cor hominis & inſcrutabile. Quod ſi nulla peccata, niſi recitata remitterẽtur, nunquã poſſent acquieſcere cõſcientiæ, quia plurima peccata neq́ vident, neq́ meminiſſe poſſunt. Quæ ex re facile intelligi poteſt, miniſterium abſolutionis & remiſſionem non pendere ex conditione enumerationis.

Teſtantur & veteres ſcriptores, non eſſe neceſſariam enumerationem. Chryſoſt. enim in epiſtola ad Hebræos, inquit, Perſuademus nobis peccaſſe nos, nec id lingua tantum pronunciet, ſed etiam intima conſcientia: nec tantum dicamus nos eſſe peccatores, ſed etiam peccata ſpecialiter computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq́ vt te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ: Reuela domino viam tuam. Coram Deo peccata tua confitere. Apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, & tunc demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi. Hæc Chryſoſtomi concio non ſolum docet, quid de enumeratione ſentiendum ſit, ſed etiam grauiſſimè coniungit contritionem & fidem, ſicut nos coniungimus. Iubet primum, vt peccata verè agnoſcamus, & ex animo deteſtemur: deinde docet addendam eſſe orationem ac fidem, quæ ſtatuat nobis ignoſci. Et alio in loco ait: Peccata tua dicito vt deleas: Si pudet dicere quod peccaueris, dicito quotidie in anima tua. Non dico vt cõfitearis ea ſeruo, vt exprobret; dic Deo, vt curet ea.

Fatetur & gloſſa in Decretis de pœnitentia, diſtinctione 5. Confeſſionem inſtitutam eſſe ab Eccleſia, nec præcipi eam in ſcripturis veteris aut noui Teſtamenti. idem pleriq́ Doctores ſenſerunt. Quare ſententia noſtra de Confeſſione neq́ noua, neq́ abſurda eſt.

Poſtremo de Satisfactionibus vel maximè opus fuit moneri pias mentes. Nam Satisfactiones plus etiam habuerunt incommodi, quàm illa enumeratio. Obſcurabant enim beneficium Chriſti, quia indocti putabant ſe remiſſionem culpæ conſequi propter illa propria opera: deinde ſi quid in his erat omiſſum, conſcientiæ perturbabantur. Item deligebantur Ceremoniæ, peregrinationes, & huius generis alia inutilia opera, non mandata diuinitus. Et his fingebant ipſi Doctores compenſari mortem æternam.

Itaque duximus pias mentes liberandas eſſe his erroribus, & docemus, Satisfactiones, videlicet canonicas illas, quas ipſi vocant opera indebita, &c. nec ad remiſſionem culpæ, nec ad remiſſionem pœnæ æternæ prodeſſe, neque eſſe neceſſarias. Olim in Eccleſia mos fuit in

publi-

publica pænitentia non recipere lapſos ad Eccleſiam redeuntes, niſi addita aliqua mulcta exempli cauſa: ab illo more, ſunt ortæ ſatisfactiones. Sed veteres volebant populũ illo exemplo à peccando deterrere, non ſentiebant cæremoniam illam eſſe compenſationem culpæ, vel æternæ mortis, vel Purgatorij. Hæc poſtea affinxerunt homines indocti.

Sed veteres illi mores tempore conſenuerunt & antiquati ſunt. Nos igitur non oneramus conſcientias Satisfactionibus, ſed illud docemus, fructus pænitentiæ neceſſarios eſſe, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, caſtitatem, & vniuerſam nouitatem ſpiritus debere in nobis creſcere.

Monemus & illud, ſæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, vt Dauid, Manaſſe, & alij multi puniti ſunt. Et has pœnas docemus mitigari bonis operibus, & vniuerſa pænitentia ſicut docet Paulus, Si nos ipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Et pænitentia meruit, vt Deus ſententiam de delenda Niniue mutaret.

Ita cum antea diſputationes de Pænitentia fuerint inextricabiles, & plenæ abſurdarũ opinionum, nunc repurgata doctrina ita traditur populo, vt intelligi poſſit, & proſit ad pietatem. Retinemus & illuſtramus veras pænitentiæ partes, contritionem, fidem, abſolutionẽ, remiſſionem peccatorum, emendationem totius vitæ, mitigationem præſentium pœnarum.

Ac ſperamus bonos viros hoc in loco non ſolum nihil reprehendere, ſed etiam gratiam habere his, qui repurgarunt hanc doctrinæ Chriſtianæ partem, quam prodeſt in Eccleſijs extare quàm planiſſime explicatam atq; illuſtratam. Chriſtus inquit, Angelos in cælo lætari, cum vident reſipiſcere peccatorem. Itaque gratulantur Eccleſiæ, & ipſi angeli puram de pænitentia doctrinam.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum Reſponſio ad Articulum de Confeſſione.

QVantum ad Confeſſionem attinet, in reſponſione & ſententia ſuperius vndecimo Ariculo data, perſtandum eſt. falſa enim ſunt, quæ ab ipſis ſuggeruntur de Chryſoſtomo, cum de publica loquatur Confeſſione ipſi autem eum torquent ad ſacramentalem, & ſacerdotalem Confeſſionem, quod verba ipſius apertè indicant dum in principio inquit: Non dico tibi vt te prodas in publicũ, neque apud alios te accuſes. Ita Gratianus, ita Petrus Lombardus ante trecentos annos reſponderũt, quæ ſanè ſolutio fit manifeſtior ex alijs locis Chryſoſt. Nam in ſerm. 29. inquit de pœnitente: In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas. Hæc eſt profecto fructifera pœnitudo. Nónne hic exactiſſimè explicat tres pœnitentiæ partes? Ita homo. 10. ſuper Matthæum tradit idem Chryſoſtomus tempus & iam determinatum confitendi, vt poſt patentia criminum vulnera, pœnitentia interueniente curentur. Quomodo autem patebunt crimina ſi non per cõfeſſionem detegantur ſacerdoti? Sic in pluribus locis Chryſoſtomus ipſe reuellit hanc ſententiam: quam & Hieronymus proſternit, dicens: Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eũ peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri et magiſtro voluerit confiteri, magiſter, qui linguam habet ad curandum facile ei prodeſſe non poterit. Si ergo erubeſcat ęgrotus fatuus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. His igitur potius credant Principes et Ciuitates authoribus, quàm vni gloſſæ decreti, à iuris diuini peritis impugnatæ & reiectæ. Quare admonendi ſunt, cum Confeſſio integra nedum ſit ad ſalutem neceſſaria, ſed etiam neruus exiſtat Chriſtianæ diſciplinæ, et totius quoq; obedientiæ, vt orthodoxæ Eccleſiæ ſe conforment. Nam, Hieronymo teſte, hæreſis illa fuit Montanorum, qui ante mille ducentos et plures annos damnati fuerunt, propterea quod erubeſcant peccata ſua confiteri. Non decet itaq; Montanorum ſequi errorem, ſed potius ſanctorum Patrum ac totius Eccleſiæ Catholicæ ritum, vt ad normam fidei orthodoxæ vnuſquiſque in omnibus dominijs ſuis præcipiat Confeſſionem, præcipuum in Eccleſia Dei theſaurum, fieri iuxta ritum in Eccleſia etiam apud nos ſeruatum. *Mon. err.*

An-

Andreæ Fabricij Leodij In articulum de Confeſſione animaduerſio.

QValem Euangelici noui in ſuis eccleſijs cõfeſſionem obſeruent, quomodo explorent, quomodo abſoluant illos, quibus corpus Domini, aut panem potius piſtorium porrigere volunt, cuiuſmodi requirant fidem abſolutionis, niſi factis ipſis teſtarentur, fortè lenocinio verborum, quo in hoc articulo vtuntur, plures ſeducerent. Atque vtinam pauciores eſſent, qui tædio diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſtudioq́; illecebrarum carnis, in hos de ratione pœnitendi errores inducerentur, quàm ipſa argumentorum vi. Breuitati ſtudentes, ſingula non perſequemur, ſed quia non verentur iſti eccleſię Chriſti inſtauratores iactitare, quòd catholici hoc ipſis tribuere cogantur, Doctrinam de pœnitentia, diligentiſſimè à ſe tractatam & patefactam eſſe, videndum eſt, quid primi illi Babylonis architecti de actibus pœnitentiæ ſenſerint. Si quis enim eorum ſcripta perluſtret, mox fuerit clariſſimum, quòd contritionem vel arrodant, vel mutilẽt, vel funditùs euertant: Confeſſionem ſacramentalẽ, quæ enumeratis grauioribus peccatis, fit coram ſacerdote, velut impoſſibilem, & minus neceſſariam reijciant: Satisfactiones canonicas, velut Chriſto iniurioſas abrogent, & deſpuant. Hoccinè eſt doctrinam de pœnitentia, diligentiſſimè pateſeciſſe? Hoccinè eſt puriſſimè de pœnitentia docuiſſe? Vtcunq; velint, fœtulentiam illam infernalem, in ſua confeſſ[illegible] obuelent euangelici, teſtantur tamen [illegible]i publicè editi, quid his de rebus, Ipſorum propheta Lutherus ſenſerit. Conſtat enim, quod ille docuerit, contritionem, qua quis deteſtatur præterita peccata, & recogitat annos ſuos in amaritudine animę ſuę, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis acquiſitionem, hanc inquam contritionem magis hypocritam, & peccatorem facere. Conſtat item, illum docuiſſe, quod ſi confitens fortè non eſſet contritus, aut ſacerdos non feriò ſed ioco abſolueret, ſi tamen credit ſe abſolutum, quòd veriſſimè ſit abſolutus, quicquid tandem ſit de contritione nec hoc quidem eſſe requirendum, an quis ſit contentus vel non. Sed nunc pudore ſuffuſi Lutherani in variata ſua confeſſione, vt fucum hominibus faciant, verbis quidem dicunt, veros terrores & dolores animi, agnoſcẽtis iram Dei, & dolentis ſe peccaſſe, cum ceſſatione à peccatis (ſic enim illi contritionem deſcribunt) eſſe ad pœnitentiam neceſſarios, factis tamen & quotidiana praxi negant. Mirificè etiam tantopere deprędicata illa fides, animos perterrefactos erigit ad Deũ, quæ iubet vocem ſacerdotis etiam ioco abſoluentis tanquam euangelium, Deique verbum apprehendi, atque certam peccatorum remiſſionem inde cõcipere. Docuit etiam Lutherus, quòd in ſacramento pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, nõ plus faciat Papa vel Epiſcopus, quàm infimus ſacerdos, imo vbi non eſt ſacerdos, æquè tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi puer aut mulier eſſet. Sed hanc doctrinæ vanitatem, archetypo ſuæ confeſſionis inſerere puduit. In variata autem confeſſione latenter idem inſinuant, dum totã cõſiderationem, neſcio ad quod colloquium, vel priuatam monitionem, quam inanis quędam abſolutio conſequatur, reuocant. Vndè in quibuſdam ipſorum eccleſijs ea praxis eſt conſecuta, vt laicus laico, leno lenoni, carnifex carnifici, meretrix meretrici, ſua ſcelera enarret, & ſcaber ſcabrum perfricet, atque abſoluat. Vtinam inuicem ſibi non gratulẽtur cum malefecerint, & exultent in rebus peſſimis. Iſtud tamen ipſis eſt, priuatam abſolutionem in eccleſijs retinere, iſtud eſt dignitatem & poteſtatem clauium, veris & ampliſſimis laudibus ornare. Porrò de ſatisfactionibus, in archetypo Confeſſionis, tantũ illud reprehendunt, quòd à catholicis immodicè extollantur, ſed malitia quotidie longiùs ſerpente, in variata confeſſione diſertis verbis affirmãt, eas nõ eſſe neceſſarias: cumque non ignorarent, clariùs expreſſam eſſe Catholicam de ſatisfactione canonica doctrinam, in veteribus ſcriptoribus, vt tantam vim vno veluti impetu obruant, comminiſcuntur, veteres mulctis illis & ſatisfactionibus canonicis, duntaxat voluiſſe populum à peccatis deterrere. Quare eiuſmodi mores, tempore procedente, conſenuiſſe, & antiquatos eſſe. Atque vt maiorem vim figmentum illud haberet, ſimul calumniantur, poſteriores doctores ſenſiſſe, cæremoniam ſatisfactionis eſſe culpæ, & mortis æternæ compenſationem. Qui ita docent, qui ita calumniantur, an non horribilem animarum lanienam inſtituunt, & comparant? Nunc hoc, nunc illud docendo, nec quicquam certi affirmando, an non iubent ſuos auditores perpetuò de remiſſione peccatorum dubitare? Cùm vbique fraudulenter & impiè de pœnitentiá diſſerant, videri tamen volunt ſimpliciter planè, & ſine vlla Sophiſtica euangelij ſententiam proponere, aptiſſimamq́; rationem, qua peccatores ad Chriſtum redire, peccatorumque remiſſionem conſequi poſſint, inueniſſe. Quinimo tantum lumẽ huic parti doctrinæ ſe attuliſſe gloriantur, vt ipſimet angeli in cœlo ipſis gratulentur hanc diligentiam, & qui inter ipſorum aduerſarios ſunt ſaniores, fateri cogantur, hac in re ipſos eſſe de eccleſia optime meritos. Sed quinam ſunt

tandem

tandem iſti aduerſarij, qui tanta vi vrgentur approbare hanc doctrinæ impietatem? Nemo enim eſt, in extremo etiam Catholicorũ ordine conſtitutus, qui verbis & factis ſemper non damnet, quæ iſti de pœnitentiæ partibus commenti ſunt. Si patrum noſtri ſeculi iudicium requiratur, non eſt obſcura conci- *Concil. Trid. ſeſſ. 14.* lij Tridentini definitio. Si vero primitiuę Eccleſiæ ſcriptores euoluantur, nouam & planè peregrinam eſſe Lutheranornm hac in parte doctrinam mox deprehendetur. Nam quod ex Chryſoſtomo hic afferunt, planè fraudulenter agunt. Ipſum enim ibi non loqui de ſacramentali confeſſione; quæ enumeratis peccatis coram ſacerdote peragitur, maniſeſtè verba ipſa declarãt, Non dico, inquit, vt te prodas in publicum. Quis enim ſtatim hinc nõ colligat, ipſum de publica loqui pœnitentia? Quidam in primitiua eccleſia adeo rigidi erant peccatorum cenſores, vt vellent non modò priuatim, apud ſacerdotẽ peccata enumerari, verumetiam publicè multis audientibus ad maioremruborẽ recitari. Iſtud eſt quod hic reprehendit Chryſoſtomus, dicens, ad publicam illam pœnitentiam ſufficere, ſi quis delicta ſua conſcientiæ propriæ memoriæ, non autem lingua pronunciet. De *Homel. 42. in Matth.* ſententia etiã Chryſoſtomi nullus relinquetur apud illos dubitandi locus, qui ex illo didicerint, peccatorum rationem & correctionem primùm à nobis Ipſis eſſe exigendã, eaq; per ſingulas ſpecies eſſe recolenda. Deinde ſacerdotibus tantam eſſe datam authoritatem, vt infixas animabus lepræ maculas, non modò probare, verumetiam purgare *Lib 3 de ſa.* poſſint. Noſtris, inquit, ſacerdotibus nõ corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, verumetiam purgare prorſus conceſſum eſt: Quare iudicio quidem meo, qui iſtos deſpiciunt, contemnuntque, multò ſceleratiores, ac maiori ſupplicio digni fuerunt, quàm fuit Dathan vna cum ſuis omnibus. Videatur idem Chryſoſtomus lib. 3. de verbis Eſaię, Vidi dominum. Quod autem modò diximus, de nimia quorundam rigiditate, circa publicam pœnitentiam, quam reprehendit Chryſoſtomus, ne quis commentum eſſe putet, clariùs reddi- *Leo. 1. epiſt. 80. cap 2.* derit beatus Leo, dũ ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenũ conſtitutos ſcribens, idem apud Latinos reprehendit, quod Chryſoſtomus apud Græcos. Illam, inquit, etiam contra apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri, (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur) ne ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio, publicè recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis, ſua facta reſerare, quibus poſſent legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentiam precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiã poterũt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. Porrò cum ex gloſſula quadam ſtudent comprobare, confeſſionem ſacramentalem eſſe humani iuris, cuiuſmodi fundamentis nitantur, & quo affectu dogmata religionis pertractent, clarũ faciunt. Iampridem flammis voracibus contextum ipſum iuris canonici tradiderũt, in quo decreta ſanctiſſimorum Pontificum, Patrum & conciliorum canones, Chriſti etiam martyrum ſententiæ continebantur, nunc ipſis tanti eſt vnius gloſſatoris ſententia, vt ex eius authoritate concludere auſint, ſacramentum pœnitentiæ vna ſui parte mutilari poſſe, atque peccatorum exomologeſim ex humano duntaxat pendere arbitrio. Abſit vt Catholici in vnius hominis iurent ſententiam, præſertim quæ à Patrum ſenſu & conſenſu ſit difformis. Semper autem catholica docuit Eccleſia, partim ex verbis Chriſti apud Ioannem, partim ex Actibus Apoſtolorum, non modo interiorem illam confeſſionem, quæ coram Deo eſt facienda, verumetiam exteriorem, quæ coram ſacerdote de criminibus peragitur, diuini iuris eſſe, vt minimè neceſſum ſit, in re tot ſeculis & moribus & literarum monumentis comprobata, nos diutius immorari.

Ioannis à Dauentria refutatio.

DE Confeſſione & peccatorum enumeratione pleraque multa diximus ſuprà, cum de pœnitentię partibus diſſereremus. Hæc itaque ſufficiant.

Ioannis Cochlai Articuli de Confeſſione diſcuſſio.

DE hoc Articulo dictum eſt ſupra, quantum ſatis pro tempore viſum eſt. *ſeq. art.*
De quo hic nihil habet Apologia. Quare & nos pauca ad ea, quæ in Confeſſione Proteſtantium dicuntur, reſpondebimus per verba negatiua. Negamus

ſanè

ſanè ante hæc tempora magnum de fide abſolutionis fuiſſe ſilentium. Nemo enim Catholicorum de poteſtate clauium (de qua & Matthæi & Ioannis Euangelium clariſſime teſtatur) aut de abſolutione ritè ſacta vnquā dubitauit. Negam⁹ item, nullam antea fuiſſe factam mentionē fidei & meriti Chriſti. Negamus præterea, doctrinam Lutheranorum diligentiſſime de pœnitentia tractaſſe. Quoniam & Papa Leo X. in ſua contra Lutherum Bulla, & clariſſima vniuerſitas Pariſienſis in ſua determinatione, multos Lutheri erroneos de Pœnitentia articulos iam pridē ante viginti annos damnauit.

Reſponſio negamus. Matth. 16. & 18. Ioan. 20.

Quæ autem afferuntur hic contra enumerationem omnium delictorū, conſutata ſunt ſupra. Non enim exigit Eccleſia, pia mater, à filijs ſuis aliquid impoſſibile, ſed vult vt nemo ſcienter in Cōfeſſione peccata ſua aliqua reticeat, ſed exprimat ſacerdoti omnia, de quibus ſibi conſcius eſt, & reum ſe cognoſcit. Quod autem ex Chryſoſtomo allegat dictū iſtud: Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuſes, &c. hoc nihil facit contra ſecretam & auricularem Cōfeſſionem, quia in ea nemo ſe prodit in publicum, neque apud alios ſe accuſat, ſed facit vtrunque (nempe prodere & accuſare ſe) ſecreto coram ſacerdote, Dei vicem gerente. Confitetur itaque ſic principalius Deo, quàm ſacerdoti; hic enim miniſter, ille dominus eſt.

Dicta Chryſoſtomi.

Quod autem Gloſſam ex Decretalib⁹ nobis obijciunt, impudenter & inique agunt, tum quia ipſi nobis non ſolum gloſſas, ſed etiam textus ſimul negare & reijcere non verentur; tum quia non ignorabant dum iſta ſcriberent, & Cæſari exhiberent, Lutherum ſuum iam pridem antea textus ſimul cum gloſſis publice immani ſuperbia & petulantia Vulcano tradidiſſe & exuſſiſſe. Et gloſſa, ſi recte intelligatur, non contrariatur, aut repugnat authoritati Eccleſiæ, quæ ex Euāgelio probat, (ſicut & Auguſtinus facit) Confeſſionem iuris eſſe diuini, quemadmodum oſtēſum eſt ſuprà. Vanæ ſunt igitur iſtæ ſuggillationes.

Nec verum eſt, quod apud ſectas nouas ritè obſeruetur & retineatur Confeſſio: tum quia confitens agit fraudulenter, non omnia peccata, de quibus ſibi conſcius eſt enumerans: tum quia confeſſor abſoluens temere, fruſtra, falsò, & fictè tātum abſoluit, eò quòd extra Eccleſiæ vnitatem peccata remitti non poſſunt. Claues enim ſoli Eccleſiæ, quæ Petrum pro paſtore agnoſcit, nulli ſectæ ſunt à Chriſto traditę, nec ſpirituſſanctus vllas ſectas, aut ſchiſmaticos inhabitat, ſine quo peccatorum remiſſio fieri non poteſt. Antequā enim Chriſtus diſcipulis ſuis daret facultatem remittendi peccata, præmittit diſertè & expreſsè hoc verbum: Accipite ſpiritum ſanctum.

Nulla in ſectis vera Confeſſio. *Ioan. 20.*

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De diſcrimine ciborum.

Publica perſuaſio fuit non tantum vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſiis quod diſcrimina ciborum & ſimiles traditiones humanæ, ſint opera vtilia, 1. ad promerendam gratiam, & ſatisfactoria pro peccatis. Et quod ſic ſenſerit mundus, apparet ex eo, quia quotidie inſtituebantur nouæ cæremoniæ, noui ordines, nouæ feriæ, noua ieiunia. Et doctores in templis exigebant hæc opera tanquam neceſſarium cultum 2. ad promerendā gratiam, & vehementer terrebant conſcientias, ſi quid omitterent. Ex hac perſuaſione de traditionibus, multa incommoda in Eccleſia ſecuta ſunt.

Primò, obſcurata eſt doctrina de gratia, & iuſtitia fidei, quæ eſt præcipua pars Euangelij, & quam maximè oportet exiſtere, & eminere in Eccleſia, vt meritum Chriſti bene cognoſcatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Chriſtum 3. longe ſuper opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem, & humanas traditiones remouet, vt oſtendat, iuſticiam Chriſtianam aliud quiddam eſſe, quàm huiuſmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata remitti gratis propter Chriſtum. Hæc doctrina Pauli pene tota oppreſſa eſt per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per diſcrimina ciborum, & ſimiles cultus 4. oporteat mereri gratiam & iuſtitiam. In pœnitentia nulla fiebat mentio de fide, tātum hæc opera ſatisfactoria exponebantur, in his putabatur pœnitentia tota conſiſtere.

Secundò, hæ traditiones obſcurauerunt præcepta Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei. Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſeruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, veſtitus, hæ obſeruationes erant in poſſeſſione honeſtiſſimi tituli, quod eſſent vita ſpiritualis & vita perfecta. Interim mandata Dei, iuxta vocationem nullam laudem habebāt, quod paterfamilias educabat ſobolem, quod mater pa-

1. Editio Vuittbergēſis anni 1531. in octaua forma, ſic legit: Ad promerendam remiſſionē culpæ & pœnæ. Et quod, &c.

2. Exemplar Vuittenbergenſe anni 1531. in octauo, legit: Ad promerendam iuſtificationē. Et vehementer, &c.

3. Exemplar Vuittberg. anni 1531 in octauo, addit: Non propter vlla noſtra opera, longe, &c.

4. Exemplar Vuittenb. anni 1531 legit: Oporteat mereri remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem: In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantū hæc opera ſatisfactoria proponebantur, in his putaba-

 riebat,

tur pœnitentia tota conſiſtere.

riebat, quod Princeps regebat Rempub. hæc putabantur eſſe opera mundana & imperfecta, & longe deteriora illis ſplendidis obſeruationibus. Et hic error valde cruciauit pias conſcientias, quæ dolebant ſe teneri imperfecto vitæ genere in coniugio, in magiſtratibus, aut alijs functionibus ciuilibus, mirabantur Monachos & ſimiles, 5. & falſo putabant, illorum obſeruationes Deo gratiores eſſe.

5. Exemplar Vuittenberg anni 1531 in octaua forma, ſic legit: Et falſo putabant illorum obſeruationes magis mereri remiſſionē peccatorum & iuſtificationem.

Tertiò, &c.

Tertiò, traditiones attulerunt magna pericula conſcientijs, quia impoſſibile erat omnes traditiones ſeruare, & tamen homines arbitrabātur has obſeruationes neceſſarias eſſe cultus. Gerſon ſcribit multos incidiſſe in deſperationem, quoſdam etiam mortem ſibi conſciuiſſe, quia ſenſerant ſe non poſſe ſatisfacere traditionibus, & interim conſolationem nullam de iuſtitia fidei & de gratia audierant.

Videmus Summiſtas & Theologos colligere traditiones & quærere ἐπιεικείας, vt leuēt conſcientias, non ſatis tamen expediunt, ſed interdum magis inijciunt laqueos conſcientijs, & in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ ſcholæ & conciones, vt non vacauerit attingere ſcripturam & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate ciuilium rerum, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerſon, & alij quidam Theologi grauiter queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri, quo minus verſari poſſent in meliore genere doctrinæ. Et Auguſtinus vetat onerare conſcientias huiuſmodi obſeruationibus, & prudenter admonet Ianuariū, vt ſciat eas indifferenter obſeruandas eſſe. Sic enim loquitur: Quare noſtri non debent videri temere hanc cauſam attigiſſe, aut odio Epiſcoporum, vt quidam falſo ſuſpicantur. Magna neceſſitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus male intellectis, admonere Eccleſias. Nam Euangelium cogit in Eccleſiis vrgere doctrinam de gratia & iuſtitia fidei, quæ tamen intelligi non poteſt, 6. ſi putāt homines ſe mereri gratiam per obſeruationes ab ipſis electas.

6. Exemplar Vuitbergen. anni 1531. in octauo, habet: Si putent homines ſe mereri remiſſionē peccatorum & iuſtificationem per obſeruationes ab ipſis electas;

7. Exemplar Vuitberg. anni 1531. in octaua, ſic habet. Non poſſumus mereri remiſſionem peccatorum & iuſtificationē, quare, &c.

Sic igitur docuerunt quod per obſeruationem traditionum humanarum 7. non poſſimus gratiam mereri aut ſatisfacere pro peccatis, quare non eſt ſentiendum, quod huiuſmodi obſeruationes ſint neceſſarij cultus. Addunt teſtimonia ex ſcriptura: Chriſtus Matth. xv. excuſat Apoſtolos, qui non ſeruauerant vſitatam traditionem, quæ tamē videbatur de remedio eſſe, & habere cognationem cum baptiſmatibus legis: dicit autem, Fruſtra me colunt mādatis hominum, igitur non exigit cultum inutilem. Et paulò pòſt addit. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem. Item Roma. xiiij. Regnū Dei non eſt eſca aut potus. Coloſſ. ij. Nemo iudicet vos ex cibo, potu, ſabbatho, aut die feſto. 8. Acto. xv. ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponentes iugū ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conſcientias pluribus ritibus, ſiue Moyſi, ſiue alijs. Et 1. Tim. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Euangelio talia opera inſtituere, aut facere, 9. vt per ea mereamur gratiā, aut quod non poſſit exiſtere humana iuſtitia ſine tali cultu.

8. Exemplar Vuitberg. anni 1531 in quarto, item in octauo eodem anno impreſſo adijciunt. Ne ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquā viuētes in mūdo decreta facitis? Ne attingas, ne guſtes, ne contrectes. Actor. 15. Ait Petrus &c.

9. Exemplar Vuitbergē anni 1531 ſic habet: Vt per ea mereamur remiſſionē peccatorum, & iuſtificationem, aut quod non poſſit exiſtere Chriſtianiſmus ſine tali cultu. Hic, &c.

Hic obijciunt aduerſarij, quod noſtri prohibeant diſciplinam, & mortificationē carnis, ſicut Iouinianus: verùm aliud deprehendetur ex ſcriptis noſtrorum ſemper enim docuerunt de cruce, quod Chriſtianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc eſt vera, & ſeria & non ſimulata mortificatio, varijs afflictionibus exerceri & crucifigi cum Chriſto. Inſuper docent, quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus ſic exercere, & coercere, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, non vt per illa exercitia 10 mereamur remiſſionem peccatorum, ſatiſfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem diſciplinam oportet ſemper vrgere, non ſolùm paucis & conſtitutis diebus, ſicut Chriſtus præcipit: Cauete ne corpora veſtra grauentur crapula. item, Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: Caſtigo corpus meum, & redigo in ſeruitutem: vbi clare oſtendit, ſe ideo caſtigare corpus, non vt per eam diſciplinam mereatur remiſſionem peccatorum, ſed vt corpus habeat obnoxium & idoneum ad res ſpirituales, & ad faciendum officium iuxta vocationem ſuam. Itaq. non dānantur ipſa ieiunia, ſed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præſcribunt, cum periculo conſcientiæ, tāquam iſtiuſmodi opera ſint neceſſarius cultus.

10. Exēplar Vuitbergē. anni 1531. in quarto, habet: Mereamur gratiā, aut ſatisfaciamus pro peccatis. Exemplar vero eiuſdem anni in octaua forma, legit: Mereamur remiſſionē culpæ aut mortis æternæ. Et hanc, &c.

11. Ser-

11. Seruantur tamen apud nos pleraq; traditiones, vt ordo lectionum in Miſſa, feriæ, & quæ conducunt ad hoc, vt res ordine gerantur in Eccleſia: ſed interim admonẽtur homines, quòd tales cultus non iuſtificet coram Deo, & quòd non ſit ponendum peccatum in talibus rebus, ſi omittantur ſine ſcandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in Oriente, alio tempore ſeruabatur Paſcha quàm Romæ, & cum Romani propter hanc diſsimilitudinem accuſarent Orientem ſchiſmatis, admoniti ſunt ab alijs tales mores non oportere vbique ſimiles eſſe. Et Irenæus inquit, Diſſonantia ieiunij, fidei conſonantiam non ſoluit: ſicut & diſtinct. xij. Gregorius Papa ſignificat talem diſsimilitudinem non lædere vnitatem Eccleſiæ. Et in hiſtoria Tripartita lib. ix. multa colliguntur exempla diſsimilium rituum: Et recitantur hæc verba: Mens Apoſtolorum fuit, non de diebus feſtis ſancire, ſed prædicare bonam conuerſationem & pietatem.

11. Exemplar vvitebergæ anni 1531. legit. Seruantur tamen apud nos pleraque traditiones, quæ conducunt ad hoc, vt res ordine geratur in Eccleſia, vt ordo lectionum in Miſſa, & præcipuæ feriæ, ſed interim.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ, Articulus De diſcrimine ciborum.

IN hac corporali vita opus eſt traditionibus, hoc eſt, locorum ac temporum diſcriminibus, vt ordine gerantur res in Eccleſia, ſicut præcipit Paulus, vt omnia fiant ordine, & ita, vt deceant. Ideo & Eccleſia habet traditiones, hoc eſt, conſtituit, quibus temporibus vbi conuenire populus debeat. Ad hunc ciuilem finem licet condere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Chriſtianæ non ſunt hoc fine contenti, ſed affingunt ſuperſtitioſas opiniones traditionibus, easq; per ſuperſtitionem ſine modo cumulant. Id queſti ſunt accidiſſe in Eccleſia nõ tantum recentiores Gerſon & alij, ſed etiam Auguſtinus.

Quare neceſſe eſt populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana authoritate conditæ ſunt in Eccleſia, ſentiendum ſit. Neque enim nihil cauſa eſt, cur Chriſtus & Paulus de traditionibus concionentur, & Eccleſiam admoneant, vt prudenter de traditionibus iudicet.

Fuit autem perſuaſio publica non modò vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſiis, diſcrimina ciborum, & ſimilia opera, de quibus Eccleſiaſticæ traditiones præcipiunt, cultus eſſe Dei, qui mereantur remiſſionem peccatorum. Item, tales cultus eſſe iuſtitiam Chriſtianam, & neceſſarios eſſe, ſicut in veteri teſtamento Leuiticæ ceremoniæ neceſſariæ fuerũt, nec poſſe ſine peccato omitti etiam extra ſcandali caſum. Hæ perſuaſiones multa pepererunt incommoda.

Primùm, obſcurata eſt Euangelij propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Chriſtum, hoc beneficium Chriſti tranſlatum eſt in illa humana opera. Ac propter hanc opinionem præcipuè auctæ ſunt traditiones, quia exiſtimabantur opera illa mereri remiſſionem peccatorum, eſſe ſatisfactiones, eſſe iuſtitia Chriſtiana. Porrò maximè ob hanc cauſam tàm crebro, tam ſeuere admonet nos Paulus de traditionibus cauendis, ne beneficium Chriſti tranferretur in traditiones, ne gloria Chriſti obſcuraretur, ne conſcientijs eriperentur veræ & firmæ conſolationes, denique ne fides, hoc eſt fiducia miſericordiæ Chriſti, obrueretur. Hæc pericula caueri Paulus voluit. Maximè enim opus eſt in Eccleſia exſtare puram doctrinam de beneficio Chriſti, de iuſtitia fidei, de conſolatione conſcientiarum.

Secundò, hæ traditiones obſcurauerunt præcepta Dei, quia hæc Pædagogia exiſtimabatur eſſe ſpiritualis & Chriſtiana iuſtitia. Item præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei. Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſeruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, veſtitus. Hæc πτωχὰ στοιχεῖα erant in poſſeſſionem honeſtiſſimi tituli, quod eſſent vita ſpiritualis, item perfectio Chriſtiana. Interim mandata Dei de vocatione nullam laudem habebant, quod Paterfamilias educabat ſobolem, quod mater pariebat, quod princeps regeret Rempub. hæc opera deſpiciebantur, non iudicabantur eſſe cultus Dei. Verſabantur in perpetua dubitatione mentes plurimorum, an coniugium, magiſtratus, & ſimiles vitæ ciuilis functiones Deo placerent. Hæc dubitatio multos valde cruciauit. Multi deſerta ſua vocatione, deſerta Repub. abdiderunt ſe in Monaſteria, vt vitæ genus quærerent, quod magis arbitrabantur Deo placere, imò quod arbitrabantur mereri remiſſionem peccatorum.

Tertiò, opinio neceſſitatis etiam duriter exercuit conſcientias, traditiones exiſtimabantur neceſſariæ, & tamen nemo, quamlibet diligens obſeruabat omnes, præſertim cum ſint innumerabiles. Gerſon ſcribit, multos incidiſſe in deſperationem, quoſdam etiam ſibi mortem

conſciuiſſe, quia animaduerterant, ſe non poſſe ſatisfacere traditionibus. Et interim nullam conſolationem de gratia, de iuſtitia fidei audierant. Videmus Summiſtas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, vt leuent conſcientias, ſed ne ipſi quidem ſibi ſatisfaciunt: non poſſunt ſe ſatis extricare, interdum etiam illæ ipſæ interpretationes iniiciunt laqueos conſcientijs. Et in traditionibus colligendis ita fuerunt occupatæ ſchola, & conciones, vt non vacauerit attingere ſcripturam, & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate ciuilium rerum, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaque multi boni viri ſæpe queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri, quo minus verſari in meliore doctrinæ genere poſſent. Cum igitur huiuſmodi ſuperſtitioſæ opiniones hærerent in traditionibus, neceſſe fuit admonere Eccleſias, quid de traditionibus ſentiendum ſit, errore pias mentes liberare, mederi pauidis conſcientijs, & illuſtrare beneficium Chriſti. Non hoc agimus vt labefactetur authoritas Eccleſiaſticæ poteſtatis, non detrahimus de dignitate Epiſcoporum, non diſſipamus εὐταξίαν Eccleſiæ. Recte intellectæ traditiones magis amantur, ſed illæ Iudaicæ opiniones tantum reprehenduntur. Sic igitur docemus de cæremonijs humana authoritate conditis in Eccleſia. Primum de traditionibus, quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non poſſunt obſeruari ſine peccato, ſequenda eſt regula Apoſtolorum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus: talis eſt traditio de cælibatu. Deinde, de reliquis cæremonijs, quæ ſunt ſua natura res mediæ ſeu indifferẽtes, vt ieiunia, feriæ, diſcrimina veſtitus, & ſimiles, ſciendum eſt, tales obſeruationes nec mereri remiſſionem peccatorum, nec iuſtitiam, nec perfectionem Chriſtianam eſſe, ſed res eſſe adiaphoras, quæ extra ſcandali caſum omitti poſſunt.

Teſtimonia huius ſententiæ plana & clara ſunt in Euangelio & diſputationibus Pauli. Nam ſpiritusſanctus duxit operæpretium eſſe, vt diligenter de hac re moneret Eccleſiam, ne ſuperſtitioſis opinionibus obrueretur Euangelium.

Rom 14. Regnum Dei non eſt eſca, aut potus, ſed iuſtitia, pax, & gaudium in ſpiritusſancto. Hic ſatis clarè docet Paulus, iuſtitiam Chriſtianam eſſe motus ſpirituales cordis, nõ eſſe externas obſeruationes ciborum, dierum, &c.

Coloſſ. 2. Nemo vos iudicet in cibo, potu, aut parte diei feſti, vetat iudicari cõſcientias, hoc eſt, condemnari conſcientias in vſu talium rerum, ſed prorſus vult haberi pro rebus indifferentibus, & quæ non pertinent ad iuſtitiam Euangelij. Et deinde longa & grauis cõcio eſt & de Moyſaicis ritibus, & de cæremonijs inſtitutis humana authoritate. Loquitur .n. Paulus de vtroque genere nominatim. Negat eas eſſe iuſtitiam Chriſtianam, & vetat traditiones onerare talibus traditionibus. Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viuentes in mundo decreta facitis: Ne attingas, ne guſtes, ne contrectes.

Matth. 15. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et quidẽ ibi excuſat Apoſtolos violantes vſitatam traditionẽ, & addit ſententiam memorabilem, Fruſtrà me colũt mandatis hominũ. Negat eſſe veros & vtiles cultus ad iuſtitiam coram Deo, quare nõ ſunt iuſtitia Chriſtiana, nec ſunt neceſſarij cultus. Atqui conſtat in Eccleſia hactenus humanos cultus mirum in modum creuiſſe. Quotidie cumulabant Monachi cæremonias, nouis ſuperſtitionibus & aucupijs. Et hæ nugæ putabantur eſſe præcipui cultus Dei, præcipua pietas, cũ Chriſtus tam graui oraculo vetet humanas cæremonias haberi pro cultibus. Nõ enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc eſt, propter bonum ordinem, ſed cultus eſſe negat, cũ ait: Fruſtra colunt me. Et docet veros cultus eſſe opera diuinitus præcepta, timorẽ, fidem, dilectionem, patientiam, caſtitatem, parere vocationi, facere officium, &c.

Act. 15. ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponẽtes iugum ſuper ceruices diſcipulorũ, quòd neque nos, neq; patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Hic docet Petrus, contingere nobis remiſſionem peccatorum, & ſalutem propter Chriſtum, non propter Moyſaicos aut ſimiles ritus. Et admonet, grauiſſime peccare illos, qui conſcientias onerant talibus obſeruationibus. Nec enim eſt leuis reprehenſio, cum inquit: Quid tentatis Deum?

Et 1. Timot. 4. Vocat prohibitionem ciborum, coniugij, & ſimiles traditiones, doctrinas dæmoniorum. Quare autem tam atroci conuicio vſus eſt? Non voluit nullas prorſus fieri ordinationes, nulla ſeruari diſcrimina locorum, temporũ. Sed tunc ſentit doctrinas eſſe dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Chriſti, quando habentur pro iuſtitia, itẽ pro neceſſarijs cultibus, quando affingitur opinio neceſſitatis, & cruciantur conſcientiæ. &

exu-

excutitur eis fides. Hæc incommoda volunt caueri Chriſtus & Apoſtoli. Ideoq́ toties tam vehementer aduerſus traditiones concionatur. Ac mirum eſt illis fulminibus nihil moueri eos, qui ſuperſtitioſas opiniones traditionum defendunt.

Cæterum dicemus, non eſſe damnandas traditiones, quæ nihil præcipiunt contra mandata Dei, & habent finem politicum, videlicet quæ ad hoc conditæ ſunt, vt ordine res in Eccleſia gerantur, cuiuſmodi ſunt traditiones de ferijs, die Dominico, Natali, Paſchate, & reliquis, item de ſacris lectionibus, & ſimiles. Et huius generis veteres ritus libenter retinemus in noſtris Eccleſiis. Et tamen admonetur populus, vt ſciat, quid de talibus moribus ſentiendum ſit, videlicet, quod non mereantur remiſſionem peccatorum, quod non ſit iuſtitia Chriſtiana, nec cultus neceſſarij ad iuſtitiam Chriſtianam, ſed res indifferentes quas extra ſcandali caſum liceat omittere. Hæc ἐπιείκεια traditionum liberat conſcientias à ſuperſtitioſis opinionibus, & ab illa veteri carnificina. Et tamen egregiam cõmendationem affert traditionibus, quia verum vſum earum oſtendit. Omnes moderati homines libentius parent traditionibus poſtquam intelligunt priuatim conſcientias periculo liberatas eſſe, & eatenus parendum eſſe, ne perturbetur communis tranquillitas, néue imbecilles lædantur. Deinde munit & conſeruat hæc interpretatio publicos mores ac diſciplinam, quia iubet caueri ſcandala. Ad exemplum pertinet, & ad aſſuefaciendam adoleſcentiam, & vulgus conſeruare publicas ferias, cœtus in templis, lectiones, &c. Ideo huiuſmodi ordinationes non ſunt diſſipandæ, ſed potius communi ſtudio adiuuandæ, hæ ſunt veræ & honeſtæ laudes traditionum, quæ omnes pios & moderatos haud dubie, maximè inuitant ad amandos, tuendos, & ornandos publicos mores. Euangelium docet reuerenter ſentire, non ſolum de alijs ciuilibus legibus & moribus, ſed etiam Eccleſiaſticis, & verum vſum harum monſtrat. Sed gradus tamen conſtituit, & diſcerni vult doctrinam de Chriſto & rebus cœleſtibus ac æternis, à pædagogia Eccleſiaſtica. Hæc libertas, de qua hic dicimus, non fuit ignota patribus. Auguſtinus enim inquit: Totum hoc genus verum, liberas habet obſeruationes. Et in hanc ſententiam multa diſputat. Irenæus inquit: Diſſonantia ieiunij non diſſoluit fidei conſonãtiam. Tripartita historia multa colligit exempla diſſimilium rituum, & addit egregium Epiphonema. Mens Apoſtolorum fuit non de diebus feſtis ſancire, ſed prædicare bonam conuerſationem & pietatem. Sed nihil opus eſt in re manifeſta colligere multa teſtimonia. Verùm hic vociferantur aduerſarij, labefactari hac doctrina diſciplinam publicam, effici ἀναρχίαν. Item aboleri bona opera, & mortificationem carnis, iuxta Iouiniani dogma. Has calumnias iam partim refutauimus. Non enim fit ἀναρχία nec labefactatur publica diſciplina, cum traditiones, quarum finis eſt politicus, ſeruandas eſſe doceamus. Doceamus & ſcandala cauenda eſſe: Sed de mortificatione carnis ſic reſpondemus. Vera & non ſimulata mortificatio eſt, tolerare crucem, verſari in periculis, ærumnis, & afflictionibus. Huius generis obedientia eſt cultus Dei, & opus ſpirituale, ſicut docet Pſalmus: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c. Docemus præterea aliud genus exercitiorum neceſſarium eſſe. Quilibet Chriſtianus etiam corporali diſciplina, laboribus, temperantia, meditatione diuinarum rerum, & alijs exercitijs aptis ætati, coercere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus eſſe debet, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, & vt mens admoneatur & fiat aptior ad effectus ſpirituales. Non eſt ſentiendum, hæc exercitia cultus eſſe, qui mereantur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfactiones eſſe, &c. Et hæc diſciplina debet eſſe perpetua, nec poſſunt præſcribi certi dies pariter omnibus. De hac diſciplina dicit Chriſtus: Cauete ne corpora veſtra grauẽtur crapula. Item: Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: Caſtigo corpus meum, & redigo in ſeruitutem. Itaq; nõ vituperamus ieiunia, ſed ſuperſtitioſas opiniones, & laqueos conſcientiarũ in traditionibus. Porrò hæc exercitia cũ ad illum finem referuntur, vt habeamus corpora obnoxia ad res ſpirituales, & ad faciendum officium iuxta vocationem, &c. ſunt in pijs bona & meritoria opera, vt teſtatur Danielis exemplum: ſunt enim opera quæ ad hunc finem requirit Deus, vt carnem coerceant.

(·:·)

CAROLI CAESARIS & Catholicorum Principum Reſponſio ad Articulum de diſcrimine Ciborum.

QVæ poſtmodū adferunt de delectu ciborum & ſimilibus traditionibus, quas nihil facere videtur, reijciendum eſt. Scimus ex Apoſtolo, quòd omnis poteſtas eſt à Deo, & præcipuè poteſtas Eccleſiaſtica, eſt data à Deo in ædificationē. Ideo, ex Chriſtiano & Eccleſiæ ſanctæ deuoto pectore, eiuſdem ſanctæ atque Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ cōſuetudines recipiendæ ſunt, quæ vtiles ſunt Eccleſiæ, tā in cultu diuino augendo, quàm in concupiſcentia carnis coercenda, cū expeditiores faciunt ad diuina pręcepta ſeruāda, & in ſacris literis inueniātur cōſultæ. Et qui eas cōtemnit, aut temerè eis reſiſtit, Deum grauiter offēdit, iuxta vocem Chriſti dicētis: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eū qui miſit me. Luc. 10. Spernitur aūt prælatus, dū ſtatuta eius cōtemnuntur, & iuxta S. Paulū dicentē, qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritūſanctum in vobis. 1. Theſ. 4. Et dum ad Epiſcopos inquit, Attendite vobis, & vniuerſo gregi, In quo vos poſuit ſpiritusſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei. Act. 20. Si ergo prælati habent poteſtatē regendi, habebunt & poteſtatem ſtatuta faciendi pro ſalutari Eccleſiæ regimine, & ſubditorum incremento. Præcipit enim idem Apoſtolus Corinthijs, vt omnia ſecundū ordinem fiant in eis. 1. Cor. 14. At hoc ſine legibus fieri nō poteſt, idcirco Hæbręis dixit, Obedite prepoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim reddituri ſunt rationē pro animabus veſtris, ad Hebr. 13. Hic S. Paulus non ſolum obedientiam, ſed & cauſam obedientiæ aſſignat, Videmus S. Paulum hac vſum eſſe poteſtate, qui tam multas leges pręter Euangelium dedit, de eligendo Epiſcopo, de viduis, de mulierib⁹, vt velato ſint capite, vt in Eccleſia taceant, & de verbis etiā profanis. 1. Theſ. 4. de ſecularibus iudicijs. 1. Cor. 6. Et apertiſſimè ad Cor. inquit: Nā cæteris ego dico, nō Dominus. 1. Cor. 7. Item alibi inquit, State: & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per epiſtolam noſtram, ſiue per ſermonem. 2. Theſ. 2.

Quare admonēdi ſunt Principes & Ciuitates, vt obedientiam Eccleſiaſticis ſtatutis & conſtitutionibus præſtent & exhibeant, ne cum Deo ſubtrahant obedientiam, à ſubditis quoq; ipſorum debita eis obedientia ſubtrahatur, vt in proxima ſeditione populari ſubditi facere nitebantur, neque patiantur ſe falſis ſeduci dogmatibus.

Falſiſſimum quoq; eſt, quod dicunt, Iuſtitiam fidei obſcuratam eſſe cōſtitutionibus huiuſmodi, quinimo demens eſſet & inſanus, qui ſine fide eas obſeruaret. Nam fidelibus dantur, non Turcis aut Agarenis. Quid enim mihi de ijs, quæ foris ſunt, iudicare? ait S. Paulus 1. Corin. 5. Quod autem fidem hic ſuper omnia extollunt, S. Paulo aduerſantur, vt & ſuperius diximus & S. Paulum lacerant, qui dum de operibus legalibus loquatur, Ipſi ad opera Euāgelica detorqueant, vt ſuperius omnia illa errata fuerunt diſiecta.

Falſum etiam eſt, conſtitutiones Eccleſiæ obruere præcepta Dei, cū ad illa hominem expediant, ſicut ieiunio cōcupiſcentiam carnis exprimūt, & adiuuāt ne in luxuriam cadat. Falſum etiā eſt, impoſſibile eſſe cōſtitutiones ſeruari. Non .n. eſt crudelis mater Eccleſia, quæ manifeſtam nō excipiat neceſſitatē in feſtos dies celebrādo, in ieiunando, & ſimilibus. Inſuper falſo citant Auguſtinū ad inquiſitiones Ianuarij, qui ex diametro cum eis pugnat: Nā apertiſſime definit eo loco, vniuerſaliter ab Eccleſia tradita, vniuerſaliter quoque obſeruāda eſſe. In indifferentibus autem, & quæ liberum eſt ſeruare, definit S. Pater Auguſtinus, B. Ambroſij cuiuſcunq; Eccleſię normam obſeruandam eſſe: Cum Romam, Inquit, venio, ieiuno ſabbatho: cum hic ſum, non ieiuno. Vim præterea ſcripturis faciunt, dum errata roborare nituntur. Nam Chriſtus Matth. 15. non ſimpliciter improbat cōſtitutiones humanas, ſed illas duntaxat, quæ aduerſabantur legi Dei. Quod clare ex Marc. 7. agnoſcitur, & hic Matth. 15. Quare & vos, inquit, tranſgredimini mandatū Dei propter traditionē veſtrā? quare irritū feciſtis præceptū Dei, vt traditionē veſtram ſeruaretis? Sic Paul Col. 2. prohibet quēquam iudicari in cibo, potu, ſabbatho, &c. more Iudaico. Nā Eccleſia nō iudicat carnes eſſe immūdas, quando pro-

Rom. 13.
Ephes. 4.

prohibet, ſicut, Iudæi in ſynagoga arbitrabantur. Sic verbum Chriſti de cibo intrãte per os, ſine recta & vera intelligentia huc affertur, cũ intentio eius fuerit, Iudæorũ tollere errorẽ, qui exiſtimabãt, cibos non lotis manibus tactos fieri immũdos, & eos comedentẽ fieri immundũ, vt ex circũſtantia literę eſt manifeſtũ. *Matth. 15.* Neq; Eccleſia his conſtitutionibus Moyſen graues habentẽ manus reducit. Eodẽ modo S. Paulũ lacerant. Nam. 1. Tim. 4. doctrinã dæmoniorũ vocat prohibentem cibos, vti Tatiani, Marcioniſtæ & Manichęi exiſtimabãt cibos eſſe immundos, vt ex verbis ſequẽtibus liquet. Cum S. Paul' ſubdit: Omnis creatura Dei bona eſt. Eccleſia aũt non prohibet cibos, quia malos aut immundos, ſed pro expeditiore via ad mãdata Dei ſeruãda. Cadunt ergo argumenta cõtraria Si verè crucẽ prædicarent, & corporalem diſciplinã, ac ieiunia, vt eo modo corpus in ſeruitutem redigatur; placeret hic doctrina eorũ: ſed quod iſta volunt eſſe libera, dãnatur & reijcitur tãquàm à fide, & Eccleſiaſtica diſciplina aliena. Nec ſuffragatur eis diuerſitas rituũ. Nam illa in ſpecialibus bene permittitur, vt vnaquæq; prouincia ſuo ſenſu abundet, velut Hieronymus inquit. At vniuerſales Eccleſiæ ritus vniuerſaliter ſeruari debent, & ſpeciales in ſuis quibuſq; prouincijs. Et nihil eſt quod de Oriente adferunt. Nã Romani Pontifices tandem Aſianos in vniformẽ Paſchatis obſeruantiam cũ vniuerſali Eccleſia reduxerunt. Eodẽ modo intelligendus eſt Ireneus. Nã ſine fidei iactura per Galliam aliquæ Apoſtolorũ vigiliæ non celebrãtur ieiunio, quas tamen Germania in ieiunijs obſeruat. Admonendi quoq; ſunt Principes & Ciuitates, vt Gregorij Papæ ſententiam ſequantur. Nam is præcipit vniuſcuiuſq; prouincię ſeruandam conſuetudinem, ſi nihil vſurpet contra Catholicã fidem, c. Quoniam conſuetudinem diſt. 12. Vnde nõ ignoramus rituum diſſimilium in vnitate fidei variam obſeruantiam, quæ in qualibet Prouincia obſeruari debet, vt ab antiquis tradita & recepta eſt, ſine tamen vniuerſalium rituum Eccleſiæ Catholicæ iniuria.

Andreæ Fabricij Leodij In Articulum de diſcrimine ciborum animaduerſio.

VErbi diuini lumine illuſtrati Catholici docent, traditiones eccleſiaſticas ad amplificandum Dei cultum, frenãdamque carnis concupiſcentiam inſtitutas, pro lege habendas eſſe, & harum eſſe ſaluberrimam apud Chriſtianos authoritatem. Hoc lumen cùm Lutheranicæ tenebræ perſerre nõ poſſent, ſub titulo diſcriminis ciborum, omnes conſtitutiones maiorum, quas ſuæ impietati minimè ſuffragari animaduertunt, vel eneruant, vel prorſus abrogant, dicentes, Chriſtianos nulla neceſsitate teneri, ad eas obſeruandas. Argumenta autem quibus hoc confirmare ſtudent, tam ſunt frigida, adeoque craſſis mendacijs & fraudibus veſtita, vt vel à pueris palpari illorum vanitas poſſit. Verba Chriſti directò aduerſus Iudæos deſtinata, quod conſtitutiones facerent propter quas mandata Dei ſe poſſe tranſgredi credebant, non verentur homines peruerſi in calumniam rapere, & ad eum modum interpretari, quaſi Catholici, dum Apoſtolicas vel ab Eccleſia obſeruatas traditiones ſequuntur, pręcepta Dei propter hominum mandata tranſgrediantur. Quicquid in Eccleſia Catholica obſeruatur, quod ſcripto Dei verbo expreſſè non ſit comprehenſum, ſi illud ſublatum volunt, ſatis eſt ipſis dicere, fruſtrà colunt me mandatis hominum. Putabãt Iudæi, cibos non lotis manibus, tactos, reddi immũdos, & comedentem illos etiam coinquinari. *Matth. 15.* Hanc ſuperſtitionem optimus ille animarũ medicus curatam voluit, nõ aũt pręcepta ſeniorum, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, contemni. *Act. 20.* Inde etiam cõſtat, qua fraude ad abrogandũ ieiunium Eccleſiaſticũ, illud vſurpẽt, quod paulò pòſt apud Matthæum ſubijcitur, Omne quod intrat in os non coinquinat hominẽ. Qui Chriſti ſentẽtias ita peruertũt, nõ mirũ quòd & Pauli verba corrumpant, cum dicit, Regnũ Dei non eſt eſca, & potus. *Rom. 14.* Fatemur enim & nos, nullũ cibum natura ſua hominẽ beare aut immundũ reddere, ſed ex voluntate, & deliberatione bene vel male vtẽtis, eius fructũ perdere. Atq; vtinã qui ſententiã illã ex Paulo producũt, eiuſdẽ etiam expenderent admonitionẽ, qua ibidẽ Romanos ſuos hortatur, ne guloſitate ſua fratres ſuos ſubuertant. Noli, inquit, cibo tuo illũ perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Noli propter eſcã deſtruere op' Dei. Omnia quidẽ mũda, ſed malũ eſt homini, qui per offendiculũ manducat. Par eſt Lutheranorum nequitia, cũ illud quod Apoſtolus Colloſienſib' ſcribit, vt eos prorſus auocaret ab inutilibus cæremonijs Iudaiſmi, quas aduentu Chriſti diſſolui oportebat, trãſferunt ad eas conſtitutiones, quibus ordo & diſciplina ſub Chriſtianiſmo retinetur, & commendatur. *Colloſ. 2.*

Eodèm etiam pertinet illud intolerabile iugum, *Act. 15.* cuius Petrus in actis meminit, quod veritate iã declarata vult excuti, vt dulce Chriſti iugum (quod in mãdatorum obſeruatione per charitatam conſiſtit) portetur. Viderint Lutherani, an Deum non tentent, cùm poſt abrogatas tot ſeculis cęremonias Iudaicas, putant etiamnum hodiè liberum eſſe Chriſtianis, ex more Iudæorum viuere, profeſſionique noſtræ non repugnare, ſi ipſorũ ritu circũcidamur. Inſignis eſt etiam Iudaiſantium iſtorum calumnia, *1.Tim. 4.* cùm illud quod Paulus retulit ad eas hæreſes, quæ creationẽ rerum blaſphemant, ciboſque aliquos natura ſua pollutos eſſe, & immundos reddere eos, qui vterentur, dicebant; hoc iſti ad legẽ temperãtię, quam Chriſtianis prę̨ſcribit Ecclesia impudenter abripiunt. Nos certè mẽtem & peruerſitatem eius, qui publicam legem ieiunij volens & ſciens transgreditur; coinquinatam eſſe dicimus propter inobedientiam, non autem propter cibum ſuapte natura bonum, & à Deo creatum, vt non ex contemptu, ſed cum gratiarum actione percipiatur. Qui igitur tam ſacrilego auſu ſcripturas ad ſuos errores traducere non verentur, qua fide putauerimus eos ſcriptores eccleſiaſticos allegaſſe? Meminerunt Gerſonis, qui non paucis in locis impoſtores iſtos confodit. Meminerunt & Auguſtini, in epiſtola ad Ianuarium, ſtupenda ſanè impudentia. Is enim vnus locus ſatis eſſe poſſit ad diſſuendos craſſos iſtos & inanes mendaciorum cẽtones. Fortè venter pinguis abdominique deditus capere non potuerit, quæ ſancti & continentes viri ſpirarunt. Ibi enim ſanctiſſimus Auguſtinus doctiſſimè diſtinguẽs genera traditionum eccleſiaſticarum, alias dicit eſſe earum rerum, quæ ab ipſo Chriſto ſunt inſtitutæ, alias quę ab Apoſtolis vel plenarijs concilijs originem habeant, alias verò quę per loca terrarũ, regioneſque variantur. De primis duob' generibus, affirmat, quòd ſit inſolentiſſimæ inſaniæ, vel ambigere an ſint obſeruandæ. De tertio autem genere cõcludit, quòd prudenti Chriſtiano pro eorũ, inter quos viuit ſocietate, etiam ſint ſeruandæ, eoque modò vnumquemque debere agere, quo viderit Eccleſiam ad quam fortè deuenerit obſeruare. Ex quo etiam clarum eſt, quò ſenſu dicat, poſtremum iſtud genus liberas habere obſeruationes, & indifferenter habendum eſſe. Non enim hoc ita intelligendum eſt, quaſi priuatim vnicuique perſonæ liceat particulares eiuſmodi conſuetudines infringere, vel contemnere; ſed eatenus liberè & indifferentes cenſeri debent, quòd ipſis Eccleſijs, quæ ea ſuſceperunt, initio licuerit non ſuſcipere, & deinde ſuſcepta vel retinere, vel authoritate publica emẽdare, aut etiam abrogare. Ad fidei enim profectum vel propter bonos mores, nunc emendari debet, quod perperam obſeruatur; nũc inſtitui poteſt, quod antea nõ fiebat. Prudẽs lector ex his iudicet, qua fide Lutherani maleſanis ſuis opinionibus Auguſtini authoritatem obtendant. Liquidiſſimè enim docet, quod in his, quorũ ſcriptura apertè non meminit, ſi toto orbe obſeruetur, vniuerſaliter & neceſſariò retinenda eſſe, moréque populi Dei, & inſtituta maiorũ pro lege haberi. In particularibus autem ritibus & obſeruationibus publicè receptis, licet ſint indifferẽtes cuiuſcunque Eccleſię, in qua quis viuit, mórem obſeruandum eſſe. Dum igitur ieiunia Quadrageſimæ, abſtinẽtiamque à carnib', & ſimiles traditiones, quas tota per orbẽ Chriſtiana frequentat Eccleſia, Lutherani vel abrogant, vel ſine peccato negligi poſſe affirmant, nimis inſolẽter Auguſtini iudicio inſanire videntur, nihilque aliud agere dicuntur, quàm vt interminata luctatione ſerenitatẽ charitatis obnubilent. Ita enim ſcribit non modò Ianuario, verumetiam in epiſtola 86. ad Caſulanum. Longioris eſſet pertractationis, ſi mendacia & calũnias omnes, quas hoc articulo effuderunt perſequi vellemus. Sed quia tanto ſtudio, vt ſuo ventri inſeruiant, ieiunium eccleſiaſticum, ciborumque delectum, velut nuper excogitatũ abrogare contendunt, ad imperitiorum inſtructionẽ non pigritabimur hic aſcribere verba Cyrilli Hie- *Catech. 4.* roſolymitani, quæ ad reuincendã hominum iſtorum impudentiam ſunt manifeſtiſſima, propterque ſcriptoris antiquitatem diligenter expendenda. De cibis, inquit, iſta ſint vobis dogmata: quandoquidẽ multi circa cibos quoque impingunt: alij enim dolothytis indifferenter accedunt, alij verò abſtinent, ſed indicant tamen manducantes, & duplici modo circà cibos, quorũdam anima polluitur, qui ignorant debitas manducandi cauſas. Ieiunamus enim, à vino & à carnibus, abſtinentes: non quòd hæc tanquam abominationes oderimus: ſed quòd premium expectamus: vt ſenſibilia deſpicientes, ſpirituali deinceps & intellectuali menſa fruamur: & nunc ſeminantes in lachrymis, in futuro ſeculò in exultatione metamus. Non igitur contemnas eos, qui manducant, & propter corporum infirmitatem cibos ſumunt: neque vituperes, qui modicò vino vtũtur propter ſtomachum, & crebras infirmitates. Ac neque ipſos condemnes tanquam peccatores, neque tãquam abominabiles oderis carnes. Sciebat enim quoſdam tales futuros Apoſtolus, dicens: prohibentes nubere, & veſci cibis, quos Deus creauit in vſum credentibus, & cum gratiarum actione ſumentibus. Abſtinens igitur ab his, non tanquam

ab

ab abominabilibus abſtine: alioquin premium non habes: ſed bona contemne, propter ea, quæ propoſita ſunt ſpiritualia meliora. Confirma certò animam tuam, ne quid manduces, quod idolis eſt oblatum. De cibis enim, non modò mihi nunc, verumetiam Apoſtolis, & ipſi Iacobo, huius Eccleſiæ Epiſcopo, ſtudium fuit. Et ſcripſerant Apoſtoli, & presbyteri ad omnes gétes Catholicam epiſtolam: Præcipientes abſtinere ab idolothytis, tum verò à ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Multi enim feri homines, & more canum viuentes, ſanguinem quidẽ ſæuiſſimarum belluarũ in modum lãbebant: ſuffocata verò crudeliter vorabant. Tu verò Chriſti ſeruus, cùm manducas, cum modeſtia quadam máduca. Ita quidem beatus Cyrillus abhinc annis propemodum mille trecentis Catholicæ Eccleſiæ ſententiam de ieiunio ciborumque delectu expoſuit. Poſtquam autem Lutherani eam apertè oppugnant, ſuperuacaneum fuerit nos pluribus aduerſus illos agere. Certiſſimum enim eſt, omnem eam doctrinam, quæ pugnat eũ inſtitutis maiorum chriſtiano fugiendam eſſe: multò autem magis, ſi ad profanam nouitatem, doctrinæ accedat varietas, multaque & dicendi & ſcribendi difformitas. Illud tantùm circa hanc admonẽdum duximus. Proteos iſtos inſigni fraude, per totum articulũ multiplices incautis ſtruere inſidias, cum de iuſtificatione ita loquuntur, vt manifeſte ex ipſorum verbis conſtare non poſſit, verùm opera pietatis, quæ ad calumniam abripiunt, ad primam iuſtificationẽ, qua ex impijs nos Deus iuſtos facit, referant, an verò ad ſecundam, qua videlicet ex iuſtis mandata Dei cuſtodiendo iuſtiores efficimur. Lubenter enim agnoſcimus, quòd opera quęcunque, fidem pręcedentia, gratiam Dei promouere non poſſint, multò autem minùs, quod ſatisfactoria ſint pro peccatis; ſed ſimul etiam aſſirmamus, quod inſigniter de gratia Chriſti detrahant, efficaciam minuant, dignitatem Chriſtianam eleuant, qui opera pietatis à Iuſtificatis per inhabitantem Spiritũſanctum facta, nihil ad promerendam maiorem gratiam, vel ad augmentum gratiæ pertinere dicunt. Cùm ad hoc perſuadendum Lutherani oẽs intenderint neruos, non auſi tamẽ fuerũt initio ſuam iſtã impietatẽ apertis verbis in ſua Confeſſione declarare, ſed paſſim vbique velut aliud agẽdo inanem ſuam fiduciam depredicant, & callidè varia operum & iuſtitiarum opera intermiſcent, vt ſub eo prætextu, quod cum Paulo iuſtitiam illam operum legis, quam citra Ieſu Chriſti fidem, hominum arrogantia ſibi aſcripſit, reprehendant, funditùs omne virtutis exercitium, quod Chriſtianis poſt ſuſceptum baptiſmum relinquitur auferant, operumque bonorum neceſſitatem mandatis diuinis conſtitutionibuſque eccleſiaſticis perſcriptam, pedibus obterant, & in contemptum ſummum abripiant. Extant infinita Catholicorum ſcripta, quæ apertè & diſertis verbis oſtendunt, doctores Eccleſiæ nunquam ſenſiſſe, primam gratiam ſeu fidei iuſtitiam vllis operibus hominem mereri poſſe, ſed illam prorſus ex Dei bonitate, Chriſtiq́ue meritis pendere. Adeo tamen lucifugæ iſti frontem omnem perfricuerunt, vt Catholicos ſemper reprehendant, veluti aliter vnquam noſtra ætas de doctrina iuſtificationis ſenſiſſet, quàm verbi diuini ductu maiores ſuis monumentis ad poſteros tranſmiſerunt. Ita fanatici homines cùm iuſtam pugnandi cauſam non habeant, quærunt, quos per fas, nefaſq́ue oppugnent, vel vmbras errorum comminiſcuntur, vt aduerſus illas dimicantes ſtrenui milites eſſe videantur. Cùm igitur Catholici doceant, abſtinentia & ieiunio ſimilibuſque pietatis operibꝰ promereri gratiam, & eiuſmodi eſſe ſatisfactoria pro peccatis, dicimus rectè ipſos docere, hocque ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis conſtare, vt qui hoc negat, Spiritum ſanctum manifeſte oppugnet. Nemo enim niſi furore captus ignorat, quanta bona Deus hominibus propter eleemoſynas & ieiunia contulerit. Nam pater cœleſtis, qui etiam in abſcondito videt quæ agimus, quæ promeremur, cumulatè aliquando rependet. Sed qui operibus tenebrarum magis delectantur, vt tantam lucem ſua caligine obruant, Catholicorum ſententiam interuertunt, eamq́ue ita interpretantur, quaſi ſentiant, quemquam ante iuſtificationem & extra gratiam Dei conſtitutum remiſſionem culpæ & pœnæ promereri poſſe. Vt autem huic calumniæ tanto fortius innitereentur, ſtatim primo anno poſt oblatam in Auguſtanis comitijs ſuam confeſſionem, vbicumque in archetipo ipſo facta fuit mentio gratiæ Dei promerendæ per bona opera, aliud ſuppoſuerunt, quod apertiùs reprehendi poſſe crediderunt, finxeruntq́ue Eccleſiaſticos docere, quod obſeruatio ieiunij, & ſimilia opera ſint vtilia ad promerendam remiſſionem culpæ & pœnæ. Atque ne hoc etiam defendi poſſet à Catholicis verè eſſe dictum, ſi nimirum intelligatur de culpa leuiori, & pœna temporaria, cuius remiſſionẽ ieiunio, orationibus & eleemoſynis homo iuſtificatus per inhabitantem ſpiritum mereri poteſt, in progreſſu ipſo articuli, illud interpretantur de remiſſione culpæ aut pœnæ æternæ. Docent, inquiunt, noſtri, quòd quilibet Chriſtianus debeat

cor-

corporali diſciplina ſe exercere, non vt per illa exercitia mereamur remiſſionem culpæ aut mortis æternæ. Quid autem de cruce ſua (quæ certe non Chriſti, ſed furum atrociſſimorum eſt, verbum Dei ad ſua deſideria abrlpientium, & miſeras animas Deo ſubducẽtium) vel corporalibus ſuis, afflictionibus doceant, non eſt quod multis diſputemus: quandoquidem facta ipſa hoc nimium clarè arguant. Sed quod calumnias prętextu doctrinæ de merito remiſſionis culpæ & mortis æternæ, quam Catholicis falsò aſcribunt, ſuperſtruant, ipſi viderint: Dicunt enim, quòd inde obſcurata ſit doctrina de gratia & iuſtitia fidei, quæ pręcipua Euangelij pars eſt. Nos contra dicimus, quod vbi ex calumnia inſtituitur accuſatio, debere accuſatores ipſos pœnam talionis pati.

Quin hoc addimus, ex quo tempore parta eſt, per Chriſtum, ſalus mundo, nunquàm magis fuiſſe oppreſſam doctrinam de gratia & iuſtitia fidei, quàm ſtudio & nequitia Lutheranorum, qui funeſti illius Euangelij ſemina ex inferis ſuſcitata, in agrum Dominicum magna fraude ſparſerunt. Sed Deus ſuæ familiæ ita prouidit, vt illa etiamnum in poſſeſſione ſalutaris & veræ iuſtitiæ permaneat, & etiamnum permanebit, donec ponat ille inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum, virgaque furoris eos conterat, qui per voluntariam quandam inſaniam eò deuenerunt, vt auſi fuerint ſibi fidem comminiſci, omni dæmonum fide peſtilentiorem, quæ ad hoc Chriſti meriti duntaxat meminit, vt omne meritum, iniquitatis ſuæ mole, proculcet atque adobruat. Secundo ex mendacij illo fundamento de merito remiſſionis culpæ & pœnæ æternæ, concludunt, Dei precepta eſſe obſcurata. Nos autem cùm illum errorem minime agnoſcamus, ac ſoli paſſioni Chriſti eximiam illam meriti prærogatiuam aſcribam᷒, cõtrà illud affirmamus, nullos vnquam maiori impudẽtia mãdata Dei obtriuiſſe, quàm
Pſalm 1. & 14. fecerint quinti Euangelij præcones. Cùm enim Propheta celebret illius beatitudinem, qui in lege Domini meditatur die ac nocte, fructumque ſuum dat in tempore ſuo, item, qui ingreditur ſine macula & operatur iuſtitiam, illi contrà à iuſtitia Chriſtiana omnia huiuſmodi opera remouent. Quin adeo aduerſus propriam ſalutem deſęuiunt, vt affirment, iuſtum in omni opere bono etiam peccare, neque ad chriſtianum mandata decalogi pertinere, vt ſane minime mirum ſit, cur hic alijs omiſſis, cum de mãdatis Dei loquuntur, duntaxat educationis ſobolis, partus, & gubernationis reipublicæ meminerint. Hæc enim mandata non inuiti faceſſunt, longeq; pluris æſtimant, quàm cætera, mandatis decalogi dilucidè expreſſa. Adeo etiam ſunt dementati, vt obticere non poſſint, ſuos dolores & cruciatus, quos ideo patiuntur, quòd in parturitionibus & diſtractionibus cùm familiaribus tum publicis non prędicentur, perinde fœlices, ac eunuchi illi, qui ſe propter Dei regnum caſtrauerunt, omniaque bona in pauperes diſtraxerunt, vt nudi nudum Chriſtum ſequerentur. Theonino dente rident eos, qui hoc faciunt, perfectos dici: quia videlicet ridendus fortè illis eſt, qui dixit: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Tertium incõmodum, quod volunt eſſe natum ex doctrina meriti remiſſionis culpæ & mortis æternæ, traditionumque infinita varietate, quibus miſerè conſcientiæ fuerunt, citra vllam conſolationem, implicatæ (hanc enim calũniarum ſentinam in catholicos effundunt, vt ipſi interim Chriſti bonus odor eſſe credantur) eſt ſpei chriſtianæ euerſio, profundaque ſalutis deſperatio. Verumenimuerò nos contra liberè hoc affirmamus, nulli hominum generi minorem eſſe ſpẽ ſalutis, quàm qui ſe ad Quinti Euangelij factionem aggıegarunt. Cum enim Chriſtus vitam æternam illis proponat qui mandata pręſtant, quo pacto ſperare poſſunt, ſe illam eſſe conſecuturos, qui nullam partem cum diuinis mandatis habere volunt? qui decem pręcepta ad ſe nihil pertinere dicunt? qui in opere quantumuis laudabili ſemper peccant? An qui hæc propugnant dogmata Lutherani, vllam ſpem vitæ æternæ habere poſſunt? an non deſperatione deſperant, qui mandata Dei eſſe homini ad ſeruandum impoſſibilia dicunt? Igitur non ex obſeruatione legum conſtitutionumque Eccleſiaſticarum, quas finxerunt illi de quibus Chriſtus dicit, Qui vos audit, me audit, deſperatio naſci- Luc 10.
tur, ſed ex iſto perditionis barathro, quod illa hominum peruerſitas aperuit, ex infidelitate, quæ ſub obtentu fidei graſſatur, ex boni propoſiti defectu, ex ignauia, ex malæ conſcientiæ ſtimulis, ex obduratione cordis per impœnitẽtiam. Dignetur omnipotenti ſua virtute Deus eos qui tales ſunt ad lucem veritatis aliquando reuncare.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de diſcrimine Ciborum.

DRaco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabol᷒ & Satanas, humanæ inuidẽs ſaluti, multiſariam agit, vt perdat hominem. Haud enim ignorat quãtum ieiunia, abſtinentiæ, & auſterior vita ad ſalutem cõducant. Inuenit autem harum rerum non ignauos milites, qui cum Catholicis earum

de-

deſenſatoribus aperto Marte pugnarent, vt poſſit tandem de victoria triumphare. Sed fruſtra ſane & prorſus ſine ſpe conflictant milites iſti aduerſus veritatem ſeſe potenter protegentem, fruſtra obarmant ſe contra inuicta Dei caſtra. Poſt Cherinthum carnalium voluptatum deſenſorem, venit Iouinianus diaboli impiger legatus, ieiuniorumque & abſtinētiarum ſtrenuus hoſtis, cuius, vt reſerente Hieronymo agnouimus, tertia aſſertio ſuit, inter abſtinentiam ciborum, & perceptionem cum gratiarum actione, nullā eſſe diſtantiam. Hāc impiam voluptuarij hominis perſuaſionem idem Hieronymus obtundens, docet ieiunium ſaturitati præferēdum eſſe, & abſtinentiam ciborum vſui eorum præponendam. Aduerſus eundem errorem exſtat liber Ambroſij de Elia & ieiunio, qui ieiuniorum laudem & vtilitatem aduerſus blaſphemantium hæreticorū proteruiam luculēter tradidit. Prodijt ſubinde Vigilantius haud multò minus effrons, qui iā pene de ieiunio Iouiniani exſtinctam hæreſim velut ab inferis reuocauit, dānauitque ieiunium Epicurus iſte ceu rem multò peſtilentiſſimam. Circiter annum Domini plus minus ſeptuageſimum ſupra milleſimum ducenteſimum apparuerunt neſcio qui furunculi, qui eadem moliti ſunt, quæ iā dictæ hæreticorum feces inani conatu tentarunt. Et horum venenato latratui Bonauētura homo grauiſſimorum iudicio virorum vere Seraphicus, tractatu cui eſt nomēclatura Apologiæ pauperum, confidenter, & cum victoria obuiauit. Hos Vuiclefus & Ioānes Huſs nocentiſſimi latrunculi ſubſecuti ſunt, qui ſub Chriſtianæ libertatis titulo ieiuniorum obſeruantiam prout tradidit Eccleſia, impudēter damnarunt. His nunc ſuccinunt iſti Aduerſarij noſtri, qui docent certorum prohibitionem ciborum, doctrinam eſſe dæmoniorum. Cōfidimus autem, quod & iſti protinus ſuccumbent, quanquam iā ſæpe à multis doctis viris cōtuſa ſit eorum audacia. Audis itaq; vnde propagata ſit iſtorum opinio, nimirum ex malo coruo malū ouum. Cauſantur quod docetur in Eccleſia Catholica, abſtinētiam ciborum & ieiunia, & traditionum humanarū obſeruātiam, ad promerendam gratiam vtilia eſſe, & pro peccatis ſatisfactoria.

Iouinianus ieiuniorū hoſtis.

Ambroſ. lib. de Elia, & ieiunio.

Vigilantius damnauit ieiunium.

Bonauentura vir vere Seraphicus.

Vuiclefus & Ioānes Huſs.

Lutherani illis hæreticis ſimiles.

Cur hoc non doceretur, cum omnis id clamet ſcriptura, clamet Chriſtus, clament Apoſtoli, clament etiamnū omnes orthodoxi Patres? Id nunc breuiter videamus: In Ioele, inquit Dominus. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu. Certè, hic cum ad conuerſionē impij requirit ieiuniū, indicat quod ad iuſtificationem proſit ieiunium, modo non deſit dolor pœnitentiæ.

Ioel.2.

Tobias quoq; vir Deo plenus ait. Bona eſt oratio cū ieiunio & eelemoſyna: vbi innuit, ieiuniū & eelemoſynā adiuuamēta eſſe, quibus oratio roboretur. Citius ſanè auditur oratio eius, qui abſtinentia corpus ſuum, alioqui ad libidinem procliue, flagellat, & qui in erogādo pauperibus aſſiduus eſt, quam qui in delicijs laxatus, & in pauperes crudelis, Phariſaica Deum orat fronte.

Tob.12.

Moyſes Iſraeliticæ dux phalangis ieiunauit continuo quadraginta diebus & quadraginta noctibus, priuſquam legē acciperet. Sic enim populū ſuum in Deuter. affatus eſt: Perſeueraui in mōte quadraginta diebus & noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens, deditq; mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Cur ieiunat tantiſper homo Dei, qui diuino affatu dignus eſt? Cur non accipit legem mox conſcenſo monte? niſi vt magis fiat idoneus, qui accipiat tātum beneficium. Samuel quoque exhortabatur Iſraelem, vt congregatus coram Domino in Maſphat ieiunaret in die illa. Acquieuit ergo Iſrael tam iuſtę exhortationi, & dixit Domino: Tibi peccauimus Domine. Et hoc ieiunio, & hac humili confeſſione mitigarunt vindicē Dei animum, adeo vt ille pœnas, quas daturi erāt niſi reſipuiſſent, retractaret, defenderetq; eos multò miraculo ab hoſtibus cōiuratiſſimis. Elias ieiuniū Moyſaico illi ieiunio haud impar, modico pane eoque ſubcinericio refectus abſoluēs, tandē meretur vocē diuinā & claram illuſtrationē. Hic dicit Ambroſius. Ieiunijs filiū viduæ ab inferis reſuſcitauit, ieiunijs pluuias ore depoſuit, ieiunus ignes de cęlo vocauit, ieiunio curru raptus eſt in cælū, & quadraginta dierū ieiunio diuinā acquiſiuit præſentiā. Tūc deniq; plus meruit, quādo plus ieiunauit. Achab rex impius, vt ex Propheta audiuit offēſum ſibi eſſe dn̄m & pœnas illaturū, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et hac ratione promeruit, vt tempore ſuo nulla regno ſuo obuenerint incommoda, ſed ad filium ſuum tranſlata ſint. Sara virgo puriſſima, Raguelis bona filia ieiunando & orando obtinuit, vt à dæmonio ſeptem viros ſuos, quibus ante Tobiam nupſerat, iugulante, illæſa ſemper abierit. Iudith ſancta vidua vitam ſuam poſt maritum defūctū, vno fere ieiunio trāſegreſſa ſcibitur. Et de hac eſt præclarū teſtimonium Ambroſij: Iudith, inquit, ieiunans omnibus diebus viduitatis ſuæ, præter feſtorum dierum ſolemnitates, his armis munita proceſſit, & omnam Aſſyriorum circumuenit exercitum ſobrij vigore conſilij abſtulit Holophernis caput, ſeruauit pudicitiam, bictoriam reportauit. Hæc enim ſuccincta ieiunio in caſtrts ſe prætendebat

Moyſes. Exod.24. Deut.9.

1.Reg.7.

Elias. 3.Reg.19.

Achab. 3.Reg.21.

Sara. Tob.3.

Iudith. Ambroſius.

tendebat alienis. Ille vino ſepultus iacebat,
vt ictum vulneris ſentire non poſſet. Itaque
Idem. vnius mulieris ieiunium innumeros ſtrauit
Eſther 14. exercitus ebriorũ. Et paulò pòſt de Eſther
ait idẽ: Eſther commendata, quæ ieiunio adornata, Aſſuerum populo ſuo reddidit placatũ. Et in fine: Eſt ergo ieiunium reconciliationis ſacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmẽ-
Daniel 9. to gratię. Daniel oraturus Deum pro populi liberatione, prius ieiunio ſe diſponit, quo ſit oratio magis exaudibilis. Et nõ ſolũ meruit vt populus liberaretur, verũ etiam vt angel⁹ eũ inter flammarũ crepitãtium turbines inuiſeret, & vim ignis ſtupẽdo miraculo infir-
Niniuitæ. maret. Deprecãtur & Niniuitæ mala ſua, quæ
Ionæ 3. ſuſtinere debebant, niſi ieiunio, oratione, cilicio & cinere irã Dei placauiſſent. Hæc pauca de plurimis veteris officinæ teſtimonijs collegiſſe ſufficiat, reliquum eſt, vt nunc videamus an in noua lege ieiunia habeant aliquid viuentis energiæ. Hic principio memoriæ occurrit homo planè diuinus, prius ſpi-
Ioannes Baptiſta. ritu ſancto plenus quàm natus, Ioannes Baptiſta, cui melota veſtimentum, locuſta & mel
Matth. 3. ſylueſtre eſca, aqua potus erat. Hic, ſi ieiunia & abſtinentia admiranda magis quàm imitãda ad iuſtitiam non pertinuiſſent, nunquam tanta ſe inedia afflictaſſet. Habuit quoque teſtimoniũ à Chriſto, quod eo nemo inter natos mulierum maior eſſet, certè nõ ob aliud, quàm quod nihil eorũ omitteret, quæ viderentur ad iuſtitiam pertinere. Certè ieiunia & abſtinẽtiæ, & alia, quæ in eo cõmendantur, ad iuſtitiæ opera adnumerare neceſſe eſt, alioqui non dixiſſet Chriſtus: Venit Ioannes
Matth. 11. Baptiſta non mãducans neque bibẽs, neque
Anna Phanuelis filia. cæteri Euangeliſtę referrent vitam eius tam duram. Commendatur impendio & Anna
Luc. 22. Phanuelis filia, quod non diſceſſerit à tẽplo, ſed die noctuque ieiunijs & obſecrationibus Domino ſeruierit. Et ideo Chriſtũ & videre & prædicare meruit.

Chriſtus. Ieiunat & Chriſtus quadraginta dies, & no-
Matth. 4. ctes totidem vno ieiunio abſoluens. Ieiunãt poſt ſublatum hinc in cælum Chriſtum Apoſtoli, & ſine ieiunio nullum op⁹ arduum, & quod humanam ſuperat rationem aggre-
Apoſtoli. diuntur. Dimiſſuri nanque Saulum & Bar-
Actor. 13. nabam in opus Euangelij, ieiunant & orant, vt cũ energia ſpiritusſancti eis manus imponant. Et ieiunantibus illis adſuit ſpiritusſanctus, qui diceret: Segregate mihi Saulum &
2. Cor. 6. Barnabam, &c. Poſtremò, vt omnes alios taceamus, hortatur nos Paulus, vt in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs. Quis non videat iſta ieiunia, & ſimiles traditiones (non dicam hic humanæ ſed diuinæ: nam ieiunia habent mandatum Dei, & authore ſpiritu ſancto quidam dies cum ieiunio ſunt tranſigendi) ſint vtilia ad promerẽdam gratiam, & ſatisfactoria pro peccatis? Si non conducunt ad promerendam gratiam, &c. non video quorſum his facto opus ſit. Nam qui iuſtus eſt & emaculatus à peccatis, non indiget vt ieiunio latrantem irritet ſtomachum, ſed vti poteſt, quod Aduerſarij inquiunt, Euangelica libertate, qua nihil eis non licet. Quibus ergo ſcripſit hæc Apoſtol. iuſtis, an iniuſtis, an vtriſque ſimul? Certè vtriſque ſcripſit. Iuſtis ieiunio opus eſt, nam *Ieiunia pertinent ad [illegible].*
laxato delitijs corpore, nequit ſpiritus integer conſiſtere: ſed fouetur ardentis Aethnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani accenſa montes contermĩnos adurit. Iniuſtis maximè conuenit vt ieiunent, nam ea ratione gratiam promerentur. Quod hoc verum ſit, docent ſcripturæ, docebunt & dicta Patrum, quæ ſubſcribentur. Eſt & alia ratio vtriſque communis cur ieiunare debeant, videlicet vt ſumma cura caueant, ne in ſacroſancta Eccleſiæ decreta offendant, quæ qui contempſerit, reipſa declarat ſe non iuſtum, ſed iniquum eſſe. Nunc audi quid de ieiunio ſenſerint veteres ſcriptores. Nam ſi quid de ieiunio tradunt, authoritatem habet, vt gratiam promereatur, non erunt etiam aliæ traditiones, quæ authore ſpiritu ſancto per ſanctos Patres accepimus, infirmiores, quàm vt gratiam lucrentur.

Cyprianus itaque vir apud omnes probatiſſimæ fidei, de ieiunio hoc modo diſſeruit: *Cyprianus de ieiunio & [illegible].*
Ieiunijs vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentia languet, fugitiuæ abeunt voluptates. Vtilitas ieiuniorum temporibus Chriſtianis clarius patuit, & à mul- *Ieiunium quæ commoda [illegible].*
tis frequentata in plurimos ſe effudit. Quotquot virtutum viros vidimus, ſine ieiunio non legimus adſcendiſſe, nec aliquid magnũ moliti ſunt, niſi prius pœnitentia præceſſiſſet. Quoties aliquid à Deo obtinere conati ſunt, ieiunijs incubuere & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hærẽtibus ſupplices beneficia poſtularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei ſacrificium cõtriti cordis offerens ſe proſtrauit humilitas, ſed propè fuit inuocantibus ſe Deus, & porrexit manum naufragis & ſubuenit afflictis. Hactenus Cyprianus. Quid poterunt hic reclamare homines planè Epicurei, & rituum Eccleſiæ diſſipatores? Ipſi vrgẽt quod diſcrimina ciborum, quorum in ieiuniorum obſeruantia bona pars eſt, non mereantur gratiam, neque faciant ad remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, cum tamen Cyprianus hic dicat apertè, quod non defuerit prouentus, cum ieiunijs incubuere, qui aliquid à Deo obtinere moliti ſunt. Et nunc tametſi inſaniant Melanchthon & cæteri hęretici

ticæ iſtius cohortis doctores, qui corde contrito & humiliato, abſtinentia ſe flagellant, Deo porrigit manum, vt accipiant gratiam & miſericordiam.

Huic Cyprianę ſentētiæ haud imparia sūt dicta illa Ambroſij, quæ paulò antè cum de Iudith & Eſther proferrē bona teſtimonia, recitabātur. Similiter quadrant iſti, quæ recitat Auguſtinus, dicens: Ieiuniū purgat mentē, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritū & humiliatum, quod Deus nō ſpernit, concupiſcētiæ nebulas diſpergit, libidinū ardores exſtinguit, caſtitatis lumē accendit, &c. Audis etiam hic, quod Deus nō ſpernat ieiuniū, ſed mercede compenſet.

Gregorius quoq; vir omniū iudicio ſanctiſsimus, Inſtituit vt ad Miſſam ante ſacrum Canonē caneretur: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentē eleuas, virtutem largiris & præmia, per Chriſtū Dominū noſtrū. Quid neceſſe eſt pluribus lectorem grauare teſtimonijs, cùm inter Eccleſiaſticos ſcriptores nemo ſit, qui nō reliquerit præclara ieiuniorū & abſtinentiarū encomia, quibus colligitur quod ieiunijs modò ſint pura & volūtaria, placemus iram Dei, impetremus beneficiā, illuminemur, & cordium tenus purgemur. Quicquid hactenus de ieiunio dictum eſt nobis, referendum eſt ad omnes pias & vtiles traditiones, quas authore Spirituſancto à Patribus accepimus. Quod ſi hoc vnum decretum de ieiunijs accipimus, neceſſariò cogētur etiam alia non repudiare, quę longo iam vſu in Eccleſia obtinuerunt. Omniū enim vna eſt lex, vna authoritas. Et bene ſentit mundus, quando tā æquis, tā vtilibus cæremonijs putat deferendum eſſe. Tametſi mereantur nihil ieiunia & alia officia, meretur tamen obedientia præcepti gratiam, & remiſsionem peccatorum: Melior eſt enim obedientia, inquit Samuel, q̃ victimę. Hic videant ſibi Aduerſarij quid agant, quando cū contēptu omniū Conciliorū, omniū Patrū, omniū Eccleſiarū docent, quod iſta nō ſint obſeruāda, vt talia quæ promereantur gratiā & ſatisfaciant pro peccatis, cum nulla ſolida ſcriptura hoc poſſint probare. Calumnijs ſolū & mēdacijs oppugnant Catholicos ſuperbi rhetores, in hac paleſtra ſtrenui milites. At haudquaquā cedunt arena, qui circum circa fortiſſimorum præſidio Athletarum, imò qui ipſa veritate muniti ſunt. Audi nunc quid obſtat, cur nolint obtemperare.

Obedientia erga piarum traditiones meretur remiſsionē peccatorum.

1. Reg. 15.

Primò (inquiunt) *obſcurata eſt doctrina de gratia & iuſtitia, quæ præcipua pars eſt Euangelij.*

Hic exſpectamus rationē, quomodo obſcurata ſit doctrina de gratia & iuſtitia p traditionē ieiuniorū, aliarumq; cæremoniarū, cū iſta nihil impediant doctrinam gratiæ & iuſtitiæ, quo minus exſtare & eminere poſſit in Eccleſia, imò tota in hoc ſunt, vt magis iſta doctrina reluceat. Nullum vero Paulo faceſſunt negocium, lex Euangelica, & traditiones, quę authore ſpirituſancto in Eccleſia iādudum Apoſtolorum temporibus inoleuerunt, alioqui aperto marte aduerſus Apoſtolos, & aduerſus ſeſe conflictaret ipſe Paulus, ſed hanc calumniam cum de iuſtificatione loqueremur, apertè contudimus.

Traditiones de ieiunijs &c. non obſcurāt doctrinā de gratia & iuſtitia.

Secundo (inquiunt) *hæ traditiones obſcurauerūt præcepta Dei, quia traditiones lōge præferebātur præceptis Dei.*

Hic nihil opus reſponſione, nam quæ hic dicunt, à vero ſunt alieniſſima. Hoc tamen breuiter dixero, quod quiſquis tandem humanas traditiones, vt prorſus humanæ ſunt, præceptis diuinis aut æquat, aut præponit, peſsime agat. Hoc tamen non facilè pronunciauero de his, qui morem gerunt ſanctionibus, quas à ſpirituſancto per Eccleſiam accepimus. Sunt enim quibus aliquot Conciliorum decreta eiuſdem cum Euangelijs ſunt authoritatis, paris honoris. Impie hic rhetoricantur, quod homines totum Chriſtianiſmum putauerint nihil aliud eſſe, quàm certarum obſeruationem feriarum, rituum, ieiuniorum, veſtitus. Sed bene crediderūt hactenus, quod iſta, quæ hic enumerant Aduerſarij, ideo decreta ſint, vt præcipui illi Chriſtianiſmi articuli, de fide, de charitate, de ſpe, & de cæteris virtutibus exactius obſeruarentur. Habebatur proinde magnus honor Magiſtratui, alijs functionibus ciuilibus, cōiugio, prædicabaturq; publicitus, quòd iſta eſſet ordinatio Dei, quæ non poſsit non eſſe bona, & quod vnuſquiſque in vocatione ſua ſaluari poſſet. Nihil igitur facias iſta verborum, ſed inanium lenocinia.

Traditiones quæ aliquādo præceptis Dei præponūt, grauiter peccant.

Tertiò traditiones (inquiunt) *attulerunt magna pericula conſcientijs, quia impoſsibile erat omnes traditiones ſeruare, & tamen homines arbitrabantur has obſeruationes neceſſarios eſſe cultus.*

Traditiones nullum periculum afferunt his, qui libenter Eccleſiæ obſequuntur, qui bonæ ſunt voluntatis, ſed lucri plurimum. Hinc eſt illud Damaſi ad Aurelium Carthaginen. Epiſcopum: Nullo modo ſtatuta ſanctorum Patrum abſque ineuitabili neceſsitate tranſgrediamur, ſed fideliſſimè per ea gradientes, cum eis, qui inſtinctu condiderunt diuino, mercedis gloriam & laboris cumulū habere mereamur. Contrà qui non obediūt ſanctis Canonibus, plurima manent pericula, non tam corporis, quàm animæ. Si tot pericula operiuntur inobedientes ſimpliciter, quot putas diſcriminibus ſubiecta erit conſcientia, quæ eos contemnit, quæ manibus pedibusque & toto denique pectore renititur, & quæ cupit eſſe abolitos, & omnino è mentibus hominum ſublatos?

Traditiones nihil onerant conſcientias.

Damaſ.

Oo Quod

Decreta quæ obſeruatu ſint impoſsibilia. Matth. 16.

Quod verò aſſerunt, impoſsibile eſſe omnes traditiones ſeruare, facilè admiſero, ſi intelligant hoc modo, quod iuſta ſanctorũ Patrum ſcita ſimul cum impijs hæreticorum edictis ſeruari non poſſunt. Quemadmodum enim diuerſa ſunt ſanctorum Patrum & hæreticorum ingenia, ita & in diſcernendo diſferunt, & ob hoc vtraque ſunt obſeruatu impoſſibilia. Et ſententia eſt Euangelica, quòd nemo poſſit duobus dominis ſeruire, ſi autẽ de ęquiſſimis Patrũ ſtatutis intelligi volunt, errant, quod dicitur, tota via. Nam nihil ſtatutũ eſt apud eos, quod idem obſeruari non poſſit. Oſtendant ſi poſſunt vnũ aliquod ex omnibus, quod ſua grauitate voluntariũ oppiimat, vt ab Eccleſia aboleri poſſit. Et ſi q̃dẽ eſt aliqd graue, nõ tamẽ ad hoc oẽs tenentur, ſed pro ratione locorum, temporum, pſonarum mitigari debet. Si in hac cauſa fuerunt aliqui ſeueriores, illi nimirum corripiendi ſunt, ne ratione obſeruationum infirmos opprimant. Non igitur obligãtur prægnantes mulierculæ, puerperæ, aut quouis modo valetudinarij ad quorumuis ſtatutorum obſeruantiam, ſed fortes, ſed ſani, ſed robuſto corpore, quorum corpora ne ſpiritum opprimant, habenis indigent & loris. Nunc qui obſtrepunt ſacris iſtis Canonibus, idẽ opponimus, quod iam pridẽ Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo mandabat Damaſus, vt populo ſuo ea publicaret: Inſtituta Patrum, inquit, te cuſtodire optamus, & alijs prædicanda ac publicãda mandamꝰ, vt ab omnibus etiam inuiolatè debita veneratione cuſtodiãtur, & inuiolatè ſeruentur, atq; ab omnibus futuris temporibus diligenter venerẽtur, q̃a violatores voluntarij Canonũ grauiter à ſanctis Patrib. iudicãtur, & à ſpiritu ſancto, cuius inſtinctu, ac dono dictati ſunt, damnantur, quoniã blaſphemare ſpiritum ſanctum non incõgrue videntur, qui contra eoſdẽ ſanctos canones nõ neceſſitate cõpulſi, ſed liberè aliquid p̃teruè agũt, aut loqui præſumunt, aut facere volẽtib. ſpõte conſentiũt. Talis enim præſumptio maniſeſte vnũ genꝰ eſt blaſphemantiũ ſpiritũſanctũ, quoniã cõtra eũ agit, cuius impulſu & gratia ijdẽ ſancti editi ſunt Canones. Hic iterum incidimus in eundẽ labyrinthũ, vnde iã cũ de traditionibꝰ ageretur, eramus erepti. Sed huc adegit nos eorũ impudẽtia, qui oẽm mouẽt lapidẽ, vt omnes ieiuniorũ & aliorũ rituũ canones peſſundentur, viuãtq; ſoli Epicuri. Quæ ex ſcripturis citãt, nihil obſunt noſtro inſtituto, neque vlla indigẽt expoſitione, nã quędã reſellimꝰ, quędã ſeſe exponũt. Hoc ſolũ iterũ me mouet, q̃ iſti iã crebro dæmoniorũ reminiſcũtur, angelorũ planè peſtilentiſſimorũ, quorũ vt refertur nomenclatura, obturãt aures ſuas pij homines, ſignatiſq; frontibꝰ cupiũt hanc peſtem à ſe eſſe quàm longiſſimè. Nõ quod omnino nominari nõ liceat, ſed quod tã ſæpe cũ Catholicis eorũ doctrina æquari nõ debeat. Sic itaq; aduerſus Catholicam doctrinã, qua ſi illa dæmoniaca ſit, tã impudẽter q̃ fallaciter ex Paulo doctore veritatis pronuntiant.

Ad Traditionũ obſeruantiam, qui non tenentur.

Damaſus.

Dæmoniorũ ſæpe faciunt mentionẽ homines parum diuini.

Et 1. Tim. 4. (inquiunt) *vocat prohibitionẽ ciborum doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Euangelio, talia opera facere, aut inſtituere, vt per ea mereamur gratiam, aut non poſsit exiſtere Chriſtianiſmus ſine tali cultu.*

O peruerſorum hominum impudẽtiam & malignitatẽ pluſquam hoſtilẽ, quæ catholicã Eccleſiam ipſam veritatis columnam & magiſtram non metuit, tam ſæpe dæmoniacæ doctrinæ petulanter & falſo arguere. Et ob hoc ſolum effrenant inuerecũdum os ſuum, quod Eccleſia certis tẽporibus decreuerit certis cibis vtendum eſſe. Sic hic eſt tantũ periculi, expoſtulẽt cũ Apoſtolis, qui decreuerũt etiã de cibis, quibus vti, quibus nõ vti liceret illis, qui ex gẽtibus naſcebãtur Chriſto. Prohibet etiã natura, ne omni carne veſcamur, vtpote canina, equina, &c. Cur non item dicunt hic, quod & iſta doctrina naturę, ſit doctrina dæmoniorum: aut cur item non prætergrediuntur doctrinam iſtã, ſicut doctrinam Catholicam, de delectu ciborũ pręuaricati ſunt? Sane vtrumque de ordinatione Dei eſt, vt abominemur ea, quæ horreſcit natura, & vt maioribus Eccleſiæ in rebus tã leuiſſimis & obſeruatu facillimis pareamus. Non hacent hic quod reſpondeant, nã quod iam attigimus, infirmi, & qui legitimam habent cauſam veſcendi carnibus, excipiuntur ab hac lege, & hic maxime relaxatur rigor Canonum. Sed nolunt hanc relaxandi Canonum poteſtatem apud quoſuis eſſe, ſed ſolũ apud Epiſcopos, aut eorum vicarios, alioqui indulgerent ſibi plus ſatis, & viuerent Epicuros, Sardanapalos, bacchanalia. Sed Epiſcopi, qui habent mandatũ Dei, vt ſubditorum ſuorum animabus benè conſulant, in primis cauere debent, ne illi delitijs & voluptatibꝰ emaſculentur. Si nõ iſta bona cauſa, ob quã fortes viri debeant Epiſcoporum decretis obtemperare, non video cur præpoſiti ſint, vt Eccleſiæ Dei prouideant. Si hic dixerint, quod ſolum in verbo & doctrina præſidere debeant, reſponderi poteſt, quod quando obediunt verbis diuinis, quæ illi prædicant, Deo vel coacti obſequuntur. Iã additũ eſt: vt & Epiſcopis obediant & ſubiaceãt, ceu his, q̃ curam habent animarũ eorum. Et in Matth. dicit Chriſtus: Omnia, quæ dixerint vobis, facite. Non luquitur hic Chriſtus de mandatis Dei, quę prędicãt, vt in his eis obtemperemꝰ. Nã vox Chriſti eſt: Si vis ad ingredi, vitã ſerua mãdata, perinde ac ſi diceret: Si nõ ſeruaueris mandata, non ingredieris ad vitam.

Cibos quos abhorret natura.

Epiſcopis ſubeſt authoritas, vt moderentur Canones pro qualitate perſonarum.

In traditionum præceptis tenentur ſubditi Epiſcopis obedire.

Matth. 23.

Abutun-

Matth. 23. Adulterant Paulum Lutherani.

Abutuntur igitur dictis Pauli nam Paulus loquitur aduerſus hæreticos, quos ſurrecturos certo certius prænouerat, videlicet Encratitas, Tatianos, Seuerianos, & ſimiles pſeudoapoſtolorum peſtes, qui cum Manichæo contendebant, eſum carnium & vini potum ob hoc omnino fugiendum eſſe, quòd caro & vinum ſuapte natura eſſent mala: & horũ iniquam perſuaſionem refellit hic Apoſt. dicens, hanc eſſe doctrinam dæmoniorum. Et hinc dicit idẽ: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendũ, quod cum gratiarũ actione accipitur. Quod vero iſte ſit intellectus verborum Pauli, teſtentur ipſæ Aduerſariorum conſcientiæ, quas nunc rodit & vellicat vermis ille mortis neſcius. Sentiunt enim, ſancto motu ſacros antiſtites inſtituiſſe, vt aliquando à carnibus & ab omni luxu ieiunent homines, tum vt carnem ſpiritui ſubiugent, tum vt magis idonei, qui orantes gratiam & beneficia à Deo impetrent. Certè Auguſtin⁹ intellexit de his quos nominauimus.

Auguſt. contra Adam. hunc locum Pauli aliter intellexit, atque iſti.

Iſtos, inquit, futuros ſignificauit Apoſtolus in temporibus nouiſſimis, prohibentes nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit. Hos enim propriè deſignat, qui non ſe propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiſcentiam ſuam refrenent, aut infirmitati alterius parcant. Si non intellexit ad hunc modum, pugnat ipſe ſecum, & cum ſacris canonibus, quos ante eum fecerunt non minus docti, quam ſancti Pontifices. Sed id abſit, voluit enim eorum irrefragabilem eſſe authoritatem. Qua igitur fronte audent Catholicam doctrinam, cum impijſſimis hæreticorum commentis conferre? Sed iſti rhetores, quos certò ſcimus Confeſſionis & Apologiæ architectos eſſe, non putant ſe ſatis ſuo defunctos eſſe officio, niſi egregiè Catholicos calumnientur, niſi Catholicos in Mecœnatum ſuorum & plebis odium rapiant. Et in hanc concedit etiam ſententiam Hieronymus, qui ad Iouinianum ita inquit: Reprobat Apoſtolus eos, qui prohibebãt nubere, & iubebant à cibis abſtinere, ſed Marcionem deſignat, & cæteros hæreticos, qui abſtinentiã inducunt perpetuam, ad deſtruenda & contemnenda, & abominanda opera creatoris. Nos autem creaturam omnem laudamus, & maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, ieiuniaq́ue præferimus ſaturitati. Et à diebus Ioannis Baptiſtæ, ieiunatoris & virginis, regnũ cælorum vim patitur. Hæc ille benedixit, & inter recitandum non ſolum aduertimus, quod iſta ſententia Pauli nõ poteſt de Catholica doctrina dici, ſed & quod Ieiunatores, & diſcrete à cibis abſtinentes, de congruo merentur gratiam & gloriam, iuxta Euangelij vocem: A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Aliter quoque Hieronymus.

Ieiunatores de congruo merentur gratiam & gloriam.

Matth. 11.

Inferunt regno cælorum vim, qui cupiditatibus imperant, qui luxuriam caſtitate, gulam abſtinentia, iram manſuetudine, auariciam liberalitate, ſuperbiam humilitate ſuperant. Et hæc eſt anguſta porta, & arcta illa via, quæ tam raros habet, qui conterant eam. Sed hæc iam ſunt extra metam.

Nec, vt iterum calumniantur Aduerſarij, ita Catholicis probantur omnes cæremoniarum, ieiuniorum, feriarum cultus, vt aliqua ſi vrgeat neceſſitas ſaluo Chriſtianiſmo, iuſtitia, & ſalute abrogari non poſſint. Sed conſtanter aſſeuerant abrogandorũ veritatem rituum non in crypticis ſeditioſorũ aliquot hominum conciliabulis, ſed in legitimo concilio eſſe. Et quod citra graue peccatum nemo Eccleſiæ decreta cum violatione contemnat, aut cum contemptu violet.

Cultus cæremoniarum quatenus Catholicis probentur.

Conſequenter religioſi iſti viri ſcilicet docent, quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina, aut corporalibus, exercitijs & laboribus ſic coercere, ne ſaturitas aut deſidia exſtimulet ad peccatum. Et quod oporteat hanc corporalem diſciplinam ſemper vrgere, non ſolum paucis & conſtitutis diebus. Bona quidem eſt iſta doctrina, ſi obſeruaretur. Nullibi minus affligitur caro, nullibi min⁹ ieiunatur, quàm apud Aduerſarios. Videas apud eos pleroſq; multos per Quadrageſimam, & ſextis ferijs carnibus ſeſe farcire, quib⁹ die Dominico & reliquo tempore oleribus vel macilentiſſimis victitandũ eſt. Et in hoc putant eſſe totã Chriſtianam libertatẽ, ſi tempore interdicto ab vniuerſali Eccleſia, carnibus veſcantur, & ne quid deſit, addunt etiã piſces, vt & ventrem diſtendant, & oculos ſaturent: ſi Sanctorũ ferias iniquis cõtaminent operib⁹, ſi Monachis infeſti ſint, ſi cucullas per fas nefaſq́; extorqueãt, ſi ſacris virginibus, vt nubant pſuadeant, ſi ſacerdotibus vxores copulent, & in his omnib⁹ ſtrenui ſunt milites.

Sed cui hoc placeat, quod damnant traditiones, quæ certos dies, certos cibos præſcribunt. O Calixte martyr, hic te damnãt, quòd conſtitueris quater in anno ieiunandũ eſſe, & ſicut annus per quatuor voluitur tempora, ſic & fideles quaternum ſolemne agant ieiunium: & ſicut replentur frumento, vino, & oleo, ad alenda corpora, ſic repleantur ieiunio ad alendas animas. Hic te damnant Theleſphore Pontifex Max. quod conſcientias tam longa ieiuniorum ante ſanctum Paſcha obſeruatione oneraueris. Damnant & hic te Vrbane ſumme ſacerdos, quod in Calixti ſententia pedibus cõceſſeris. Damnant conciliũ Aurelian. quod præcepit ſacerdotib⁹, vt ante Paſchæ ſolemnitatẽ Quadrageſimã ieiunent. Damnant conciliũ Toletanum octauum, idẽ omnib⁹, niſi neceſſitate cogãtur, præcipiens.

O impudentiam, plusquam ſcurrilem.

Matth. 19. Adulterant Paulum Lutherani.

Abutuntur igitur dictis Pauli nam Paulus loquitur aduerſus hæreticos, quos ſurrecturos certo certius prænouerat, videlicet Encratitas, Tatianos, Seuerianos, & ſimiles pſeudoapoſtolorum peſtes, qui cum Manichæo contendebant, eſum carnium & vini potum ob hoc omnino fugiendum eſſe, quòd caro & vinum ſuapte natura eſſent mala: & horũ iniquam perſuaſionem refellit hic Apoſt. dicens, hanc eſſe doctrinam dæmoniorum. Et hinc dicit idẽ: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendũ, quod cum gratiarũ actione accipitur. Quod vero iſte ſit intellectus verborum Pauli, teſtentur ipſæ Aduerſariorum conſcientiæ, quas nunc rodit & vellicat vermis ille mortis neſcius. Sentiunt enim, ſancto motu ſacros antiſtites inſtituiſſe, vt aliquando à carnibus & ab omni luxu ieiunent homines, tum vt carnem ſpiritui ſubiugent, tum vt magis idonei, qui orantes gratiam & beneficia à Deo impetrent. Certè Auguſtin⁹ intellexit de his quos nominauimus.

August. contra Adam. hunc locum Pauli aliter intellexit, atque isti.

Iſtos, inquit, futuros ſignificauit Apoſtolus in temporibus nouiſſimis, prohibentes nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit. Hos enim propriè deſignat, qui non ſe propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiſcentiam ſuam refrenent, aut infirmitati alterius parcant. Si non intellexit ad hunc modum, pugnat ipſe ſecum, & cum ſacris canonibus, quos ante eum fecerunt non minus docti, quam ſancti Pontifices. Sed id abſit, voluit enim eorum irrefragabilem eſſe authoritatem. Qua igitur fronte audent Catholicam doctrinam, cum impijſſimis hæreticorum commentis conferre? Sed iſti rhetores, quos certò ſcimus Confeſſionis & Apologiæ architectos eſſe, non putant ſe ſatis ſuo defunctos eſſe officio, niſi egregiè Catholicos calumnientur, niſi Catholicos in Mecœnatum ſuorum & plebis odium rapiant. Et in hanc concedit etiam ſententiam Hieronymus, qui ad Iouinianum ita inquit: Reprobat Apoſtolus eos, qui prohibebãt nubere, & iubebant à cibis abſtinere, ſed Marcionem deſignat, & cæteros hæreticos, qui abſtinentiã inducunt perpetuam, ad deſtruenda & contemnenda, & abominanda opera creatoris. Nos autem creaturam omnem laudamus, & maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, ieiuniaque præferimus ſaturitati. Et à diebus Ioannis Baptiſtæ, ieiunatoris & virginis, regnũ cælorum vim patitur. Hæc ille benedixit, & inter recitandum non ſolum aduertimus, quod iſta ſententia Pauli nõ poteſt de Catholica doctrina dici, ſed & quod ieiunatores, & diſcrete à cibis abſtinentes, de congruo merentur gratiam & gloriam, iuxta Euangelij vocem: A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Inſerunt regno cælorum vim, qui cupiditatibus imperant, qui luxuriam caſtitate, gulam abſtinentia, iram manſuetudine, auariciam liberalitate, ſuperbiam humilitate ſuperant. Et hæc eſt anguſta porta, & arcta illa via, quæ tam raros habet, qui conterant eam. Sed hæc iam ſunt extra metam.

Aliter quoque Hieronymus.

Ieiunatores de congruo merentur gratiam & gloriam. Matth. 11.

Cultus cæremoniarum quatenus Catholicis probentur.

Nec, vt iterum calumniantur Aduerſarij, ita Catholicis probantur omnes cæremoniarum, ieiuniorum, feriarum cultus, vt aliqua ſi vrgeat neceſſitas ſaluo Chriſtianiſmo, iuſtitia, & ſalute abrogari non poſſint. Sed conſtanter aſſeuerant abrogandorũ veritatem rituum non in crypticis ſeditioſorũ aliquot hominum conciliabulis, ſed in legitimo concilio eſſe. Et quod citra graue peccatum nemo Eccleſiæ decreta cum violatione contemnat, aut cum contemptu violet.

Conſequenter religioſi iſti viri ſcilicet docent, quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina, aut corporalibus, exercitijs & laboribus ſic coercere, ne ſaturitas aut deſidia exſtimulet ad peccatum. Et quod oporteat hanc corporalem diſciplinam ſemper vrgere, non ſolum paucis & conſtitutis diebus. Bona quidem eſt iſta doctrina, ſi obſeruaretur. Nullibi minus affligitur caro, nullibi min⁹ ieiunatur, quàm apud Aduerſarios. Videas apud eos pleroſq; multos per Quadrageſimam, & ſextis ferijs carnibus ſeſe farcire, quib⁹ die Dominico & reliquo tempore oleribus vel macilentiſſimis victitandũ eſt. Et in hoc putant eſſe totã Chriſtianam libertatẽ, ſi tempore interdicto ab vniuerſali Eccleſia, carnibus veſcantur, & ne quid deſit, addunt etiã piſces, vt & ventrem diſtendant, & oculos ſaturent: ſi Sanctorũ ferias iniquis cõtaminent operib⁹, ſi Monachis infeſti ſint, ſi cucullas per fas neſaſq; extorqueãt, ſi ſacris virginibus, vt nubant pſuadeant, ſi ſacerdotibus vxores copulent, & in his omnib⁹ ſtrenui ſunt milites.

Sed cui hoc placeat, quod damnant traditiones, quæ certos dies, certos cibos præſcribunt. O Calixte martyr, hic te damnãt, quòd conſtitueris quater in anno ieiunandũ eſſe, & ſicut annus per quatuor voluitur tempora, ſic & fideles quaternum ſolemne agant ieiunium: & ſicut replentur frumento, vino, & oleo, ad alenda corpora, ſic repleantur ieiunio ad alendas animas. Hic te damnant Theleſphore Pontifex Max. quod conſcientias tam longa ieiuniorum ante ſanctum Paſcha obſeruatione oneraueris. Damnant & hic te Vrbane ſumme ſacerdos, quod in Calixti ſententia pedibus cõceſſeris. Damnant conciliũ Aurelian. quod præcepit ſacerdotib⁹, vt ante Paſchæ ſolemnitatẽ Quadrageſimã ieiunent. Damnant conciliũ Toletanum octauum, idẽ omnib⁹, niſi neceſſitate cogãtur, præcipiens.

O impudentiam, plusquam scurrilem.

Damnant omnes ſanctos Patres, qui quadrageſimæ & reliquorum ieiuniorum ab Eccleſia conſtitutorum obſeruantiam multis præclaris encomijs exornarunt. Damnant tam veterem conſuetudinem, quæ pro lege iam pridem obtinuit, etiamſi nullo eſſet decreto roborata. Quid faciemus? non eſt quod hic reſpondeamus, hoc vnum reliquum eſt, vt remittamus eos expoſtulatum cum Calixto, cum Theleſphoro, cum Vrbano, cum concilijs Aurelian. Toletano, cum vetuſtiſſimis Patribus, vita & ſcientia clariſſimis, ſi fortè poſſint cum eis concordiæ inuenire modos. Apud benè fideles extra controuerſiam eſt hæc res, nec putant Cæſ. Maieſt. vnquam commiſſuram, vt iſti hac parte aduerſus veritatem tripudient. Si quid neceſſario de conſtitutionum rigore mitigandum eſt, id fiat in pleno patrum conſeſſu, non in adulterinis hæreticorum cōciliabulis, vbi ſpiritus ſanctus vnius Catholicę Eccleſię illuſtrator, adeſſe nequit.

Hunc Articulum coniungit Hoffmeiſterus cum ſequenti, inde repetentur, quę huc pertinebunt.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De votis Monachorum.

Qvid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, ſi quis meminerit, qualis ſtatus fuerit monaſteriorum, quàm multa contra ipſos Canones in monaſterijs quotidie fiebant. Auguſtini tempore erant libera Collegia, poſtea vbique corrupta diſciplina addita ſunt vota, vt tanquam excogitato carcere diſciplina reſtitueretur. Addita ſunt paulatim ſupra vota, aliæ multæ obſeruationes, & hæc vincula multis ante iuſtā ætatem contra Canones iniecta ſunt, multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiam ſi non deeſſent anni, tamen iudicium de ſuis viribus defuit, qui ſic irretiti erant, cogebantur manere, etiamſi beneficio canonum quidam liberari poſſent, & hoc accidit etiam magis in monaſterijs virginum, quàm Monachorum, cum ſexui imbecilliori magis parcendum eſſet. Hic rigor diſplicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adoleſcentes in monaſteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientijs iniiceret, dolebant authoritatem Canonum in re periculoſiſſima omnino negligi & contemni. Ad hæc mala accedebat talis perſuaſio de votis: quod conſtat etiam olim diſplicuiſſe Monachis ipſis, ſi qui paulò cordatiores fuerunt, dicebant vota paria eſſe baptiſmo, dicebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem coram Deo. Imo addebant amplius, vitam monaſticam non tantum mereri iuſtitiam coram Deo, ſed amplius etiam: quia non ſeruaret modo præcepta, ſed etiam conſilia Euangelica.

Ita perſuadebant monaſticam profeſſionem longè meliorem eſſe baptiſmo, vitam monaſticam plus mereri, quàm vitam magiſtratuum, vitam paſtorum, & ſimilium, qui in mandatis Dei, ſine factitijs religionibus ſuæ vocationi ſeruiunt. Nihil horum negari poteſt, extant enim in libris eorum.

*Quid fiebat præterea in Monaſterijs? olim erant ſcholæ ſacrarum literarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt vtiles Eccleſiæ. & ſumebantur inde paſtores & Epiſcopi: nunc alia res eſt, nihil opus eſt recitare nota. Olim ad diſcendum conueniebant: nunc fingunt inſtitutum eſſe vitæ genus, * ad promerendam gratiam & iuſtitiam. Imò, prædicant ſtatum eſſe perfectionis, & longe præferunt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis.*

* exemplar Vuittenberg. anni 1531. legit Ad promerendam remiſſ. peccatorum, & iuſtificationē. Imo &c.

Hæc ideo recitauimus, nihil odioſè exaggerantes, vt melius intelligi poſſet de hac re doctrina noſtrorum. Primum de his, qui matrimonio contrahunt, ſic docent apud nos: quod liceat omnibus, qui non ſunt idonei ad cælibatum, contrahere matrimonium, quia vota non poſſunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Eſt autē hoc mandatum Dei: Propter fornicationem habeat vnuſquiſq; vxorem ſuam. Neq; mandatum ſolum, ſed etiam creatio, & ordinatio Dei cogit hos ad coniugiū, qui ſine ſingulari Dei opere nō ſunt excepti, iuxta illud: Non eſt bonū homini eſſe ſolū. Igitur non peccant, qui obtēperant huic mandato, & ordinationi Dei. Quid poteſt contra hæc opponi? exaggeret aliquis obligationē voti quantū volet, tamen non poterit efficere, vt votum tollat mandatū Dei. Canones docent in omni voto ius ſuperioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent.

Quod ſi obligatio votorum nullas alias haberet cauſas cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent? neq; enim licet homini obligationē, quæ ſimpliciter eſt iuris diuini, reſcindere: ſed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices, æquitatē in hac obligatione adhibendā

eſſe

eſſe: ideo ſapè de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum reuocato ex Monaſterio. Nec deſunt exempla noſtri temporis. Deinde cur exaggerant obligationem aduerſarij ſeu effectu voti, cum interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & conſulto conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotuſquiſque ſponte & conſilio vouit: Puellæ & adoleſcentes priuſquam iudicare poſſunt, perſuadentur ad vouendum, interdū etiam coguntur, quare non eſt æquum, tam rigide de obligatione diſputare, cum omnes fateantur, contra voti naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſulto admittitur.

Plerique Canones reſcindunt vota ante annū decimūquintum contracta, quia ante illā ætatem non videtur tantū eſſe iudicij, vt de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati addit annos aliquot: vetat enim votum fieri ante annum decimumoctauum. Sed vtrum ſequemur? maxima pars habet excuſationem cur Monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem vouerunt.

Poſtremò, etiamſi voti violatio reprehendi poſſet, tamen non videtur ſtatim ſequi, quod coniugia talium perſonarum diſſoluenda ſint. Nā Auguſtinus negat debere diſſolui. xxvij. queſt: cap. Nuptiarum: cuius non eſt leuis authoritas, etiamſi alij aliter poſtea ſenſerunt. Quamquam autem mandatum Dei de coniugio videatur pleroſq; liberare à votis, tamē noſtri afferunt & aliam rationem de votis, quod ſint irrita: quia omnis cultus Dei ab hominibus, ſine mandato Dei inſtitutus & electus ad promerendam 1. gratiam & iuſtificationem impius eſt ſicut Chriſtus ait: Fruſtra colunt me, mādatis hominum. Et Paulus vbiq; docet, iuſtitiam nō eſſe quærendā ex noſtris obſeruationibus, & cultibus, qui ſunt excogitati ab hominibus, ſed contingere eā per fidem 2. credentibus ſe recipi in gratiā à Deo propter Chriſtū.

1. Exemplar Vuitenberg. Anni 1531 habet: Ad promerendā remiſſionē peccatorū, & iuſtificationem. impius eſt, &c.

Conſtat autem monachos docuiſſe, quod fictitiæ Religiones ſatiſfaciant pro peccatis, mereantur gratiam & iuſtificationem, quid hoc eſt aliud quàm de gloria Chriſti detrahere, & obſcurare ac negare iuſtitiam fidei? Sequitur igitur, iſta vota vſitata impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium & factum contra mandata Dei non valet. Neque enim votum debet eſſe vinculum iniquitatis, vt Canon dicit.

2. Exemplar Vuitēber anni 1531 in octauo, legit: Credētibus ſe habere Deū placatum & propitiū propter Chriſtū, nō propter vlla noſtra merita. Conſtat, &c.

3 *Ab hoc loco, vſq; ad illam clauſulam: Non eſt leue ſcandalū, &c. Exemplar Vuittēberg. Anni 1531 in octauo plurimum variat, ſic enim habet: Paulus dicit: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis, id eſt, qui ſentiunt, quod mereantur proprijs operibus remiſſionem peccatorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec ſentiunt quod propter Chriſtum gratis accipiant fide donatam remiſſionē peccatorum, per miſericordiam Dei, & quod propter Chriſtum placeant Deo, hi amittunt Chriſtum, quia fiduciam debitam Chriſto, & promiſſioni Dei transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Chriſtum, ſed propria opera, quare honorem debitum Chriſto transferunt ad opera noſtra. Cōſtat autem Monachos hec docere, quod ſuis obſeruationibus mereantur remiſſionem peccatorum, quod habeant Deum propitium propter has obſeruationes. Quare docent confidere ſuis operibus, non propiciatione Chriſti. Hæc fiducia eſt impia, & cum Euangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehendetur eſſe inanis. Non enim poſſunt opera noſtra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam miſericordiam propter Chriſtum promiſſam fide apprehendimus. Amittunt igitur Chriſtum, qui fiduciam non in Chriſtum, ſed in propria opera collocant.*

Præterea Monachi docuerunt, ſuum vitægenus ſtatum eſſe perfectionis, quia obſeruarent non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia. Hic error maxime pugnat cum Euangelio, quod finxerunt ſe præceptis ita ſatisfacere, vt amplius etiam facerent. Et hinc natus eſt horribilis error, quod finxerunt ſe habere merita ſupererogationis. Hæc applicauerunt pro alijs, vt ſatisfactiones eſſent pro alienis peccatis. Hæc ſi quis odioſe velit exagitare, quàm multa commemorare poſſit, quorum iam ipſos Monachos pudet. Non eſt leue ſcandalum, &c.

3 *Paulus dicit: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Ergo etiam qui votis iuſtificari volunt, euacuantur à Chriſto, & à gratia excidūt. Nam qui votis tribuunt iuſtificationem, tribuunt proprijs operibus, hoc quod proprie ad gloriam Chriſti pertinet. Neque vero negari poteſt, quin Monachi docuerunt, ſe per vota & obſeruationes ſuas iuſtificari & mereri remiſſionem peccatorum. Imo affinxerunt abſurdiora. Dixerunt ſe alijs mutuari ſua opera. Hæc ſi quis velit odioſè exaggerare, quàm multa poſſit colligere, quorum iam ipſos Monachos pudet. Ad hæc perſuaſerunt hominibus, fictitias religiones eſſe ſtatum Chriſtianæ perfectionis. An non eſt hoc iuſtificationem tribuere operibus? Non eſt leue ſcandalum in Eccleſia, populo pr[...]ere certum cultum ab hominibus excogitatum ſine mādato Dei, & docere, quod talis cultus iuſtificet homines, quia iuſtitia fidei, quam maxime oportet tradi in Eccleſia, obſcuratur, cum illæ mirificæ religiones angelorum, ſimulatio paupertatis & humilitatis, & cælibatus offenduntur oculis hominum.*

Præ-

Præterea obſcurãtur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt ſolos Monachos in ſtatu perfectionis eſſe: quia perfectio Chriſtiana eſt, ſeriò timere Deum. Et rurſus concipere magnã fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus Deum placatũ, petere à Deo, & certo exſpectare auxilium in omnibus rebus gerendis iuxta vocationẽ. Interim foris facere diligenter bona opera, & ſeruire vocationi. In his rebus eſt vera perfectio, & verus cultus Dei. Nõ eſt in cælibatu, aut mendicitate, aut veſte ſordida, verùm populus concipit multas pernitioſas opiniones ex illis falſis præconibus vitæ Monaſticæ. Audit ſine modo laudari cælibatũ. Ideo cũ offenſione conſcientiæ verſatur in coniugio. Audit ſolos mendicos perfectos eſſe, ideo cũ offenſione cõſcientiæ retinet poſſeſſiones, negociatur. Audit conſiliũ Euãgelicũ, de nõ vindicãdo. Ideo alij in priuata vita nõ verẽtur vlciſci.4. Audiũt.n. prohiberi vindictã cõſilio, nõ præcepto. Alij cõtra etiam magis errãt, quia oẽs magiſtratus, omnia ciuilia officia iudicant indigna eſſe Chriſtianis, & cum conſilio euangelico pugnare.

4. Exemplar Vuitẽb. anni 1531. in octa. legit. Audiũt .n. cõſiliũ eſſe non præceptũ. Alij oẽs magiſtratus & ciuilia officia, iudicant indigna eſſe Chriſtianis. Leguntur, &c.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto coniugio, deſerta Reipub. adminiſtratione, in Monaſteria ſeſe abdiderunt: id vocabant fugere ex mundo, & quærere ſanctum vitæ genus, nec videbant Deo ſeruiendum eſſe in illis mandatis, quæ ipſe tradidit, non in mandatis quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum, & perfectum vitæ genus eſt, quod habet mandatum Dei. De his rebus neceſſe eſt admoneri homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem monachorum de perfectione, & teſtatur, ſuo tempore nouã hanc vocem fuiſſe, quod vita monaſtica ſit ſtatus perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, 5. quod iuſtificent, quod ſint perfectio Chriſtiana, quod ſeruent Monachi conſilia & præcepta, quod habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cum ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.

5. Exemplar Vuitẽb anni 1531. in octa. habet: Quod mereãtur remiſſ peccatorẽ & iuſtificationẽ, quod ſint perfectio, &c.

Confeſſionis Anno 1540. variatæ, Articulus De votis Monaſticis.

QVid de votis Monachorũ apud nos doceatur, melius intelliget, ſi quis meminerit, qualis ſtatus fuerit Monaſteriorũ, quàm multa contra Canones in ipſis Monaſterijs quotidie fiebant. Auguſtini tempore erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina, vbique addita ſunt vota, vt tãquam excogitato carcere, diſciplina reſtitueretur. Addita ſunt paulatim ſupra vota aliæ multæ obſeruationes. Et hæc vincula multis ante iuſtam ætatem contra Canones iniecta ſunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamſi non deerant anni, tamen iudicium de ſuis viribus defuit. Qui ſic irretiti erant, cogebantur manere, etiamſi quidam beneficio Canonum liberari poſſent. Et hoc accidit magis etiam in Monaſterijs virginum, cum ſexui imbecilliori magis parcendum eſſet. Hic rigor diſplicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adoleſcentes in monaſteria detrudi propter victum, videbant quam infœliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientijs inijceret, dolebant authoritatẽ Canonum in re periculoſiſſima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala accedebat talis perſuaſio de votis, quam conſtat etiam olim diſplicuiſſe ipſis Monachis: ſi qui paulò cordatiores fuerunt, docebant vota paria eſſe baptiſmo, docebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorũ, & iuſtificationem coram Deo. Imò addebãt, vitam Monaſticam non tãtum iuſtitiam mereri coram Deo, ſed amplius etiam, quia ſeruaret non modo præcepta, ſed etiam conſilia Euangelica.

Ita perſuadebant, Monaſticam profeſſionem longe meliorem eſſe Baptiſmo, vitam monaſticam plus mereri quàm vitam Magiſtratuum, vitam Paſtorum, & ſimilium, qui in mãdatis Dei, ſine fictitijs religionibus ſuæ vocationi ſeruiunt. Nihil horum negari poteſt, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat poſtea in Monaſterijs? Olim erãt ſcholæ ſacrarũ litterarũ, & aliarũ diſciplinarũ, quæ ſunt vtiles Eccleſiæ, & ſumebãtur inde paſtores, & Epiſcopi. Nũc aliares eſt, nihil opus eſt recitare nota. Olim ad diſcendũ conueniebant, nunc fingunt inſtitutum eſſe vitæ genus ad promerendã remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem. Imò prædicant eſſe ſtatum perfectionis, & longe præferunt alijs omnibus vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus, nihil odioſe exaggerãtes, vt melius intelligi poſſet de hac re doctrina noſtrorũ. Primum de his, qui matrimonia cõtrahunt, ſic docent apud nos: quod liceat omnibus, qui nõ ſunt idonei ad cælibatum, contrahere matrimonium, quia vota non poſſunt ordina-

dinationem ac mandatum Dei tollere. Eſt autem hoc mandatum Dei; Propter fornicationem habeat vnuſquiſque vxorem ſuam. Neque mandatum ſolum, ſed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad coniugium, qui ſine ſingulari Dei opere nõ ſunt excepti. Iuxta illud: Non eſt bonum homini eſſe ſolum. Igitur non peccant iſti, qui huic mandato obtemperant, & ordinationi Dei.

Quid poteſt contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, vt votum tollat mandatum Dei. Canones docent, in omni voto ius ſuperioru excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quod ſi obligatio votorum nullas haberet cauſas, cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neq; enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter iuris diuini eſt, reſcindere. Sed prudẽter iudicarunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe. Ideo ſæpe de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de rege Arragonum reuocato ex Monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde cur obligationem exaggerant aduerſarij ceu effectum voti, cum interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & cõſulto conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotuſquiſque ſponte & conſulto vouit? Puellæ, & adoleſcentes priuſquam iudicare poſſunt, perſuadentur ad vouendum, interdum etiam coguntur. Quare nõ eſt æquum, tam rigide de obligatione diſputare, cum omnes fateantur, contra voti naturã eſſe, quod non ſponte, quod inconſulto admittitur.

Pleriq; Canones reſcindunt vota ante annum decimumquintum cõtracta, quia ante illã ætatem non videtur tantũ eſſe iudicij, vt de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedẽs hominũ imbecillitati, addit annos aliquot: vetat .n. ante annũ decimũoctauũ votũ fieri. Sed vtrũ ſequemur, maxima pars habet excuſationẽ, cur Monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem vouerunt. Poſtremo etiam ſi voti violatio reprehendi poſſet, tamẽ non ſequitur, quod coniugia talium perſonarum diſſoluenda ſint. Nam Auguſtinus negat debere diſſolui, 27. quæſt. 1. cap. Nuptiarum, cuius non eſt leuis authoritas, etiamſi alij aliter poſtea ſenſerunt.

Quanquam autem mandatum Dei de coniugio liberet pleroſque à votis, tamen afferunt noſtri aliam rationẽ de votis, quod ſint irrita, quia omnis cultus Dei ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus & electus, ad promerẽdam remiſſionem peccatorũ, & iuſtificationẽ, impius eſt. ſicut Chriſtus ait: Fruſtra me colunt mãdatis hominum. Et Paulus vbiq; docet, iuſtitiam nõ eſſe quærendam ex noſtris obſeruationibus & cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed contingere eam per fidem, credentibus ſe habere Deum placatum & propitium propter Chriſtum, non propter vlla noſtra merita.

Conſtat autem Monachos docuiſſe, quod factitiæ religiones mereantur remiſſionẽ peccatorũ, & iuſtificationẽ, & pro peccatis ſatiſfaciant. Quid hoc eſt aliud, quàm de gloria Chriſti detrahere, & obſcurare, ac negare iuſtitiã fidei? Sequitur igitur, iſta vota vſitata, impios fuiſſe cultus, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet, neque enim debet eſſe votum vinculum iniquitatis, vt Canon dicit.

Paulus dicit: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, & à gratia excidiſtis. Id eſt, qui ſentiunt quod mereantur proprijs operibus remiſſionem peccatorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec ſentiunt quod propter Chriſtum gratis accipiãt fide donatã remiſſionẽ peccatorũ per miſericordiam Dei, & quod propter Chriſtũ placeant Deo, hi amittunt Chriſtum, quia fiduciam debitam Chriſto, & promiſſioni Dei, trãſferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorẽ Chriſtum, ſed propria opera, quare honorem debitum Chriſto transferunt ad opera noſtra. Conſtat autẽ, Monachos hoc docere, quod ſuis obſeruationibus mereantur remiſſionem peccatorũ, quod habeant Deũ propitiũ propter has obſeruationes. Quare docent confidere ſuis operibus, nõ propitiationi Chriſti. Hæc fiducia eſt impia, & cum Euangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehẽdetur eſſe inanis. Non enim poſſunt opera noſtra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam miſericordiam propter Chriſtum promiſſam, fide apprehẽdimus. Amittunt igitur Chriſtum, qui fiduciam non in Chriſtum, ſed in propria opera collocant.

Præterea Monachi docuerunt, ſuum vitæ genus ſtatum eſſe perfectionis, quia obſeruent nõ ſolũ præcepta, ſed etiam cõſilia. Hic error maximè pugnat cũ Euangelio, quod finxerunt

runt ſe præceptis ita ſatiſfacere, vt amplius etiam facerent. Et hinc natus eſt horribilis error, quod finxerunt ſe habere merita ſupererogationis. Hæc applicauerunt pro alijs, vt ſatisfactiones eſſent pro alienis peccatis. Hæc ſi quis odioſe velit exaggerare, quàm multa cōmemorare poßit, quorum iam ipſos Monachos pudet.

Non eſt leue ſcandalum in Eccleſia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum ſine mandato Dei, & docere quod talis cultus iuſtificet homines. Quia iuſtitia fidei in Chriſtum, quam maxime oportet tradi in Eccleſia obſcuratur, cum illæ mirificæ religiones angelorum, ſimulatio paupertatis & humilitatis & cælibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obſcurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cū audiunt homines, ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis: quia perfectio Chriſtiana, eſt ſerio timere Deum, & rurſus concipere magnam fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certo exſpectare auxilium in omnibus rebus gerendis iuxta vocationē. Interim foris diligenter facere bona opera, & ſeruire vocationi. In his rebus eſt vera perfectio, & verus cultus Dei, non eſt in mendicitate, aut cælibatu, ac veſte ſordida. Ac populus concipit multas pernitioſas opiniones ex illis falſis præconijs vitæ Monaſticæ. Audit ſine modo laudari cælibatum, ideo cum offenſione conſcientiæ verſatur in coniugio. Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeßiones, negotiatur. Audit cōſilium Euangelicū eſſe de non vindicando, ideo alij in priuata vita non verentur vlciſci, audiunt enim cōſilium eſſe, non præceptum. Alij omnes magiſtratus, & ciuilia officia iudicāt indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto coniugio, deſerta Reipubl. adminiſtratione abdiderunt ſe in Monaſteria. Id vocabant fugere ex mundo, & quærere vitæ genus, quod Deo magis placeret. Nec videbant Deo ſeruiendum eſſe in illis mandatis, quæ ipſe præcipit, non in mandatis, quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus eſt, quod habet mandatum Dei. De his rebus neceſſe eſt admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem Monachorum de perfectione, & teſtatur ſuis temporibus nouam vocem fuiſſe, quod vita Monaſtica ſit ſtatus perfectionis.

Iam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod mereantur remißionem peccatorum, & iuſtificationem, quod ſit perfectio Chriſtiana, quod ſeruent conſilia & præcepta, quod habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cum ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum Reſponſio ad Articulum de votis Monachorum.

QVamuis varia ex aliquorum ſuggeſtione aduerſus vota in hoc Articulo adferantur, omnibus tamen maturo cōſilio perpenſis, cū vota Monaſtica ſint fundata in ſacris literis noui & veteris teſtamēti, ac ſanctiſſimi viri miraculis clari atq; vita admirabiles, in ſuis religionibus cum multis millenis millibus laudabiliter vixerint, atque à tot ſeculis per vniuerſum orbem Chriſtianum à Catholica Eccleſia ſint recepta & approbata eorum viuendi inſtituta & regulæ, nullo pacto tolerandum eſt, quod vota licentioſe ſine omni timore Dei ſoluantur.

In veteri enim teſtamento probauit Deus vota Nazaræorum, Numeri 6. vota Rechabitarum, qui non bibebant vinum, neque comedebant vuas, Hiere. 35. Omnino autē exigit votum ſemel emiſſum reddi. Deut. 23. Quod ſi quis poſt vota retractat, ruina eſt illi proculdubio, Prouer. 20. Vota vero iuſtorum placabilia. Prouerbiorum 15. Deus præterea per prophetam ſpecialiter docet, vota Monaſtica ſibi placere. Eſaiæ enim 56. ita legitur: Hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quę ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit. Quin Chriſtus laudat, qui ſeipſos caſtrāt propter regnum cælorum. Matth. 19. illos vtique qui abnegata propria voluntate veniunt poſt crucem, & abnegant ſeipſos, & tollunt crucem ſuam, & ſequuntur eum. Luc. 9. vt non iam ſuo, ſed regali, & ſuperioris ſui regantur arbitrio.

Me-

Melius itidem, teſtante Apoſtolo, faciunt virgines, quæ contempto mundo, ſpretisq́ue illecebris, virginitatem in monaſterijs vouerunt & ſeruant, quam quæ oneri matrimoniali colla ſubdūt. Ita enim ait S. Paulus, Cor. 7. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Item de vidua ſequitur: Beatior erit, ſi ſic permanſerit ſecundum conſilium meum. Nemo eſt qui ignoret S. Pauli Heremitæ, Baſilij, Antonij, Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci, VVilhelmi, Auguſtini, Claræ, Brigittæ, & ſimilium etiam eremitarum inſtituta, qui ſanè omnes regnū mundi, & omnē ornatū ſæculi contempſerunt, propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Damnata verò fuit etiā antiquiſſimis temporibus Lampertianorum hæreſis, quā Iouinianus hæreticus Romæ reſuſcitare fruſtra conatus eſt. Quamobrem reijcienda ſunt omnia, quæ in hoc Articulo cōtra monaſticen producta ſunt. Nempe quod libera fuerint collegia tempore Auguſtini, quod vota ſuperaddita ſint Monaſterijs, cū contrarius potius fuerit ordo, vt monaſteria ſuperuenerint votis. De monaſterijs virginum etiā imbecillioris ſexus, ſatis conſpertum eſt, quomodo ſanctæ moniales longe cōſtantiores in votis ſemel emiſſis perſeuerauerunt. In plerisq; monaſterijs etiam ſub principibus & ciuitatibus iſtis quā pleriq; monachi fecerunt in hunc vſq; diem nullis precibus, blādirijs, minis, terroribus, anguſtijs aut preſſuris potuerūt à ſancto ſuo propoſito auelli. Quare admittenda non ſunt, quæ hic in ſiniſtram partem interpretantur, cum ſacris literis ſit expreſſum, monaſticam vitam debita obſeruatione cuſtoditam, quam per gratiam Dei quilibet monaſtici cuſtodire poſſunt, mereri vitam æternam: & quidem authore Chriſto, qui eis promiſit, dicens: Qui reliquerit domū, aut fratres, aut ſorores, aut vxorē, aut patrem, aut matrē, aut filios, aut agros propter nomen meū, centuplū accipiet, & vitam æternam poſſidebit. *Matth. 13.*

Quod monaſteria fuerint olim ſcholæ literarū, non negatur, neq; ignoratur: tamen fuiſſe primùm ſedes virtutū & diſciplinæ, quibus poſtea literæ acceſſerint. Cum autem nemo apponens manū ad aratrum & retroſpiciens, aptus ſit regno cælorum, Luc 9. pro damnatis haberi debent, iuxta tenorem tum ſcripturæ ſacrę, tum legum quoque & canonum, omnia matrimonia, et votifragia Monachorū et Monialium, qui primam fidem irritam fecerunt, habentes damnationem, vt ait S. Paulus 1. Timoth. 5. Vota vero non eſſe contra ordinationem Dei, circa ſecundum prætenſorum abuſuum Articulum declaratum eſt. Quod ſe diſpenſationibus Pontificijs tueri conantur, hoc nihil quenquam mouet. Nam licèt Papa diſpenſauerit forte, cum Rege Arragoniæ, quē ſuſcepta prole ad monaſteriū rediſſe didicimus, aut cū quouis alio principe, illud factū eſt propter pacē totius regni, prouinciæue, ne bellis, cædibus, rapinis, ſtupris, incēdijs, homicidijs, totum regnum, aut tota prouincia exponeretur. Cum priuatis tamē perſonis, quæ vota apoſtaticè reliquerant, tales cauſæ diſpenſationum vere obtrudi non poſſunt.

Repellitur etiam quod aſſumitur, votum eſſe in re impoſſibili. Nam continentia non eſt impoſſibilis, quam tot milia virorum et virginum obſeruauêre, quanquam Sapiens inquit: Scio quod non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit. *Sapient. 8.* Chriſtus tamē dare promiſit: Petite, inquit, et accipietis. Lu. 11. Matth. 7. Et S. Paulus, Fidelis eſt, inquit, Deus, qui nō patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentū, vt poſſitis ſuſtinere. 1. Corinthiorum 10. Male etiam cauſam ſuam muniunt, cum voti violationem reprehenſibilem eſſe admittunt. Declarandum quoq; eſt, ea matrimonia iure eſſe improbata et dirimenda, c. Vt continentiæ. atque etiam antiquis Imperatorum legibus. Cum vero pro ſe adducunt c. Nuptiarum, nihil efficiunt: illud enim loquitur de voto ſimplici, non ſolemni, quod in hunc quoque diem obſeruat Eccleſia. Nunquam ergo rata fuerunt Monachorum, Monialium, aut ſacerdotum coniugia.

Caſſatur quoque quod aiunt, vitam votoriam eſſe inuentum hominum, nam ſacris literis eſt fundata, à ſpirituſancto, religioſiſſimisq́ue Patribus inſpirata. Neque detrahit honori Chriſti: quoniam Monaſtici omnia propter Chriſtum obſeruant, et Chriſtum imitantur. Falſa eſt ergo ſententia, qua cultum monaſticum damnant vt impium, qui eſt Chriſtianiſſimus. Non enim euacuantur

mo-

monaſtici à gratia Dei, ſicut Iudæi, de quibus S. Paulus loquitur ad Galat. 5. qui iuſtificationem adhuc in lege Moyſi quærebant. Sed monaſtici contendunt propiùs ſecundum Euangelium viuere, vt mereantur vitam æternam.

Quare impia ſunt, quæ hic contra monaſticen allegantur. Quod autem odioſius proponitur, quòd religioſi ſint in ſtatu perfectionis, ita ab eis nunquam auditum eſt. Religioſi enim non ſibi arrogant perfectionem, ſed ſtatum perfectionis acquirendæ: quia eorum inſtituta, ſunt inſtrumenta perfectionis, non ipſa perfectio. Et hoc pacto accipiendus eſt Gerſon, qui non negat religiones ſtatus eſſe perfectionis acquirendæ, vt declarat in tractatu contra proprietarios Regulę S. Auguſtini, in tractatu de conſilijs Euangelicis, in tractatu de perfectione cordis, & alijs locis.

Ea propter admonendi ſunt Principes & Ciuitates, vt potius contententur, quod per legitimos ſuperiores reformentur monaſteria, & non euertantur, magis pie corrigantur Monachi, quam deleãtur. Id quod etiam religioſiſſime corũ progenitores Chriſtianiſſimi principes fecerũt. Quod ſi ſanctis et religioſiſſimis Patribus, vota monaſtica aſſerentibus, credere nolunt, audiant ſaltem imperialem Celſitudinẽ, Imperatorẽ ſcilicet Iuſtinianũ in Auꝗten. de monaſticis Col. 1. laudat continentiam. Hinc enim dicit nuptias homini eſſe conceſſas, ſuamque laudem habere, quod libidinem velut freno quodam ſuis finibus retineant. Perfectæ autẽ virtutis laudem illis non aſcribit, quò rubore turpitudinis ſuæ ſuffuſus homo, operam det, & continuo virginitatem colat, potius quàm per intemperantiam tam excelſæ virtutis præmia amittat. Eam eſſe geminam Apoſtoli ſententiam, præter alios, diſertis verbis exponit Chryſoſtomus cap. 27. libelli de virginitate. Quamobrem, inquit, adamãtina quadam rationis vi, oculis nunquã ſummo conniuentibus ſumma tolerantia, muris etiã firmis, muris inquam nobis opus eſt, & repagulis, quibus extrinſecus muniamur: vigilantibus præterea, fortibuſq; cuſtodibus, in primis vero diuinæ gratię indigemus adiumento. Niſi enim dominus cuſtodierit ciuitatem, frustra vigilat qui cuſtodit eam. *Pſalm. 126.* Sed quomodo hoc ipſum adiumentum nobis conciliabimus? ſi, quantùm animo valemus, & corpore, totum eò contulerimus, rectas nempe cogitationes, ſummam ieiunij & vigiliarum intentionem, accuratam diuinæ legis obſeruationem, præceptorũ obedientiã, & quod caput eſt, omnem confidentiæ noſtræ vitationem. Licet enim magna facinora fecerimus, tamen illud nobiſcum perpetuò loquamur, oportet: niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam: *Ephes. 6.* quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ſæculi huius, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus: ac noctes dieſque nos armis cogitationum armatoſ, & tanquam impudentib⁹ formidoloſos eſſe oportet. Etenim ſi quis Paulum de intentione remiſerit, continuo diabolus adeſt, ignem tenens in manibus, quo in templum Dei coniecto, illud incendat: ergo tecti vndiq; ſimus, neceſ-

Andreæ Fabricij Leodij In Articulum de votis Monachorum animaduerſio.

QVouſque tandem ranæ iſtę ægyptię in terrenarum cogitationum luto hærebunt? quamdiu Ieſu Chriſti ſponſam ſuo ferali χοὰξ inquietabunt? Qui vnam vocem audit, omnes audit. Qui vnum confeſſionis articulum explorat, cuiuſmodi genio alter ſit præſuſus, haud difficulter norit. Quare cibum omnem iſtum fœtulentũ, calumniarumque & mendaciorum aceruum quo colluuies iſta potiſſime paſcitur, haud ſtudioſe reuoluemus, ne fortè naſum præmere cogamur. Aſſumunt vota omnia monaſtica eſſe irritanda, duabus pręcipuè rationibus, cur ita ſentiant, adducti. Primam repetunt ex neceſſitate illa naturali, qua omnes ad coniugium præcepto Dei cogi affirmant. *1. Cor. 7.* Atque hanc rationem volunt amplificatam Pauli verbis, cum dicit: vnuſquiſq; vxorem ſuam habeat, propter fornicationem. Sed nos illud χοὰξ χοὰξ in articulo de coniugio ſacerdotum repetitum, quantum ſatis eſſe poſſit, repreſſimus. Neque enim apoſtolica illa ſententia vllum continet mandatum, quod homines in ſua libertate adhuc conſtitutos, ſi continendi propoſitum habeant, vlla ratione ad contrahendum nuptias vrgeat. Multò autem minùs Pauli verbis facultas datur, vel etiam imperatur monachis & virginibus caſtitatem profeſſis, vt fide violata, connubio iungantur. Alioqui ipſemet Paulus, ſtimulo carnis exagitatus, cæterique Apoſtoli vxoribus adhærere debuiſſent. Quod certe ipſos non feciſſe conſtat, poſtquam etiam alios ſuo exemplo ad continentiam excitarint. Cum igitur dicit, propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat minime matrimonij vincula neceſſario aliquo mandato omnibus vult iniecta, ſed potius, expoſitis coniugij cauſis, etiam

neceſſe eſt, pugnamus enim cum ijs, quæ naturæ neceſſitas poſtulat: Aemulamur inſtituta angelorum: eum tenemus curſum, quem mentes tenent incorporeæ: terra & cinis ad cœlum cootenduot, & ſeſe cælitibus æquare ſtudent, & mortalitas in certamen cum immortalitate deſcendit. Et, quæſo, tanta cum re quiſquam nuptias, aut voluptatem comparare audeat? nonne id erit perabſurdum? quæ cùm omnia Paulus intelligeret, Vnuſquiſque, inquit, ſuam vxorem habeat. Idcirco refugiebat, idcirco non audebat apud ipſos initio de virginitate diſſerere, ſed commoratus in commemoratione nuptiarum, paulatim ſtudebat eos à coniugio reuocare: ac cū breuiter quædam de continentia dixiſſet, ea nimirum pauca longiori illi de cōnubio orationi permiſcuit: neque Corinthiorum aures grauitate admonitionis offendi paſſus eſt: qui enim ſeuerioribus ſenſibus vſquequaque texit orationem cùm moleſtus eſſe auditori, tum eius animum ſępenumero vehementer perturbari cogit, vt qui dictorum grauitatem minime perferat: qui verò ſic eam variat & temperat, vt grauibus rebus faciliora plura, quam moleſtia illa ſint commiſceat, is & rei ſeueritatem ſubtrahit, & reficiens auditorem ita perſuadet, magis, magiſque conciliat, quod quidem etiam D. Paulus effecit: cum enim dixiſſet, Bonum eſt homini mulierē nō tangere, ſtatim ad nuptias retulit orationem (cum inquit,) Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, quod vbi in beatitudinis loco poſuiſſet, omiſit: Bonum, enim ait, eſt homini mulierem non tangere. De nuptijs verò & conſilium dat, & ſtatuit, & rei pręterea rationem adiungit: Nam propter fornicationem, inquit, in quo videtur quidem rationem afferre, quamobrem ſint conceſſę nuptiæ, ſed re vera expoſitis coniugij cauſis continentiam clam laudando extollit, non id quidem verbis aperiens, ſed auditorē cogitandum relinquens. Auditor enim vbi coniugium à Paulo laudari intelligit, non quia perfectæ virtutis opus ſit, ſed quod in ipſo auditore Paulus eam nouit ineſſe libidinem, vt ſine nuptijs ſe in ipſa libidine continere non poſſit, pudore quodam & rubore ſuffuſus operam dat, vt continuo virginitatem colat, & ſummam intemperantiæ vitet infamiam. Ex his Chryſoſtomi verbis non modò intelligitur, quāta fraude Lutherani interuertant Apoſtoli ſententiam, verùm etiam inde colligūtur rationes & pręſidia, quibus continentiæ bonum parari poſſit, vt homines hęretici etiam cognoſcant, nō ex ſolo matrimonio repetenda eſſe remedia libidinum, ſed alia longe potiora diuinitus præterea offerri. Quid verò aduerſus hæc poterit opponi? Exaggerent & peruertant aduerſarij verba Pauli permittentis matrimonium his qui non continent, quātum volunt, nunquàm tamen ex illis efficient, obligationem voti ſolemnis propter incontinētiam infringi poſſe. Eiuſmodi autē ſunt vota caſtitatis, obedientiæ & paupertatis, quæ monaſtica appellātur, & legitima dicuntur, cùm voluntarie, ſponte, & conſulto ſuſcipiuntur. Verſari etiam illa circa rem honeſtā, & poſſibilem dubium eſſe nequit, cum Chriſtus & Apoſtoli non vno loco ad earum virtutum cultum homioes ſint cohortati. Quicquid igitur eſt huiuſmodi, ſi conſultò firmáque voluntate Deo promittatur, omnino reddendum eſt. Nec licet homini obligationem (vt etiam aduerſarij fatentur) quæ ſimpliciter eſt iuris diuini, reſcindere. Sic autem ſcriptum eſt: Quum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirat illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut. 23.* Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit implebit. *Numero. 30.* Vouete & reddite Domino Deo veſtro. *Pſal. 73.* Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim illi ſtulta & infideles promiſſio. *Eccle. 5.* Eſt ne igitur diabolica audacia, poſtquam tam frequens & apertum extet Dei verbum de obligatione voti, velle contumaciter affirmare illa quæ honeſtè, & piè Deo ſunt nuncupata, diſſolui & irritari poſſe? Vrgent præcipuè votum caſtitatis, quod propter ordinationem Dei, & furorem libidinis in carne dominantis dicunt ab homine præſtari non poſſe. Sed ſues, & immundi pòrci cœno voluptatum aſſueti, non ſapiunt ea quæ ſunt Spiritus Dei. Vnus Chryſoſtomus, ad retundendam omnem huiuſmodi impudentiam, In medium productus nobis ſuffecerit. At virgo, inquit, fluctibus omnino iactari cogitur, & mari nauigare minime portuoſo: *Lib de virg. cap 14.* quod ſi grauiſſima tempeſtas coorta fuerit, ne ſic quidem naui in portum deducta quieſcere poteſt. Vt igitur qui piraticam faciunt, nunquam ad oppida, aut in naualibus, aut portubus, quod ita ſine cauſa diſcrimini ſeſe offerrent, nauigantes adoriuntur, verùm ſi in alto nauem offenderint, eius ſolitudinem audaciæ occaſionem habentes, omnia mouent, omnia verſant, neque prius ea conari deſiſtunt, quam aut vectores ſubmerſerint, aut eo ab illis ipſi malo affecti fuerint: ſic acer iſte pirata magnam in virginem tempeſtatem, difficilemque iactationem, ac procellas intolerabiles commouet, infima ſummis miſcens, vt & vi, & impetu nauem euertat: audiuit enim virginem facultatem non habere ad idem redeundi, ſed illi contrà ſpiri-

ſpiritus nequitiæ luctari aſſidue, & continēter pugnare neceſſe eſt, donec ex illa nauigatione in tranquillum portum perueniat: táquam enim forti militi mœnibus excluſo, ſic Paulus virgini, vel ſi acriùs inſtet hoſtis, vel ſi etiam hoc ipſo veh emétior ſit, quod nullam habeat aduerſarius poteſtaté faciendi inducias, portas prohibet aperiri. Neque enim diabolus virgines modò magis exercet, quam eos qui cōnubio iuncti ſunt, ſed ipſis etiam vehementer ineſt impetus libidinis: quod quidem omnibus omnino perſpicuum eſt. Nam quibus frui poſſumus arbitratu noſtro, ea non facilè appetimus: quod facultas quam habemus, percipiendi illa, neglig ētiam animo nobis ingenerat, quod nimirū teſtatur prouerbium vulgare illud quidem, ſed tamen veriſſimum: Quæ in promptu ſunt; eorum non eſſe nos admodum appetentes: contrà autem fit, ſi quando priuamur ijs, quæ anteà poſſedimus: quæ enim propter copiam contemnimus, vbi non ſunt in poteſtate noſtra, maior eorum nobis cupiditas innaſcitur. Quamobrem primum tranquilliori loco ſunt coniuges: tum ſi quādo in illis excitatur ardor libidinis, concubitu facile ſedatur. Virgo autem non habens vnde ignem reſtinguat, flammam quidem excitatam, & in altum ſublatam videt, ſed eam extinguere non poteſt: tantum verò relinquitur, vt igni reſiſtens non vratur. Quid igitur eſt admirabilius, quàm vniuerſum geſtare in animo rogum ardentem, neque comburi? quàm flammam in intimis animæ partibus verſari, & integram permanere rationem? Nemo enim illi dat hanc veniam, vt libidini parens eiuſmodi carbones effuſos extinguat. Verùm quod ſcriptor prouerbiorū fieri non poſſe dicit in corpore, id ipſum anima virgo cogitur ſuſtinere, quid igitur inquit ille?
Prouerb 7. Nunquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantę eius? ecce ambulat ipſa, & perfert cruciatum. Nunquid poteſt quiſquam abſcondere igné in ſinu, vt veſtimenta eius non ardeant? ac hæc ipſa non veſtibus, ſed intus ignem continens furentem, & crepitantem flammam profert & ſuſtinet. Item cap. 38. eiuſdem libri: Quamobrem, inquit, illud etiam virgini non dixit, Si ſe non continet nubat? quod ne athletę quidem, cum is, reiecto pallio, vnctus in certamen deſcendit, iamque puluere aſperſus eſt, quiſquam dixerit, abſcede fuge aduerſarium: ſed illi alterutrum neceſſe eſt euenire vel vt victor corona donetur, vel vt humi ſtratus cum infamia diſcedat. Nam in ludo, & paleſtra, quòd cum familiaribus homines exercentur, & cum amicis tanquam cum aduerſarijs congrediuntur, ſuo quiſque arbitrio eum laborem ſuſcipit. Cùm verò deſcriptus frequentiſſimo theatro fuerit; atque is qui ludos facit, adeſt; omneſque ſpectatores conſedere; ac productus aduerſarius illi ipſi opponitur, tum lege certaminis, illo priuatur arbitrio. Virgini etiam, quam diu deliberat, vtrum connubio iungatur, an nō, nuptię fraudi nō ſunt: vt verò virginitatem elegit, deſcriptaque in certamen deſcendit; quis audeat, plaudente theatro, angelis è ſuperiore loco ſpectantibus, Chriſto certaminis prefecto, diabolo furente, fremente etiam dentibus, hærenteque in lucta, ac medium occupāte ſpacium, quis, inquam, in medium progreſſus ſic cum illa agat, fuge hoſtem, cede labori, recede de pugna, ne ſterne, neue ſupplanta, ſed palmam defer aduerſario? quid dico virgines? cum viduis hac voce nemo audeat, ſed potius pro huiuſmodi ſermone horribilem illam habeat orationem, Cùm luxuriatæ fuerint in Chri- 1.Tim.5.
ſto, & nubere voluerint, damnationem habebunt, quia primam fidem irritam fecerunt. Atque idem ipſe Paulus, Dico autèm innuptis & viduis. Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: quod ſi ſe non continent, nubant: & illud, Quod ſi dormierit vir eius, libera eſt, cui autem vult, nubat, tantum in Domino. Sed quamobrem in eam, quam liberam dimiſerat, pœnam deinde cōſtituit, &, quod in Domino eſſe inquit connubium, id quaſi contra legem conciliatum condemnat? ne verearis; non enim id de his ipſis, ſed de alteris vult intelligi nuptijs. Vt enim, cum dixit virginem, quia nupſerit, non peccare, de ea non eſt locutus, quæ coniugium renunciarit, quippe quam deliquiſſe, & intolerabili ſcelere ſe aſtrinxiſſe perſpicuum eſt omnibus; ſed de illa, quæ expers adhuc nuptiarum, nihil dum ſtatutum habet, verumetiam nunc inter vtrumque ancipiti cogitandi cura diſtrahitur: ſic & viduam: hoc enim loco de ea omnino loquitur, cui, viro amiſſo, neque dum deliberatum ſit nubere, & integrum, vtrum malit, optare: Illic verò eam ſignificat, cui, cum iam in certamen continentiæ deſcenderit, non amplius liberum eſt nubere cum aliquo: licet enim, quamdiu id non elegerit, viduam eſſe, neque in viduarum ordinem referri: itaque inquit ipſe, Vidua deligatur non minus ſe- 1.Tim.5.
xaginta annorum. Nam Viduæ omnino, ſi voluerit, poteſtatem nubendi facit: at eam, quæ, coniuge mortuo, ſe in reliquum tempus Deo caſtam fore profeſſa ſit, ſi poſtea 1.Cor.7.
nūpſerit, vehementer accuſat, vt quæ pacta, quæ cum Deo fecerat, tanquam obtrita neglexerit. Non his ergo, ſed illis dixit, Si ſe non continent, nubant. Melius eſt enim nubere quam vri. Vides, vt per ſe nuptias nu- 1.Cor.7.
quam admiremur, ſed propter inceſta, at-

que ſtupra, propter tentationes, propter incontinentiam? Ad extremum capite 59. Non modò poſſibilem, verum etiam facilem eſſe continentiam oſtendit, Non neceſſe, inquit, habet, minus eſſe curioſa in cogitatione, & inquiſitione viri, neque veretur, ne quam ſibi is fraudem faciat. Deus enim eſt, non homo, Dominus non conſeruus: & quidem hoc inter ſponſos diſcrimen eſt, quibus verò coniungantur, animaduerte. Non enim dos huius ſponſæ ſunt mancipia, non agri iugera, non tot, tantaque aurea talenta, ſed cœlum & bona cœleſtia. Accedit eo, quod, quæ nupta eſt, cùm alijs de cauſis mortem reformidat, tum quod ſe ab eo ſeiungat, qui cum matrimonij vinculo coniũcta eſt. Virgo & exoptat exitum, & vitam ſibi grauem eſſe ſentit, quod viri os intueri, & eius gloria frui properat. Nam quod inopem vitam viuat, vt ijs, quæ nuptæ ſunt, id ei nocere non poteſt: quin etiam, ſi eam conditionem libenter ferat, ſponſo ſit ob eam cauſam charior, & iucundior; nec, quod humilis ſit, & abiecta, nec, quod minus formoſa & pulchra ſpecie, neque omnino ei quidquam huiuſmodi detrimento eſt. Quid verò iſta dicam? etiam ſi minus fortè libera ſit, ne id quidem illi ad nuptias impedimẽtum affert: quin ei ſatis eſt animæ pulchritudinem præſtare, & principatum adipiſci. Nullus hic obtrectationis metus; nec eſt quòd doleat alterius inuidia mulieris, quod eam videat clariſſimo viro collocatam. Nõ enim quiſquam ſimilis, aut par eius viri eſt, neque omnino qui ad eum propiùs accedat. Cæteros ſcriptores eccleſiaſticos ſtudio prætérimus. Vna enim vox eſt omnium. Qui Chryſoſtomum audit, reliquos audit. Satis nobis eſt, hoc ex illo declaraſſe, quod qui ſemel continentiæ votum emiſerunt, etiam ſi vehementiſſimo impetu libidinis exagitentur, facultatem nõ habeant cõtrahendi nuptias, ſed illis eſſe neceſſum, aſſidue contra ſpiritus nequitiæ & carnem luctari, nec quemquam virgini hanc dare poſſe veniam, vt libidini parens rogum in ſe ardentem extinguat. Illi enim neceſſum eſt, vt alterutrum eueniat: vel vt fortiter certãdo coronam reportet, vel vt ſuperata cum infamia pœnas ignauiæ luat. Magna igitur impudentia Lutherani initio huius articuli affirmant, Auguſtini temporibus vota monaſtica non fuiſſe in vſu, ſed illa poſtmodum eſſe addita, vt corrupta diſciplina velut excogitato carcere ita reſtitueretur. Neque enim paucis annis Chryſoſtomus votorum copioſus aſſertor, ætatem Auguſtini præceſſit. Alioqui & ipſemet Auguſtinus plurimis in locis vota eiuſmodi aſtruit, & vt expeditiùs Deo ſeruiret, facto ipſo religionem monaſticam profitendo quanta illis ineſſet virtus confirmare voluit, alioſque vt ſe imitarentur ſedulò eſt hortatus. To.6. cap 4. Quin etiam libro de ſancta virginitate ex ſacris literis concludit, beatam virginem antequam Chriſtum conciperet, votum virginitatis feciſſe: vt certe nobis dubium eſſe non poſſit, iſtud vitæ inſtitutum vna cum Chriſtiana religione eſſe natum. Prophetarum etiam moribus fuiſſe adumbratum, eorumque ſcriptis confirmatum, nemo in veteris teſtamenti literis exercitatus ambigere poterit. Neque enim obſcurum eſt, cuiuſmodi congregationes fuerint Eliæ & Eliſei. Num. 8. Manifeſtum etiam eſt, quãtum Deo placuerunt vota Nazareorum, Iere.35. & filiorum Rechab. De votis eiuſmodi præterea loquens Eſaias, Eſaie 19. In die illa, inquit, vota vouebunt Domino, & ſoluent, & placabitur illis, & ſanabit eos. Sed vt clariùs reuincatur ſuperius illud mendacium Lutheranorum, aſcribemus hic ducentorum & tredecim Patrum iudicium, qui Carthagini cum Auguſtino fuerunt congregati. Ita enim habet cap. 104. Sicut bonum eſt caſtitatis prẹmium, ita & maiori obſeruantia & præceptione cuſtodiendum eſt. Vt ſi quẹ viduæ quãtumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate, à viro relictæ ſe deuouerint Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſtea verò ad nuptias ſeculares tranſierunt, ſecundum Apoſtolum, 1.Tim.5. damnationem habebũt, quoniam fidem caſtitatis quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonẹ ſine Chriſtianorum communione maneãt, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicẽt. Nam ſi adulterẹ coniuges reatu ſunt viris ſuis obnoxiæ, quanto magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem, quam Deo ſponte non coactæ obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fecerint? Quæ & ſi violentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac poſtea delectatione carnis atque libidinis, permanere in coniugio, raptori vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperius cõprehenſæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apoſtolus: 1.Tim 5. Quum luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Hæc patres capite 104. eius concilij de eorum inſolentia, qui poſt emiſſum caſtitatis votum vel nubũt vel nubere volunt. Cæterùm craſſius eſt illud mendacium, quo aduerſarij Catholicis impingunt, quòd docuerint vota baptiſmo eſſe paria, vel monaſticam profeſſionem lõge baptiſmo eſſe meliorem. Scimus enim gratiam baptiſmi fundamẽtum eſſe omnis meriti, nec vllam profeſſionem adeo eſſe ſanctã,

quæ citra baptiſmum homini ſalutem præſtare poſſit. Quo autem pacto affirmetur, profeſſionem monaſticam, obſeruationeſq; religionum iuſtificare, atque ad remiſſionem peccatorum conſerre, ſuperiori articulo paucis indicauimus. In quem prętereà vſum olim inſtituta fuerint monaſteria, veriùs & certiùs ex venerandę antiquitatis ſcriptoribus, didicerimus, quàm ex immundis hæreticorum noſtri temporis lacunis. Cùm autem addunt, Olim ex monaſterijs ſolere aſſumi Paſtores & Epiſcopos, nunc autē longe aliter rem ſeſe habere, nec opus eſſe recitare nota; non ſatis aſſequimur, quid ſibi velint. Nam ſi eas ſpectemus prouincias, in quibus pulſa religione Catholica, nouum Euangelium obtinet principatum, nihil minus fieri videbimus, quàm illud quod olim fuiſſe factum iactitant. Monaſteria enim ibi aut funditùs ſunt deleta, aut in vſum fiſci conuerſa, aut paraſitis aulicis diſtributa.

Præclarè autem & religioſè, apud illos agitur, ſi ex copioſiſſimis illis prouentibus totidem alantur perſonæ, quot olim hominum millia ſuſtentabantur, & improbi fuci aluearibus apum inſideant, vel aſpides aduerſus matrem rebelles, quicquid maiorum pietas collegit, deuorent & abſumant. Olim Principes Germaniæ plena manu ſua largiebantur, & monaſteria erigebant, omnibus tamen abundabant. Nunc verò alia res eſt, nihil opus eſt recitare nota. Minimæ curæ eſt, ex monaſterijs ſumere Epiſcopos. Omnis pietas hac tempeſtate in aulas commigrauit. Pinguis eſt panis Chriſti, præbens etiam delicias regibus. Non plurima monaſteria, non vnus, non alter, non tertius ſufficit Epiſcopatus. Quicquid libet, per concionatores, & paraſitos aulicos, potentibus licet. Sed hæc de prima huius articuli parte ſufficiant, nunc alteram rationem, qua confirmare meditantur, vota monaſtica eſſe irritanda, paucis attingamus. Affirmare non dubitant, quod omnis cultus Dei, ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus, & electus ad promerendam gratiam, & iuſtificationem, ſit impius. Sed viderint, ne dum ita ſentiunt, in graue impietatis barathrum prolabantur. An verò laicus Chriſti gratiam per baptiſmum aſſecutus, impiè egerit, ſi ante ferias Natiuitatis Domini per totum tempus Aduentus ieiunet, ſi dimidium bonorum ſuorum pauperibus largiatur, ſi neglectis huius mundi negocijs, ædes Deo ſacratas quotidie frequenter, & per aliquot horas in oratione perſeueret? Conſtat enim hæc fieri ſine mandato Dei.

Alioqui Chriſtiani omnes, qui hæc non faciunt, mandatorum diuinorum tranſgreſſores haberi deberent. Quid igitur? An qui eiuſmodi cultibus per Spiritum ſanctum inhabitantem, hoc fine Deum proſequuntur, vt iuſtitiam acceptam foueant, & vberiorem gratiam mereantur, ſint impij? An qui largiori eleemoſyna, quàm iuſſo Domini imperatur peccata ſua redimere ſtudent, impium cultum exercere iudicandi ſunt? An peculiaris aliqua caſtigatio carnis, pſalmorumque frequens lectio vltrò ad eluendas quotidianas noxas, ſuſcepta quempiam reum impietatis peragat? Hæc enim omnia ex ſecunda illa ratione conſequuntur. Sed homines callidi, & ad ſtruendos dolos prorſus compoſiti, intelligentes quàm mendax & inane ſit illud fundamentum, longe aliud ſecunda argumentationis parte aſſumunt, quàm initio fuit propoſitum, nihilque diſtinguunt inter Dei cultum ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutum & electum, & cultum factitium ab hominibus contra mandata Dei excogitatum. Quare niſi tenebras magis amarent quàm lucem, id quod volunt clarius ita effeciſſent: Omnis cultus Dei factitius ab hominibus contra mandata Dei excogitatus ad promerendam gratiam & iuſtificationem eſt impius & irritandus. Vota monaſtica ſunt eiuſmodi. Proculdubio igitur cenſeri debent cultus impij, & proinde irritandi. Maior propoſitio ad hunc modum propoſita non eſt nobis dubia, veriſſimeque de illis cultibus affirmatur, quos Chriſtus apud Matthęum grauiter reprehendens, Fruſtra, inquit, colunt me mandatis hominum. Alio enim non pertinebant illę traditiones Phariſaicæ, quam ad euertendam veram iuſtitiam, & Dei gloriam obſcurandam. Sed quod idem velint eſſe iudicium de votis obedientiæ, paupertatis, & continentiæ, toto cœlo aberrant, plurimumque de gloria Chriſti detrahunt. Agite viri Euangelici, an impium eſt, propriam voluntatem abnegare, & non tam ex proprio quàm ex præpoſitorum ſuorum arbitrio viuere? An impium eſt, mundum & mundi diuitias propter Chriſtum conculcare? An impium eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, & à libidinibus continere? Si conceditis, impius igitur eſt Chriſtus, qui fideles ſuos ad hęc ſuſcipienda excitauit, Si quis, inquit, vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuā quotidie, & ſequatur me. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus. Item, Beati ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerūt propter regnū Dei. Quod Chriſtus in ſumma laude poſuit, quod approbauit, quod omnibus conſuluit, hoc ſequūtur Catholici,

hoc

hoc probant, hoc defendunt. Cur igitur vobis ſint impij? Cur impium ſit id Deo vouere, & preſtare, quæ æterna veritas, & ſuaſit, & identidem inculcauit? An impius Baſilius? An impius Auguſtinus? An impius Gregorius? An impius Benedictus? An impia infinita hominū millia, quę eorum viuendi normam per vniuerſum terrarum orbem ſacra profeſſione & moribus confirmarunt? Qui hæc dicunt, qui hæc affirmant, qui vetera Eccleſiæ inſtituta toto orbe obſeruata calumniantur, an non demonibus ipſis peiores eſſe deprehenduntur? Prorſus diaboli ingenium hic exprimunt Lutherani dum multis verbis hic calumniantur Catholicos non in Chriſtum ſed in opera propria fiduciam collocare. Nemo enim eſt eorum qui ſe Eccleſiæ Chriſti filium agnoſcit, qui non profiteatur ſe Chriſti gratia ſaluari, hominiſque opera quantumuis recta eſſe videantur, citra illam nullatenus remiſſionem peccatorum conſequi, aut vitam æternam promereri poſſe. Hoc teſtantur ſuperiorum ſeculorum Eccleſiaſtici ſcriptores, hoc confirmant poſterioris ætatis doctores, nec quiſquam illorum ab aduerſarijs produci poteſt qui diuerſum ſentiat. Sed ranæ Saxonicæ illud κοὰξ κοὰξ, quod ſemel in naturam verterunt, deponere non poſſunt. Aliter enim niſi ita reſpirarent nec viuere nec ſuam factionem tueri poſſent. Expendat autem pius lector quanto aptius aduerſus Lutheranos hic ita concluderetur: Omnis cultus Dei ab Apoſtatis ſine mandato Dei inſtitutus, & electus ad promerendam gratiam, & iuſtificationem eſt impius, & irritandus. Fides nouiſsimis temporibus à Lutheranis excogitata eſt eiuſmodi. Eſt igitur illa impia & irritanda. Optaremus hanc argumentationem ex officina aduerſariorum depromptam minus habere roboris. Ita enim ſperaremus vniuerſam Chriſtianam Rempub. videre pacatiorem. In iudicio Dei non latebunt, qui tot ſcandalorum occaſionem dederunt.

Reprehendunt illud præterea tamquam inane, & commentitium, quod Catholici docent Chriſtianos aliquid vltra pręcepta diuina facere poſſe, & horribilem errorem eſſe dicunt cum affirmamus eos qui pie viuunt in Chriſto Ieſu ad eam perfectionem quandoque deuenire, vt merita ſupererogationis habeant. Quamuis autem ea calumnia pluribus refutari poſſet, erimus tamen vnius beati Chryſoſtomi autoritate contenti. Ita enim ille homilia 19. in cap. 10. epiſtolæ ad Hebreos ſcribit: Et quomodo poſſibile eſt hoc, inquis, diligere proximum ſicut ſeipſum? Si non fecerunt etiam hoc alij, bene putas impoſſibile: ſi autem fecerunt, manifeſtum eſt, quia per negligentiam a nobis non efficitur: ſed & alias nihil impoſſibile imperat Chriſtus, in tantum vt etiam multi ſupergreſsi ſint eius pręcepta. Quis ergo, inquis, fecit hoc? Fecit hoc Paulus, Petrus, omnis chorus ſanctorum. Sed ſi dicam, quia proximos dilexerunt, nihil magnum dico. Inimicos ſic amauerunt, quomodo non amauit quiſquam ſuos vnanimes. Quis enim ſuſcipiat pro vnanimis in gehennam ire, cum ire poſſit in regnum? Nullus. At Paulus pro inimicis hoc ſuſceptum habebat, pro lapidantibus & flagellantibus eum. *Rom. 9.* Qualis ergo nobis erit venia, qualis excuſatio, ſi ne minimam quidem charitatis portionem, quam oſtendit circa inimicos Paulus, non erga amicos oſtenderimus. Et beatus item Moyſes ante iſtum pro inimicis voluit lapidantibus eum, deleri de libro vitæ. *Exod. 32.* Et Dauid, rebellantes aduerſus ſe videns interemptos, dixit: Ego paſtor peccaui, & iſti quid fecerunt? *2. Reg. 24.* Et Saulem inter manus habens, occidere noluit, quin etiam ſaluauit, idque cum ipſe in periculo eſſet conſtitutus. *1. Reg. 24.* Si autem hæc in veteri teſtamento, qualē veniam nos habebimus in nouo teſtamento conuerſantes, & neque ad menſuram illorum peruenientes? Niſi enim abundauerit, inquit, iuſtitia veſtra plus quam ſcribarum & phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth. 5.* Item homilia 5. in capite 4. primæ epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: Pape (inquit) ne ad obſecrandum quidem dignum ſeipſum æſtimat (quanquam quis ita dignus erat vt ipſe?) ſed Chriſtum aſſumit, Per Deum, inquit, obſecramus vos: id quod & ad Corinthios dixit: Deus, inquit, vos obſecrat per nos, vt quemadmodum accepiſtis à nobis. Illud accepiſtis, non verborum duntaxat eſt, ſed & rerum. Quomodo ambulare vos oporteat. Omnem hic vitæ conuerſationem comprehendit ac declarat. Et placere Deo, vt magis abundetis: hoc eſt vt ex maiore, & abundantiore cautione præceptis noſtris contenti non ſitis, ſed tranſcendatis etiam. Hoc enim eſt quod dicit, vt abundetis magis. Nam in pręmiſſis quidem præclaram, & admirandam eorum fidem ac conſtantiam commendauit, hic verò vitam componit. Hoc enim illos profeciſſe fuerit, ſi pręcepta, & mandata apoſtolica ſuperauerint. Tum enim non iam amplius ex pręceptoria coactione, ſed ex propria ſpontaneaque animi promptitudine cuncta fiunt. Quemadmodum enim tellurem oportet non accepta duntaxat ſemina referre ac reddere, ita & animam oportet non in acceptis tantum præceptis conſi-

ſtere, ſed etiam tranſcendere. Vides quod merito dixerim, oportet tranſcendere? Eſt enim in hæc duo diſcreta virtus, nempe vt declinetur malum, & fiat bonum. Ad virtutis enim aditum non ſatis eſt à malis receſſum feciſſe, ſed hoc iter quidem eſt & initium quoddam eo deſerens, verum multa animi alacritate præterea opus eſt.

Itaque quæ fugienda quidem ſunt, pręceptorum authoritate illis interdicit. Et merito: Nam ea ſi quidem feceris, adferent ſupplicium: ſi vero omiſeris, nullum adſerent encomium. Quæ verò ad ipſam virtutem pertinent, vtpote pecunias expendere in pauperes, & quæcumque talia, non item in præceptorũ ordinem ponit. Sed quid? Qui

Matth. 19. poteſt capere, inquit, capiat. Veriſimile ergo eſt eum cum multo timore ac tremore illis pręcepiſſe, pietatiſque huius per literas eos admonuiſſe. Vnde & præcepta ipſa nominatim non ponit, ſed eos admonet dicens: Noſtis enim quæ præcepta vobis dederimus per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum. Ea quippe voluntas Dei eſt, nimirum ſanctificatio veſtra. Qui profecto hæc Chryſoſtomi loca expenderit, clariſſime animaduertet non aliud noſtra tempeſtate doceri quam ante mille annos celeberrimi Eccleſiæ doctores tradiderunt. Sed homines ſua malitia occæcati, & antiquitatis imperiti, quæ ipſi non eructarunt calumniari, & tanquam erroneum reijcere ſolent.

Quare paſcantur ipſi ſuo vomitu. Catholicorum eſſe cenſemus ab illis doctrinę ſalutaris panem accipere, quos Deus dedit paſtores ſuper ſuam Eccleſiam. Si quis hanc non audit, neceſſum eſt, vt per abrupta vanarum opinionum in preceps feratur. Quiſquis dogmata hactenus illi incognita tradit (quod Lutheranos in ſuperiori articulo facere, ex iam dictis certum eſt) mendacium tradit, & docet. Vt iam minime ſit neceſſum, nos in altera parte elaborare, varietatemque huius doctrinæ oſtendere, præſertim cum vnicuique faciliimũ fuerit, ex collatione iſtarum editionum eam eruere.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de votis Monachorum.

HIc, vt male ſentiant de Monachis & Monachabus, exaſperant Cõfeſſionem mẽdaci præciſione, quaſi omnes in monaſterijs angeli eſſe deberent, neq; peccare poſſent. Si quid peccati admiſſum eſt in cœnobijs, corripi, non eijci debebant Monachi. Haud ita lõge ab hinc eiecti ſunt quidam ob hoc ſolum, quod hæreticas Norenbergen. conſtitutiones aduerſus totius Eccleſię ſententiam promulgatas, acceptare nollent. Ita me Deus amet, ſi aliam ob cauſam nunc exſulẽt, quam quod ſuo volebant obtẽperare inſtituto, cur non parerent? cur non ſtarent pacto, quod cum Deo pepegerant? Si non ſtetiſſent, hic eijciendi erant vt fœdifragi. Sed nunc ſatis extra oleas.

Auguſtini tempore (inquiunt) *erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina, vbique addita ſunt vota, vt tãquam excogitato carcere diſciplina reſtitueretur.*

Hic mihi primum dicendum erit, quod nõ ſolum Auguſtini tempore, ſed & ante initium Euangelij fuerunt religioſi, qui relictis rerum mundanarum vanitatibus, voto ſeſe obſtrinxiſſent. De his erant Nazaræi ſub lege multò alijs religioſiores, qui vel ad tempus, *Monachi veteres.* vel per totam vitam ſuam Domino ſeſe per votum conſecrauerãt. His vinum non bibere, non tonderi, perpetua lex fuit. De quibus ſcriptum eſt: Vir ſiue mulier cũ fecerint vo- *Num. 6.* tum vt ſanctificẽtur, & ſe voluerint domino conſecrare: à vino, & omni quod inebriare poteſt abſtinebũt. Sequitur: Quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa vſque ad acinum non comedent. Omni tempore ſeparationis ſuæ, nouacula non tranſibit per caput eius vſque ad completũ diem, quo domino conſecratur. Hoc dictum eſt de his, qui ad certum tempus ſeſe à communi hominum ſtudio & conuerſatione voto cohibuiſſent. Alij erant perpetuo voto obnoxij, vt domino peculium eſſent. De his fuit Samſon, de quo ita ait angelus: Erit puer Nazaræus Dei ab infantia *Iud. 13.* ſua, & ex vtero matris ſuæ, vſq; ad diẽ mortis *Samſon.* ſuæ. Hic vir fuit tam admirandæ fortitudinis, vt nulla arte, nulla vi, nullis machinis ſuperari potuiſſet, niſi Dalila fraude & muliebri ſuauiloquio in ſinu ſuo molliter dormitanti pilos abraſiſſet.

Talem quoq; fuiſſe Eliam, ex tertio Regũ lib. compertum eſt. Quippe religioſam vitã, *Elias Monachorum princeps, vt refert Hier. ep. lib. 2. cap. 11.* & à communi hominum conuerſatione diſcretam duxit, adeo vt in ſtuporem verterentur tempeſtatis illius homines. Hunc ſequutus Helizeus cum filijs prophetarum, caſam ſibi conſtruxerat à turba hominum remotã, vbi ſanctè cum illis conuerſaretur, herbiſque victaret agreſtibus. Hi duo ſiue virginitatem vouerint, ſiue non vouerint, incertum eſt, conſtat tamen vtrunque ſanctos virgines fuiſſe, & ob hoc vterque monachatus typus.

Et in epiſtola ad Hebr. recenſet Paulus quoſdã veteris teſtamenti patres, qui circue- *Hebr. 11.* rint in melotis, & in veſtibus caprinis, egẽtes, anguſtiati, afflicti, & quibus dignus nõ fuerit mundus, &c. qui longe aliter atque cõmunis populus viuebant. Patet igitur primũ in veteri teſtamẽto præfiguratã eſſe monaſticen, & re ipſa expreſſam.

Iam & in ipſius noui teſtamenti rudimẽtis

fuit

Ioannes Baptiſta Monachorũ coryphæus ibidem refertur.

fuit Ioannes Baptiſta, qui aſperitate veſtitus, tenuitate victus, fuga mũdi, incolatu heremi optimum Monachum expreſſit. De hoc plurima ſunt Euangeliorum teſtimonia. Apoſtoli quoque vt à Chriſto vocati ſunt, viuebant vitam mundo admodum diſſimilem, videlicet in voluntaria paupertate, in puriſſima caſtitate, & in promptiſſima obedientia. Quod rem ſuam domeſticam & vxores reliquerint, liquet ex ſacro Euãgelio, & Aduerſarij niſi vellent ſacro Euangelio obſtrepere, hoc nõ poſſunt negare. Et hos quidam ſequuti Hieroſolymis, habebãt omnia communia, ita vt nemo ſuum aliquid eſſe diceret. Et Aduerſarij non poſſunt dicere, quod iſti hanc arctam vitam non vouerint. Horum exemplo plurimæ adoleſcentum, & puellarum chiliades animati, cõtemptis huius mundi illecebris in paupertate, in caſtitate, & obedientia Domino militarũt. Et inter has puellas fuerunt quatuor Philippi filiæ, quæ ſi Euſebio credimus, virginitatem ſuam Deo conſecrarũt. Neque hic dicere poſſunt, quod iſtæ non vouerint. Incertum ergo eſt, an omnia collegia tempore Auguſtini fuerint libera, certe conſtat, quod mox poſt Apoſtolos ſolemnẽ Monachi fecerint profeſſionem. Nam ſacer Dionyſius poſtquã multa de Monachorum ſtatu pulchre diſſeruiſſet, de hac profeſſione ſic ſubintulit: Apoſtolorum alij vocauerunt eos famulos propter purum & aſſiduum Dei famulatum. Alij vocauerũt eos Monachos ſcilicet à monade, id eſt, ab vnitate, propter eorũ vitam, & indiuiſibilem & ſingularem, quæ vnit eos ſimplicium contemplatione, & tractatu ad conformitatẽ diuinæ ſimplicitatis, & perfectionem amabilem Deo, propter quod Eccleſia continuo attribuit eis perfectiuam gratiam, & ſacerdotali non Pontificali inuocatione benedicuntur. Sequitur: Sacerdos quidem ſtat iuxta altare cũ cantu Deum inuocãs pro Monachorum benedictone. Monachus autẽ qui benedicitur, retro ſacerdotẽ ſtat erectus, id eſt, nullum genu flectit, neque ſuper caput habet Euãgelium. Sacerdos autem Monachum benedicens interrogat, eum ſi vult renunciare omnibus ſecularibus conuerſationibus, & phantaſijs. Pòſt enarrat ei quę ſit perfecta conuerſatio Monachorum, teſtificans quod oporteat eum perfectius viuere, quàm ordinem medium, ſcilicet fidelis populi. Hæc autem omnia eo, qui perficitur, confeſſo, ſacerdos eum ſignans in forma crucis, detũdet eũ cum inuocatione ſanctæ Trinitatis, & veſte priſtina exuens induit alia, & eum omnibus fidelibus aſtantibus cum exoſculãs facit communicare Euchariſtiæ. Hactenus Dionyſius. Ex his verbis clarum eſt, ante Auguſtinum fuiſſe Monachos, qui initio naſcentis Eccleſiæ publice & ſolemniter profiterentur monachatum, & puto tũc turpius fuiſſe propoſito & profeſſione decidere, quàm nũc eſt votis nullam præſtare fidẽ. Quanquam non ſatis conſtet, an tunc vouerint necne. Et Aduerſarij nullo probabili argumento docere poſſunt, quod nõ vouerint. Certè ſi monachatus tunc fuiſſet liber, non arbitror, quod tãta pompa cæremoniarũ iſta profeſſio celebrata fuiſſet. Hoc enim ceſſiſſet in totius Eccleſiæ cõfuſionem, ſi qui hodie monachatum aſſumpſiſſet, vix expleto vno aut altero anno palinodiam caneret, pœniteretq́; profeſſionis. Hac vero profeſſione ſic celebrata, obligabantur ad obſeruantiam eorum, quæ ad monachatum pertinebant. Hinc ibidem refert idem Dionyſius: Eſt enim Monachus altiſſimi ordinis eorũ, qui perficiuntur, & non perficiunt. Vnde multa eis prohibentur, quæ poſſunt impunè fieri à populo fideli, vt ſunt nuptiæ & militiæ, & ſimilia: eoq́; Monachi debent vniri, & ad ſanctam vnitatem congregari, & congregationi ſacerdotali iuxta ſuum ordinem cõformari. Hæc ibi. Sed cur non vouerent, qui tali intentióne in conſpectu totius populi monachatum profitebantur, quem vellent toto vitæ ſuæ tempore obſeruare? An, vouere tam ſanctam rem, illicitum eſt? Abſit. Nã omnis ſcriptura, licita & honeſta vota commẽdat. Vouit enim cum in Meſopotamiam proficiſceretur Iacob, & ea vouit, quæ alioqui ſine voto domino reddere debebat, preter quod non obligaretur domum Dei ædificare, vbi lapidem erexiſſet: & quòd non teneretur decimas ſoluere omnium eorũ quæ poſſideret. Hoc tamen votum, quo ſe Deo obſtrinxerat adeo placuit, vt Deus ex Meſopotamia redeunti Iacobo apparens, iureiurando roborauerit, quod ex eo naſceretur, qui toto Iſraeli eſſet liberator & ſaluator. Ex quo colliqueſcit, quod vel de his, quæ alioqui homo præſtare Deo teneretur, ſeſe voto obligare poteſt, vt duplici vinculo obſtrictus, perfectius & diligentius penſum exſoluat.

Apoſtoli vixerũt puriſs. Monach.

Act. 2.

Lib. 3. cap. 2.

Dionyſius Eccleſ. hier. cap. 6.

Monachorũ profeſsionis ordo & ritus vetuſtiſsimi.

Monachi tenentur ad obſeruantiam eorum, quæ profitentur.

Vota eſſe licita.

Gen. 28.

In libro Numerorum declarat Dominus Moyſi, quo genere viuendi vti debeat, qui Domino ſe deuouit: ex quo perſpicuum eſt, quod vota Deo non diſpliceant. Adde quod in Deutero. ſcriptum eſt: Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri abſq; peccato eris. Quod autẽ ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obuerſabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate tua loquutus es. Si Dñs vota honeſta & licita exſecraretur, non tã ſollicite ea extorqueret, neq;

Num. 6.

Deut. 23.

Vota non debent frangi.

dice-

diceret in Dauide ſpirituſſanctus: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Non eſt in hoc nobis magnopere laborandum, vt probemus honeſta & licita vota Deo eſſe accepta, cum id clamet omnis ſcriptura. Neque Aduerſarij, tametſi impudentes ſint, audent hic obſtrepere. Non eſt ergo illicitum, Monachatū vouere. Neque veriſimile eſt, quod omnia collegia fuerint libera tempore Auſtini: nam eodem tempore fuit Chryſoſtomus, qui non raro meminit eorum, qui perpetuam vouebant virginitatem. Hinc in ſermone 70. loquitur: Non hęc ſolum ſolitarijs ſcribebat, neque perpetuam vouentibus virginitatem, ſed ſecularibus. Et alias ſæpe. Sunt & nūc quædam collegia libera, quorum virgines nubere poſſunt, vel continere pro ſua voluntate.

Pſal. 75.

Collegia tempore Chryſoſtomi nō fuerunt libera.

Addita ſunt paulatim (inquiunt) *alia multa obſeruationes. Et hæc vincula ante iuſtam ætatem contra Canones multis iniecta ſunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus tametſi non defuerunt anni, tamen iudicium de ſuis viribus defuit.*

Monaſtica quādo bonis & honeſtis obſeruationibus adornata eſt, laudabilis eſt, non reprehenſibilis. Hortatur autem ſpirituſſanctꝰ in ſcripturis, vt quicquid poſſimus benefacere, magno ſtudio perſequamur. Quicquid, inquit, poteſt facere manus tua, inſtanter operare. Et Paulus ait: Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemꝰ non deficientes. Tāto igitur prædicāda ſunt vota monaſtica, quāto ſanctioribus adornata ſunt inſtitutis. Iam Aduerſarij, quo omnes à monachatu abſtineant, vota vocāt vincula. Neque ego inficias iuero, vincula eſſe vota. Sic .n. ligāt ſibi obnoxios, vt ab eis ſeſe expedire nemo debeat, aut poſſit. Vincula quidē ſunt, ſed ſuauia, ſed fructuoſa, quibus vrgentur ad virtutis ſtudium, ad ſalutē, ad Deum: quibus quiſquis liber collum ſubmiſerit ſua ſponte, ſine ſalutis ſuæ diſpendio ea abijcere non poteſt, iuxta illam Eccleſiaſtis ſententiam: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere.

Eccleſ. 9.
Galat. 6.

Vota ſunt verè vincula.

Eccleſ. 5.

Cū vero de natura voti ſit, vt ſit voluntarium, ſi quis cōtra canonum prohibitionē coactus ita voueat, vt tamen vota obſeruare non intendat: aut tali eſt ætate, vt omnino neſciat, quibus ſe impediat vinculis, quia iudicio caret rationis, in obligationem non plene conſentit, adeoque non eſt ligatus. Et ideo libertas voluntatis, quę ad rationem voti maxime requiritur, deeſt, & ob hoc votum non obligat, niſi vouens accedente ætate, quæ deliberandi, & legitimè ſe obligandi maturitatem comportat, factum roboret. Itaq; neque Catholicis placet, quod ante iuſtam ætatem hæc votorū vincula alicui inijciuntur, & vellent antehac factum non eſſe.

Stultè cauſantur Aduerſarij, nōnullis qui vouerunt etiamſi legitimam haberent ætatem, tamen de ſuis viribus iudicium defuiſſe. Nam monaſticæ religionis votis ſeſe conſtringentes, non debent adeo vires ſuas metiri, atque diuinam gratiam vt poſſint implorare. Aduerſarij volunt audiri ſpirituales, & tamē omnia metiuntur ad carnem. Vt nemo mandata Dei abſque auxilio Dei ſeruare poteſt, ita nemo concilijs euāgelicis obtemperat, niſi diuinitus adiuuetur. Nam, vt ait Apoſtolus, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Deus autem, vt fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, ita non negat gratiam his, qui eam toto pectore deſiderant. Illi vero, qui monaſtices ſeſe vinculis implicant, gratia Dei maxime indigent, & ideo non debent tam ſuas vires metiri, quàm auxilium à Deo exſpectare. Et de his, qui ſic ex Deo pendent, dicit Iſaias: Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Igitur non tam noſtræ vires metiendæ ſunt, quàm noſtræ voluntatis promptitudo conſideranda. Quemadmodum non eſt noſtrarum virium ſine Dei munere, vt à mūdi huius illecebris & carnis voluptatibꝰ perpetuo abſtineamus, & non quæ lubēt, ſed quę Deo placeant faciamus: ita continendi, obediendi, ſeruandæque paupertatis plena voluntas apud nos non cōſiſtit, ſed quicquid poſſumꝰ ex Deo eſt. Deus aūt, quibus dat gratiā vt hæc obſeruare velint, haud dubie non ſubtrahet perficiendi robur quò poſſint, modò ipſi nō deſināt toti ab eo depēdere. Deus eſt, inquit Paulus, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Et: Fidelis eſt, qui vocauit vos, qui etiā faciet. Rurſumque: Fidelis autem Dominus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.

Votū obſeruāſ non debēt ſolū ſuas vires metiri, ſed ex Deo pendere.

2. Cor. 3.

Eſaiæ 40.

Philip. 2.
1. Theſ. 5.
2. Theſ. 3.

Quapropter quiſquis vouebit, plus volūtatis prōptitudinem, plus intētionem quàm ſuas vires metiatur. Si enim intellexerit pura & ſimpliciſſima intentione, & prōpta voluntate ſeculi vanitatibus & carnis voluptatibus ſe cupere renunciare, hoc eſt, vt religionē ingreſſus, eò poſſit Deo ſeruire puriꝰ, quò à ſeculi voluptatibꝰ magis eſt abſtractus, de Dei dono totus dependens, confidēter polliceatur, quod Deum hac de cauſa conſuluiſſe cōpertum eſt. Et hoc eſt quod Dominus apertè docet apud Matthæum: Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorū: qui poteſt capere, capiat: nō dicit, Qui poteſt facere faciat, cū nemo id ſine ſpeciali Dei munere facere poſſit; ſed, Qui poteſt capere, capiat: hoc eſt, qui continēdi à Deo accepit voluntatem, idem confidat quod qui volunta-

Matth. 19.
Ex ver. verborum Chriſti: Qui poteſt capere, &c.

tem

tem dedit, idem non neget, vt cōtinere poſſit, facultatem. Hunc autem genuinum eſſe verborum Chriſti ſenſum, plura habemꝰ Patrum teſtimonia. Principio ſuffragatur huic ſententiæ noſtræ Origenes, qui hunc locum ita interpretatus eſt: Eunuchi, inquit, non moraliter abſtinentes ſe à venereis, ſunt appellandi. Eorum autem qui ſe continent, differentiæ tres ſunt. Et quidam quidem ſunt frigidiores præ cæteris viris, de quibus recte dicitur: Sunt quidam eunuchi, qui de vtero matris ſuæ naſcuntur ſic. Quidam autem cōtinentes ſunt, propter verba hominum: quorum concupiſcentiam virilem præcidit non verbum diuinum, ſed verbum humanum, vtpote qui philoſophati ſunt apud antiquos in gentibus, aut apud eos, qui prohibent nubere, apud hæreſes: iſti ſunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt. Qui autem ſuſcipit verbū viuum & acutū, & efficax, & acutiꝰ ſuper omnē gladium bis acutū, & gladiū ſpiritus, ſicut ait Apoſtolus, & pręciderit concupiſcentiam ſuam, corpus ſuum non tangēs: & hoc fecerit non mutatus propter timorē hominū, neq; propter laudem humanam, ſed ſolam ſpē regni cœleſtis: iſti ſunt, qui eunuchizauerunt ſeipſos propter regnū Dei. Magna ergo res, propter regnū Dei ſuſcipere eunuchizationem: quod non capiunt omnes. ſed quibus datum eſt. Datum eſt autē omnibus, qui huiuſmodi gladium ſibi à Deo petunt. *Ephe. 6.*

Hilarius. Concedit & in hanc ſententiam Hilarius, qui hunc eundem locum ſic expedit: Nobis, inquit, circa eunuchos ſermo ſit & voluntas. Et in vno poſuit naturam, & in altero neceſſitatem, & in tertio volūtatem. Natutā in eo, qui ita naſcitur: neceſſitatē in eo, qui ita factꝰ eſt: voluntatē, qui ſpe regni cæleſtis talis eſſe decreuit: cui nos ſimiles eſſe, ſi tamen poſſumus, admonet.

Chryſoſtom. Et Chryſoſtomus iſtis haud eſt in exponendo diſſimilis. Sic enim ait: Poſſe autem perpetuam nos ſeruare continentiam oſtendit, dicens: Sunt eunuchi, qui ex ventre matris ita ſunt nati: & ſunt, qui ex hominibus facti ſunt: & ſunt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. His omnibus ad optandam eligendamq́ue virginitatem inducit. Poſſibile namque id eſſe hominibus, hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, ſi aut à natura eunuchus eſſes, aut iniuria hominum ſic effectus, quid faceres cum & eiuſmodi voluptate careres, & nullam carendæ mercedem cōſequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilanteſq́ue coronas habebis, ſi ita viues, quēadmodum aliquo illius præmio, imo vero multo facilius, tutiꝰ atque iucundius, tum quia ſpe retributionis roboraris, tū quia cōſcientia virtutis gaudes, & adhæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris.

Quanquam ad faciendam fidem, iſtorum trium teſtimonia poſſent ſufficere, adducā tamen & quartum teſtem eundemq́ue Græcum, vt videant Aduerſarij, quàm bene Græcis cum Latinis hac parte conueniat. Adijcit itaque iſtis calculum ſuum Theophylactus, qui hunc locum ſic abſoluit: Poſtquam dixerunt apoſtoli melius eſſe non venire ad nuptias, dicit Dn̄s magnam eſſe virginitatis poſſeſſionem, at eam non ab omnibus rectè ſeruari, ſed ad his duntaxat, quorū cooperator eſt Deus. Illis autem datum eſt, qui petunt: *Matth. 7. Marc. 11.* Petite inquit, & dabitur vobis. Omnis enim qui petit, accipit. Et poſt aliquanta: Volens autem nos ſponte operari virtutem, inquit: Qui poteſt capere, capiat. Nō enim cogit virginem eſſe, neque nuptias deſtruit, ſed virginitatem præfert.

Didicerunt nunc Aduerſarij, nō ſolū humanas vires metiendas non eſſe, ſed & quod opem à Deo continēdi implorare npotteat: didicerunt quoque, quod virginitas coniugium multis paraſangis præcedat. Si acquieſcerent omnes conſilio iſtorum, vt magis ſuas vires metirentur, quàm diuinum peterent auxilium, nullus in mundo eſſet monachus, nulla monacha, nullus cælebs. Videntur itaque mihi iſtius Apologiæ & Confeſſionis fabricatores, homines plane Iouiniani, virginitatem prorſus tollere, & ceu rem impoſſibilem damnare. *Luther. virginitatem cū Iouiniano damnat.* Nam ſi non debet cælibatum profiteri, qui natura calidior eſt, ſed qui ad coniugium eſt ineptior, non video cur virginitas virtus ſit, præſertim cum natura frigidiores non voluntate, ſed neceſſitate virgines ſint. Et hoc ipſum, quod Iouiniani partes tueantur, dicent omnes, qui cum iudicio legent hoc vnum verbum, quo ſtulte ineptiunt, debere quemque, priuſquam cælibatū profiteatur, ſuas vires metiri. O homines ſapientes, & plane atheos, qui docent, vt nos à noſtris viribus, non ex Deo pendeamus. *Cælibatus vo tis obnoxius non ex viribus ſed ex Deo dependeat.* Et ſane is, qui cælibatum profeſſus eſt, ex Deo ceu à ſacra ancora dependere debet, vt cōtinere poſſit, & hoc imprimis cauere debet, ne vllo modo animum deſpondeat, ne poſt acceptum aratrum retroſpiciat, ne opem Dei deſperet, ne harum voces Sirenarum exaudiat. Qui ſic de Dei adiutorio confidit, non eſt irretitus, non cogitur, ſed eſt liberrimus & ſummo amore ſuapte ſponte vitæ ſuæ metam percurrit. Si ex Deo deſpendiſſet Lutherus Auguſtinianus, Oecolampadius Brigitta, Pomeranus Regularis, Pellicanus Franciſcanus, & cęterę religionum feces (nam bona pars hæreſeos iſtius patronorum è monachatu, vt è ſacro Apoſtolorum collegio Iudas, prorumpunt) facilè reſpuiſſent vxo-

res, facilè continuiſſent. Sed & fœmineus ſexus non eſt tam imbecillis, quin poſſet cœlibem agere vitam, modo vellet ſuperato ſexu Deo arctius adhærere. Facile labitur, qui animum ſuum ad ima deflectens, ſuas ſaltem vires metitur. Hoc vſu venit omnibus iſtis, qui ſuas vires metiti, adiutorem Deum ſuis conatibus abſore falſo opinati ſunt.

Cælibatum profeſſi cogũtur manere. Iam quod aiunt, Qui ſic irretiti erant cogebantur manere, ſi de his loquuntur, qui publicitus voto ſeſe ad monachatum obligarunt, nullam habent iuſtam calumniandi cauſam: Nam hoc potiſſimum ſpectat ad ſingularum religionum archiſtrategos, vt cogant ſubditos ſuos ad profeſſionis ſuæ obſeruantiam. Et hoc non poſſunt iſti iuſtè calumniari, niſi vellent omnium Eccleſiarum rectoribus authoritatem, ne ſuis verbo & exemplo præſint, adimere. Contrà grauiter delinquerent iſti rectores, ſi manere cogerẽt eos, quos nunquam profeſſos, aut in profeſſionem nunquam conſenſiſſe, certò ſcirẽt. Sed eſto nunc quòd ſint, qui profeſſioni nũquam mentetenus ſubſcripſerunt, & quod tales ab huiuſmodi carceribus eximi debeant, ſed cur exturbant etiam eos, qui maturo conſilio cælibatum profeſſi, percupiunt ſuo ſtatui cum adiutorio Dei, donec viuant, fideliter inſeruire? *Vaſa argẽtea quibuſdam chariora.* Toto plane cælo erro, niſi quædam non plus calices & reliqua Eccleſiæ vaſa aurea & argentea amauerint, quàm monachorũ eis vincula diſplicuerint, quàm Monacharum conſcientias miſerti ſint. Hic neminem nomino, qui huiuſmodi facti reus eſt, ne hæc me putet quiſpiam in odium cuiuſquam dicere. Res clara eſt, occultari non poteſt. Audi autem nunc religioſas Aduerſariorum mentes, & vide quid eos male habuerit.

Hic rigor diſplicuit (inquiunt) multis bonis viris antehac tempora, qui videbant puellas & adoleſcẽtes in monaſteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientijs iniceret.

Male habet bonos viros, quod in Monaſteria renitẽtes detruduntur. Diſplicuit ſane, & adhuc diſplicet multis bonis viris, quod Monaſterijs intruduntur adoleſcentes & puellę inuiti & retinentes, nõ vt Deo ſeruiant, ſed vt de bonis Monaſteriorum licentius viuant. Et quod hinc multa ſcandala naſcantur, quod his qui ſic ligantur, infeliciter cælibatus ſuccedat, & quod conſcientijs iſtorũ laquei inijciantur, nemo ignorat. Sed ob hoc nõ erat accuſandus monachatus, ſed arguendi erant harum rerum authores. Contingit non raro, quod intruduntur monaſterijs aliqui, obſtrepẽte toto collegio, & coguntur monachi inuiti accipere nouos Monachos, eoſque inuitos. Hic peccant etiam, qui munuſculis, qui ſuauiloquentia iuueniles illectant animos, ſpe magis habendi eorum patrimonij, quàm ſaluãdi animas. Et hic certe aliquanto vtriuſque ſexus culpabiliores ſunt. Hoc certò auſim definire, quod qui quem ad vouẽdum compellit, grauiter: qui volẽtem ne voueat impedit, grauius: qui vero voto obſtrictum, vt voto renunciet impellit, grauiſſime peccet. Primus debet ſuo relinqui arbitrio, ſecundus non impediri, ne voueat, tertius admoneri debet & vrgeri, vt perſtet.

Docebãt (inquiunt) vota paria eſſe baptiſmo, docebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem corã Deo. Imo addebant, vitam monaſticam non tantũ mereri iuſtitiam corã Deo, ſed amplius etiam, quia ſeruaret non modo præcepta, ſed etiam conſilia Euangelica.

Si hæc docuerũt Monachi, certe nihil falſe, ſi adſit ſanum iudicium, nihil pertinaciter docuerunt, ſed quicquid ſcripſerunt, eccleſiaſticæ ſubmiſerunt cenſuræ: quod ſi antehac id feciſſent Cõfeſſionis architecti, iã eſſet tot diſſenſionũ, controuerſiarum, ſcandalorũ finis. Vtrũ vota monaſtica baptiſmo ſint paria, & quomodo paria ſint, cũ ſit extra rẽ, nihil hic dicemus. Si docere poterũt Aduerſarij, hanc doctrinam habere aliquid incommodi, erũt haud dubie, qui eis reſpondeant. Quod docent Monachi, monaſticam vitam mereri remiſſionẽ peccatorũ & iuſtificationem, Euangelicæ doctrinę nihil aduerſatur, imo ſacris literis vndequaque conſonum eſt. *Monaſtica merere remiſſionẽ peccatorum.* Quid eſt enim monaſticen viuere, niſi caſte, obedienter, abſtinẽter, & in ſumma paupertate viuere, mẽte & ſpiritu, corpore & anima totum Deo eſſe mancipatum? Quæ qui per fidẽ licet informem exſequuntur ſtudia, de congruo merẽtur gratiam, qua iuſtificẽtur. Si cum fide facias charitate formata, de condigno mereris vitam æternam. Sed hæc ſupra plus ſatis docuimus, cum de ſola fide iuſtificante, de redemptore Chriſto, de Chriſti meritis & iuſtificatione ageretur.

Quando ergo bonis operibus, pœnitẽtia, paupertate, obedientia, abſtinẽtia, caſtitate, meremur de congruo ſaltẽ remiſſionem peccatorũ, gratiam iuſtificantẽ, eiuſq́; augmẽtũ, merebitur eadem planè & monaſtica, quæ omnia opera illa ſimul cõplectitur, pariterq́; obſeruat. Dicant nũc ipſi Aduerſarij, vtrum proſit continuiſſe, an non. Si nihil prodeſt, *Matth. 19.* fruſtra conſuluit Chriſtus hoc vitæ genus, ſtultè dixit Apoſtolus, quod bonum homini ſit ſic eſſe: imprudenter fecerũt quotquot continenter vixerũt. Rurſum male dixiſſet idem Apoſtolus de vidua: Beatior erit, ſi ſic permanſerit, ſecundũ conſilium meum. Male ſcriberet Auguſtinus ſuper hoc loco dicẽs: *1. Cor. 7.* Satis oſtendit, beatam eſſe in Domino etiam *Auguſtinus.* poſt viri mortem iterum nubẽtem fidelem,

ſed

ſed in eodem Domino viduam beatiorem. Quomodo eſt beatior viduitas, ſi nihil meretur, ſi nihil cōducit ad ſalutem caſtitatis profeſſio? Si nihil meretur voluntaria paupertas, quorſum dixit Chriſtus: Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei? Si ſua relinquere, & Chriſtum in paupertate imitari infrugi eſt, male conſuluit adoleſcenti Chriſtus, dicens: Vade, & vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurū in cælis, & veni ſequere me. Male interpretatur Chryſoſt. ad noſtrū inſtitutum: Perſpicis, inquit, quot brauia, quot coronas huic ſtadio proponit. Si aūt ille tentaſſet, hæc ei nō dicerentur. Nunc vero hæc illi manifeſtātur, & vt illiciatur, ingentem ei mercedem futurā oſtendit, & voluntati eius vniuerſa relinquit. Ita his omnibus ne videretur ocioſa admonitio facere ſtudebat, ac ideo, antequam certaminis laborem oſtenderet, brauium prę oculis poſuit, dicens: Si vis perfectus eſſe. Deinde inferens: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et rurſus iterū præmia inculeat, & habebis theſaurum in cęlo, & veni ſequere me. Non enim parua retributio eſt, dominū diligenter ſequi. Et habebis, inquit, theſaurum in cęlo. Nam quoniam illi magna de pecunijs cura erat, quādoque cunctis denudari rebus conſulebat, vt oſtendat non amiſſurum bona ſua, ſed tāto plura maioraque inuenturum, quantum terra cælum præſtabilius eſt. Retributionis præſtantiam theſaurū appellauit, & ſimul ſtabilitatem atq; incorruptibilitatem præmij, vt fieri potuit humano verbo ſignāter expreſſit. Si inutile eſt inquā ſua relinquere, & hac ſpe beatę retributionis viuere, errauit plurimum Chryſoſt. qui tam multis Monachorum ſententiam tuetur. Irridenda magis eſt quàm imitanda Philippi Melanchtonis ephegeſis, quam ſuper hūc locum componit, videlicet quod ſit præceptū perſonale, quod non niſi ad hunc adoleſcentem pertineat. Non eſt animus eam interpretationem refellere: nam ipſemet eam, vt ſupra dictū eſt nobis, in libro hypotypoſeon refellit vt videas quàm ſępe pro oportunitate materiarū nihil ſibi cōſtet Philippus, Apologiæ iſtius architectus, & præcipuus Lutheri mimus. Catholicam ſententiam ſuper hac re ſupra adnotauimus, cum negotium nobis faceſſeret Apologia, ſextūdecimū Cōfeſſionis articulum defendens. Iam ſi proſint cōtinētia, paupertas, &c. quid calumnijs inceſſunt Monachos, de eis nihil male meritos? Quantū vero proſint, docēt oēs veteres ſcriptores, qui oēs Monaſticam publicis munijs præferūt, quodq́ue in Monachatu puro perfectio maior ſit, quàm in magiſtratu etiā puriſſimo. Vtut ergo inſaniant Aduerſarij aduerſus monachos, vilipendēdum eſt, quādo

Luc. 6. Matth. 9. Chryſoſtomus.

Philippi Melanchton in chorentanio varietas.

vocem Chriſti habent pro ſe, quando omnes Patres eos protegunt, & ab hoſtium inſania liberant.

Canones docent in omni voto (inquiunt) *ius ſuperioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent.*

Etſi docent Canones, In omni votō ius ſuperioris exeipi debere, etſi exſtent exempla vbi diſpenſatum eſt à Romanis Pōtificibus, hoc tamen non probant, quod omnes indifferenter, ceu exleges ſuis debent libidinibus deſeruire, vt ſtatim vbi vitæ ſuę pertæſi ſunt, libere abire debeant Monachi. Sed reminiſci debent, quid promiſerint Deo, quantumq́ue ipſos maneat præmiorum. Et ſi quando vacillāt animo, cœperintq́ue inter vitium, & virtutē fluctuare, confidenter dicant cū propheta: Dn̄s refugium meū & liberator meus, & non deſperēt ab eo auxilium, qui dedit cōtinendi propoſitū. Diſpenſatio eſt apud Pōtificem, nō apud quoſuis. Diſpenſat autē, ſed nō niſi in cauſis grauiſſimis, quādo citra multarum animarum exitium non poteſt nō diſpenſare. Non diſpenſat autem ſtatim, quādo Monachi aut Monachæ ſtimulis & tentigine carnis mouentur, ſed mittūt eos ad illam petram, quę Chriſtus eſt, vt ibi crebra paſſionis dominicæ memoria paruulos ſuos allidant: ſed iubent eos, vt ad cohibendos refrenādoſq́ue turpitudinū appetitus corroſorio vtantur ſale, quo recrudeſcentes ſemper deſiccēt putredines, vt ſcaturiētibus intus peccati inſidijs, frequentibus orationū catapultis obuient, & nequam diabolo vel inſidiandi vel per otium, vel per cordis ſui euagationē dēt occaſionē. Videant autem Pōtifices qui diſpenſant, quomodo & cur diſpenſent. Videāt etiā qui cupiunt ſe à Monachatus vinculis abſolui, cur cupiant. Tam illis, quam iſtis cauēdū eſt, ne leuiſſima cauſa, cui etiā alias occurri poſſet, permoti, ſeſe peccato irretiāt, adeoque implicent, cū illi abſoluere, iſti volūt abſolui. In re igitur maxima cui obuiari nō poteſt, abſoluere poſſunt; in minima omnino non poſſunt.

Non facile diſpenſant quibuſuis Pontifices Romani.

Monachi vbi debeant pruritum carnis conterere.

Iam etſi ſint exempla quæ docēt, quod reuocati ſint aliqui ex monaſterijs, id tamē nō debet omnibus eſſe cōmune, ſed debent monachi mente pertractare, vt perdurent. Sunt multi Canones, qui vehemēter hoc cauēt, ne Monachi monachatui, & votis renūtient. Et omnes illos Canones opponimus Aduerſarijs, qui habētur 27. q. 1. Nam ille Canon, Nuptiarū, quem ipſi inde citant (ſic nonnūquàm accipiunt, nonnunquā reijciūnt canones pro ſua temeritate) nihil obeſt noſtro inſtituto. Nam non intelligitur niſi de his, qui apud ſe vouerunt caſtitatem. Alioqui, quod abſit, repugnaret ipſe ſecū Auguſtinus, qui alibi eas, quæ nubunt, vt Chriſti adulteras reputat.

Ca. Nuptiarū de quibus intelligatur.

Vi-

Vide hic Canonem Concilij Carthaginenſis quarti 104. vbi idē adfuit Auguſtinus, & ſua manu decretis Cōcilij ſubſcripſit. Sed & nūc non ſine magno dedecore, & multorū offendiculo nubtrent ſacræ virgines, quæ publicitus, & in conſpectu totius populi Deo virginitatē ſuam conſecraſſent, dicerēturq́; merito primam fidem irritam feciſſe.

1. Tim 2.

Vota Monachorū nō ſunt contra mādatum Dei.

Vota autē monaſtica non ſunt contra mādatum Dei. Nam non eſt mandatum Dei, quod ſub Euangelio omnes nubant aut ducant vxores. Si matrimonium haberet mandatum Dei, non conſuluiſſent virginitatem, aut cælibatum, Chriſtus, Paulus, cæterique patres. Si allegent nō omnes idoneos eſſe ad cælibatum, reſpondemus neminem ſuapte natura præter eunuchos & ſpadones & frigidos idoneos eſſe ad cælibatū. Vbi igitur erit meritum continentię tā glorioſum, quod promittit Dominus eunuchis in Eſaia, dicēs: Non dicat eunuchus; Ecce ego lignum aridum, &c. ſi ad naturæ neceſſitatem metienda eſt cōtinentia, certe qui natura eunuchus eſt, & qui contra naturę voluntatem ſpado, non poſſunt non continere, etſi velint contrahere. Catholicè dicerent, ſi dicerent quod neceſſarium ſit omnibus naturam vincere, tam matrimonio coniunctis quam continentibus. Illis, ne coniugij ſacros limites ſuperēt: iſtis, ne continentiæ bonum breui voluptatula commutent. Vt ergo virginitas ineffabilia illa mereatur præmia, neceſſe eſt, vt ſit matrimonio aptus, qui eam obſeruat, ne deſit in natura, quod in ſpiritu excarnificetur. Non tamen detrahimus meritum Eunuchis & frigidis, modo voluntatem habeant continendi, etiamſi naturali vitio carerent.

Eſaia 56.

Tam cōiu-ges quam cælibes debent naturam vincere.

Deinde cur obligationem exaggerant (inquiunt) *aduerſarij ſeu effectū voti, cū interim de voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibilis, quod debet eſſe voluntariū, ſpōte & conſulte conceptū. At quomodo ſit in hominis poteſtate perpetua caſtitas, non eſt ignotum.*

Si ſalua venia poſſem, dicerem hic nouum finxiſſe Aduerſarios mendacium. Aiunt enim, quod Scholaſtici, cum voti obligationem exaggerant, taceant vtrum cælibatus res ſit poſſibilis, vtrum debeat eſſe voluntarius. Non eſt hic operæpretium vt reſpondeamus, ſed vt remittamus eos ad illorum commentaria, quæ ſub titulo de voto exſtant. Sed ſi nolūt ea ire quæſitum, dicemus quam breuiſſimè quid ibi repertri poſſit. Reperient itaque ibi, quod qui vouere vult, vouere debeat obſeruatu poſſibile, & quod idem qui vouet, cogi non debeat, ſed ſuæ libertati donari. Loquuntur autem de eo, quod homini poſſibile eſt, non tam propria, quam diuina virtute. Si de ſola virtute humana pēderet continentia, eſſet ſeruatu impoſſibilis. Nam ſi præter auxilium Dei nihil poteſt homo, quanto minus poteſt continere? Alterum igitur nobis libenter donabunt Aduerſarij, aut quod nihil prorſus, aut ſaltem hoc bonum, quod adminiculatore Deo explere poteſt, vouere poſſit. Si primum non donant, refragantur plurimum toti ſacræ ſcripturæ, quæ pluribus in locis adhortatur fideles, vt voueant & ſoluant. Immola Deo, inquit in pſalmis ſpirituſſ. ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Rurſumq́ue: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Et in Eſaia: Cognoſcetur Dominus ab Aegypto, & colent eum in hoſtijs & in muneribus: & vota vouebunt Domino, & ſoluent. Relinquitur ergo quod illa vouere nobis liceat, quæ diuinitus adiuti facere poſſumus. Hac vero ſuffulti gratia, facilè paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſeruare poſſunt Monachi & Moniales. De coacto voto, & de coactoribus iam paulò ante nobis dictum eſt, quod neque coactores, neq; coacta nobis placeant vota. Hæc itaq; fere ſunt quæ inuenirēt Aduerſarij, ſi reuoluerent Scholaſticorum commentaria. Et huiuſmodi nimirum ſunt, quæ reſponderunt in comitijs Catholici.

Vouere licet bona.

Eſaie 19.

Præterea (inquiunt) *obſcurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt homines ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis.*

Quomodo ſint, & dicātur Monachi in ſtatu eſſe perfectionis, haud ignorāt Aduerſarij, modo nō vellēt in ſcirpo nodū quærere. Certe præcepta Dei multo perfectius, multoq; abſolutius obſeruari poſſunt in Monachatu, qui eſt à curis & mundi huius illecebris alieniſſimus, quam in tumultuario hoc mundo, quē vt refert Ioannes, non debem' diligere, quod in eo nihil aliud ſit, quàm cōcupiſcētia carnis, aut cōcupiſcentia oculorū, aut ſuperbia vitæ, quæ nō eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Et hæc tria multorū occaſio ſunt vitiorum, quibus Dn̄s ex aduerſo propoſuit tria ſalubria antidota, omnibus, qui affectant ſummam vitæ perfectionem, admodū neceſſaria. Concupiſcentię carnis obiecit continētiam, dicens: Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerūt propter regnum cælorum. Concupiſcentiæ oculorum, quæ eſt auaritia, oppoſuit voluntariam paupertatē, quando ait: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, &c. Superbiā vitæ voluit per humillimā obedientiam ſuperari, cum diceret, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Sed iſta obedientia omnibus eſt præcepta, priora duo conſilia ſunt. Quia vero ſtatus monaſticus iſtorum trium exigit obſeruantiam, quantum eſt ex parte ſtatus, ſanè vtvt nolint aduerſarij, acquirendæ perfectioni, quæ poteſt homini in hac vita contingere, magis eſt idoneus ſtatus Monachorum, quàm cæterorum fidelium. Qui enim con-

In Monachatu perfectius mādata Dei obſeruari poſſunt, quam in mundo vniuerſo.

1 Iohan. 2.

Matth. 19.

Ibidem.

Ibidem.

Monachorum ſtatus ad perfectionem idoneus.

coniugati ſunt vinculis illis matrimonialib9, plus ſatis obruuntur, vt ne ſemel quidē poſſint ad hanc perfectionem aſpirare. Idem ingenue confitentur ij, quibus ſanior eſt mens, quique cū magno animæ ſuæ diſcrimine nuptiarum incōmoda ſuſtinent. Monaſtici, qui ab his nexibus ſunt liberi, multo exactiſſimè diuinis officijs, meditationi, recollectioni, contēplationi, & toti deniq; ſpiritali vitæ vacare poſſunt. Et hinc dicebat apoſt. Qui ſine
1. Cor 7. Ibidem. vxore eſt, ſollicit9 eſt quæ Dni ſunt, quomodo placeat Deo. Et iterum: Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Dni ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Cōtrà de nuptijs ſic loquitur: Qui aūt cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quę ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. &: Quæ autē nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

Monachatus & Monaſterium a monade, id eſt a ſolitudine deriuantur. Adde etiam, quod ad perfectionem haud parū conferi ſolitudo illa, & ab hominibus diuulſio, vnde & μοναχὸς & μοναστήριον ab vnitate deriuātur. Curabit itaque Monachus, vt in monaſterio latitet, vt hominum frequentiam fugiet, frequentem populorum turbā deuitet. Contingit enim non raro, vt qui hominum non fugiunt conſuetudinem, ab hominibus inquinentur. Contrà vt hæc hominum conſuetudo contagioſa eſt, & quę multos habet contaminandi modos, ita cum bonis neceſſitudo vel ſæuiſſimis moribus homines manſueſacit atque cicurat. De vtrorūque ſodalitio dicit in Prouer. Salomon: Qui
Prou 13. cum ſapiētibus graditur ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Et Dauid: Cum ſancto ſanctus eris, & cū innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris. Sed & Dominus ſæpenumero vocat homines in ſcripturis de tumultuoſo huius mundi turbine ad cæleſtem, & angelis ſimillimam conuerſa-
Ose. 2. tionem. Propter hoc inquit in Oſea Dñs: Ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinē: & loquar ad cor eius. Et dabo ei vinitores e-
Mar. 6. ius in eodem loco, &c. Et Chriſtus aliquoties poſt multas externas operas, vocauit diſcipulos ſuos ſurſum ab hominum con-
Luc 9. ſortio, velut ad monachatum. Si fuit Apoſtolis illa ſolitudo, & ab hominibus ſequeſtratio tam vtilis, ſane non poteſt Monachatus, qui perpetuus eſt ab hominū conuerſatione receſſus, improbus eſſe aut inutilis.

Hoc libēter Aduerſarijs concedim9, quod nulla in exteriori cultu videlicet raſura, corona, cucullo perfectio ſit: ſed neque in caſtitate, paupertate aut obedientia: ſed tamen iſta omnia expeditiores nos faciut, vt ad perfectionem contingamus. Non ergo in illis,
Tollis in reſia ſed in charitate eſt totius ſpiritalis vitæ perfectio. Charitas enim finis, forma & plenitudo omnium virtutum, & legis eſt. Paulus ait: Finis præcepti charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Et in alio 1. Tim 1.
loco: Plenitudo legis, eſt dilectio. Vt autem charitas omnium virtutum perfectio eſt, ita Rom. 13.
vitiorum omnium, authore Paulo, radix eſt 1. Tim 6.
cupiditas, & fomentum cupiditatis eſt diminutio charitatis: contrà diminutio cupiditatis, charitatis eſt fomentum. Quicquid igitur conducit ad prauæ concupiſcentiæ demolitionem, totum facit ad charitatis augmentationem, adeoque ad eius conſeruationem. Cum autem conſtet, ad concupiſcētiarum interitum haud parum prodeſſe caſtitatem, obedientiam, paupertatem, abſtinentiam, ieiunia, vigilias, orationes, diſcuſſiones, collectiones, receſſum, & aliud Monachatus peculium, relinquitur, quod iſta, vt ad mortificationem concupiſcentiarum, ita vtilia ſint ad charitatis conſeruationem & profectum. Quare vt nomina à rebus nihil diſcrepant, Monachatus, qui illa omnia & multo plura complectitur, non ab re ſtatus perfectionis appellatur. Huc otioſi iſti homines, quibus cum deſint argumēta, quibus monaſticam impugnent, impulerūt nos, vt de nomine, quod eis odioſum eſt, diſputaremus. Quod vero nomen Monaſtices odioſum eis ſit, magis in Apologia quàm in Confeſſione declarant. Sic enim blaterant in Apologia.

Nunc verò audite (inquiunt) *Areopagitas noſtros, quàm indignam ſententiam poſuerint in Cōfutatione. Sic aiunt: Sacris literis expreſſum eſt, monaſticā vitam debita obſeruatione cuſtoditam, quàm per gratiam Dei quilibet Monaſtici cuſtodire poſſunt, mereri vitam æternam. Et quidem multo auctiorem Chriſtus eis promiſit, qui reliquerit domū, aut fratres, &c. Hæc ſunt verba aduerſariorum, in quibus hoc primū impudentiſſime dicitur, quod ſacris literis expreſſum ſit, vitam monaſticam mereri vitam æternam. Vbi enim loquuntur ſacræ literæ de Monachatu?*

Multa excogitāt improbi iſti homines, vt Catholicorum fidem & authoritatem extenuent. Hic vocant Areopagitas, quos non ita dudum aſinos appellabāt. Quum verò rectè iſtis Areopagitarum nomen quadret, cum alias, tum cum enſes principum, quibus cōfoderentur Monachorum viſcera, exacuerūt, emicuit. Sed hoc eis donandum eſt, qui pro ſua malitią malunt Monachos, quàm Anabaptiſtas, quàm Eleuterobaptiſtas, & reliquam hæreticorum turbam extinctam iri. Nam apud iſtos fouentur Anabaptiſtæ, & horum Inuidia Lutheri maluisse Anabaptiſtas ferre quàm monachos.
ſimiles, & non coguntur ſententiā ſuam mutare, ſed viuunt omnes in ſua opinione. Monachi, quorum non fuit contagioſa conuerſatio, vndique apud iſtos effugati ſunt, & non eis eſt conceſſum, vt ſoli in Monaſterijs Deo militēt, eſſentque procul ab hominum, quos forte, vt ipſi putant, inficere poterant cōuerſatione. Anabaptiſtę tanto acerbius inter

ter ipſos graſſantur, quanto tutius, ſecuriuſque ferũtur. Sic ne eſt mitior & tolerabilior Anabaptiſtarum lues, quàm Monachorum? Sane monachi nullam hactenus talem excitarũt tragœdiam, qualem Anabaptiſtæ plurimorum maximo malo. Et periculum eſt, ne apud alias ciuitates vbi tolerantur, ſimiles oriãtur ſeditiones, quibus ſuo magno incommodo apud Monaſterium vix occurrũt multi principes. Sed iam ſatis ſuperque extra oleas.

Monachorũ inſtituta in ſcripturis ſūt expreſſa.

Deinde non ſatis oculati ſunt homines iſti prudentes ſcilicet. Negant enim Monachorum inſtituta in ſacris literis eſſe expreſſa, ſed recens inuenta. Primum igitur vide mihi, quę ſit Monachorum profeſſio, deinde vtrũm ea quæ profitentur, habeantur in ſcriptutis, tertio ſi inueneris ea in Euangelio & in ſacris ſcripturis haberi, accuſa iſtos impudentis mendacij, quod dixerint, monachatũ eſſe recens natum. Primum igitur obligant

Monachi quibus ſe obligẽt. 1. Reg. 15.

Monachi ſe voto obedientiæ, quæ melior eſt, ſi Samueli credimus, quàm victimæ. Deinde voto promptiſſimæ paupertatis, iuxta vocem Chriſti: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, &c. Tertio vouent caſtitatem perpetuam, vt ſequantur conſultatione Chriſtum dicentem: Qui poteſt capere, capiat. Iſta ſunt præcipua Monachorũ inſignia, & quotquot bene Monachi eſſe cõtendunt, hæc ſumma cura ſtudent reddere. Quanquam ad poſteriora duo magis obligẽtur quàm cæteri Chriſtiani, tamen coguntur & iſti prælatis ſuis non obſtrepere. Sunt & alia Euangelica ornamenta ita Monachatui propria, vt tamen ab eis cæteri Chriſtiani nõ

Inſtituta quædam Monachorum & alijs cõmunia.

ſint exempti. Ea ſunt ieiunia, vigiliæ, orationes, meditationes, mortificationes carnis, & alia bonorum hominum exercitia. Si ſunt omnia iſta recens nata, erit & Monachatus heſternus. Oſtendimus ſuprà, monachos mox fuiſſe poſt Apoſtolos, antequam iſtorum abauorum abaui naſcerentur: eruntque poſt iſtorum abnepotum abnepotes, tametſi totus inſaniat mundus. Et ſcio quoſdam tam peſſime Monachis eſſe affectos, vt ſi ex ipſis penderet, In totius mundi monarchia nullum eſſet prorſus Monachatus veſtigium. Beati ſunt illi, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & propter ſacrum vitæ genus, quod inuiolabiter vel inter ipſos Aduerſarios Agarenis inhumaniores, retinent, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et

Monachi alibi pereunt, alibi reuiuiſcunt.

ineffabili modo cum hic pereunt, alibi reuiuiſcunt Monachi: & impoſſibile erit iſtis, niſi omnino Monachi degenerẽt, vt eos prorſus deleant. Videant interim Aduerſarij, quibus conſcientiam ſuam deturpent maculis, quando eas viuendi normas ita impugnant, vt velint eas vnà cum Monachis prorſus perditas. Hinc ex eis quiſpiam haud ignobilis iſtius choreæ ſectator, ſed hac parte obſcurus, cum de monachis forte incidiſſet mentio, non ſine diſcumbentium offendiculo in hanc vocem prorũpebat: Faxit Deus, vt omnia omnium monachorum cœnobia cum Core & Abiron pereant. Hæc eſt gloria Monachorum, quod male audiant ab hominibus. Illos talia dicere, Monachos decet talia audire. Certe Monachi non ſunt Chriſto meliores: ſi Chriſtum perſequuti ſunt ſceleſtiſſimi homines, quid ergo mirum, ſi Monachos Chriſti pediſſequos odio, lingua, calamo, & gladio inſectentur impij? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Si patremfamilias vocauerunt ſeductorem, amicum publicanorum, potatorem vini, comedonem, quanto magis domeſticos eius? Satis defenſi ſunt, quos protegit innocentia. Et bene ſcripſit quidam, *Matth. 10.*

Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Integer vitæ, ſcelerisq; purus.

Orationes, ieiunia, &c. de cõgruo merentur gratiam. Philip. 2. Galat. 6.

Et ſi quid habent, id iaculentur in malos Monachos, quorum culpa hæc grandis tempeſtas indifferẽter venit ſupra bonos & malos monachos. Aduerſarij vt aduerſus monachos animos principum exaſperent, Monaſteria dicunt eſſe hypocriſis plena, ambitionis, auaritiæ, inſcitiæ, ſæuitiæ, & omnis immunditiei. Hic nos dicimus plurimum emundata eſſe, & à multis fecibus expurgata, cum Lutherus, Oecolampadius, Pomeranus, Pellicanus, Franciſcus Lampertus, & alij ſua monaſteria reliquerunt: neque deſperãt monachi aliquãdo futurum, vt magis magiſque purgentur cœnobia.

Iam quid neceſſe eſt probare, quod orationes, ieiunia, mortificationes carnis, vigiliæ, & alij labores, gratiam & remiſſionem peccatorum, & quomodo ea de cõgruo mereantur, cum id ſupra ſatis claruerit. Et ſubinde hortatur nos apoſtolus, vt cum metu & tremore noſtram ipſi operemur ſalutẽ: quomodo vero illam operabimur, ſi ieiuniorũ, vigiliarum, orationum, & reliquorum laborum obſeruantiæ gratiam, & vitam æternam non merentur. Et alibi: Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. In carne ſeminant, qui luxurijs, qui Impudicitijs, qui comeſſationibus, & ebrietatibus diffluunt. Contra ſeminant in ſpiritu, qui diligunt, qui ſunt pacifici, benigni, miſericordes, propter Deum pauperes, continentes, obedientes. Pro qualitate ſeminum proferũt vtrique fructum: Illi de mala meſſe mortẽ, iſti de bono virtutum ſemine metent vitam æternam. Admonet nos idem vel *ibidem.* tertio: Bonum facientes non deficiamus, tẽpo-

Psalm. 118. *Heb. 11.* pore enim ſuo metemur nõ deficientes. Dauid inclinat cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Domini, propter retributionẽ: Moyſes, ſi non fallit nos Apoſtolus, cum affligitur cum populo Dei, cum contemnit regias delitias, cum faſcibus non delectatur, adſpicit in remunerationem. Cur ergo reprehendũtur Monachi, quod bene operando cupiunt æternæ felicitatis fieri compotes? Cur arguuntur ſceleris innocentes, cum doctrinam Pauli ſequuntur, cum hac ratione Moyſi, Dauidi, & alijs Prophetis ſe æquent? Cur non damnant prius Paulum iniquæ perſuaſionis, Moyſen & Dauida blaſphemæ operationis quam inſontes vi opprimant, conuitijs laceſſant, calumnijs impetãt? *Gal. 4.* Profecto bene dixit Paulus, quod ille, qui ſecundum carnẽ natus erat, perſequebatur eum, qui ſecundũ ſpiritum: ita & nunc. Bene dixit in hunc locum Chryſoſt. *Chryſoſtom.* Non licet Ioſeph, nõ licet impunitum eſſe, qui bonus eſt. Non licet meliorem eſſe tutum cum malis: & quaſi inuidi aliquid perdant, aut diſpendium alicuius rei incurrant, ſic bonorum vita detrimentum eſt peſſimorum, zelant manſuetum inuidi, modeſtum ſuperbi, probum improbi, mitem tumidi inimica æmulatione laceſſunt. Patitur & Ioſeph ſanctiſſimus innocentis vitæ inuidiam, & æmulos in ſe fratres ſancta excitat vita, bonum mali videre nõ poſſunt. Iſta quam belle in Aduerſarios competant, nolo ipſe dicere, ſed bonorum virorum eſto iudicium, iudicent eam ipſæ Aduerſariorũ conſcientiæ. Vide nunc quomodo aduerſus Eccleſiæ ſenſum ſcripturas torqueant, ne poſſint Monachi hinc ſuum inſtitutum roborare.

Duplex autem deſertio eſt (inquiunt) *quædam fit ſine vocatione, ſine mãdato Dei, hãc non probat Chriſtus. Nam opera noſtra à nobis electa, ſunt inutiles cultus. Clarius autem hinc apparet, Chriſtum non probare hanc fugam, quia loquitur de deſerenda vxore & liberis. Scimus autem quod mãdatum Dei prohibet deſerere vxorem & liberos. Alia deſertio eſt, quæ fit mãdato Dei, videlicet cum cogit nos poteſtas aut tyrannis cedere aut negare Euangelium: Hic habemus mandatum vt potius ſuſtineamus iniuriam, potius eripi nobis patiamur non ſolum facultates, coniugem, liberos, ſed vitam quoque.*

Cum ſuper omnia Deum teneamur diligere, prius parentes, vxores, liberos, facultates, & poſtremo vitam, quam Deum derelinquemus impietati ſubſcribendo. Alterũ neceſſe eſt, vt aut Deum negemus in hac cauſa, quo noſtra teneamus aut vt noſtra contẽnamus, quo Deum habeamus amicum. Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus: aut qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. At non tam de iſta deſertione hæc loquitur Chriſtus, quàm de ea qua relinquuntur omnia bona huius mundi, vxor quoque & liberi non qui habentur, ſed qui haberi poterant, niſi iuxta conſilium Chriſti omnibus eſſet renuntiatũ. *Qui omnis patrem, &c.* Quod vero iſte ſit verborum Chriſti intellectus, declarat ordo textus. Primum enim cœlibatum nuptijs præponit, ſimulq́; eius meritum innuit, & clam conſulit omnibus, vt eã amplexentur, dicens: Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. *Matth. 19.* Qui poteſt capere, capiat. Deinde commendat voluntariam paupertatem, cũ inæſtimabilẽ eius proponit mercedem, cumq́; ad eius obſeruantiam inuitat iuuenem: Si vis perfectus eſſe, inquit, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis: & veni, ſequere me. Poſtremo Apoſtolis, qui Euangelij & Chriſti amore omnia reliquerant, glorioſam pollicetur mercedem dicens: Amen dico vobis, quod vos qui reliquiſtis omnia, &c. Et ne hæc ſoli adoleſcenti, aut ſolis dicta viderentur Apoſtolis, adiecit: Omnis qui reliquerit, &c.

Hanc expoſitionem probant commentaria Origenis in hunc locum, vbi ſic legis: *Origenes.* Quod & ipſum ſimplicem habet interpretationem exhortantem relinquere bona ſeculi propter Chriſtum, & ſpiritualem, & altiorem. Qui ergo ſecundum literam vult intelligere, talia dicet: nõ omnes dicet ſequi Chriſtum ſermo, ſed eos, qui tunc fuerunt Apoſtoli, & qui ſimiliter eos ſequuti fuerãt eum, ſecutos ſe appellauit. Poſteriores autem maniſeſtauit per illud quod dixit: Et omnis qui reliquerit fratres, ſorores, &c. Qui ergo ſequuti ſunt Chriſtum, non quædam, ſed omnia relinquentes ſedebunt ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et hanc poteſtatem accipient in reſurrectione mortuorum. Hæc ille. Ex hac Catholica exegeſi liquet, nõ tantum Apoſtolos, ſed & alios multos poſt eos omnia reliquiſſe propter Chriſtum, vt euangelicæ perfectioni in caſtitate & paupertate manentes, cæteris hominibus eſſent viciniores. *Deſertio facultatum propter Chriſtũ voluntaria.* Neque tunc ſtatim eos adegit perſequutio, vt vxores, vt liberos, vt facultates deſererent, ſed ſuapte ſponte ſine mandato: non ſine conſilio, amore Chriſti omnia reliquerunt. Nam prædicante Chriſto nulla fuit diſcipulorum Chriſti publica perſequutio, vt ea deſerere cogerentur tyrannide oppreſſi, ſed non ita diu poſt Chriſti adſcenſionẽ tyrannis in gregem Dominicum graſſata eſt, vt apertè docent Acta apoſtolorum. Errant igitur phanatici iſti Theologi, qui hic nugãtur, quod Chriſtus loquatur de his, qui ex mandato Dei omnia relinquunt, non de his, quos conſilium Chriſti ſequutos eſſe docent Catholici.

Quod verò obijciunt, vxorem non eſſe relinquēdam aut filios, niſi neceſſitas negandi Chriſtum aut peccandi, aut vxorem & filios dimittendi immineat, ridiculum eſt: ſed tamen reſpondeamus paucis. Bifariam relinquitur vxor ducta aut non ducta, quia ducēdi fuit animus. Ducta omnino relinqui non debet, niſi in articulo, quem allegant Aduerſarij. Aut certe deſeri poteſt, ſi vtrinque ſibi iurent maritus & vxor, quod cōtinere velint omnibus diebus vitæ ſuæ. Nō ducta vxor ſed adſcripta deſeri poteſt amore Chriſti & virtute continētiæ. Et hæc deſertio ſummè placet Chriſto, & huic promittitur ſingulare illud præmium, quod nō contingit niſi cælibibus. Et de hac deſertione quod Deo placeat, & quod meritoria ſit, habemus multa Patrum teſtimonia.

Vxor dupliciter relinquitur.

Sic inquit Hilarius: Cæteris quoque contēptu ſeculi ſe ſequentibus centeſimi fructus copiam pollicetur, hic centeſimus fructus eſt, qui in centeſima oue cum cæleſti lætitia expletur. Chryſoſt. Certè ne quis illud audiens diſcipulis vt maxima in futuro pręmia conſequantur, dictum ſolummodo credat, ea propter latius orationem produxit, & ad vniuerſum orbem pollicitationē extendit, Ita vt à præſentibus futura confirmet. Vides quam lōge aliter iſti ſenſerint atque Aduerſarij. Sed addam⁹ etiam tertium teſtē Theophylactū, vt magis erubeant Aduerſarij falſę commētationis ſuæ, doceaturque lector magis tantorum grauitate authorum. Sic igitur abſoluit hunc locum Theophylactus:

Hilarius. *Chryſoſtom.* *Theophylactus.*

Ne quis ſuſpicetur, quod dictum eſt, ſolis congruere diſcipulis: dilatat promiſſionem ad omnes, qui ſimilia faciunt. Habebūt enim pro carnalibus cognatis, familiaritatē & fraternitatem cum Deo, pro agris paradiſum, & pro lapideis ædibus ſupernam Ieruſalem, pro matre presbyteras in Eccleſia, pro patre presbyteros, pro vxore omnes fideles mulieres: num nuptijs? abſit, ſed ſpirituali affectione, & miſericorde erga ſe cura. Iſta eſt Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Gregorij, & omnium veterum ſcriptorum ſententia, quorum longum eſſet omnia verba producere: ſatis eſt duorum aut trium adduxiſſe teſtimonia, ne plus æquo oneremus lectorem facile ſequentem, pertinacibus ne mille quidem ſatisfeceris. Sed nunc vide, quàm impudenter, quamque ſine fronte in Euangelium Chriſti peccent, cum dicunt:

Deſertio facultatum (inquiunt) *non habet mandatum aut conſilium in ſcripturis. Nam Euangelica paupertas non eſt deſertio rerum, ſed non eſſe auarum, non confidere opibus.*

O Deus ter maxime, terque optime, vera & iuſta ſunt iudicia tua, qui abſcondis occultiora ſapientiæ tuę temerarijs, & ſua ipſorum ſapientia tumentibus, & aperis ea humilibus, qui nullo nomine, nullo titulo ſuperbiunt. Iſti hoſtes tui, Aduerſarij noſtri, adeo ſunt excæcati, adeo indurati, vt negent vel ipſo ſole magis conſpicua, & ob hoc niſi inſipientiam ſuam plus quàm ſtultam, & pertinaciam plus ſatis indomabilē toti mundo declarant. Quis hic non admiretur, quis non ſtupeat ad tantam in euangelium tuum blaſphemiam? Cui vnquam vel tenuiter in ſacris voluminibus docto perſuadebitur, deſertionem facultatum neque mādatum, neque conſilium in ſcripturis habere, maxime cum tam apertè ibi Apoſtolos legamus ad vnicam Chriſti vocem, retia, ſcaphas, patrem, matrem, & quicquid erat rei domeſticæ reliquiſſe, & omnibus temporarijs bonis nudatos pauperes, Chriſtum pauperem & mēdicum ſecutos eſſe? Et proinde legunt dictum eſſe: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Num iſta omnia ad ſpiritum ſunt referenda, & non ad corpus; videlicet vt ita affecti ſimus in magnis diuitijs, vt non efferamur, non ſuperbiamus? Sed hoc potuit & Chriſtus, potuerunt & Apoſtoli, & qui eos ſecuti ſunt Apoſtolici viri, qui in pauperrima paupertate victitarunt. Concedimus igitur libenter, deſertionem facultatum non habere mandatum, ſed nullo modo feremus non habere conſilium. Nam adulterinam iſtius Philippi & Lutheri non recipimus doctrinam, ſed referimus nos ad veteres & orthodoxos ſcripturarum tractatores, quorum vitam & ſanam doctrinam in ſcriptis ſuis ceu in ſpeculo contēplamur. Iſti nullo prodigio clari ſunt, ſed vtinam non eſſent ob licentiorem etiam vitam infames.

Deſertio facultatum habet conſilium. *Matth. 4.* *Marc. 1.* *Matth. 19.*

In primitiua Eccleſia, vt clare nos docent Acta Apoſtolica, adhuc ſub Apoſtolis quidam vendebant omnia, & precium eorum ponebant ante pedes Apoſtolorum. Hic dicant nobis ſtrenui iſti vitiorum milites, an fuerit iſte actus præceptum, conſilium, an temeraria hominum præſumptio. Non fuit præceptum, nam de eo nulla eſt in ſcripturis ſyllaba. Et ſi eſſet præceptum, bene doceret Anabaptiſtarum ſordida colluuies, & tenerentur omnes ad deſertionem facultatum. Sed id abſit, vt illis peſtilentiſſimis hominibus occaſionem dem⁹ graſſandi pro ſuo diabolico impetu. Nemo enim cogebatur ſua relinquere, & in commune comportare precia. Verùm Paulus rogabat diuites, qui ſuarum rerum Domini erant, vt fidelis erat pauperum patronus, ne pauperum illorum, qui Hieroſolymis in commune & in diem viuebant, obliuiſcerentur. Non puto iſtorum factum vituperabile fuiſſe, aut illicitum, alioqui Paulus veritatis doctor, tantam

Actor. 4. *Præceptum non fuit deſertionis facultatum ...* *1. Cor. 16.*

tam

tam pro eis non pertuliſſet ſollicitudinem. *Deſertio ſæculi à ſpiritu ſancto eſt.* Et hinc manifeſtum eſt, quod diuino ſpiritu agitati, hanc ſtrictiorem viuendi normam apprehenderint. Sanè palam eſt, humanum ſpiritum non deſertionem, ſed conquiſitionem, & rerum domeſticarum emolumenta meditari, & in hac cura die noctuque animum occupare, adeo vt vix modum ſcias. Iam puto ſatis declaratum eſſe, vota monaſtica euangelio non repugnare, ſed euangelio, cæteriſque ſcripturis conſormia eſſe, & Aduerſarios multo labore ſuo nihil prorſus egiſſe, ſed operam fruſtra luſiſſe. Irreprehenſibilis enim eſt Monachatus purus, & mox poſt Apoſtolos imo ſub apoſtolis primum natus. Si quid habent calumniarum & conuitiorum, id iaculentur in eos, qui ſua vota ruperunt, qui Curios ſimulantes, male luxurioſeque & bacchanalia viuunt, innocentes Monachos peſtilente lingua non trucident.

Ioannis Cochlæi diſcuſsio Articuli de votis Monachorum.

Art. 5. 12. 15. 20. 23. 24. & 26. IN hoc Articulo multa verboſè repetuntur, quæ nos ſuprà cõſutauimus in ijs præſertim articulis, vbi agitur de iuſtificatione, de pœnitentia, de cæremonijs, de bonis operibus, de coniugio ſacerdotum, de Miſſa, & de diſcrimine ciborum. Magno igitur faſtidio afficit iſta eorũ verboſitas, præſertim tædioſa illa vox cuculi, Sola fides iuſtificat, quæ toties repetita, tædio propemodum enecat lectorem. Iuxta illud Iuuenalis: Occidit miſeros Crambe repetita magiſtros. Maligꝫ num quidem eſt calumniandi Monachos ſtudium in Confeſſione, ſed longe ſuperat eam malignitatem in Apologia Philippus, vbi non ſolum in monachos, ſed etiam in Theologos Auguſtanæ Conſutationis authores diris inuehitur maledictis & calumnijs.

Calumnia. Vtrobique autem hoc maxime accuſatur, quod doceant noſtri factitias (vt ipſi vocãt) religiones mereri iuſtificationẽ & gratiam, atque pares imo & meliores eſſe baptiſmo. At hæc noſtri nuſquam docent. Proinde impudens atque etiam impia eſt in S. Thomam Apologiæ calumnia, vbi ſic habetur: Itaque & illa blaſphemia nullo modo ferenda eſt, quæ apud Thomam legitur, profeſſionem monaſticam, parem eſſe baptiſmo, furor eſt, humanam traditionem, quæ neque mandatum Dei, neque promiſſionem habet, æquare ordinationi Chriſti, quæ habet & mandatum & promiſſionem Dei, quæ continet pactũ gratię & vitæ æternæ. Et paulo ſuperius in Theologos inuehens ait: Quid eſt autem certius, quàm quod homines remiſſionem peccatorũ conſequantur fide propter Chriſtum? & hanc ſententiam audent iſti nebulones impiam vocare.

Malitioſè profecto arguit & illum & iſtos. Nam neque S. Thomas æquiparat baptiſmo profeſſionem monaſticam, neque damnant aut negant Theologi, fide propter Chriſtũ iuſtificari homines, ſed damnanr & negant ſola fide (ſicut ſentit Philippus, vt opera Monachorum ſuggillet atq; excludat) propter Chriſtum homines iuſtificari. Scimus quidẽ, ſine fide & ſine Chriſto homines non iuſtificari, ſed addimus illud verbum Chriſti: Niſi pœnitẽtiam egeritis, omnes ſimul peribitis. *Luc. 13.*

Cauſæ ineundi Monaſteria. Deinde addimus & hoc, quod ſtatus monaſticus non præcipuè propter conſequendam peccatorum remiſſionem ſuſcipitur, quoniam & extra eum ſtatum homines eam conſequi poſſunt per ſacramentum pœnitẽtiæ, & monachi antequam profeſſionem faciant, prius confitentur, & à peccatis ſuis abſoluuntur, vt eo purior ſanctiorque & Deo acceptabilior fiat ipſorũ profeſſio, quo ſunt ipſi à peccatis mundatiores. Sed ſuſcipitur ſtatus ille potius ex amore in Deum, vt efficacius, pleniuſque in eo agatur pro peccatis pœnitentia, ac expeditius ac liberius ſeruiatur ei in Monaſterio, quàm in mundo, & ex deſiderio regni cæleſtis, quia Chriſtus teſtatur eſſe eunuchos, qui caſtrauerunt ſe propter regnum cælorum. *Matth. 19.* Atque etiam ex ſancta cupiditate theſaurizandi per bona opera, ſicut docet in Euangelio Dominus, vbi ait: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, &c. *Matth. 6.* Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Faciunt igitur monachi profeſſionem præcipue propter hoc, vt ſeruiant Deo in ſanctitate & iuſtitia coram illo, omnibus diebus ſuis, *Luc. 1.* ſicut docet Euangelium, & acquirant ſibi theſaurum bonum in cœlo, quem fures auferre nequeant, & vere cum Paulo dicere queant: Cõuerſatio noſtra in cælis eſt. *Philip. 3.* & illud: Bonum certamẽ certaui, curſum cõſummaui, &c. *2. Tim. 4.* Quod autem Philippus ait: Monaſticam profeſſionem eſſe traditionem humanam, recens excogitatam, quæ neque mãdatum, neque promiſſionem Dei habeat, impudens mendacium eſt. *Monachatus non mandati, ſed conſilij opus & ſtatus eſt.* Mandatum quidem non habet, quia non omnes capiunt verbum hoc: *Matth. 19.* Mandatũ autem obligat omnes: Non eſt igitur opus mãdati, ſed ſupererogationis & cõſilij, ſicut ait Apoſtolus: De virginibus præceptum domini nòn habeo, conſilium autem do. *1. Cor. 7.* Nõ eſt aũt traditio humana, ſed Euangelica, ſuas in Euãgelio habẽs promiſſiones, & firmiſſimas quidẽ & ampliſſimas. Neq; eſt recens excogitata, ſed ſtatim ab Initio mox tẽpore Apoſtolorũ in Eccleſia fuit, ſicut teſtantur Apoſtolorum diſcipuli Dionyſius & Ignatius, &

in hunc vſq; diem in Eccleſia ſine interruptione continuo permanſit. Quod ſi eſſet res mala, Deus eam in Eccleſia ſua tot ſeculis nō toleraſſet. Quoniam igitur non cōſudit eam vnquam, ſed conſudit omnes, qnicunque eā impugnarunt, (Non enim noua eſt hæc religioſarum profeſſionum impugnatio, quandoquidem iam olim contra earum impugnatores ſcripſerunt Hieronymus, Chryſoſtomus, Bernardus, Thomas, &c.) certi hinc ſumus, ex ipſo facto Dei, etiamſi nullum haberet eiuſmodi profeſſio in ſcripturis teſtimonium, quod ſit res bona & Deo placēs, ſicut ipſe Lutherus de paruulorum baptiſmo argumentatus eſt, contra Anabaptiſtas, vti iā ſæpe diximus.

Dionyſius in Epiſtolis ad Caiū & Demophylū monachos.

Promiſſiones Dei pro Monaſticis.

At non ſolum ex facto Dei, ſed etiam ex verbo Dei probatur eiuſmodi profeſſio: ſic enim loquitur in antiquiſſima ſcriptura per Moyſen prophetā ſpiritusſanctus: Qui dixit patri ſuo, & matri ſuę, Neſcio vos; & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerūt, iudicia tua o Iacob, & legem tuam ô Iſrael: ponent thymiama in furore tuo, & holocauſta ſuper altare tuum. Nec minus eſt ſpecioſum & præclarum, veriſque Monachis & Monialibus apprime conſolatorium verbum Dei, quod longe poſt per Eſaiam prophetam dixit idem ſpiritusſanctus: Hæc dicit Dominus eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.

Deut. 33.

Eſaie 56.

Sic Chriſtus in Euangelio de triplicibus eunuchis loquens, eos laudat ac præfert, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, non excidendo quidem ſibi virilia corporaliter, (hoc enim non licet) ſed voluntaria continentia ſeſe ſpiritualiter caſtrando, vt ſint vaſa munda, & non cum mulieribus coinquinata, vt ſequi poſſint agnum vere immaculatum, quocunque ierit. Sic & Paulus adhortatur nos ad huiuſmodi profeſſionem & ſtatum, vbi ait: Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placētem, rationabile obſequium veſtrum, & nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & bene placens & perfecta.

Matth. 19.

Apoc. 14.

Rom. 12.

Per huiuſmodi igitur profeſſionem fiunt homines verè Euangelici non ore aut voce tantum (ſicut nouæ ſectæ Euangelicas ſe ipſas impudenter vocant) ſed facto & opere Euangelicam vitam agentes, omnia habentes intra ſe communia, ſicut Chriſtus & Apoſtoli habuerunt, caſtrantes ſeipſos propter regnum cælorum, propriæ quoque renunciantes voluntati, exemplo Chriſti, qui dixit Iudæis: Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Et patri dixit: Veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu. Et (quod alius habet Euangeliſta) non mea voluntas fiat, ſed tua. Viri igitur vere Euangelici ſunt, qui non verbo, & falſa ſeu nuda fide tantum, ſed opere & veritate obediunt Euangelio, corde percipiunt, & alta mente reponunt, quod Chriſtus in Euangelio dicit: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Item: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorē, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animā ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Vere Euangelica vita.

Ioan. 6.

Marc. 14.

Luc. 22.

Matth. 16.

Luc. 14.

Quanquam autem Philippus reſtringit hæc verba Chriſti ad eum duntaxat caſum, quo poteſtas aut tyrannis cogit negare Euangelium, tamen Hieronymus & alij rectius extendunt etiam ad vitam perfectius agendam, cultumque Dei ſyncerius perficiendū. Amor enim Dei omnium aliorum amori præferendus eſt, Deus autem non ſolum in martyrio, ſed in omni vita noſtra confitendus & colendus eſt. Neque tamen dicimus, quod liceat homini ſuam relinquere vxorē, & monaſticam profeſſionem inire, niſi id fiat cum illius conſenſu, & ſecundum diſpoſitionem iuris. Vir enim poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vxor, teſte Apoſtolus. Ideo non licet viro corpus ſuum alteri tradere, aut offerre contra voluntatem vxoris.

Non licet relinquere vxorem ſine eius permiſſione & conſenſu.

De reliquis autem perſonis non eſt ſimilis ratio: Licet enim relinquere patrem & matrem, fratresq; & ſorores, filios item & filias propter Deum, & eis vel inuitis Monaſteriū ingredi, vt expeditius ſeruiatur Deo. Quemadmodum dixit S. Hieronymus: Supra calcatum patrem, &c. Et ſcriptura: Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, &c. Et ipſe Dn̄s: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c. hoc eſt, qui non minus amat patrē ſuum quàm me.

1. Cor. 7.

Deut. 33.

Luc. 14.

Non debet igitur eiuſmodi verba ad eam neceſſitatem duntaxat reſtringi, in qua aut moriendum eſt, & omnia relinquenda ſunt, aut negandus eſt Chriſtus & Euangelium. Iſta enim neceſſitas inter Chriſtianos rariſſime cōtingit hodie (licet falſo prætēdant nūc ſectæ ſuis hæreſibus Euangelium) ſed potius extendi debent ad voluntatem quoque, qua quis vltro, & ſua ſponte, non neceſſitate coactus, vult Deo potius ſeruire quàm mundo, aut quibuſuis hominibus in mundo, excepta, (vt dictum eſt) vxore, quia ait Apoſtolus, Alligatus es vxori, noli quærere ſolu-

1. Cor. 7.

Gen. 2. lutionẽ. Vir enim & vxor ſunt vna caro, iuxta illud: Erunt duo in carne vna. Hoc autem de reliquis perſonis dici non poteſt. Poſſunt igitur relinqui In mundo, vt liberius ſeruiatur Deo in Monaſterio.

1 Tim. 4. Quod autem vota, opera, exercitia, & inſtituta Monachorum vocat Philippus adiaphora, id eſt, indifferẽtia, quibꝰ Bernardus & Frãciſcus vſi ſint tantũ propter vtilitatẽ corporalem; de quibus dicat Paulus, Corporalis exercitatio parumper vtilis eſt: imò quod vocat eas contumelioſe obſeruationes fatuas, Phariſaicas, atq; etiam Mahumeticas, & ſimulationes hypocriticas, &c. nimis petulãs profecto, & impia eſt calumnia.

Vota iuris diuini ſunt. *Num. 30.* Vota enim ſubſtantialia religioſorũ ſunt iuris diuini, non ſolum in lege, ſed etiam in Euangelio fundata. Ex lege nanq; neceſſario ſeruantur, ſic enim ſcriptũ eſt: Si quis virorũ *Deu. 23.* votum vouerit Domino, aut ſe conſtrinxerit iuramento: non faciet Irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit implebit, & rurſus: Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dñs Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Dño Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Sic & Prophetæ idipſum atteſtantur. Ait quippe Pſal-*Pſal. 75.* miſta: Vouete, & reddite Dño Deo veſtro. *Eccleſ. 5.* Et Eccleſiaſtes ait: Si quid vouiſti Deo, ne *Eſa. 19.* moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis *Prouer. 15.* & ſtulta promiſſio. Item Eſaias: Vota vouebunt Dño & ſoluent. Commendantur præterea à Sapiente in Prouerbijs, vbi ait, Vota iuſtorum placabilia.

Matth. 19. In Euangelio aũt habent magnificas promiſſiones, voto enim caſtitatis promittitur *Apoc. 14.* regnum cælorum. Et in Apocalypſi promittitur continentibus canticum nouum, quod nemo aliorum canere poterit, & ſequentur agnum quocunque ierit, quia non ſunt cum mulieribus coinquinati. Voto paupertatis itidem promittitur regnum cælorum. Qui e-*Matth. 19.* nim dereliquerit domũ, agros, propter nomen Chriſti, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Non eſt igitur blaſphemia, vt falſo calumniatur Philippus, dicere, quod Monachi & Moniales, ſi vota ſua cuſtodierint, mereantur vitam æternam. Deus .n. hoc apertè promiſit, qui vtiq; fidelis eſt, & ſeipſum negare non poteſt, teſte apoſtolo.

2. Tim. 2. *Monaſteriorũ bona opera.* Reliqua quoque Monachorum opera, & exercitia pia ſunt, & ſuum ex Euangelio fundamẽtum habent, nec poſſunt niſi ab impijs reijci, aut reprobari. Non enim malum eſt o-*Luc. 11. & 18.* *Ephe. 5.* *1. Cor. 7.* rare, quod & Chriſtus præcepit & Paulus. Nec malũ eſt pſallere, Deumque laudare in hymnis & cãticis die noctuque. Neque item ma-*Matth. 12.* lum eſt ieiunare, vigilare, caſtigare corpus, & carnem in ſeruitutem redigere, vt ſpiritui obediat. Silentium tenere quo minus teneantur de omni verbo otioſo rationem Deo reddere. Omnia habere communia, nihil proprium, ne contingat eis, quod contigit Ananiæ & Saphyræ, aut etiam Simoni Mago cui dictum eſt: Pecunia tua tecum ſit in per-*Act. 5. & 8.* ditionem. Licet quidem ante votum propria retinere, poſt votum vero non licet. Sicut Petrus dixit Ananiæ: Cur tentauit Satanas cor tuum mẽtiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de precio agri? Nónne manens tibi manebat, & venũdatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mẽtitus hominibus, ſed Deo.

At hęc omnia improbat ſecularis iſte Theo-*Turpis laudatio apoſtatarum.* logus, ſecularia negocia & exercitia Monaſticis vbique longe pręferens, magis laudans *Luc. 9. & 17.* pręuaricatores votorum Apoſtatas, qui vxores ducunt, & cum vxore Loth reſpiciunt retro ad ſecularia deſideria, quam pios & timoratos Monachos, qui memores votorum ſuorum, exhibent corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctam caſtitate, Deo *Rom. 12.* placentem religioſitate, ac rationabili obſe-*Luc. 2.* quio ſeruiũt Deo, & ſicut Anna prophetiſſa fecit, non diſcedunt de tẽplo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruientes Deo nocte ac die.

Denique quod queritur Philippus, Mona-*Scholæ in Monaſterijs.* ſteria olim fuiſſe ſcholas doctrinæ Chriſtianæ, nunc vero degeneraſſe, velut ab aureo genere in ferreum. Locupletiſſima quæque Monaſteria tantum alere ocioſam turbam, quæ ibi falſo prætextu religionis helluetur de publicis eleemoſynis Eccleſiæ. Ad hæc dicimus non ſolum olim, ſed adhuc noſtris temporibus in Monaſterijs, tam locupletibus, quam pauperibus fuiſſe ſcholas doctrinæ. Ex quibus prodierunt in magnũ (proh dolor) Eccleſiæ, religioniſque & cultus Dei malum, doctiſsimi quique Apoſtatæ Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pellicanus, Munſterus, Menius, Muſculus, Myconius, &c. qui abutentes bona doctrina, quam in Monaſterijs didicerunt hæc nobis mala, quibus miſere nunc affligatur Germania, pepererunt.

Melius itaque feciſſent, ſi literarum ſtudium non prætuliſſent cultui diuino & monaſticis obſeruationibus, ſed cuſtodiuiſſent Illud verbum Domini: Hæc oportuit *Matth. 23.* facere, & illa non omittere. Monaſteria enim à pijs principibus exſtructa, & dotata ſunt principaliter propter cultum & laudẽ Dei, vt in eis ſeruiatur Deo ieiunijs, obſecrationibus & pſalmis, alijſque diuini cultus officijs & exercitijs, potius quàm propter literarum ſtudia, pro quibus principaliter ere-

ctæ ſunt vniuerſitates & Academiæ.

Ad reliquas Apologiæ calumnias, & verboſas ſolutiones contra obiectas in Confutatione theologorum ſcripturas, non videtur aut neceſſarium aut operæpretium, inutiliter multa hic effundere verba. Omnes enim huiuſmodi calumniç iam ſupra circa pleroſque Articulos confutatæ ſunt.

Calumnia.

In omnibus vero ſolutionibus refugit ad iſtam calumniam, quòd doceamus, monachatū, ſeu profeſſionem Monaſticam eſſe cultum Dei, quo mereamur iuſtificationem, gratiam & remiſſionem peccatorum, eamque æquari baptiſmo. Hęc autem calumnia iam ſupra eſt cōfutata. Remiſſionem enim peccatorum quærimus per pœnitentiæ ſacramentum, non per profeſſionem, quæ nō ad iuſtificandum, ſed ad ſanctè viuendum, & ad ſeruiendum Deo ſuſcipitur, non à iuſtificandis, ſed à iam iuſtificatis per cōfeſſionem peccatorum & ſacerdotis abſolutionem.

Profeſſio Monaſtica holocauſtum eſt.

Eſt igitur eiuſmodi profeſſio ſanctiſſimū quoddam ſacrificium & holocauſtum, quo homo ſe totum offert Deo, abnegans ſemetipſum, & nihil ſibi reſeruans, ſuamq; crucem tollens, vendit, aut in eleemoſynas dat omnia quæ habet, vt expedite ac pure ſeruiat Deo in ſanctitate & iuſtitia. Meritò itaque tam ſanctum & arduum vitæ inſtitutum dicitur ſtatus perfectionis, quia habet teſtimonium in Euāgelio, vbi ait Dn̄s: Si vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia, &c.

Matth. 19.

Falſa Philippi ſententia

Nuſquam autem dicit ſcriptura, quod eſſe agricolam, fabrum, ſartorem, coniugem, aut magiſtratum, aut principē, ſit eſſe perfectū, aut ſtatum perfectionis. Iniquiſſimè igitur præferuntur à Philippo & eius complicibus huiuſmodi ſtat9 ſeculares ſtatui Eccleſiaſtico Monachorum, aut ſacrarum virginum.

Luc. 10.
1. Cor. 7.

Expreſſe enim dicit Euangelium: Maria optimam partem elegit, & Paulus: Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit melius facit. Item: Qui ſine vxore eſt: ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autē cum vxore eſt: ſollicitus eſt quę ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autē nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

Ioannis Hoffmeiſteri iudiciū ſuper Articulo de votis Monachorū, & delectu Ciborū.

QVoniam alium habet ordinē Apologia Confeſſionis, quàm ipſa Confeſſio, cogimur ex vna fidelia, quod dicitur, duos dealbare parietes, hoc eſt, ſub vnius Articuli tractatu, varia, nec tamen diuerſi generis tractare argumenta. In Apologia enim, Miſſæ ſacrificio ſubiungitur votorum ratio: at in ipſo Confeſſionis libello, ſubſequitur Miſſam, Confeſſionis & delectus ciborū tractatio. Quid igitur reſtat, niſi vt priora quàm pauciſſimis fieri poterit, abſoluam9? De Cōfeſſione ſacramentali ſupra articulo vndecimo non nihil diximus: nec abs re, vt qui Aduerſarios noſtros, in hoc quidē negotio, nihil minus quàm aduerſarios vidimus. Nam ſi apud hos Confeſſio non eſt abolita, ſi ſolent corpus Domini, non niſi exploratis antea & abſolutis porrigere: ſi docetur apud ipſos populus diligentiſſime de fide abſolutionis: ſi admonetur vt plurimi faciant abſolutionē: ſi ornatur apud eoſdē poteſtas clauium, ſi tandē de Cōfeſſione docēt, quod omnium delictorū enumeratio non ſit neceſſaria: iuxta illud: Delicta quis intelligit: ſi, inquam, iſta ita ſe habent (ſic enim magnifice pollicētur) nō habent nos aduerſantes: imò quod docēt, ſi non nobis verborū lenocinijs imponunt, vtriſque amplectimur brachijs. *Pſalm. 19.* Porrò partes illas Confeſſionis fingunt à nobis & à noſtris eſſe neglectas: quo autem candore, ipſi viderint. Si enim illa quæ bene dicunt hoc loci, ex noſtrorum ſiue priſcorum, ſiue Scholaſticorum monumentis non ſunt ſuffurati, vnde collegerunt? quo doctore tā bene ſapere inœperunt? Caueat, obſecro, ſuos occultare Magiſtros, ne Aeſopicum tandē nobis cogātur repręſentare graculū. Sed quid opus fuerat hæc admonere, cum Apologia ipſa annotarit, quam piè ſenſerint Decretarij, vt ita loquar. Si pium eſt, quod Chryſoſtomi nomine producitur: ſi Gloſa de pœnitentia diſt. 5. digna viſa eſt quę Apologię infereretur, qua frōte dicunt Aduerſarij, ea noſtris fuiſſe incognita, quæ illi tanquam nunquam cogitata vel viſa iam oſtentant? Iam quod confitendi rationē attinet, ſupra articulo ſuo excuſſum eſt: proram itaque noſtram iam alio dirigat cæleſtis noſter nauclerus. 3

Ad ieiunium & delectum ciborum deuenimus: & hic cū Iuris poſitiui ſit, & ſupra Articulo decimoquinto de traditionib9 humanis ſatis pro re diſputatū ſit, vno quaſi faſciculo rem complectemur. Ex cōfeſſis eſt, apud Patres vtrinſque Teſtamēti, ſemper aliquem fuiſſe ciborum delectū, hoc quod vtriuſque Teſtamenti ſcripturç luce meridiana clarius demonſtrant. Iam delectus ille poſt apoſtolorum tempora ſeruatus quidem eſt, ſed nec ab omnibus, nec vbique pariformiter. Quēadmodum Philippus non inepte ex Irenæo citat in Confeſſione. Diſſonantia ieiunij, fidei conſonantiam nō ſoluit. Et ante exortum Lutheraniſmum, in his ſumma tranquillitas fuit. Eſto ſanè, traditiones huiuſmodi humanas, fortè ſupra meritum à noſtris fuiſſe decantatas, fac nonnihil ſuperſtitionis illis fuiſ-

ſe ad-

ſe admixtum: remedium itaque quærendū fuerat, quod morbo intolerabilius non eſſet. Habemus certe in eiuſmodi rebus, quod mutuum condonemus. Superſtitioni noſtræ, veſtra effrenis licentia nunquam bene medicabitur. Eſt modus in rebus, ait ille. Traditiones Eccleſiaſticæ non habent, vnde meritò accuſari poſſint: ſed quoniam ab illo fonte plus æquo diſceſſum eſt, religio in ſuperſtitionem abijt. Da mihi hominem, qui delectum ciborum iuxta Eccleſiæ præceptum obſeruat, & videbis ab eo nihil culpa dignum fieri. Nam qui carnium eſu certis ac ſtatutis diebus interdixerunt, non ita instituerunt, vt interim nos piſcibus, aut alia obſoniorum ſpecie ſaginaremus: quod autem ita fit, deploramus, non commendamus. Verùm ieiunandi ratio, vt Bucerus ait, fuit nequaquam ſemel dūtaxat in die cibum ſumere, & cibum piſculentum: ſed ſemel omnes abdicare delitias, & luctum quēdam, ac corporis caſtigationem, atque afflictionem ſuſcipere. Hæc ille. Conſequitur ergo, eum tādem verè traditionem Eccleſiæ obſeruare, qui non ſolum carnibus abſtinet, ſed qui ſibi omnibus delitijs interdicit: qui porrò non minuunt, ſed potius mutant delitias eſculētorum, non obſeruāt Eccleſiæ traditionem, ſed mali genij ſuggeſtionem. Sed propius ad rem. An Eccleſia habeat poteſtatem condēdi huiuſmodi leges, forſan potior quæſtio eſt huius diſputationis. Atqui non eſt dubium, quin habeat poteſtatem, qua vti debet ad ædificationem, & non ad deſtructionem. Iam quis non videt, quæ in gloriam Dei, & in honorem proximi inſtituuntur, ad ædificationem facere? Certe in gloriam Dei facit, ſi homines ideo à cibis quibuſdam abſtinent, quo habiliores & aptiores ſint ad cultū Dei, ad precationes, & ad alia id genus pietatis exercitia. Proximo porrò incommodare non poteſt, vt cuius animæ pariter & corpori, ordinatione iſtiuſmodi prouidetur & conſulitur. Sed Aduerſarij conſtringuntur laqueis conſcientiarum, quæ ob neglectas traditiones humanas, quaſi in deſperationem ſcilicet abeunt. Bona verba quæſo. Quiſquis Eccleſiæ traditiones temere præuaricatus fuerit, aut illis contumaciter reſponſauerit, illum, non eſt dubium, grauiter peccare: Qui vos ſpernit, me ſpernit, ait Chriſtus: ſed hac de re in ſuperioribus. Porrò reſpondebunt Aduerſarij, ſe non morari delectum ciborum, ſed impias opiniones circa illum cōceptas. Quas tādem? Quod traditiones humanæ, inquit Philippus, ſint opera vtilia ad promerendam remiſſionem culpæ & pœnę. Hęc nimirū illa Helena. Reſpondemus ſimpliciter, carnis mortificationē, ſiue hoc vel cū delectu ciborū, vel citra delectū fiat, ad gen⁹ bonorū operum pertinere certiſſimū eſt: quantū aūt valeant bona opera ad remiſſam peccatorū impetrandā, Artic. ſexto auditū eſt, itē in Articulo duodecimo de pœnitētia & ſatisfactione. Aliam adferunt impiam opinionē, quā nobis acceptū ferunt, ſcilicet quod mandata hominū prætulerimus præceptis Chriſti. Si alicui perſuaſum fuit, traditiones Eccleſiæ præferendas eſſe Chriſti præceptis, impia opinio fuit. Hæc aūt quia facillimè piorū cordibus eximi poteſt, inducatur pia perſuaſio, reponantur omnia ſuo loco, ac redigantur omnia in ſuas claſſes, & querelæ illæ non habebunt amplius locū. Adducunt Aduerſarij multa ſcripturæ teſtimonia, quæ paucis expendamus: probare vero volunt, vt mihi videtur, traditiones illas non eſſe cultus neceſſarios, neq; per illas quenquam iuſtificari, &c. Accipe reſponſum noſtrū. Quàm neceſſariæ ſint traditiones illæ, in ſuperioribus auditū eſt, Articulo decimoquinto vt ſuperuacaneum ſit repetere. Iuſtificationis negotium, Articulus quartus habuit. Quid igitur neceſſe fuerat toties repetere eadem? Cardo rei in hoc vertitur, non quid iuſtificandum, ſed quid iuſtificatum facere oporteat. Ergo ad ſcripturas ab Aduerſarijs adductas, facilis eſt reſponſio. Quod Chriſt⁹ excuſauerit ſuos *Matth.15.* diſcipulos, qui non obſeruarāt traditionem ſeniorum de lauandis manibus, nihil contra *Marc.7.* nos facit. Aliud enim eſt traditiones Iudæorum negligere, maioribus & vtilioribus impeditum: & aliud eſt traditiones Eccleſię cōtemnere, ſola libidine præuaricandi cōmotum. Secundò. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominē. Accipimus. Tolle quibus homo inquinatur, & traditiones Eccleſiæ firmiſſimè manebūt. Non refert quid vel edas, vel quo abſtineas, ſed plurimū refert, crede mihi, quo animo edas vel abſtineas. Finis enim, quo referuntur ea, quæ facimus, id eſt, propter quem facimus quicquid facim⁹, ſi non ſolum inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tum demum etiam facta noſtra laude aliqua digna ſunt, ait Auguſtinus de moribus Manichæorum libro ſecundo, capite decimotertio. Et alibi dicit quod Apoſtolus illos deſignat ad Timotheum, qui non propterea abſtinent à cibis talibus, vt aut cōcupiſcentiam ſuam refrenent, aut infirmitati parcant alterius, ſed quia ipſas carnes immūdas putant, & earum creatorē Deum eſſe negant. Locus eſt contra Adimantum cap. 14. Tertiò. Regnum Dei, inquiunt, non eſt eſca *Rom.14.* & potus. Agnoſcimus Pauli verba: tu audi verū illorū ſenſum. Si regnū Dei nec eſca eſt, nec potus, & ſi eſca nos non condemnat Deo, vos ſecundum eundum Apoſtolum videte, ne forte hæc licentia veſtra, offendiculum fiat infirmis. Vos certè hactenus pro

carnibus tanquam pro aris & focis digladiamini: & maiori ſtudio auditur Lutherus omnibus liberum faciens veſcendi quibuſlibet, quàm Paulus admonens, ne fortè ſcandalum demus infirmis. Hic ergo tempeſtiue vidẽdum, ne claudus, quod dicitur, loripedem vili pendat. Nos, ſicut à vobis accuſamur, pietatis ſummam poſuimus in abſtinẽtiam carnis: ſed illam vos poſuiſtis in peſtilentiſſimã voracitatem. At non vultis vt hæc concionatoribus veſtris obijciamus, ſed voluptarijs quibuſdam. Hoc idemq; ius, & à vobis poſtulamus, vt cum malis non velitis condemnare bonos. Cætera ſcripturæ loca à vobis producta in Pſeudoprophetas Iudæorum eiaculata ſunt, vt non poſſint in Eccleſiæ proceres torqueri: quoniam nó eſt par ratio traditionum Eccleſiæ & Synagogæ, qua de re D. Auguſtin. cótra fauſtum Manichæum copioſiſſime, cum quo, ſi lubet, Aduerſarij expoſtulẽt. Quod .n. Fauſtus Auguſtino, hoc illi nobis obijciunt. Chriſtiani, non hæretici, inquit Auguſtinus, ſed Catholici, edomãdi corporis cauſa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa immunda eſſe credãt, nõ ſolum à carnibus, verùm etiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinent: vel ſemper, ſicut pauci: vel certis dieb⁹ atque tẽporibus, ſicut per Quadrageſimã ſere oẽs. Hactenus ille cótra Fauſtũ li. 29. cap. 5. Quid hic cum Manichæis cómune habent Aduerſarij? dicent: Nihil. quoniam quod Auguſtinus docet, edomandam eſſe carnẽ, etiam ipſi Aduerſarij docẽt & in Cõfeſſione & in Apologia. Subijciam autẽ Fauſti obiectiones: tu quos nobis referãt audi, & iudica dextrè. Fauſtus inquit aduerſus Catholicos: Vos non ſolu abſtinẹtis, ſed etiã gloriã captatis exinde: & eò acceptiores vos creditis Chriſto, quò critis abſtinẽtiores à cibis. Hæc ille. Et Iouinianus hæreticus apud D. Hieronymũ, Chriſtianis inſultando, inquit: De ciborũ ſibi placent abſtinentia, quaſi non & ſuperſtitio gẽtilium Coſſum matris Deum obſeruet & Iſidis. Sed ſinamus hæc, quæ ad irritandos forte magis, quàm ad placandos Aduerſarios facere videntur. Cõpendio dicã quod res eſt. Eccleſiæ traditio in hoc nimirũ iuſtituta eſt, vt proſit Eccleſiæ filijs: ex occaſione porrò huius traditionis ſuccreuit (Eccleſię paſtorib⁹ altũ ſcilicet ſtertẽtibus ſuperſtitio & abuſuum inuidioſa propago: huic ſucceſſit mira & effrenis licẽtia eorũ hominum, qui tanquã iurati hoſtes, traditioni potius ſanctæ, quàm abuſibus bellũ mouere. Iam ergo bonorum Præſulum fuerit diſpicere, an decẽtius ſit totam arborem radicitus euellere, an ne peſtilentes ramos amputare. Omnia certe ſic inſtituenda ſunt, vt ædificetur Eccleſia, nó deſtruatur. Hoc autem ſeculũ videtur potius

Apud Auguſtinum cõtra Fauſtũ li. 30. ca. 2. Lib. 2.

indigere freno, quàm calcaribus. Et quoniam iuxta quod ille vere dixit: licentia omnes ſumus deteriores, præſtat laſciuiorum cohibere libidinem, quàm obedientibus & piè timidis donare libertatem. Non video quomodo perſuaſurus ſit perpetuam vitæ abſtinentiam ei, qui cogi non poteſt, vt vel certis adeoque paucis aliquot diebus virum bonum præſtet. Et hæc quidem mea ſententia eſt.

Iam tandem ad votorum rationem deuenimus. Quo igitur exordio vtar? In hoc, opinor, cóſentimus omnes, vota omnibus omnium hominum generibus in vſu fuiſſe, ante legem, ſub lege, in Euangelio, & poſt Chriſti in cælos aſſumptionem vſq; ad noſtram ætatem: votorum autem quædam eſſe temporaria, quædam verò perpetua, quæ reſcindi non liceat. Sed nolumus omnẽ omnium votorum rationẽ expendere, quum Aduerſarij tantũ hic rixẽtur de votis Monaſticis, monachos neſcio cuius nó impietatis inſimulantes. Nos porrò non deſcendimus ideo in arenam, vt cũ aliquo digladiemur atrocius, nec eius ſumus animi, vt libeat talionem reddere ijs, qui nigerrimo carbone, Monachorum inſtitutum notare animum induxerunt: ſed propoſitum noſtrum eſt, Eccleſię cóſuetudinem, priſcorum Patrum ſententijs ab Aduerſariorum defendere calumnijs. Et (vt candorem noſtrum ipſi Aduerſarij videant) ingenuè fatemur Monachos merces ſuas plus ſatis laudaſſe, multos incautos in naſſam illexiſſe, ſuperſtitionibus & hypocriſi operã dediſſe, à prima ipſorũ inſtitutione plurimum declinaſſe, votũ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vix nomine tenus retinuiſſe. Quis .n. hæc negabit? Abuſus aiũt ſunt, non inſtitutũ ipſum. At nos in hoc ſumus, ne fuco aliquo excuſemus abuſus, ſed vt vindicemus bonũ votorum vſum, & defendamus hanc votorũ rationem à multis ſeculis, nec impiè, in Eccleſia Catholica obtinuiſſe. Quis enim nó amaret Monachum, qui verè & ex animo cælebs viueret, qui humilis obediret Præſidi, qui vanas & fluxas huius mũdi non magnifaceret diuitias? Sed hinc illæ lachrymæ, quòd cælibatum, paupertatem, obedientiam profeſſi, viuunt impuriſſimè, diuitijs auariſſimè inhiant, & omnis iugi ſunt impatientes. Ergo bonos, opinor, amabunt Monachos: vẽtribus autem faceſſent negotium. Reformẽtur ergò monaſteria, & Monachi ſui admoneantur officij, & nulla erit diſſenſio. At meminerint Aduerſarij nó ſolos Monachos eſſe in cauſa, quòd omnia hui⁹ inſtituti ſint turbata, ſed etiam Primates noſtros, Nobiles, Reges, Imperatores, qui ſola auaritia, aut alia eius generis ratione permoti pueros ſuos in Monaſteria intrudere ſolent. Exempla notiora

tiora ſunt, quàm velim. Quod ſi perrexerint porrò Aduerſarij damnare votorum rationem, re ipſa declarabunt ſe planè contemnere Patres, qui illorum quàm honorificentiſſimè meminerunt. De cælibatu in ſuperioribus dictum eſt, vbi egimus de cõiugio Sacerdotum. Votorum autem ratione ex veſtris Lutherus & Melanchthon, & alij non ſemel tractarunt. Idipſum & noſtri fecerunt, maximè Eckius, Diettenbergius, Saſgerus, & alij, vt non ſit neceſſe ſæpius tractata retractare.

Certè abundè nobis ſuppeditãt exempla, ad comprobanda vota, nunquam ſatis laudata Patrum monumenta. Audiamus quæſo D. Auguſtinum. Quod cuiquam antequam vouiſſet licebat, cum id ſe nunquam facturum vouerit, non licebit: ſi tamẽ id vouerit, quod vouendum fuit, ſicut eſt perpetua virginitas vel continentia poſt experta connubia ſolutis à vinculo coniugali. Hactenus ille ad Pollen. lib. primo, cap. viceſimoquarto, vbi etiã expreſsè locum illum Pauli de iuniorib⁹ viduis, pro votis allegat. Docet itaque D. Auguſtinus vota illa eſſe ſeruanda, quæ vouere licebat: Caſtitatis porro eiuſmodi votum eſſe. Et ne quis exiſtimet vota, hæc vel huiuſmodi impoſſibilia eſſe, ſcribit lib. ſecundo ad eundem Pollen. cap. decimonono: Non eos terreat ſarcina continentiæ: leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ impetrat à iubente quod iuſſerit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia neceſſitatis eſſe, non voluntatis: quia & illi, qui eam voluntate elegerunt, fecerunt eam neceſſitatis. Et hæc quidem ille. Ab Auguſtini ſentẽtia nõ abhorret, quod ſcriptum reliquit. Qui vult capax eſſe verbi, inquit, quod de caſtitate proditum eſt, petat credens dicenti, & accipiet, non dubitans de illo, quod dictum eſt: Omnis qui petit, accipit. Et non

Math.7. Matt.11. ita multò poſt: Datum eſt autem omnibus, qui huiuſmodi gladium ſibi petunt ex Deo, &c. Ex his ergò iam patet votorum vſum veteris Eccleſiæ Patribus non fuiſſe incognitum. Et certè plus me mouet vnica ſententia priſci alicuius Patris, quàm vniuerſa Apologiæ battologia. Scribit Philippus Melanchthon, Bernardum, Franciſcum, & alios ſanctos viros votorum illorum ratione fuiſſe vſos propter vtilitatem corporalem, vt expeditiores eſſent ad docendum, & ad alia pia officia, non quòd opera ipſa per ſe ſint cultus, qui iuſtificent, aut mereantur vitam æternam, &c. Tu porrò audi, quo nomine D. Auguſtinus votum continentiæ ſuis auditoribus reddiderit commendabile. Præſumite, inquit, fidite, roboramini, permanete, qui vouetis & redditis Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ, non propter præſens ſeculum, ſed propter regnum cælorum.

Eiuſdem ſententiæ eſt D. Ambroſius, inquiens: Qui vxorem ducit, vtique non peccat, quia quod conceſſum eſt, facit: Si verò contempſerit, meritum ſibi collocat & coronã.

Obſeruandum & hoc, quod D. Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſione dicit lib. 3. cap. 7. Iouinianus Sanctimonialibus, etiam ætate prouectioribus nuptias perſuaſiſſe dicitur, non illiciendo, quò earum aliquã ducere vellet vxorem: ſed diſputando virgines ſanctimonio dicatas, nihil amplius fidelibus coniugatis apud Deum habere meritorum. Hæc Auguſt. ad verbum, vnde faciliimè dignoſcitur, quãtum abſit Lutherus à Iouiniano: dignoſcitur etiam, quid Auguſt. de meritis eorũ ſentiat, qui Deo vota perpetuæ continentiæ ex animo perſoluunt. Poſſem & aliorum Patrum teſtimonia pro hac ſentẽtia roboranda adducere, ſed pijs hæc, quę adducta ſunt, procul dubio ſuffecerint: Quæ hic deſiderãtur, Articulo vigeciſimotertio de ſacerdotũ videlicet cõiugio videantur. Nouim⁹ Patres, maximè verò Auguſt. & Hieron. malè audire ab Aduerſarijs, ob plurimã continẽtię cõmẽdationẽ, ſed nihil moramur eorũ ſiniſtra iudicia. Si obiecerint Patrib. ſcripturæ teſtimonia: dicem⁹ & hæc illis nõ fuiſſe incognita, nec cõtẽpta, neq; defuiſſe Patrib. iudiciũ, & dexterius opinor, quam naſutulis iſtis. Perſuaſũ tibi habe hoc, Fauſtũ, Iouinianũ, & alios eiuſdẽ farinę homines, nõ frigidè bonis Patrib. ſcripturæ teſtimonia obieciſſe: ei⁹ ſiquidẽ guſtũ ex Patrũ monumẽtis haurire licebit. Iã qua ratione libuiſſet Patrib. manifeſtã impietatẽ (ſi modo eſt talis votorũ ratio) cõtra manifeſtũ Dei verbũ propugnare? Noſtros iã forſan incuſabũt impietatis, hypocriſis, ſuperſtitionis, vel auaritię, adde etiam inſcitiæ: an porrò hęc in priſcos Patres meritò torqueri poſſint, ipſi viderint Aduerſarij. Mihi videor aliquãtò tutius cũ illis piè errare, vt ita loquar, quã cũ Aduerſarijs quicquã temerè affirmare. Obijciunt Aduerſarij ſcripturas: at harũ ſenſum ex Patrũ monumẽtis, hoc eſt, ex Eccleſiæ potioribus mẽbris accipio. Vocãt Aduerſarij prohibitionẽ cõiugij doctrinam dæmoniorũ, Pauli, ſi dijs placet, *1. Tim 4.* authoritate moti. Ad hoc reſpõdet Auguſt. Ille prohibet, qui hoc malum eſſe dicit: non qui huic bono aliud melius anteponit. Melior autem eſt continentia ab omni cõcubitu, quàm vel ipſe Matrimonialis cõcubitus, qui fit cauſa gignendi. Obijciunt Aduer. virgo, ſi nupſerit, non peccat. Reſpondeat Chryſoſt. & poſt hunc Theophylactus, Virgo Deo dicata, ſi nupſerit, delinquit haud dubiè plurimum: vtpote quę Chriſto ſponſo inſuper induxit adulterum. Obijciunt Aduerſarij: Melius eſt nubere, quàm vri. Reſpondet Ambroſ. Hoc dictum ad non pollicitam

perti-

pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm, quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit: iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere cõmuni lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Hæc ad virginem lapſam, cap. 5. Nam, vt inquit Nazian. coniugium hoc longè præſtantius eſt, quàm corruptibile.
1. Tim. 3. Obijciunt Aduerſarij: Non omnibus datum eſt, vt continenter viuere queant: Reſpõſum eſt iã olim ob Origene & Auguſtino, ſicut ſuprà auditum eſt, & his ſubſcribit per omnia Greg. Nazian. oratio. 30. Obijciũt rurſum Aduerſarij: Epiſcopus ſit vnius vxoris vir. Reſpon. Chryſoſt. nõ ea ratione dictũ, quod nũc id in Eccleſia obſeruetur. Oportet. n. inquit, omni prorſus caſtitate Sacerdotẽ ornatum eſſe. Hæc ille de patientia Iob. hom. 2. Vides quo loco habeamus ſcripturas canonicas: vides vnde illarũ à nobis petatur interpretatio. Canonẽ D. Auguſt. ſequimur, qui ſic habet: In ſcripturis interpretandis & ſi multa dici poſsint, quę improbanda nõ ſunt, tamen in his eligẽdum & intelligendũ, quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccleſia. Hæc ille epiſtola 59. Vides deniq;, quò progrediamur tandem, nihil nobis ab Aduerſarijs obijci, quod à priſcis Patribus non ſit auditũ & ſolutũ. Nemo itaq; mihi vitio vertat, quod Patrũ inſequẽs veſtigia, Aduerſariorũ caſtra contempſerim. Certè D. Aug. conſulit Patres quęrendos, vt ſcripturas in ſpeciẽ pugnantes concordent, &c. Quod de voto caſtitatis hactenus dictum eſt, ad reliqua duo repetitum volumus: Voluntaria paupertas, & humilis obedientia, nemini vitio dari debet. Voti volũtariæ paupertatis meminit D. Vrbanus Pon. Max. epiſtola de rerum communione. Et Apologiæ architectus inquit: Neq;
Vide Aug. in Pſalm. 99. verò accuſamus omnes (Monachos.) Arbitramur enim paſſim aliquos bonos viros in Monaſterijs eſſe, qui de humanis cultibus moderatè ſentiunt, nec probant ſæuitiam, quam exercent hypocritæ apud ipſos, &c. Hæc ille. Igitur nõ accuſabũt eos, qui ſunt quod audire volunt. Sed conquerũtur rurſus Aduerſarij dicẽtes omnia apud Monachos plena eſſe ſimulationis: paupertatem iactant in ſumma copia rerũ: obedientiã iactãt, cũ nullũ genus hominum libertatem habeat maiorẽ, quàm Monachi: de cęlibatu non libet dicere, quàm purus ſit, &c. Accipe, bone Philippe, reſponſionẽ noſtram ſimplicẽ, &, ni fallor, non impiam. In hoc vtriſque iam inſumitur labor, non vt quid factum ſit traducatur ſolum, ſed vt huic morbo remedium quæratur. Vos, opinor, non omnia, quæ à veſtris vel facta vel ſcripta ſunt, excuſare tentabitis, ſed potius quid faciendum ſcribendúmue ſit, in poſterum præſcribere curabitis. Multũ profectò differt Confeſſionis veſtræ libellus ab alijs ſcriptis pridem à vobis emiſſis. Hoc ipſum & de noſtris tibi perſuadeas velim. Diſputandum igitur eſt, quomodo inſtitutum illud, aut viuendi genus monachorum, quod per ſe malum non eſt, repurgari poſſit. Diſplicet tibi hypocriſis & ſimulatio pietatis: circũſpiciendũ, quomodo in eorũ locum vera pietas reſtituatur. Iactant, inquis, paupertatem in ſumma copia rerum: at hoc ſimpliciter malum nõ eſt, ſi hoc videlicet eo fiat animo, quo Dauid opulentiſſimus dicebat ſe peregrinũ, egenum, & pauperẽ, &c. Hic enim mihi verè pauper eſt, non qui vel pauca, vel plura poſſidet, ſed qui nec diuitias amat, nec ab egeſtate abhorret. Poſtulas, vt tibi talem Monachũ oſtendam? Ipſe faſſus es vltrò, adhuc in monaſterijs eſſe viros bonos: Et nemo peiora de alijs ſuſpicatur, ſicut verè Nazian. ſcribit, niſi qui ipſe bonus non eſt. Habent aliqua Monaſteria multas diuitias, verum eſt: ſed horum aliquot in egenos fuerunt ſatis benigna: quod ſi vel retinuerunt exponenda, vel expoſuerunt retinenda, quæratur medium, vt bona illa poſthac diſpenſentur in Eccleſię commodum. Serua ac retine tuos Duces, Principes, Comites, Nobiles, (qui alias inuiti, nobis inuitis obtruduntur) in aulis tuis: & fac monaſteria ſtudioſis pateant, & bonum gradum ad faſtigium pietatis poſueris. Nã quod alibi theſauros illos Eccleſiæ dilapidant, & neſcio quos in vſus conuertunt, Euãgelium non eſt. Qui minus mali ſunt, ex monaſterijs hoſpitalia faciunt, qualia qualia, quum tamen ipſi ſua & veterum hoſpitalia neglexerunt perpetuò. Sed hęc alias commodius deploranda venient. Iam venio ad hoc, quod Apologia profeſſores obedientiæ arguit inobedientiæ. Non poſſumus negare, quòd monaſteria multos habeant ceſſatores, reſponſatores, & contumaciſſimos ſanctæ obedientiæ contemptores: at horum numerum auxit dogma à veſtris mundo huic inauſpicatiſſimè illatum. Verùm de hac obedientia, quam Monachi Monachis debent, non loquuntur, ſcio: ſed quòd gladio Magiſtratus videntur Monachi nullam exhibere obedientiam. Quod ſi hoc volunt, volunt autem haud dubiè, hanc noſtri defenſionem benignis auribus ſuſcipiant, quæſumus. Si Imperatoria Maieſtas gladium à Deo accepit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Rom. 13. Monachi verò ex liberaliſſima Imperatorum benignitate libertate donati ſunt: qua ratione Aduerſarij ſub iugum volunt mittere eos, quos Dei ordinatio liberos fecit. Ab eo enim liberi facti ſumus, quem Dei ordinatio Imperatorem eſſe voluit. Quæ Bucerus alibi contra hęc effutit, apud cordatiores locum non habent: niſi

for-

forte hic iudicare vellt Bucerus, vt priuilegia Ciuitatibus donata, rata ſint perpetuò ac firma: quæ autem Clero data ſunt, nihil niſi meræ bullæ ſunt. Quæſtio hæc non Monachos carpit, qui donata fruuntur libertate, ſed illū, cuius pia indulgētia liberi ſacti ſunt. Tertium, quod caſtitatē attinet, in ſuperioribus expēſum eſt. Quod de Scholis toties occinunt, nobiſcum faciūt. Optamus antiquatas in monaſterijs Scholas reſtaurari: Scholas autem pietatis, non hæreticæ prauitatis, vbi vera pietas diſcatur, nō vbi docetur quomodo illa funditus deleatur. De cantu, veſtitu, & alijs cæremonijs nihil hactenus diximus. Ex Philone Euſebius multa præclara de veteri monachiſmo congerit: Eccleſiaſt. hiſtor. lib. ſecundi capite decimo ſeptimo. Habitus porrò Monachorum meminit D. Auguſtinus in lib. de opere Monacho. 28. & 31. ibidē inuehitur in eos, qui comam nutriunt. Et cap. 30. docet Monaſteria ſaniori fuiſſe doctrina fundata. Meminit idem Auguſtinus veſtitus Monialium contra Fauſtum lib. ſexti capite nono, & quod totum inſtitutū Monachorum & Monacharum attinet, locus dignus eſt apud eundem lib. primi contra Manichæos de moribus Eccleſiæ, capit. triceſimoprimo, & ſequentibus: eſt enim ibidem videre, quid Monachos deceat, & quid minus. Poteris ſuper hac re legere, ſi lubet, & D. Hieronymum ad Sabinianum. Quid, quod ipſe idem Auguſt. ſuo tempore à quibuſdam maleſanis hominibus traductus eſt Monachiſmi nomine: quod quia confictum videri poſſit, non grauabor ipſius verba adſcribere. Locus eſt contra literas Petiliani lib. 3. ca. 40. Petilianus pergit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc vitæ genus fuerit à me inſtitutum. Hactenus Auguſtinus, quem volumus huius fabulæ, vt ita dicam, cataſtropham abſoluere. Nihil enim hic à nobis dici poteſt, quod non ab alijs Catholicis dictū fuerit, & copioſius & doctius. Eccleſiæ potius, quàm Monachorum patronum egimus, errata agnoſcimus, nullius impietati patrocinamur, morbum non occultamus, & tandem Catholicum antidotū exſpectamus. Et hæc tandem habemus dicere de votis Monaſticis, totoque Monachorum inſtituto.

Alfonſi Viruesii Philippica XX. De votis Monachorum, & profeſſione monaſtica.

ABſoluta cauſa cælibatus illorū, qui ſacris ordinibus initiati, eccleſiæ tantùm legibus continētur, reliquum eſt, vt quod in præcedētis diſputationis pollicitiſum⁹ exordio, de ijs diſſeram⁹, qui nō eccleſiaſticis tantùm decretis, aut ſacramenti neceſſaria cōſequutione, ſed voto, nulla lege, nulla loci, gradus, aut ordinis neceſſitate, ſed ſua tantummodo ſponte ſuſcepto tenentur ad continendū, ſuper quorū inſtituto prolixius olim cōferentes ſcripſim⁹ ad Eraſmū, virum quidē doctū ſimul & pium, ſed in quo frequēter modum deſideres: quē ego honoris potius, quàm cōtumeliæ cauſa nominatum volo. *Ad Eraſmū ſcripſit, & monuit eum.* Etenim ea dicam, quæ ille nonnūquam ioco, interdum & ſerio agnoſcit. Hic cùm tam apertè bellum mihi ſuſcepiſſe videretur aduerſus monachos, vt profeſſionem interdum ipſam, nedum mores, ſubinde traduceret, decreui admonitione conſulere, & ſus (quod aiunt) Mineruam docere, non quę illum crederem ignorare, ſed quæ vel præcipiti ſcribendi libidine, vel immodico Chriſtianæ pietatis zelo minus attente cōſideraſſe videbatur. Quamobrem quando veritas, cui ſoli nauamus operam, orationis aut verborum varietate nō indiget, ſatis ad huius loci explicationē erit, quicquid ibi diximus, vel præcipua quædam tranſtuliſſe. Productis quibuſdam verbis Eraſmi ex epiſtola ad Paulum Volzium abbatem & confutatis, adijcio. Hactenus de externis obſeruationibus & delectu: Nunc de votis, quæ nos interius attingunt, attentius aliquanto conferamus, in quorum contemptum ne repentè, aut ſine cauſa incidiſſe videreris, de Monachatus origine præloquutus, mille cum annorum vetuſtate concludis, atque in Benedictum atque Bernardum tibi primos monachos refers. At non ita viſum eſt Baſilio, non Hieronymo, non Auguſtino, non demùm religioſiſſimo viro Ioanni Caſſiano, *Monachatus origo.* qui quò propinquiores Apoſtolorum temporibus fuere, eò te melius veriſimile eſt monachatus originem perſpexiſſe. Hi omnes monachorum inſtitutum ab Apoſtolorum temporibus & inſtitutis repetunt, quos nihil niſi pium credibile eſt homines docuiſſe, vtpotè, qui nihil præcipiebant, quod prius à Chriſto non didiciſſent. Sed tu, cuius ſtudium videtur monachorum profeſſionem deijcere, non admodum, inquis, deſiderabimus tria illa vota ab hominibus reperta. De votorum nomine, vtrum votáne, an pollicitationes promiſſiones, aut pacta appellanda ſint, ſuperfluum eſſet nunc, & puerile contendere. *Vota non ſunt hominum inuenta.* De re autem ipſa, hoc eſt, de animæ, ſeſe hoſtiam viuam Deo offerentis, conſecratione atque dedicatione, quæ fit primò quidem in baptiſmo, vitæ æternæ cunctis hominibus ianua, poſteà verò non vno modo, & fieri poteſt & refici, quorum omnium arctiſſimus eſt profeſſio cuiuſdam Euangelicæ perfectionis, cuius verbum non omnes capiunt, etiam

iam

iam illi, qui eius inſtituto ſe verbis & extimo cultu tradiderũt, quã monachi trib⁹ illis votis exprimim⁹. De hac, Inquã, audeo dicere, quòd nõ hominis cuiuſuis adinuẽtio ſit, ſed Dei & hominis Chriſti Ieſu, totius virtutis ac pietatis magiſtri traditio, qui multa ſolos docuit Apoſtolos, quæ turbæ aures per animi craſſitudinem, & curarum ſecularium ſtrepitũ ferre non poterant. Hæc vt manifeſtiora fieri poſſint, vota ſingula ſeorſum conferamus.

Votum cælibatus.

Primum omnium cælibatus votum proferatur, quod plerumque ſine alijs ſuſcipi ſolet, iuxta conſilium Apoſtoli dicentis: Bonũ eſt homini mulierem non tangere, propter fornicatiouem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Et rurſum: Igitur qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit, & qui non iungit, melius facit. Et rurſus de vidua: Cui autem vult, inquit, nubat, tantum in Domino. Beatior autẽ erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium: puto autem, quòd ego ſpiritum Dei habeam. Hoc itaque votum non tantum ab Apoſtolo, verùm & ab ipſius Chriſti doctrina originem ducit. Scribit enim Matthæ⁹ *Matth. 19.* differenti Chriſtn de matrimonij fœdere, quòd nulla poſſit ratione diſſolui, reſpondiſſe diſcipulos: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quibus Chriſtus ait: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de vtero matris nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat. Ex his Chriſti verbis facilè (vt reor) erit vnicuique colligere, cuius inſtituto cælibatum amplectamur. Chriſtus enim ipſe hanc egregiam virtutem commendans, ad eius nos contentionem inuitat, dicẽs: Qui poteſt capere, capiat. Iure autem præceptioni addidit temperamentũ, quoniam, vt prius dixerat, non omnes capiunt verbum hoc, id eſt, non omnes aſſequuntur hoc ordine perfectionis faſtigium. Dixerit autem quiſpiam:

Obiectio. Ego cælibatum à Chriſto commendatum haud nego, verùm quod huic tam raræ difficiliq; virtuti ſe quiſquam adſtringet voto, non Dei, ſed hominum eſſe traditionem cõfirmo. Hoc opus, hic labor eſt, adſtruendi

Solutio. non cælibatum, ſed neceſſitatem perpetuò continendi, quæ proficiſcitur ex voto, quam ratiocinatione prius, mox ipſius Chriſti verbis demonſtremus. Principiò vouere res honeſtas, ſtudioſas, pias, honeſtum ipſum etiam eſſe, ac Deo gratum per ſacras literas manifeſtius, quàm vt dubitare poſſimus, apparet. Si voto inquit Deus ipſe) vel ſpontè quiſpiam obtolerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die. Qui locus duobus modis pietatem præſtari ſigoificat, ſpootè, ſcilicet cum quis nulla ſe adſtrinxit neceſſitate, & voti nuncupatione, quæ ſcilicet ſpontè ſuſcipiatur, neceſſariò tamẽ, quod ſemel promiſſum eſt, exhibetur. Vtrunque modum Deus probat, vtrunque commendat, quod idipſum eiuſdem verbis, aut ſimilibus horum, quæ modò citaulmus, Moyſes non ſemel declarat. Hinc eſt illud: Lætatus eſt populus, cùm vota ſpontè promitterent, hoc eſt, quod diximus, vota ſpõtè offerri, neceſſitate præſtari. Ne temerè quid *Eccleſ.* loquaris, inquit Salomon, neque cor tuum ſit velox ad profercndum ſermonem coram Deo. Et parum infrà: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim iſti infidelis & ſtulta promiſſio ſed quodcũque voueris, redde multoq́ue melius eſt, nõ vouere, quã poſt votum promiſſa non reddere. Apparet igitur his locis, & id genus alijs, quæ in eandem ſententiam poſſent afferri, vota, quæ de rebus pijs concipiuntur & nuncupantur, & bona eſſe, & placere Deo, cui bona cũcta placent. Cælibatum verò rem eſſe nõ modò bonam, verùm & optimam, palam faciunt Chriſti verba illa, quæ produxeramus. Ex quibus efficitur, cælibatus votum ipſo Deo authore ſuſcipi, cui gratum eſſe tum locis ſcripturarum, tum ratiocinatione monſtrauimus. Quid? quod Chriſtus ipſe (vt quod de verbis eius pollicitus ſum, non prætermittã) haud quemcunque cælibatum, ſed perpetuum & cõſtantem, quemq́ue nullo modo deſeruiſſe liceat, ſpadonum illa diſtinctione cõmendat. Ipſa enim vox, per triplex ſpadonũ genus diſtributa, de illis Chriſtum diſſeruiſſe ſignificat, qui nullo modo, aut iure vſquequaque generare poſſint. Hi ſunt enim, quos eunuchos & ſpadones appellamus, quorum duo genera Chriſtus expoſuit, quibusq́ue tertium addidit, eorũ videlicet, quibus nec vis, nec naturæ vitium, ſed pietas gigneodi poteſtatem ſubtraxit, vt quemadmodum vtrique illi non poſſunt naturaliter gignere: ita & hi, qui ſibi pietatis cauſa gignendi ius ademerunt, non poſſint niſi impiè generare quod idipſum nequit, niſi his, qui voti ſuſceptione continent, accidere. Alioqui cælebs, etiam ſi ſit virgo, quotieſcunque voluerit, piè tum nubit, tum ducit, ſi cœlibatum Deo non promiſit. Quandoquidem non eſt eius cælibatus illa caſtratio, quam Chriſtus commendat & ſuadet, diceos: Qui poteſt capere, *Matth. 19.* capiat. Quibus ergo verbis Paulina quædam adiungo. Et qui non poteſt capere, non contemnat: alioqui Chriſtum ipſum non modò cœlibem, ſed & virginem ſpernit, quem virgines ſoli ſequuntur, quocunque ierit, quiq́ue vſque adeò cælibes honeſtare decreuit, *Maria ſuſceperat votum cælibatus.* vt matrem non elegerit, niſi eam, quæ cælibatus votum perpetuò ſuſceperat. Alias qui poſ-

poſſet virginis illa reſpóſio cum Euangelica legatione congruere: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Potuit nimirum illi ab angelo reſponderi: Etſi hactenus non cognoueris, quid miraculi habet conceptionis & pariendi promiſſio facta virgini, quæ & adoleſcentula eſt, & deſponſata viro, ſed hanc reſponſionem excludebat virginis anim⁹, cui certum erat, & pollicitatione, aut ſi mauis, inuiolabili propoſito (puerile eſt enim de nominibus contendere) fixum, perpetuò cælibem fore. Hoc eſt, quod nos votum cælibatus appellamus, cuius authorem habemus Chriſtum: exemplo verò eius matrem, hoc inter cætera nomine ſuper omnes fœminas benedictam, quòd prima omnium hoc ſe voto Deo totam dicauit & adſtrinxit, idque nó authoribus Benedicto, Bernardo, aut antiquiore Baſilio, ſed Chriſto ipſo cæleſtis diſciplinæ magiſtro, qui vernantis lilij candorem, quem cunctis erat fidelibus commendaturus, in virgine matre ſumptis primitijs conſecrauit. Hæc prolixius, quàm op⁹ erat. Nûc aliud de tribus votis conſeramus. (Lu. 5.)

(Votum paupertatis volũtariæ.) Hæc eſt volũtaria paupertas, cui promiſſum eſt regnum cęlorum, diuitibus ingreſſu difficile, ne dicã impoſſibile. Nota ſunt Chriſti verba apud Matth. quibus hæc omnia cõtinentur, quibuſq; pronunciat rerum omnium abdicationem, non quamcunq;, ſed quæ voto concipitur, ad Euangelicam perfectionem multum conſerre: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. (Matth. 19.) Quo in loco eadem, qua ſuperius, ratiocinatione colligere poſſumus perpetuæ paupertatis promiſſionem, & piam eſſe, & Deo gratam. Sed maiora molimur oſtendere, videlicet non de quacũque paupertate Chriſtum eſſe loquutum, ſed de ea, quæ voti nuncupatione confirmatur, eamq; eſſe, quæ nobis gradum facit ad perfectionem. Hoc vendentionis verbum ſignificat, quod ſpem adimit, quas ſemel abiecerimus facultates, rurſus recuperandi.

Cur enim vendere ſuadet, ſi non perpetuò deſerẽdas docebat? Potuit profectò dixiſſe: Vade & omnium quæ habes, ſepolita cura, eorum diſpenſationem alteri trade, aut penes aliquem bonorum tuorũ facultates depone, vt me expeditior ſequi poſſis, ſed hoc non eſſet illius ſummæ virtutis, quæ perfectionis aditum cõtinet, diſciplinam nobis tradidiſſe: quæ vt cælibatui Spadonis nomine nuptiarum ius adimit in perpetuum, ita venditionis verbo omnem diuitias habendi ſpem & affectum Euangelicam perfectionẽ capeſſentibus ſubtrahit. Hoc igitur Chriſtus hic agit Venditione, quod ſuperius Caſtrationis verbo ſignificauerat. Vtrobique perpetuam & irreuocabilem perfectionis aggreſſionem ſuadet, quam nos voti nuncupationem appellamus, voce ſi non Euangelicis literis aut apoſtolicis expreſsè tradita, certè re, quocunque eam velis appellare nomine, non ab alio, quam à Chriſto accepta, quanquam & nomen ipſum ſæpè aliàs eſt ſacris literis vſurpatum, quoties aliquid firmum, conſtans & irreuocabile Deo offerri declarant, cuiuſmodi cælibatum, aut paupertatẽ, quæ Chriſtus nobis commẽdauit & docuit, eſſe debere probauimus. Sed hic fortaſsè quiſpiam obijciat, haud eſſe credibile Chriſtianos omnes, apoſtolorum tẽporibus, monachos fuiſſe, aut paupertatis votum ſuſcepiſſe, cum tamen legantur omnes iuxta hũc, quem modò produximus, Euangelij locum vendiſſe omnia, quæ habebant, & in pauperũ vſum erogaſſe, fuiſſeq; omnia tam diuitibus, quàm pauperibus communia, diſtributa ſingulis, prout erat opus vnicuique, quod ipſum ſi monachorum eſt inſtitutum, neceſſe eſt nos fateri, omnes illius temporis Chriſtianos monachos fuiſſe, quod nec veriſimile eſt, & Eccleſiæ ratio, quæ multiplici conſtat diuerſorum ordinum profeſſione, nequaquam id nos credere ſinit. (Obiectio.) Huic ego argumẽtationi reſpondeo: non eſſe meum diſquirere, à quibus, quàm multis, quare, quot modis temporalia bona contemni, & in pauperum vſus erogari poſſint. (Reſponſio.) Nam multa fiunt à Monachis, quæ à quibuſuis Chriſtianis fieri poſſe, & interdum fieri ſine Monachatus aſſcriptione non ignoramus: quorum pietas peculiaris & temporanea nihil detrahit publicæ pietatis profeſſioni, qualis eſt Monachorum inſtitutio. Sed & negari mihi poſſe videor, vt aliter obiectioni reſpondeam, quod primò ad colligendum proponitur, omnes ſcilicet Chriſtianos Apoſtolorum temporibus bona ſua abieciſſe, vendidiſſe, tradidiſſe pauperibus, fecerunt hoc multi in Hieroſolymitana Eccleſia, ſed nó omnes. Quotquot autem fecerunt, quid erit, ſi fateamur Monachos fuiſſe, aut ſi nomine offẽdaris, id fuiſſe, quod Monachi eſſe conantur, profitentur, tametſi multi non aſſequantur? Exſtant Apoſtolorũ ſcita illa omnium prima atque celeberrima, quibus cauetur, vt conuerſi de gentibus abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione. Sanguinem & ſuffocata quorum abſtinẽtia data eſt ad tempus Iudæorum neophitis, quibus conuluendum erat cæteris Chriſtianis, omittamus. De fornicatione te rogo, án ne credas bona ſua in fidei ſuſceptione deſeruiſſe, qui ſe nec à fœminis quidem nó ſuis continebant? Credo igitur omnes illos, aut illorum plures, de quibus ſcriptum eſt: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: neque quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant (Actor. 4.)

illis omnia communia, Monachos fuiſſe, ſi nominis humilitatem non contemnas. Quãdoquidem & illa facultatum abdicatio, non ſine publica fiebat cõteſtatione quadam, quę profeſſionis & voti ſpeciem videretur habere. Alioqui haud intelligo, in quo Ananias fuerit ſpirituiſancto mentitus, de quo ſcriptum ſit: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te ſpirituiſancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua poteſtate erat? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Manebat ager Ananiæ Chriſtiano ante venditionem agri, manebat & agri precium illi poſt venditionem, nec mortuus fuiſſet, ſi agrum non vendidiſſet, nec ſi venditi ſe precio non abdicaſſet.

Quid ergo abrenuntiando facere voluit, ſi iam Chriſtianus erat? Profectò Monachus fieri decreuerat, aut ſi nomine offendaris, euangelicam ſe velle paupertatem amplecti, conceptis verbis profeſſus eſt, quibus ſpirituiſancto mentitus conuincitur, eò quòd nõ verè & ſimpliciter, quod cæteri eiuſdem profeſſionis conſortes præſtarent, feciſſet perpetuam videlicet, integram, perfectam paupertatem, cuius votum conceperat, amplecti, & cuiuſcunque rei vel minimæ tanquam propriæ poſſidendæ ſibi ius & ſpem prorſus adimere. Erant igitur omnes illi, quorum meminit Lucas, quoſq́ue deſcribit in communi viuentes, euangelicæ paupertatis profeſſores ſub Apoſtolorum & reliquorum Chriſti diſcipulorum paſtorali ducatu viuentes. Poſtea verò, quàm Apoſtoli, & proceres diſcipulorum ob euangelij negotium latius peragendum per totum diſperſi ſunt orbem, ij, qui ſub Apoſtolorum magiſterio non modò fidem Chriſti, verùm & euangelicam perfectionem profeſſi fuerant, quibuſq́ue Apoſtolicus adhuc inerat pietatis ardor, ne cæterorum Chriſtianorum remiſſius viuentium contagio & ipſi tepeſcerent, diſcedentes à ciuitatibus ſuis, in locis ſuburbanis ac ſecrétioribus commanere cœperunt, ac ſub euangelica regula, & aliquibus fortè inſtitutis hauſtis (vt veriſimile eſt) ab ipſa Apoſtolorum doctrina, verbo duntaxat tunc temporis tradita, agminatim viuere, qui propterea quòd ſegregati à cæteris fidelium turbis naturales ſocietates, viri ſcilicet & vxoris, parentis & filij, Domini & ſerui, ſola euangelica cohabitatione contenti, reſpuebant, caſtrantes ſemetipſos propter regnum cælorum, & propter æternæ hæreditatis theſauros inenarrabiles in terra theſaurizare nolentes, Monachi appellari à cæteris Chriſtianis cœperunt. Horum itaque ſtudium Monachatus ille eſt, quem tu pietatem eſſe negas. Nam Monachorum hierarchæ, Benedictus, Bernardus, & reliqui omnes, non tam monachatus exorientis inſtitutores, atque delabentis (vt hominũ ſtudia, quantumlibet pia, tandem frigeſcunt) reſtitutores fuerunt: quemadmodum & de Antonio antiquiore etiam monacho Hieronymus prodit, quòd non tam ipſe ante omnes monachos fuit, quàm ab eo omnia incitata ſunt ſtudia. Quorum omnium? Non certè Benedictinẽſium aut Franciſcanorum, qui nondum erant, ſed eorum, qui de Apoſtolorum reliquijs adhuc perdurabant, quorum temporibus proximus fuit Antonius.

Act 2. & 4.

Monachatus exordium.

Et hi quidem primò cæteris Chriſtianis minus communicabant, non dedignationis contemptu, ſed propriæ vtilitatis intuitu, cui ſoli proſpicere licebat & conſulere tunc, cùm publica vtilitas eorum operam haud deſiderabat. Nam epiſcopi & ſacerdotes adeò ſalutis animarum cupidi erant & ſtudioſi, vt qui epiſcopatum expeteret, bono cuidam laborioſo & operoſo, vt Paulus ait, ſe manciparet, & præsbyteri epiſcoporum vices piè & fideliter exſequebantur: neque de decimis, aut prædiorum iure erat eis contentio, ſed de Euangelici muneris functione, in qua non ſolùm pietate, verùm & æmulatione quadam, vt ſignificat Paulus, Chriſtus annunciabatur, quòd illi honoratiores haberentur, non quiditiores eſſent, aut ſatellitibus ſtipatiores & exoletis, ſed qui in Euangelio pręd icando & ardentiores & frequentiores. Quamobrem nulla monachos tunc temporis cogebat neceſſitas, vt cellularum receſſus egrederentur, tam paucis credentibus, vt potius vulgi multitudine infici poſſent & opprimi quàm pauculis illis fidelibus, de quibus ſumma erat cura Epiſcopis & presbyteris, ſubuenire. Porrò cum ſucceſſu temporum credentium augeretur multitudo, & Principum ſæuitia in Chriſtianos indies remitteretur, ita vt eccleſiarum Epiſcopi & cæteri miniſtri fidelium oblationibus ditari iam inciperent, cœpit abũdare iniquitas, charitas frigeſcere, rerum temporalium ſollicitudo, Epiſcoporũ mentes ab Euãgelico munere ſeducere, monachorum & quorumcunque piorum hominum ac ſapientium opera in Eccleſia deſiderari: cuius occaſionis prætextu monachi familiarius, & (vt ita dixerim) manſuetius reliquis Chriſtianis cõmunicabant, quibus ſalubria conſilia, & æternæ vitæ impertiebantur pręcepta. Huius rei cauſa cœperunt in precio & veneratione maxima in populis haberi, ita vt ſicut ex Dionyſij, Hieronymi, & Auguſt. literis colligitur, magna eſſet epiſcopis & cæteris Eccleſiæ proceribus cura de monachorum iudicio in ſeparandis hæreticis à com-

Vide Chryſoſt. [illegible] de monachis.

Monachorũ iudicium & authoritas. cõmunione fideliũ, qui tũc abundãtius pullulabãt. Epiſcopi etiam maximè verebantur monachorũ offenſionẽ ob ſapientiã & ſanctitatẽ, quam in eis populus venerabatur & ſuſpiciebat. Hac autẽ omnium ordinum obſeruantia, monachorũ nonnulli (vt eſt hominũ ingenium inconſtans) abuſi, plus iuſto cœperũt inſoleſcere, & authoritatis arrogare ſibi: alij extra cœnobia diutius euagari, quàm neceſſitas exigebat, & monaſtica ferebat diſciplina. *Monachorũ quorundam inſolentia.* Vnde coacti ſunt epiſcopi ſynodicis actis ad quaſdã eos regulas modeſtiæ & honeſtioris vitę inſtituta reuocare. & monaſteriorum præpoſitis, vt eos in priſtina viuẽdi norma & quiete continerent, præcipere. Cuius rei gratia obedientię votum fiebat, vt omnis creatura, iuxta doctrinam Apoſtoli, poteſtatibus ſublimioribus ſubderetur. *Votum obedientiæ quare introductum.* Monachorum igitur inſolentia in cauſa fuit, vt obedientiam conceptis verbis profiterentur, non quòd eius votum tunc temporis primò cœperit, ſed quod antehac non tanta preſtabatur circumſpectione. Non erant præſcripta verba vouentibus, nec eius cuſtodia tãta cẽſura exigebatur à præpoſitis. Alioqui monachi, cœnobitæ, præſertim qui ſub hoc nomine communius intelligi ſolent, nunquam ſine obedientię arctiſſimo vinculo fuerũt, nec eſſe quidem potuerunt, cùm hoc Euangelicę militiæ ſymbolum, ſicut & alia duo, de quibus hactenus diſſeruimus, Chriſtus ipſe nobis tradiderit, quod ipſum nobis conferendum ſupereſt. Diſtulimus verò hactenus de obedientia cõferre, quoniam aptius vltimo loco tractatur, quæ finis eſt, & velut ſcopus totius monaſticę profeſſionis. *Votum obedientiæ.* Videntur hoc Prophetæ verba ſignificare, quibus dicitur: Nũquid vult Deus holocauſta & victimas, & nõ potius, vt obediatur voci Dñi? Melior eſt enim obedientia, quam victimæ: & auſcultare, magis quam offerre adipẽ arietũ. Quoniã quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.

Apoſtolus quoque Paulus obedientiæ faſtigium nobis in Chriſto commẽdans, incomprehẽſibili quodam myſterio eam didiciſſe prędicat, dicens: Equidẽ cùm eſſet filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Porrò poſtremam eſſe obedietiam in monaſtica profeſſione, & cæterorum omnium, quæ profitemur, quaſi finem & ſcopum ideo dicimus, quia ad eius abſolutiorem profectionem, reliqua duo vota pręcedere oportet & inſeruire. Nam qui poteſt homo alterius ſe totum voluntati & imperio mancipare, niſi prius ab omnium ſe rerum ſeruitute prorſus abſoluerit? *Matth. 6.* Nemo inquit Chriſtus, duobus dominis ſeruire poteſt. Idcirco eum, qui perfectę obedientię holocauſtum offerre decreuerit, à coniugij primum vinculis liberum eſſe oportet. Mulier ſiquidem (vt Apoſtolus ait) non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter nec vir poteſtatem corporis ſui habet, ſed mulier. Neceſſe etiam illi eſt, vt à diuitiarum ſe & quarumcunque temporalium facultatum tyrannide vindicet, quando non modò, qui vxorem duxerat, ſed qui villam, quique iuga boum emerat, cæleſti cõuiuio, rei familiaris curam cauſati non interfuerũt. A quo autẽ ſuperatur quis, eius ſeruus conſtituitur. Aſſerendus igitur primò eſt animus in libertatem duobus votis, paupertatis videlicet & cælibatus, vt ingenuæ Chriſti ſeruituti per obedictiam nos totos perfectè dedamus. Significauit hoc Chriſtus, qui cęlibatu expoſito & paupertate commẽdata addit adoleſcenti, quem ad paupertatem hortabatur, Et ſequere me. Sequimur illum, cuius greſſus & obſeruamus & imitamur. Chriſtus autem obedientiæ præſertim inſtitit via, ita vt Paulus ad hoc factum hominem (quod ſuperius citauimus) prædicet, vt obedientia ex ijs, quæ paſſus eſt, dicens, fieret obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis. Et quamquã eſt quædam obedientia, quæ vulgo credentium ſatis ſit ad hoc, vt illis proſit Chriſtus, non ad hanc tamen adoleſcetem adhortabatur, quæ rerum abdicatione non indiget, ſed ad aliam arctiorem, quam ab altero exigit adoleſcente, cui nec humanæ pietatis in parentes occaſione ab obedientiæ iugo ſemel ſuſcepto recedere permittit. Sine, inquit, mortuos ſepelire mortuos ſuos. Qua cenſura & quaſi iure *Luc. 9.* paſtorali noluit vti erga ſcribã, qui ſe etiam ſecuturum offerebat: nõ quod pia quorumcunque hominum vota deſpiciat, ſed quia ſciebat ſcribam onuſtum diuitijs, pręſtare non poſſe, quod verbo tantum pollicebatur. Quod ipſum vtinam Monaſteriorum præpoſiti animaduerterent & imitarentur, ne ſine maximo ætatis, morum, & ingeniorum delectu quemque admitterent ad temerè aggrediendum, quod tam infeliciter à multis poſtea magno religionis dedecore, maiori autem animarum periculo, deſeritur. Reſpondit itaque Chriſtus ſcribæ ſequuturum ſe pollicenti: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.

Quorum verborum ſententia eſt: Non potes nudum ſequi, diuitiarum & rei familiaris cura circumplexus. Huncigitur reſpuit tanquam euangelicæ perfectioni, ob amorem diuitiarum, ineptum: illum verò tanta ſeueritate retinet, vt nec ad parentes ſepeliendos abſcedere ſinat. Iam quemadmodum per obedientiam nobis ſequendus ſit Chriſtus, alio loco manifeſtius ipſe declarat.

Matth. 10. Si quis vult, inquit, poſt me venire, abneget
ſemetipſum, & tollat crucé ſuam, & ſequa-
tur me. Quid eſt ſeipſum abnegare, niſi nulla
in re iuris ſui eſſe velle, à ſeipſo quodammo-
do deſciſcere, & alterius voluntatem in cú-
ctis ſequi? Ita Chriſtus abnegauit ſe, dum
(quod ait Paulus) ſemetipſum exinaniuit, fa-
ctus obediens vſque ad mortem. Hác exina-
nitioné ſeu humiliationem & obedientiam
Chriſtus in ſe nobis imitandam vel teſte ip-
ſo, ne remotiores quæramus, propoſuit &
hortatus eſt apud Matthæum, quem locú ita
paraphraſticè interpretaris: Diſcite à me,
quod mitis ſum, & corde minimè elato, &c.
Totus ex patris nutu pédeo: ille pœnas exi-
get ab improbis: ille præmia reponet bene-
factis: illi cedo totam gloriam: illi commit-
to totam ſollicitudinem: ego ſimpliciter il-
lius voluntati per omnia moré gerens, quod
in me eſt, ſtudeo benè mereri de omnibus,
nocere nemini? En tuis ipſius verbis obe-
dientiæ ſpecies & exemplar in Chriſto pro-
poſitum, totius vitæ rationem ab alterius nu-
tu & volútate pendentem cótinet quam ſola
præceptorú Dei obſeruatione minimè præ-
ſtamus. Ná quemadmodú de cælibatu dixi-
mus & paupertate, eſſe quandam communé,
ad quam omnes homines tenétur, & aſſequi
poſſunt, iuſtitiam, qua à noxijs voluptatibus
continent, permiſſis cum modeſtia & gratia-
rum actione vtuntur: qua etiam ab alieni ſe
continent facultatibus, & de ſuis pauperum
inopiæ ſubueniunt: reliqua verò in timore
Domini poſſident, & ſine cuiuſquam augent
nocumento: ita eſt etiam quædam obedien-
tia communis, qua propriæ voluntatis tu-
mor legi Dei comprimendus præceptorum
obſeruatione ſubijcitur: in cæteris autem,
quę permulta ſunt, ſuæ libertatis vtuntur iu-
re, & propriæ voluntati laxát habenas. Hæc,
inquam, communis eſt via, extra quam ne-
mo peruenit ad vitam, & cui cætera omnia
compendia deſeruire debent. In ea tamen quò
frequétior eſt, eò plures, vt ait Propheta, ab-
ſconderunt ſuperbi laqueos nobis. Nam
1. Cor. 7. qui onuſti familia, coniuge, liberis, & rei fa-
miliaris cura, illá ingrediuntur, tribulatio-
nem inquit Paulus, carnis habebút: quando-
quidem ſemen illud verbi Dei, quod cecidit
inter ſpinas, ab huius múdi ſollicitudinibus
ſuffocari ſolet: & qui vxoré duxerat inuitat9
ad nuptias, non vt cæteri rogat excuſatus ha-
beri, ſed intrepidè falsò pronunciat, ſe non
poſſe venire. Quáobrem propoſita eſt à Chri
ſto altera ſublimior, & Euágelicæ perfectio-
ni propinquior via, ad cuius ingreſſum ne-
mo cogitur, rametſi ſemel ingreſſis non eſt
liberú retrocedere. Nemo enim mittens ma-
Luc. 9. num ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt
regno Dei. Secundum hanc, qui ſe caſtraue-
runt propter regnum cælorum, nullius cu-
pidinis voluptatem ſibi licere volunt, qui ſe-
mel omnia reliquerút, vt ait Petrus, vt Chri-
ſtum ſequerentur, nullius terrenæ hæredita
tis dominatú ſibi cótingere cupiunt: & qui ſe
totos Dei tradiderút obſequio, vti pia Chri-
ſti mancipia, Euangelicam ſeruitutem ciuili
præferentes libertati, nulla ſui iuris eſſe pa-
tiuntur, quoniam non ſolú à cupiditatib9, ve-
rú & à volútatibus noſtris vt auertamus nos,
Sapiens hortatur: Hác, ſi neſcis, monachi in-
gredimur viam, imò hic eſt ille monachatus,
quem tu pietatem eſſe negas, & ad vitæ ciui-
lis genera, fabros ſcilicet, milites ac iuriſcon-
ſultos, ac cęteros humanę ſocietatis commu-
nes ordines reijcis. Nos verò illam abſolutæ
pietatis culmen cótinere defendimus, cuius
inſtitutionem, doctrinam, & hortamenta ſa-
luberrima, non à quouis homine, ſed ab ipſo
accepimus Chriſto, qui voluntarios probat
ſpadones, quiq; rerú omnium abdicationem
pietatis conſummationem ſuadet, poſtremò
qui ad ſui ipſius abnegationem, quò facilius
ipſum ſequi valeat, hominé hortatur, quòd
ipſum obedientia, non quæcunque, ſed ea,
quam modò deſcripſimus, aut ſola, aut ma-
ximè præſtat. Atqui vera ſunto, inquies, hæc
omnia, quorum tantoperè fidé nobis facere
conaris. Eſto Euangelicæ perfectionis virtus
obedientia, nó quæcunq;, ſed quæ omnium
etiam cogitationú, nedum operum & verbo-
rum ius adimat homini: eam Chriſtus citatis
locis & pluribus alijs docuerit, ſed quid hoc
ad monachorum placita, quæ hominibus o-
bedire præcipiunt, & de re tam ancipiti ani-
mam dari obſidem cogunt? Obedientiam
Chriſtus docuit, præſtitit, ſuaſit, ſed illá, qua
mens Deo ſubijcitur, eiq; per cuncta obedi-
re conatur, iuxta illud Apoſtoli: Patres qui-
dem carnis noſtræ eruditores habuimus, &
reuerebamur eos, num multò magis obtem-
perabimus patri ſpirituú, & viuemus? Hanc
Chriſtus docuit, & hui9 ſe nobis exemplum
propoſuit, quòd loc9 ille nobis paraphraſti-
cè enarratus à te dudum productus oſtédit.
cui conſonat illud: Deſcendi de cælo, non vt Ioan. 6.
faciam voluntatem meam: ſed eius, qui miſit
me, & multa in hunc modú. Ito igitur, inqui-
es, & ei obedire totis animi viribus contéde,
cui Chriſtus, cui Apoſtoli, cui Martyres, cui
omnes Eccleſiæ proceres obedierunt, nem-
pe Deo, cuius non modò præceptis, verú ſim
plici monitioni, quò minus obedias, nemo
tibi impedimento erit, nemo obſtrepet, ne-
mo taxabit. Si hæc dixeris, quinimò quum te
dicturum minime dubitem, bene ſe res ha-
bet, quòd obedientiam probas, quæ manda-
torum Dei præfinitionibus non contenta, ad
ſuperiora graſſatur, & nihil iuris homini io
ſeipſum relinquit. Ná quod obijcis, ſatis no-
bis

biſ eſſe obedire Deo, cui Chriſtus & obediuit, & obedire nos docuit: nihil ijs, quæ ſunt hactenus cõfirmata, detrahit, quando ipſius Chriſti verba ſunt, de hominibus loquentis ad homines: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. (Luc. 10.) quibus ſignificat non modò ſuis, ſed & hominũ verbis Deum imperitare hominibus conſueuiſſe. Neque enim eſt quiſquã adeò demens, vt quod Chriſtus patri obedierit omnia ſuggerenti, nos nihil niſi quod Deus per ſemetipſum edixerit, facturos eſſe contendat. Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, vnde fit. Et illud eiuſdem filij: Filius non poteſt à ſemetipſo facere quicquam: ſed quæcunque viderit patrem facientem, hæc eadem ſimiliter & ipſe facit. Nos verò quando dignabitur Deus per ſemetipſum alloqui, monere, oſtendere non modò rerum agendarum ſummas & capita, verùm & ſingula quæque, quantumuis minima, quæ vel facienda fuerint, vel dicenda, vel etiam cogitanda? Qua ratione per ſingula, quæ nobis vel facienda, vel omittenda ſuccurrerint, (Eſaie 54.) Deum conſulere, ac rogitare poterimus. Fient hæc quidem in patria, vbi, quod ait Propheta, erunt omnes docibiles Dei, cuius præſentia omnes non modò ignorantiæ, verùm ambiguitatis tenebras, & cunctationem ſubmouebit ab animis beatorum, fieret & nũc, ſi nobis expediret ad ſalutem, & fragilitatis noſtræ conditio pateretur. Veruntamen omnium rerum artifex Dei ſapientia hoc antidoti genus curandæ hominum ſuperbiæ adinuenit, vt qui Deo ipſi per ſemetipſum præcipienti, quõdam obedire contempſerat homo, nunc homini obediendo ſubdatur, & in ſalutem illam hominis propter Deum obſeruantia euadat, qua de ipſius hominis contẽptu & voluntatis eius tranſgreſſione amiſerat. Quamobrem etſi huius obedientię ſacrificium Deo immoletur, hominibus tamẽ, qui Dei erga nos vicem gerunt, eſt perſoluẽda, de quibus, vt modo citauimus, Chriſtus ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quin & hoc maximè modo, quòd quotidiè orãdo dicimus, vtcunq; præſtamus, vt fiat ſcilicet voluntas Dei, ſicut in cælo & in terra. Hoc eſt, ſicut in cælo, nõ partim Dei, partim hominis voluntate viuitur, ſed ſolius Dei nutu & imperio fiunt omnia, ita & in terra, quoad fieri poſſit, nullatenus voluntati noſtræ inſeruiamus, ſed iuxta Sapientis conſilium, à voluntatibus noſtris auertentes, Dei voluntatem, de qua vel ipſius lege, vel maiorum placitis cõſtare nobis poteſt, in omnibus tum faciendis, tum omittẽdis ſequamur, fiatque in nobis, quod de veris Euangelij cultoribus Propheta longè antè prædixerat: Si auerteris à ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonẽ: tum delectaberis ſuper Domino; & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui, &c. Diem ſanctũ Domini, lucem Euangelicæ veritatis appellari quis ignorat, quæ & ſabbatum dicitur, quod in ea vera requies animorum iuxta Chriſti Ieſu promiſſionem inueniatur? In hoc igitur die quicunq; glorificauerit Dñm nõ faciens voluntatem ſuam, neq; viam propriæ cogitationis ſequutus, ſermonis etiam licentiã cohibuerit, delectabitur ſuper Dño, & ſuſtolletur in altitudinẽ terræ eam, de qua Hieremias: Bonum eſt, inquit, viro, quum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia eleuauit ſe ſupra ſe, (Thren 3.) cibabiturque Iacob hæreditate, hoc eſt, ſtrenuè pugnãtium mercede præmiabitur. Porrò cũ bifariam Deum loqui hominibus dixerim⁹, per ſe ſcilicet, & per præpoſitos, quibus obedientes Deo ipſi obſecundam⁹, eſt quod mouere poſſit quempiam, vt vel ſecum tacitis cogitationibus dicat: Qui poſſum ego ſcire, hominem hunc, qui mihi præficitur, Dei voluntatẽ mihi, dum imperat, proponere? Aut vnde huic idioræ fortaſſis & flagitioſo potius quàm mihi, perſpectam eſſe colligam Dei voluntatem? Cui ego fidenter audeo polliceri, omnia quæ maioris imperio fecerit, modò non ſit aduerſus Chriſti doctrinam, ſecundum eius fieri voluntatem: cùm etiam ſi nihil probitatis huiuſmodi operibus inſit, obedientia tamen ipſa, qua fiunt, bona non eſſe, atque adeò Chriſto gratiſſima nequeãt. Atqui tantum abeſt, (dices) hæc obedientia à monachatu, vt monachorũ omnium perfectiſſimos iuxta atque clariſſimos, illam ꝓmiſiſſe nunquam legamus, neque ſuſcepiſſe quidem. Huius rei teſtes locupletiſſimi ſunt Paulus, Antonius, Macharius, quin & Hieronymus non monachorum modò, verùm totius Eccleſiæ decus & honeſtamentum.

Opportunè mihi Hieronymum produxiſti, eiuſdem enim verbis tibi reſpondebo, qui in libello de virginitate ad Euſtochium tria eſſe narrat monachorum genera. Primum Cœnobitarum, quos Aegyptij Suaſes vocant, latinè verò communiter viuentes appellare poſſumus. Proximum Anachoretarum, quos latinè dicimus Eremitas. Tertium, quod Aegyptij Remoboth dicunt, hos D. Benedictus Serebaitas Aegyptiaco etiam appellat nomine, quos nos transfugas (vt abbas Piamon apud Ioannem Caſſianum exponit) interpretari poſſumus. Horum optimos eſſe Cœnobitas, multis argumentis do-

cet. Sarabaitas verò deterrimos, vel hoſ, quòd bini aut terni habitent, ſuo arbitratu ac ditione viueotes, inter quos ſæpè iurgia eſſe dicit, quòd ſuo viuentes cibo, oon patiantur ſe alicui eſſe ſubiectos. Econuerſo autem paupertatem & obedientiam, in Cœnobitis præcipuè commendat. Veniamus, inquit, ad eos, qui plures ſunt, & in communi habitant, id eſt, quos vocari Cænobitas diximus. Prima apud eos confœderatio eſt, obedire maioribus, & quicquid iuſſerint, facere: diuiſi ſunt per decurias & centurias. Manent ſeparati, ſed iunctis cellulis, &c. Hęc cùm ita ſint, leuior nunc apparet obiectio, quàm vt opus ſit iuſta confutatiooe: omnes enim illi, quos ſine obedientiæ voto monachos fuiſſe commemorat, non Cænobitæ erant, quorum cauſam aduerſum te ſuſcepimus, ſed Anachoretæ. Sed videor mihi videre te aliam grauioré obiectionem, qua ſemel nos à propoſito deijcias, molientem.

Eſto, inquies, vt obedientia opus ſit monachatni, atque habemus Pontifices, epiſcopos, curiones, & alios Eccleſiaſtici ordinis Hierarchas, quibus obedire poſſumus, vt non modò ſuperfluè, verùm & ambitione quadam monachi ſuam monarchiam ſeorſum à cæteris fidelibus feciſſe videantur. Huius argumenti vis expoſita ratione obedientiæ prorſus eliditur. Cùm enim ſit, quod ſuperius expoſuimus, pleniſſima quædam animi ſubiectio, & libertatis noſtræ, qua multa per cæteros Eccleſiæ magiſtratùs & facere poſſemus & dicere, in alterum tranſlatio, quis non videt eam epiſcopis aut cæteris cõmunibus præfectis minimè poſſe præſtari? Quando enim illi multis impliciti curis, nobis moderandis, dirigeodis, docẽdis, per ſiogula verba, opera, & cogitationes etiam, vacare poterunt aut volent, à nobiſque totius vitæ ac ſingularum actionum rationem exigere? Sed audiamus hac de re Hieronymum, Benedicto & Bernardo, primis tibi monachatus inuentoribus antiquiorem.

Erat Bethleem, vbi D. Hieronymus in monaſterio degebat, communi diœceſum iure Hieroſolymitano Epiſcopo ſubiecto, quo munere tunc tempore Ioannes quidam põtifex fungebatur. Conqueſtus eſt ille nonnunquam per epiſtolas, quòd Bethleemitici monachi ſibi non obedirent, eiſdemque fermè vtebatur verbis, quæ in argumentatione poſuimos. Cui D. Hieronymus ita reſpondet: Porrò, quòd dicis te petijſſe, vt ſubijcerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcindereot eam, neque proprium ſibi facerent priocipatum, de quibus dicas, non ſatis intelligo. Si de me & presbytero Inoocentio, ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim nuoc excitatus, hæc loqueris. Ob id enim ego Antiochiã, & ille Conſtantinopolim vrbes celeberrimas deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris, & in ſolitudine peccata adoleſcentiæ deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. Si autem de Paulino tibi ſermo eſt, vides eum Epiſcopo ſuo eſſe ſubiectum, verſari Cypri, ad viſitationem noſtram venire interdum, non vt tuum, ſed vt alienum, eius videlicet, à quo ordinatus eſt: quòd ſi hic etiam eſſe voluerit, & in exſilio noſtro quietus in ſolitudine viuere, quid tibi debet, niſi honorem, quem omnibus debemus epiſcopis? Fac à te ordinatũ, idem ab eo audies, quod à me miſello homine ſanctæ memoriæ Epiſcopus Paulinus audiuit: Num rogaui te, vt ordinarer? Si ſic presbyterũ tribuis, vt monachum nobis non auferas, tu videris de iudicio tuo: ſin autem ſub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod ſæculũ dereliqui, ego habui, quod ſemper habui, nullum diſpendium in ordinatione paſſus.

Habes Hieronymi de tua argumentatione ſententiam, in qua non eſt illud prætereundum, quod tam indiſſolubile fuit ſemper monaſticæ obedientiæ vinculum, vt nec per presbyteratus dignitatem, quæ tunc temporis vt rariſſima, ita maxima habebatur, monaſticæ obedientiæ iugum abijcere liceret, aut ad Epiſcopi ſacerdotium conferentis ſe transferre ditionem. Ego, inquit Hieronymus, habeo, quod ſemper habui, nullum diſpendium in ordinatione paſſus. Quid eſt quod ſemper habuit? Monachatum vtique cœnobialem, ab eo tempore, quo Antiochiam vrbem celeberrimam fugiens, in Bethleemiticum ſeſe contulit monaſterium, nam antea Anachoretam per aliquod tẽpus egerat. Nec clam me eſt, obedientiæ vinculum, vt ſuperius dixi, haud tam apertè & circunſpectè quondam atque hodie fuiſſe voti nũcupatione diſtrictum: quoniam ſimplicius Chriſtiani atq; candidius omnia in Eccleſiæ naſcentis exordio tranſigebant. Poſtea vero quàm Chriſti & Apoſtolorum eius exempla animis cœperunt excidere, & veſtigia quaſi deformari, oẽs ferme Chriſtiani ordinis ſui functione vnà cœperunt abuti, & à primæua illa euangelicæ propaginis integritate degenerare. Inter quos & monachi lapſi nõnulli ſunt, vtinam autẽ ad illorũ nos lapſum erigeremur. Lapſi, inquã, ſunt inſoleſcẽtibus plus iuſto cœnobiorũ præpoſitis, monachis verò honeſtate liberius euagãtibus, quamobrem ſynodicis Patrũ decretis abbates iuſſi ſunt Epiſcopis obedire, monachi vero obedientiæ iure ab abbatibus repeti. Quę duo tã ſalubria decreta vtinam ea ſynceritate, qua ſunt olim à maioribus tradita, hodie ſeruarentur. Verum tyrannis per vniuerſum orbem effuſa,

mona-

monachorum cœnobijs non pepercit, quin horum prius propemodum extinxit & aboleuit, poſterius vero ſupra modum auxit, & vſque ad cælos conata eſt euehere, tametſi vſque ad inferos ſuperborum omnium, & immoderate dominantium domicilia dixerim verius: neque enim eiecto Lucifero, vllus eſt in cælo ſuperbiæ locus. Vtcunque tamen ſe præfecti gerant aduerſus ſubditos, & paſtores aduerſus gregem, illi tamen obedientiæ ſuæ (modò Chriſto ſibi prius obediendũ intelligant) mercede non fraudabuntur. Nec propter quorundam inſolentiam ſuccenſendũ eſt bonis, nec vniuerſo ordini, & ſanctorũ Patrum, quin & ipſius, vt probauimus, Chriſti detrahendum ſanctiſſimo inſtituto, quod vſqueadeo antiquius eſt Benedicto, nedum Bernardo, vt cum ipſa totius humani generis ſalute videatur exortum.

Hæc fermè ante annos 16. ad Eraſmum. Nã etſi nihil prorſus addidimus tranſcribendo, multa tamen prætermiſimus, quæ tunc temporis fuerant à nobis iuuenili magis loquacitate, quàm cauſæ neceſſitate congeſta, pro quibus omnibus vnum ex Auguſtino teſtimonium pro ſanctæ paupertatis, quam amplexi ſumus monachi, profeſſione ſubſtituam. De terra, inquit, ſuſcitatus eſt ſupra omnes diues ille pauper, & de illo ſtercore erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis ſuper duodecim ſedes, & ſedem gloriæ hæreditatem damno eis. Dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te. Hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis? Ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: Dans votum vouenti. Alioqui ex illis eſſent potentibus, quorum infirmatus eſt arcus: Dans, inquit, votum vouenti. Non enim Dño quiſquam quicquam ratum voueret, niſi qui ab illo acciperet, quod voueret. Lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 4.

Nunc ad Philippum redeamus, qui victus his rationibus & alijs grauioribus, quæ à noſtris pro monaſtico inſtituto producuntur, reſpondet ſe de genere doctrinæ diſputare, non vtrum vota ſeruanda ſint. Sentimus .n. inquit, licita vota ſeruari debere, ſed vtrum cultus illi mereantur remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, &c. Et addit catalogum quæſtionum prorſus parergon, quo videri vult complexus capitum ſummam, de quibus inter Lutherũ & Catholicos ſuſcepta ſit circa monaſticam profeſſionẽ controuerſia: tametſi neſcio an Lutherus ſubſcripturus ſit illis verbis. Non diſputamus vtrum vota ſeruanda ſint, ſentimus enim licita vota ſeruari debere: niſi forte probãdo Philippi modeſtiam in verbis, quo faciliùs imponat in rebus. Re enim nec latũ (quod aiunt) vnguem Philippus his diſſentit à Luthero, licet ſpecie verborum differre videatur, id quod facilè prudens lector ex inferioribus colliget. Quę cum ita ſint, haud ſatis ita poſſum aſſequi mẽte, quònam fato noſtro (ſi modo fati nomine liceat vti) fieri videamus, vt nemo his trecentis ſupra mille annis Eccleſiæ hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore nobis quoq; viſus ſit indixiſſe. Nec ad hoc neceſſe eſt, à me quempiam nominari, qui hæc Germanis ſcribo Chronicorum ac rerum geſtarum non ignaris. Poſſunt enim, ſi velint, Arios, Sabellios, Macedonios, Conſtantios, Iulianos, Valentes, Lucios, & huius generis alia monſtra, tum vetera, tum recentiora meminiſſe. Quo magis admirior viros alioqui & prudentes & cautos, qui hæc nobiſcum vltro fateantur, quorum imitentur exempla, illorum exitus & ſupplicia non perhorreſcere. Sed non poteſtis deſerere verbum Dei. Atqui illi nihil magis habebant in ore, quàm iſtam importuniſſimam vnà atque vaniſſimam ad verbum Dei prouocationẽ, cui adeò mordicus adhærebant, vt vocem homouſion, quod in ſacris literis non inueniatur, nollent recipere, vt prætextu verbi Dei, totius fidei Chriſtianę molem & pondus euerterent. Vnde & monachos, quos arte aut libertatis lenocinio ad ſe pellicere nequiuiſſent, primos ab Eccleſia ſtantes in acie poſt Epiſcopos, pertinacius & hoſtilius, quam cæteros Chriſtianos oppugnabant. Quod ipſum modo Lutherus, Pellicanus, Philippus, & cæteri complices, verbis, quando exſilijs & necibus, quod quondam fiebat, non poſſunt, efficiunt. Bona tamen ſpes eſt fore, vt miſertus noſtri Deus, hac perſecutione, quæ à gladio linguæ iniquæ, & à ſcandalis operantium mendacium proficiſcitur, nos puriores reddat, & ſibi acceptiores. Nam dum ſuperbit impius, incenditur pauper. *Pſal. 9.* Tametſi video, quàm parum diuina nobis prouidentia (vt ita dixerim) fidat, quibus leuiſſima ſeruauit certamina, maioribus noſtris principum ac tyrannorum ſæuitiam, oppoſitis nobis, vtpotè imbecillis, relicta eſt ſodalium noſtrorum rabies pro perſequutione. Ex nobis enim exierunt, ſed non erant ex nobis. Qui etſi acuerũt linguas ſuas ſicut ſerpẽtes, & venenum aſpidum ſic ſub labijs eorum, nunquam tamẽ eò produxerũt inuidiam, vt meliori orbis parti maiorum noſtrorum meritis non probaremur. His tamen omnibus prudentium conſiderationi dimiſſis, quæſtionum catalogo, quas Philippus coegit, reſpondere incipiam, ſi prius lectorem, & vos præcipuè admonuero, Germani, Philippũ, qui modo noſtris obiecerat, quod ad adſtruendã legem cælibatus reuelationes

quaſdam produxiſſent, totam hanc de monachorum profeſſionibus cauſam à reuelationibus exordiri. Narrat enim aut fingit quendam Franciſcanum fuiſſe in Germania, qui coniectus in vincula, quod eius doctrina minus cæteris ſodalibus probaretur, vaticinatus fuerit, ſucceſſurum ſibi quendam, Lutherum certe ſignificans, qui monachorũ regnum eſſet euerſurus, cuiq; monachi nõ poſſent reſiſtere. Nugæ. Sic apud Virgilum Dido, Lybiæ regina imprecans, futura vaticinatur inter Romanos & Carthaginenſes bella. Aeneam apud inferos multa poſt ſecula videre deſcribitur, cum tamẽ vtraque Poetam ſcribentem hæc & fingentẽ aliquot præcellerint ætates. Quanquam potuit accidere, vt Franciſcanus ille nouerit Lutherum iuuenẽ, iam inde ab adoleſcentia huius furoris, qui inde ſecutus eſt, indolem oſtentantem, æternumque (quod ait Poeta) ſeruantem ſub pectore vulnus, quo monachorũ meditabatur excidium. Sed nos tum ſomnijs, tum coniectoribus, cum ea, qua digni ſunt fide prætermiſſis, ad cauſam accedamus.

Primũ itaque controuerſiæ caput eſt, vt à Philippo proponitur, vtrum monaſtici cultus mereantur remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem? Quouſq;, bone Deus, mercenaria hæc, & ſeruilia nobis occinuntur? Nihilne præſtandum eſt, nihil profitẽdum, niſi remiſſionem peccatorum, niſi iuſtificationem mereatur? Quid ſibi hiſce quæſtionibus vult ſignificare Philippus? Nos remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem ingenuè fatemur, neminem ſibi poſſe mereri: promeremur autem varijs ab eodem & probatis & inſtitutis operibus Chriſtum, quò nobis immeritis propitius eſſe velit. & peccata remittere. Alioqui, ſi noſtrũ eſſet mereri iuſtificationem, cum meritum debeat præcedere mercedem, ſequeretur, quod ante iuſtificationẽ quiſquam mereretur gratiam, qua iuſtificaretur, quod nemo vnquam Catholicus dixit. Sed Philippus quærit hæc & id genus alia, vt quæſtionum fuco ſignificet id à nobis tribui noſtræ profeſſioni, quod tribuere impium prorſus eſſet & ſtultum. Sed ne toties reſpondendum ſit importunis huiuſcemodi quæſtionibus, nos, quomodo, quibus, & cuius meritis remittantur peccata, ſuperiùs expoſuimus ſufficienter, vt credo, certè prolixè, cum de iuſtificatione & pœnitentia ageremus. Monachatum verò ſuſcipimus, non quo peccata præterita nobis donentur, quæ vel in baptiſmo, vel in pœnitentia condonantur, ſed quò faciliùs futura vitemus, & à præteritorum reatibus, ſordibus, morbis, indies liberiores euadamus.

Proximum caput Philippicæ controuerſiæ eſt, vtrum huiuſmodi cultus ſint ſatisfactiones pro peccatis? Hoc multiplicare verba eſt, non explicare quæſtiones. Nos ſuperiùs de ſatisfactionibus diſſeruimus, quicquid operibus noſtris tribuunt ſacræ literæ ad ſatisfaciendum aut promerendum, nõ poteſt monaſticis exercitationibus, quæ circa eadem opera verſantur, negari. De ieiunijs, vigilijs, ſacris precibus, lectionibus, & id genus alijs loquor, non de cucullorum forma, colore, magnitudine, & hiſce rebus, quę nõ pietatis, ſed decoris & diſcretionis gratia aſſumuntur.

Tertium caput eſt, vtrum illi cultus ſint pares baptiſmo? ortum, vt exiſtimo ab illorũ dogmate, qui dicũt, baptiſma nihil hominibus prodeſſe. ita enim cõparatur Philippo, tum circunciſioni, tum preputio, vt Apoſtoli verbis illis: In Chriſto Ieſu nec circunciſio aliquid valet, nec præputium, addatur intrepide, (niſi quis malit dicere impudenter) nec baptiſma. Cuius aut quorum hæc ſunt verba, dogmata, commenta, quid mirum ſi quærant: vtrum monaſtici cultus ſint pares baptiſmo? Nam à nobis, (de veris monachis, & vniuerſo ordine loquor) perinde alienum eſt prius atq; poſterius. Poſt has quæſtiones ſuccedunt aliæ eiuſdem farinæ: Vtrum monaſtici cultus ſint obſeruatio præceptorum & conſiliorum? vtrum ſint perfectio euangelica? vtrum habeant opera ſupererogationis? Harum mediæ reſpondemus, profeſſionẽ monaſticam continere ea, quæ maximè poſſunt ad perfectionem iuuare, hoc eſt, liberũ à noxijs & periculoſis curis ac ſollicitudinibus animum reddere, alioqui ſola charitas eſt, quæ verè perficit. Primæ verò quæſtioni reſpõdendum videtur, quicquid eſt obſeruatio conſiliorum, eſſe & præceptorum, licèt non econuerſo. Monaſtica ergo profeſſio in conſilijs verſatur, eò tamen ſpectat, vt perfectius ſeruentur præcepta. Idcircò nec cælibatus, nec rerum omnium abdicatio eſt hactenus cuiquam præcepta. Quod autem capeſſere volentibus conſulantur apertiùs eſt, quàm vt egeat noſtra confirmatione, & nos paulò antè probationes attulimus. Tertiæ quæſtioni reſpondeo, merita ſupererogationis nulla eſſe, ſi meritum, cui ſupererogandum eſt, & addendum id, quod meremur, abſolutè conſideretur. Si verò cõſideretur in ordine ad neceſſitatem, quæ ſacris literis eſt nobis impoſita, quicquid boni operis non tenemur lege præſtare, ſupererogamus non merito, ſed neceſſitati: Hoc eſt, nemo plus expenſum poteſt ferre, quam retulerit acceptum, ſed poteſt aliquanto plus exhibere, quàm ab illo, cui deſeruit, ſecundum ſuæ legis præſcriptiones erat exigendum. Continenter quæritur, vtrum

mo-

monachorum merita applicata alijs ſaluent eos? Quare hoc? Nempe, quia monachi prædicant ſe eſſe cæterorum ſaluatores. Non pudet vi[illegible]m probum, vt habetur à Germanis, tam apertam comminiſci calumniam? Quanquam vtvt ſe habeat applicatio meritorum, quid facit ad monaſticum inſtitutum, de quo diſſerimus? Errant fortaſſe Monachi nonnulli in hoc, & quibuſdam alijs, q[illegible] propoſita ſunt à Philippo, num ſtatim euertendus eſt monachatus, & non potius dirigendus, & ad viam reducendus? Ecquis vnquam vidit inter mortales ordinem, in quo non peſſima quæque admixta ſunt optimis? Subuertantur ergo vniuerſa hominum inſtituta, quia nullum eſt, in quo non vulgo probentur abuſus, qui cordatioribus diſplicent. Sed ſuccedunt nunc aliæ quæſtiones, quæ propius cauſam attingunt: Vtrum ſint licita vota his opinionibus facta? Vtrum licita ſint vota, quæ prætextu religionis tantum ventris & ocij cauſa ſuſcipiuntur? Vtrum verè ſint vota, quæ ſunt extorta aut inuitis, aut ijs, qui per ætatem nondum iudicare poterant de genere vitæ? quos parentes aut amici intruſerunt in monaſteria, vt de publico alerentur ſine patrimonij priuati iactura. Hæc, & his verbis quærit Philippus. Ego verò his omnibus vnà reſpondeo, mihi non videri licita vota, quæ illicitis fuerint opinionibus ſuſcepta. Cæterũ de opinionibus vouentium & iudicio pronuntiare, non Lutheri eſt aut Philippi, ſed Eccleſiæ. Porrò monachatum, qui non pietatis cauſa, ſed vi aut cupiditate ſuſcipitur, cuiuſmodi plurium fœminarum eſſe credo, & quorundam adoleſcentulorum quibuſdam, præſertim ſe militijs dedicantium, ingenuè fateor, mihi nequaquam probari, nec huiuſmodi credo teneri votis, quæ his affectibus atque defectibus nuncupauerunt, tametſi (quod ſuperius diximus de ſacerdotibus) non eſt [illegible] de his iudicare rebus, nec debet priuata temeritate dimitti, quod publica eſt & ſolemni authoritate ſuſceptum. Q[illegible] conſulto prius Pontifice ſummo, & totius cauſæ ratione eidem diligenter expoſita, iudicio eius eſt parendum. Hocc[illegible]m ita ſit, vehementer admiror, quid ſibi velit veſtra Confeſſio, in qua tribuitis ſummo Pontifici ius diſpenſandi in huiuſmodi votis, cum tamen citra eius authoritatem apud vos quotidiè reſcindantur impunè. Vltima quæſtio eſt, vtrum licita ſint vota, quæ palam vergunt ad malum exitum: vel quia propter imbecillitatem non ſeruantur, vel quia ij, qui ſunt in illis ſodalitijs, coguntur [illegible]buſus Miſſarum, impios cultus Sanctorum, conſilia ſæuiendi in bonos viros approbar[illegible] & adiuuare, &c. Hæc quæſtio, vt & multæ præcedentium, hoc agit, vt apoſtatæ, quorum per vniuerſam Germaniam ingens eſt numerus, iure videantur à monaſticæ tranquil[illegible]itatis obſeruatione in huius ſeculi theatrum velut hiſtriones mutata perſona proſilijſſe. Continet enim cauſas, quas profeſſionis ſuæ deſertores apoſtatæ prætexunt, vt vulgus imperitum exiſtimet, illos non libidinis & voluptatis cauſa, quod res eſt, ſed pietatis zelo à nobis tanquam ab impijs diceſſiſſe. Nos de his, (ſi qui ſunt) qui verè continere non poſſunt, ſuperiùs diximus, quid iudicij haberemus. Cæteri abuſus, quorum occaſione fingunt ſe ordinem deſeruiſſe, nihil nos mouent, quandoquidem multa ſunt, quæ Philippo iudicantur abuſus, & eadem vt ſacri ritus, & piæ conſuetudines probantur Eccleſiæ. Et ſi quę ſunt, quæ nullis bonis viris probari queant, potuerant abſque loci, ordinis & ſodalitij mutatione vitari. Nam quale eſt hoc, fieri ex monacho ſacris initiato laicum & maritum, propterea quod cæteri ſodales abutuntur monachatu? Num vt locus tibi obſit, nullus eſt alius in quo tibi liceat eſſe monacho? Nũquid vniuerſa monaſteria ſunt vſqueadeò corrupta, vt nullus ſit apud illa veræ pietati locus? Hoc vt ita eſſet, quod tamen quis eſſe credat? ſed vt ita eſſet, nunquid non tibi liberum eſt ſeorſum agere monachum, hoc eſt, caſtum ſeruare cælibatum, frugaliter viuere, & Epiſcopo ſaltem aut cuiquã alteri præſuli præſcripto & peculiariter obedire, & ſic meliori, quo fieri poſſit, modo quod pollicitus es, exhibere, & non cauſas comminiſci vanas, ne quid apertius dicam, quibus ſimplici vulgo fucũ faciens, ex monacho, preſbytero Catholico fias laicus, maritus, hæreticus, aut certè ſchiſmaticus? Hæc ad quæſtionem. Verum vt omnia, quæ aduerſum nos tam in Confeſſione quàm in Apologia, quæ nihil addit niſi verba, obiecta ſunt, ſemel colligam. & breuiter ad ſingula reſpõdeam, hęc mihi videntur in genere obijci.

Monachi votum cælibatus contra mandatum Dei ſuſcipiunt.

Hoc eſſe vanum conſtat per ea, quæ de cęlibatu in cõmuni, & de votis monaſticis diſſeruimus.

Colūt Deum humanis traditionibus, cuiuſmodi ſunt vota, contra illud: Sine cauſa colunt me mandatis hominum.

Non ſunt hominum mandata cælibatus, rerum abdicatio, & obedientia, ſed Chriſti conſilia, quod ſuperius oſtendimus: tametſi Philippus pertinaciſſimè negat, rerum abdicationem conſilium eſſe Euangelicum. Sed quid non negabit, qui hoc aduerſus Dei verbum inſiciatur, de quo maximè ſolent applaudere, & quod quarta quoque linea

nunc

nuncaptè, nūc ineptè nobis obijciunt? Cum ego Norimbergæ hac de re cum Oſiandro conſerrem, protuli locum ex Mattheo, quo Chriſtus dixit adoleſcenti: Si vis perfectus eſſe, vade, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Qui locus ex hoc apparet eſſe conſilium, quod quicquid in eo præſcribitur, arbitrio relictum eſt capeſſentis. Si vis, inquit, perfectus eſſe, nec poteſt eſſe præceptum, quod præceptis iampridem enumeratis apponitur. Expoſuerat Chriſtus mandata quærenti, quonam modo ſeruari poſſet, & vitam æternam acquirere. Qui cum communi legis obſeruatione non videretur eſſe cōtentus, & maiora quædam meditaretur ac mente conciperet, non repetit Chriſtus: Si vis ſaluus eſſe, ſufficiebant enim ad hoc præcepta per Chriſtum expoſita, ſed, Si vis perfectus eſſe, quod communem præceptorum ſuperat obſeruationem, tametſi in eorundem arctiorem cuſtodiam demum recidat, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Cum igitur locum in diſputatione produxiſſem, faſſus eſt Oſiander (quod ego conabar adſtruere) verbis illis non ineſſe præceptum, ſed conſilium, nullā ad poſteros habere vim, quo poſſit inter communia Chriſti documēta in totius Eccleſiæ vſu tradita cōnumerari. Non enim generatim, nec ad perſonam, inquit, publicam locutus eſt ibi Chriſtus, ſed priuati hominis peculiariter & ſeorſum interrogantis priuatæ contulit neceſſitati. Hāc reſponſionem videntur excogitaſſe Lutherani, vt imperitæ multitudini ſatisſaciant, quæ vt nihil intelligit, ita nec percipit, nec cogitat quidem, quid aut quale ſit, quod nobis arguentibus & ſcripturas producentibus reſpondeatur. Tantum ſi Aduerſarios cedere & obmuteſcere nō coegerimus, quicquid reſponderint, dummodo audacter, confidenter, ſtomachoſe reſpondeant, ſuos euiciſſe credunt. Et ego fateor me, vt eſt pudibunda veritas, quamprimum Oſiander conatus eſt argumentationem ſua ſtropha deludere, hæſiſſe tantiſper ad vanitatem hominis, quem ego grauiorem exiſtimabam, quam vt tam futili commento ipſe ſibi pateretur illudere. Mox vero reſumpto ſpiritu, quid ais, inquam, ecquid erit firmamenti in ſcripturis, ſi poſſimus contendere, & ſemel vt verum admiſerimus, quicquid reſponſum eſt interrogantibus aut conſulentibus, non eſſe ad alios homines neque ad alia tempora, transferendum? Et quid hoc eſt, quod tu mihi modo reſpondes, niſi quod ridiculè conſueuit ſub delinquentium reſponderi perſona, dum productis verbis euangelicis coarguuntur peccata? Hoc, inquiunt, erat in illo tempore, nimirum ridicula alluſione ad tēpus & perſonas, quibus Chriſtus loquebatur, omnia eius verba referentes.

Math. 19.

Conſilium paupertatis & obedientiæ.

Sed hæc, vt dixi, ioco ſolent & quaſi per ironiam reſponderi. Tu vero ſerio mihi futiliſſima reſponſione velle videris argumentationis vim & pondus euadere. Quod quale ſit, tute intra animi tui receſſum conſidera, & cogita, an dignum tua grauitate ſit & prudentia, de rerum maieſtate, quarum veritas ad fidem, vſus ad pietatem pertinet, ita nugari, vt quicquid tibi in buccam venerit, quo non videaris eſſe victus, effutias. Nam conſilium Chriſti de rerum abdicatione non eſſe, vt ita dixerim, perſonale, & illi tantum iuueni, cui reſpondebat, tributum, vel ex hoc apparet manifeſtè, quod mox ad idem conſilium, quod triſtitia & abceſſione renunciauerat adoleſcens, velut alludens Petrus, ſuo & aliorum nomine dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Hoc eſt, aggredimur quod ſuades, perfectionis aditum, quod orbi demonſtras, maturauimus occupare, quid ergo mercedis tantum laboris, tātum difficultatis capeſſentibus polliceris? Confirmat hanc expoſitionem reſponſio Chriſti, qui eandem mercedem, quam oſtentauerat adoleſcēti, vniuerſis ad idem, quod illi ſuaſerat, adnitentibus pollicetur. Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorē, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternā poſſidebit. Hæc vt multa ſunt & varia, ita diuerſis pro Chriſti nomine dimittuntur modis, quorum vnus eſt cælibatus, & paupertatis ſpontanea ſuſceptio, quæ non poteſt homini, vt ſuperius palam fecimus, niſi voti nuncupatione abſoluta contingere. Vnde Auguſtinus, quod Petrus pro toto diſcipulorum collegio Chriſto propoſuerat, votum dicit eſſe potentiſſimorum. Sed vnde, inquit, hoc eis, niſi ab illo, de quo dictum eſt, Dans votum vouenti? Nos libentius accedimus vni Auguſtino, vt Chryſoſtomum, & cæteros eiuſdem expoſitionis authores Eccleſiæ proceres prætermittam, quàm vniuerſis monaſticæ profeſſionis tum hoſtibus, tum deſertoribus. Hæc longius enarraui quàm ſtatueram, propter eos, qui cum verbum Dei identidem à nobis efflagitent, non credunt eſſe verbum Dei, niſi quod illi produxerint, & ſuis interpretationibus illuſtrauerint, obſcurauerint dixiſſem verius. Porro quod Philippus citat: Sine cauſa colunt me docentes doctrinam & mandata hominum, expoſuimus Philippica 10. Sed rurſus obiectiones audiamus.

Credunt huiuſmodi votis mereri iuſtificationem & peccatorum remiſſionem.

Hoc

Hoc æque, vt ſuperius, vanum eſt: tametſi in peccatorum remiſſione non nihil tribuimus noſtris operibus, non commenticijs, ſed pijs, & in hunc vſum à Chriſto probatis. Hæc tamen ſuperius etiam diſcuſſa ſunt, Philippicis 10. & 11.

Impiè opponunt iræ Dei humana opera, cui ſolus Chriſtus erat opponendus.

Non eſt impium iræ Dei opponere lachrymas, ieiunia, & cætera pœnitentiæ opera, eleemoſynas, preces, quæ oppoſuerunt Petrus, Dauid, Niniuitæ, & multi alij pro ſuis delictis. Hieronymus etiam dicit ſe in eremum ſeceſſiſſe, vt in agris & in ſolitudine dureſcentia peccata deflens, Chriſti in ſe miſericordiam deflecteret. Cur non ſatis fuit illi, Deo huiuſmodi peccatis irato Chriſtum opponere, aut ipſi Chriſto ſuos labores, cruciatus, mortem, vniuerſa denique, quæ pro nobis & fecit & paſſus eſt, opponere, quo eius auerteret iram, & miſericordiam in ſe deflecteret? Quinimo Paulus non modo pro ſuis, verum & pro cæterorum peccatis ſua opera offerebat, cum ſupplebat, (vt ipſe ait) quæ deerant paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Tametſi hoc non erat aliud opponere iræ Dei, quam Chriſtũ, cuius opera ſunt, quicquid eius mẽbra, fideles ſcilicet operantur. De quo etiam ſuperius.

Huiuſmodi operum fiducia Chriſtum amittunt, iuxta illud Pauli: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini.

Ita eſſet, ſi hiſce rebus aliud quàm Chriſtũ exprimeremus, aut alium quàm Chriſtum in nobis operãtem crederemus. Paulus loquitur de operibus legis Moyſaicæ. Nã de Chriſtianis operibus oſtendit ſe longe aliud ſentire, cum dicit: Glorificate Deum in corpore veſtro. Philippus loco, quem citat, vult & aperte pronuntiat Paulum intelligi de operibus etiam decalogi, quod non eſt nunc ſententia confutare. Nã ſi Paulus dicit, quicquid illum Philippus vult dixiſſe, aut cõminiſcitur intellexiſſe, fruſtra illi aduerſamur, cui nullo modo reſiſtere poſſumus. Nunc vero, quod ad hunc Pauli locum attinet, ſufficiet pro confutatione, integrã Pauli ſententiam, tametſi longiuſculam, ſuis verbis expoſuiſſe. State, inquit, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini: à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu, ex fide, ſpem iuſtitiæ exſpectamus. Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatẽ operatur. Haud expoſitione vt reor, opus eſt, ſed admonitione, ad intelligẽdum hoc loco, qui fidem charitati, cæteris operibus excluſis, coniungit, non decalogi, cum legis meminit, ſed veteris Iudaiſmi opera damnari, & à Chriſto pronunciari aliena. Non tamen mireris, Germane lector, quod hoc loco Philippus operibus legis Moyſaicę addat etiam pręcepta decalogi nam & alio opere circũciſioni & præputio, quæ nihil valere pronuntiat Apoſt. addidit etiam baptiſma, & facit Paulum dicentem: In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, neq; baptiſma, vt ipſe addit. Quãdiu hæc licent Philippo, quis poterit eum ſuperare? Sed tu potius attende, quod dicitur, in Chriſto Ieſu multum valere opera charitatis ex fide.

1.Cor. 6.

Ga.

Falsò docent monaſticum inſtitutum eſſe ſtatum perfectionis.

Falsò ergo Hieronymus Monachũ inſtituens, dicit: Tu autem perfectum te eſſe pollicitus es. Nam cum relicta militia te caſtraſti propter regna cælorum, quid aliud, quam perfectam ſequutus es vitam? Quin & fefellit Chriſtus iuuenem, cui dicit: Si vis perfectus eſſe, &c.

Præferunt conſilia præceptis, & ita obſcurant præcepta Dei & verum cultum.

Hoc eſſe fictũ ac vanum, vel ex hoc apparet, quod Thomas recentiorũ monachorum facilè princeps, docet in ea parte ſummæ Theologicæ, quam appellat Secundã ſecundæ, quæſt. 184. artic. 3. Quo in loco non obſcurè toti⁹ veræ perfectionis primas tribuit pręceptis diuinis.

Præferunt ſe non modò ſimplicibus Chriſtianis, verum & magiſtratibus & paſtoribus.

Verus monachus nemini ſe præfert. Inſtitutum hoc eſſe vtilius & expeditius ad aſſequen ſũ Chriſtianã perfectionem, quam cõmunis laicorũ vita, ex ſacris literis confirmauimus. Paſtoribus nõ modò ſupremis, verũ & quibuſuis decurionibus quantum tribuamus, oſtẽdunt Thomę verba, in ea parte ſummæ Theologicæ, quã modò citauimus quæſtione eadẽ, articulis 7. & 8. de hac re ex profeſſo differentis.

Ex huiuſmodi falſis præconijs vitæ monaſticæ, populus periclitatur falſis opinionibus. Audit ſine modo laudari cælibatum, ideo cum offenſione conſcientiæ verſatur in coniugio.

Cur hoc non occinitur Paulo, qui multis nominibus cælibatũ præfert coniugio? Quãquam nõ eſt, cur in matrimonio cum offenſione conſcientiæ verſentur coniuges, quib⁹ etſi trãquillitas mẽtis, corporis & animi ſanctitas, & id genus alia negantur, æterna tamẽ ſalus offertur.

Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſſiones, negociatur.

Cur

Cur & hoc non occinitur Chriſto, qui non modo perfectionẽ diuitibus negat, verum & ingreſſum regni cælorum illis eſſe tantũ non impoſſibilem prædicat, & ſemen verbi Dei à diuitiarum ſollicitudinibus ſuffocari dicit, tametſi monachorum nemo ſolis mendicis tribuit perfectionem, vt Philippus conſueta ſide obijcit nobis.

Audit conſilium euangelicum eſſe de nõ vindicãdo.

Fortaſſis à Luthero & Philippo, qui vt Chriſtianos cum Chriſtianis funeſtis certaminibus committant, id quod non ſemel fecerunt, predicant Euangelium, amare ſanguinem & bella. Nam de nobis hactenus audiuit nemo.

Plurimi monachi ante iuſtam ætatem ſuſceperunt vota monaſtica, quibus liberum eſt reſcindere.

Viderint ipſi in quos hæc competant. Nos ordinem & profeſſionem, non quorundam temeritatem defendimus. Nec mihi (tametſi quintodecimo anno vix dum exacto monachum indui, & quinto poſt menſe vota ſuſcepi) vnquam probata ſunt vota præcocia, quæ tamen ſemel nuncapata fuerint, non poſſunt priuata athoritate reſcindi.

Auguſtini tempore libera erant collegia monachorum, poſtea addita ſunt vota.

Hoc ſuperius nſtẽdimus eſſe fictum, cum de votis ageremus. Quoniam vero citatur Auguſtinus, etſi verba non producuntur, operæ pretium totius cauſę confirmationi me facturum exiſtimo, ſi eundem controuerſiæ iudicem legero, quem ſui dogmatis teſtem citat Philippus. Auguſtinum igitur in Pſalmo xcix. audiamus. Si autem ſic laudamus, inquit (nam de indiſcretis omnium ordinum & immodicis laudibus tractare cœperat) in hoc tempore eccleſiam Dei, quomodo laudant ſcripturæ Dei, ecce quomodo nunc dixit: Sicut lilium in medio ſpina-
Cantic. 2. rum, ſic proxima mea in medio filiarum. Audit homo, conſiderat, placet illi lilium, intrat, adhæret lilio, tolerat ſpinas, merebitur eſſe in laude, & in oculis ſponſi, qui dicit: Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum. Ita & in clericis laudatores clericornm ibi intẽdunt bonos miniſtros, fideles diſpenſatnres, omnium toleratores, viſcera ſua impendentes ijs, quos volunt proficere, non quærentes quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Laudant hæc, obliuiſcuntur, quia mixti ſunt malis. Rnrſus qui reprænhendunt auaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum, appetentes res alienas, ebrioſos, voraces, iactantes, & tu inuide vituperas, & tu incaute laudas. Tu qui laudas. dic mixtos malos: tu, qui vituperas, vide ibi & bonos. Sic & in illa vita communi fratrum, quę eſt in monaſterio, magni viri ſancti quotidie in hymnis, in orationibus, & laudibus Dei, inde viuunt: cum lectione illis res eſt laborant manibus ſuis, indè ſe tranſigunt, non auare aliquid petunt. Quicquid eis infertur à pijs fratribus, cum ſufficientia, & cum charitate vtũtur: nemo ſibi vſurpat aliquid, quod alter non habeat: omnes ſe diligunt, omnes inuicẽ ſe ſuſtinent. Laudat, qui neſcit quid interius agatur, qui neſcit qnomodo vẽto illo intrante etiam naues in portu colliduntur, intrat quaſi ſecuritatem ſperans, neminem, qnem toleret, habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri nõ poſſent, niſi admitterentur. Et neceſſe eſt, vt primo tolerentur, ne forte non corrigantur: nec excludi facile poſſunt, niſi prius fuerint tolerati, & ſit ipſa intolerandæ patientiæ. Quis me hic quærebat? Ego putabam, quia charitas eſſet hic. Et paucorum hominum moleſtia irritatus, dum non perſeuerauerit implere quod vouit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Iam vero cum inde exierit, fit & ipſe vituperator & maledicus, & dicit ea ſola, quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeuerat, & aliquando vera, ſed vera malorum toleranda ſunt propter ſocietatem bonorum. Dicit illi ſcri-
ptura. Væ illis, qui perdiderunt ſuſtinen- Eccleſ.
tiam. Et quod eſt amplius, ructat indignationes malorum odorum, vnde abſterreat intraturos, quia cum ipſe intraſſet, perdnrare non potuit, &c. Non potuit magis graphice Auguſtinus, Lutheri omnium transfugarum apoſtaſiam, & cauſas, quas illi prętexũt, deſcribere. Videtur nõ ſuorum temporum damnaſſe deſertores, ſed noſtrorum vaticinatus, tametſi noſtri libidinem & impudicitiam vnà cum indignationibus adiunxerũt: vt non contenti fieri ſanctæ profeſſionis deſertores, fiant etiam maritorũ, aut certe procorum æmuli & riuales, & ita vtrique ordini iure odibiles & exſecrandi. Sed ad vota redeamus. Videtis Germani, qua ex fide Philippus citet Auguſtinum, nempe vt alios diuinæ ſcripturæ locos conſueuit. Auguſtinus diſerte pronuntiat eos, qui qnorundam peccatis aut morum importunitate offenſi, monaſteria deſerunt, voti deſertores eſſe. Dum non perſeuerauerit, inquit, implere, quod vouit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Hoc eſt votum illud Chriſti doctrina & Apoſtolorum exemplo ſuſceptum, quod loco, quem paulo ante ex xvij. lib. de ciuit. Dei citauimus, votum potentiſſimorum appellat. Quid ego vnum aut alterum? ſexcenta poſſem producere loca, quibus voti, vt nunc fiunt vota monaſtica, meminit Auguſtinus. Sed conſtantiam & veritatem doctorum Phillppi rurſus videamus.

Auguſtinus negat diſſolui coniugia illorum, qui poſt huiuſmodi vota duxerunt vxores.

Qui conſtat Auguſtini tẽporibus nõ fuiſſe vota monaſtica, quod præcedens obiectio habet, & eundẽ tractaſſe, an ſint diſſoluenda cõiugia, quę cõciliantur poſt huiuſmodi vota? Auguſtini verba non de votis monaſticis pronũtiant, ſed de continẽtiæ voto, quod viduæ quædam domi ſuæ, quo ſe liberius ac firmius Chriſti obſequio, & miſericordiæ operibus mancipare valeant, priuatim ſuſcipiunt. Nam locus etſi à Philippo arte ſua cõſueta non citatur, neque proferuntur verba, aut nullus eſt, aut habetur in libro de bono viduitatis cap. 2. & 10. cuius verba, tametſi prolixa, non grauabor adijcere nempe vt multum lucis cauſæ, multum pudoris (niſi omnem prorſus abiecerit) allatura Philippo. Citat Auguſt. cap. 8. ad viduas conditionis ſuæ admonẽdas Apoſtoli verba ex cap. 1. prioris epiſt. ad Timotheum, atque ad hunc modum de viduarum cælibatu, ſimul & pudicitia differit: Volo igitur iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe. Nuptiarum bonum Apoſtolica ſobrietate & authoritate commendat, non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obſequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pãdit, cum adiungit & dicit, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retrò poſt ſatanam: vt his verbis eius intelligamus, eas quas nubere voluit, melius poſſe continere quàm nubere, ſed melius nubere, quàm retrò poſt ſathanam ire: id eſt, ab illo excellenti virginalis & vidualis caſtitatis propoſito in poſteriora reſpiciendo cadere vel interire. Proinde quæ ſe non continent, nubant antequàm cõtinentiam profiteantur, antequàm Deo voueant, quod niſi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit

1. Tim. 5. Apoſtolus, Cùm enim in delicijs egerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt. Irritam quoque fecerunt fidem, quam prius vouerant, quod perſeuerantia implere noluerunt. Nuptiarum igitur bonum ſemper quidem eſt bonum, ſed in populo Dei fuit aliquando legis obſequium, nunc eſt infirmitatis remedium, in quibuſdam verò humanitatis ſolatium. Filiorum quippe procreationi operam dandi, non canino more per vſum promiſcuum fœminarum, ſed honeſto ordine coniugali, non eſt in homine improbandus affectus etiam, ipſum tamen laudabilius tranſcendit, & vincit cæleſtia cogitans animus Chriſtianus. Sed quoniam, ſicut Dominus ait: Non omnes capiunt verbum hoc, quæ poteſt ergò capere, capiat: quæ ſe non Matth. 19. continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet: quæ aggreſſa eſt, perſeueret: nulla aduerſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo ſi pudicitia conſeruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali & virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita & electa, & voti debito oblata, iam non ſolùm non capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere velle damnabile eſt. Nam vt hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait: Cùm in delicijs egerint, in Chriſto nubunt: ſed Nubere volunt: habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: etſi non nubendo, ſed tamen volendo, non quia ipſæ nuptiæ, vel talium damnandæ iudicantur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur voti fracta fides, damnatur non ſuſceptio à bono inferiori, ſed ruina ex bono ſuperiore. Poſtremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem poſterius inierunt, ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod vt breuiter inſinuaret Apoſtolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ poſt amplioris ſanctitatis propoſitum nubunt, non quia non damnentur, ſed quia in eis ipſæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cùm dixiſſet, Nubere volunt: continuò addidit, Habentes damnationem. Et dixit quare; quoniam primam fidem irritam fecerunt: vt voluntatem, quæ à propoſito cecidit, appareat eſſe damnatam, ſiue ſubſequantur nuptiæ, ſiue deſint. Proinde qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potiùs adulteria, nõ videntur mihi ſatis acutè ac diligẽter conſiderare quid dicant. Fallit eos quippe ſimilitudo veritatis, &c. Hæc ſunt, opinor, verba, quibus innititur obiectio Philippi, quibus ſuperiora nos adiecimus, vt præter totius operis argumentum, quod eſt de bono viduitatis, ipſe curſus orationis & tenor oſtendat, hic nullam monachatus aut monaſterij fieri mentionem. Loquitur enim Auguſtinus de viduis illis, quibus Paulus dicit: Volo autem iuniores nubere, & alibi: Cùm in delicijs egerint, in Chriſto nubere volunt, quas nõ fuiſ- 1. Tim. 5. ſe Monachas, nec id aggreſſas, quod monachatus hodiè profitetur, vel Philippus ipſe concedet. Firmauerant quidem cælibatus propoſitũ voto, ſed priuato, quod ſacramẽti viribus non poteſt obſiſtere. Quòd ſi quæras, quæ ſit ratio, cur ſolemnitas tantum virium addat profeſſioni, quæ ab ipſo profitentis animo magis, quàm à ſolemnitate, quæ prorſus extima eſt, proficiſcitur, hæc iam quæſtio alia eſt, & ab obiectione longè diuerſa, necijs, qui Eccleſiæ decretis non ac-

quieſcunt, deerunt vnquam huiuſmodi interminabiles quæſtiones. Nos tantum oſtendere voluimus, Auguſtinum nó eſſe de votis monaſticis loquutú, cùm ratas vult eſſe nuptias, quæ promiſſæ continétię ſuperueniunt, ſed de voto priuato, cui etiam oſtendit fuiſſe quondam Catholicos, qui vim tribuerét dirimendi, aut certè prohibendi cóiugia, & efficiendi, vt non cóiugia eſſent, ſed adulteria. Tanta fuit ſemper ab ipſis etiam Apoſtolorum temporibus votorum poteſtas & obſeruatio, quæ hodiè vt impia (ſi diuis placet) hominum cómenta proſcinduntur à Philippo, quem rurſus audiamus.

Olim monaſteria erant ſcholæ ſacrarum litterarum & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt vtiles eccleſiæ, & ad diſcendum Monachi conueniebant. Nunc fingunt institutum eſſe vitæ genus, ad promerendam remiſſionem peccatorum.

Monachorum collegia ſcholas eſſe ſacrarum litterarum vehemẽter optamus, & quædam eſſe videmus, alioqui non produxiſſent tot ſapientium centurias optimis diſciplinis inſtructas aduerſus Eccleſię allophilos. Certè nos, quotquot hactenꝰ incoluimus noſtri ordinis cœnobia (habitauimus auté Burgis, Valladoliti, & Salamancæ) ſcripturas ſacras, aut illarum grauiores interpretes monachis ſemper enarrauimus. Falſum tamen eſt olim monaſteria non fuiſſe niſi diſciplinarú ſcholas: id quod Baſilij, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Ioannis demum Caſſiani ſcripta apertè declarant, tametſi ſcripturarum ſanctarum pia magis & ſimplex, quam tumida & artificioſa lectio ac meditatio frequens primum locum ſibi in monaſticis exercitamentis obtineat. Omnium vero abſurdiſſimú eſt, quod Philippus ex ſuperioribus velut irrefragabilibus axiomatis colligit.

Error eſt pernicioſiſſimus, ſentire quod euangelica perfectio ſit in traditionibus humanis. Nam ita etiam Mahumetiſtarum monachi gloriari poſſunt, ſe habere perfectionem Euangelicam.

Hoc vt vaniſſimum eſt, ita ineptiſſimè ſimul & malitioſiſſimè in nos colligitur. Quid enim ad nos attinet obiectio Mahumetici monachatus? Num ſignificare vult, nos perfici credere abſque Chriſto & eius fide? Hæc Mahumetica verba ſibi concinant Lutherani, qui auſi ſunt docere non obeſſe Chriſtiano, ſi omnes externos eccleſiæ ritus negligat, & vniuerſos Turcarum, etiam circumciſionem, accipiat, id quod ne quis me ſtudio mentitum exiſtimet, in eo libello memini me legiſſe, quem Philippus Hypotipoſes appellat, vbi eſt illud quod commemoraui de baptiſmo. Nos, quamdiu homo ex corpore conſtat & animo, credimus vtroque pietatem eſſe præſtandam, idque non ad nutum etiam cuiuſuis Catholici, nedú pſeudoprophetæ, ſed ſcripturarum ſanctarum & eccleſiæ præſcripto.

Regnum Dei eſt iuſtitia & vita in cordibus, ideo perfectio eſt creſcere timorem Dei, fiduciam miſericordiæ promiſſam in Chriſto, & curam obediendi vocationi, ſicut & Paulus deſcribit perfectionem: Transformatur à Charitate in charitatem, tanquam à domini ſpiritu. Non ait, alium ſubinde cucullum accipimus, aut alios calceos, aut cingula.

Hoc etiam quis vnquam negauit Philippo? Quærat quos hæc tam recondita doceat, monachi iam dudum ætates iſta norunt, nec quicquam aliud profitentur. Addendum tamen erat ad perfectionem timori & fiduciæ amor, quem Paulus dicit eſſe vinculum perfectionis. Huic maximè aduerſatur ea, quam Græci philautiam vocant, hoc eſt, amor ſui, omnium malorú fons & origo, atque adeo, vt Auguſtinus dicit, Babylonis ciuitatem & regnum diaboli conſtituens, quemadmodú charitas, quod omnium bonorum parens ſit, regnum Chriſti efficit. Paulus ad Timoth. enarrans ſcelera, quę futura inter Chriſtianos 2.Tim. 3. poſtremis temporibus vaticinatur, ab amore proprio, ceu ab vniuerſorum capite incipit, & in voluptatum libidinem & amorem deſinit. Monachi ergo, qui vere, quod profitentur, eſſe conantur, vt ad charitatis perfectioné peruenire valeant, odium ſui aduerſus philautiam meditantur, illud inquam odium, de quo Chriſtus: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æterná cuſtodit eam. Vndè & perpetuum bellum ſibi indixerunt ieiunijs, vigilijs, & laboribus, carnis libidinibus, & concupiſcentiæ aduerſantes, nó quod in his credant ſitam eſſe perfectionem, ſed vt intelligant, quò magis ſui contéptum & odium mens Chriſtiana conceperit, eò feruétius in Dei amoré & fiduciam idéidem erigi, prouehi, perfici, conſummari, & inter hæc dum caro inedia & ſquallore propemodú confecta, minus inſoleſcit, minuſq; obſtat ſpiritui perfectionem meditanti, fit, vt quod Apoſtolus ait, quãtum exterior noſter homo deficit, ac viribus deſtituitur, tantum interior renouetur & perficiatur. 2.Cor.4.

Poſt tã multa ſcripturarú loca, quæ nobis obiecta ſunt in Cófeſſione, poſt impietates & errores, quos ex illis aduerſum nos colligit Philippus, conatur etiam noſtrorũ argumétationibus reſpondere, & teſtimonia producta refellere. Principio, ne qua poſſimus ab eius nó obiectionibus modo, verú & contumelijs euadere, agnoſcit immodicas profeſſionis noſtræ laudes tẽperaſſe Gerſoné, quoniam ſcripſit monachatú nó eſſe perfectioné, ſed ſtatum acquirédę perfectionis. Nos, quos authores habeat profeſſio monachorũ, & quos ſuę laudis patronos atque pręcones, ſuperius expoſuimus, nempe Chriſtú, Apoſtolos,

los, & ne hos non intelligere nos cauilletur Philippus, Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Auguſtinos, quorum multi iuſtis lucubrationibus, integris libris cauſam noſtram ſuſceperunt, laudes extulerunt, profeſſionẽ prædicauerunt, non aduerſus Lutherum & eius errores, quem tunc temporis non timebant Monachis ſuccenſurum, ſed pro veritate, qua ſolet ad ſui commendationem & laudes vltro inuitare ſapientes. Hi omnes non dubitant pronunciare, monachatum perfectionem eſſe Chriſtianam. Quorum ſententiam explicuit D. Thomas & Monachus, & Gerſone aliquot ſeculis antiquior, vt apparet, cum ijs locis, quorum paulò antè meminimus, tum verbis, quæ hac de re, eadẽ ſummæ theologicæ parte quæſt. 186. art. 1. ad argumenta, quæ ſibi obiecerat, ipſe reſpondet. Dicẽdum eſt, inquit, quod ſicut dictum eſt, religio nominat ſtatum perſectionis ex intentione finis. Vnde non oportet, quod quicunque eſt in religione, ſit perſectus, ſed quod ad perfectionem tendat. Profeſſionis ergo noſtræ locum & conditionem nos ipſi agnoſcimus, etiam ſi nunquã admoneremur à Gerſone. Sed nec hoc temperamentum probat Philippus. Hoc inquit, ſi ſequimur, nihil erit magis monaſtica, ſtatus perfectionis, quam vita agricolæ aut fabri, nam hi quoque ſunt ſtatus acquirendæ perfectionis. Omnes enim homines in quacunque vocatione perfectionem expetere debent, hoc eſt, creſcere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi, & ſimilibus virtutibus, &c. Optimè quidem, at non hic agimus de his, qui debent expetere perfectionem, ſed an omnes perfectiones, an omnia exercitamenta æquè conferant ad perfectionem, & an illam omnium hominum inſtituta & vitę genera aggrediantur, & vtrum monaſtica præcellat in hoc vniuerſis vitæ ciuilis inſtitutis. Nam ſacerdotibus ac cæteris hierarchis fatemur, quàtenus monachi tantum ſumus, impares nos eſſe profeſſionis dignitate. Nec magis ſunt ad propoſitum exempla veterum monachorum, quæ producit Philippus, quibus exemplis æquati angelica reuelatione leguntur laici quidam ſummis anachoretis, quando non hic de meritorum collatione diſſerimus, in quibus pręſtare poteſt ſordibus lixa primis in Eccleſia viris, ſed de vitæ generibus in communi, de quibus negari non poteſt, quin quædam proprius accedant ad pietatem, quam alia.

CONFESSIONIS AVGVSTANAE EX PROTOTYPO deſumptæ Articulus De Poteſtate Eccleſiaſtica.

MAgnæ diſputationes olim fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiſcuerũt poteſtatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem gladij: & ex hac confuſione maxima bella, maximi motus extiterunt. Dum Pontifices freti poteſtate clauium, non ſolum nouos cultus inſtituerunt, reſeruatione caſuum violentis excommunicationibus conſcientias onerauerunt, ſed etiam regna mundi transferre, & imperatoribus adimere imperium conati ſunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Eccleſia homines pij & eruditi. Itaque noſtri ad conſolandas conſcientias coacti ſunt oſtendere diſcrimen Eccleſiaſticæ poteſtatis, & poteſtatis gladij. Et docuerunt vtranque propter mandatum Dei religioſè venerandam, & honore afficiendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Sic autem ſentiunt: poteſtatem clauium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum iuxta Euangelium poteſtatem eſſe, ſeu mandatum Dei prædicandi Euangelij, remittendi, & retinendi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta. Nam cùm hoc mandat Chriſtus, mittat Apoſtolos, Sicut miſit me pater, ita ego mitto vos, accipite ſpiritumſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Et Marci xvi. Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Hæc poteſtas exercetur tantum docendo, ſeu prædicando verbum, & porrigendo ſacramenta, vel multis, vel ſingulis iuxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, ſed res æternæ, iuſtitia æterna, ſpiritusſanctus, vita æterna. Hæc non poſſunt contingere, niſi per miniſterium verbi & ſacramentorum, ſicut Paulus dicit, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Itaque cum poteſtas eccleſiaſtica cõcedat res æternas, & tantum exerceatur per miniſterium verbi, non impedit politicam adminiſtrationem, ſicut ars canendi nihil impedit politicam adminiſtrationem. Nam politica adminiſtratio verſatur circa alias res quam Euangelium: Magiſtratus defendit non mẽtes, ſed corpora, ſed res corporales aduerſus manifeſtas iniurias, & coercet homines gladio & corporalibus pœnis, vt iuſtitiam ciuilem & pacem retineant. Euangelium defendit mentes aduerſus impias opiniones, aduerſus diabolum, & mortem æternam.

Hæc clauſula exemplaria Vuitemberg. prorſus intermiſerant.

Non igitur commiſcendæ ſunt poteſtates eccleſiaſtica & ciuilis. Eccleſiaſtica ſuum mandatum

datum habet Euangelij docendi, adminiſtrandi Sacramenta, non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut cõtractibus, non præſcribat leges Magiſtratibus de forma Reipub. Sicut dicit Chriſtus: Regnum meum non eſt de hoc mundo, item, Quis conſtituit me iudicem aut diuiſorem ſuper vos, Paulus ait Philip. iij. Noſtra politia in cælis eſt. ij. Corinth. x. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Dei, ad deſtruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum diſcernunt noſtri vtriuſque poteſtatis officia, & iubent vtranque honore afficere, & agnoſcere, vtranque Dei donum & beneficium eſſe. Si quam habẽt Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent vt Epiſcopi mandato Euangelij, ſed iure humano donatam à Regibus & Imperatoribus ad adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorum. Hæc interim alia functio eſt, quàm miniſterium Euangelij.

Cũ igitur de iuriſdictione Epiſcoporũ quæritur, diſcerni debet Imperiũ ab eccleſiaſtica iuriſdictione. Porrò ſecũdũ Euãgeliũ, ſeu vt loquũtur de iure diuino, 1. hæc iuriſdictio cõpetit Epiſcopis, vt Epiſcopis, hoc eſt, his, quibus eſt cõmiſſũ miniſteriũ verbi & ſacramẽtorũ, remittere peccata, doctrinã ab Euãgelio diſſentientẽ reijcere, & impios, quorũ nota eſt impietas, excludere à cõmunione Eccleſiæ, ſine vi humana, ſed verbo. Hic neceſſario & de iure diuino debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiã iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Aſt, cũ aliquid cõtra Euangeliũ docent aut ſtatuunt, tũc mandatũ Dei habẽt Eccleſiæ, quod prohibet obedire. Matth. vij. Cauete à Pſeudoprophetis. Galat. 1. Si Angelus de cælo aliud euãgelium euãgelizauerit, anathema ſit. ij. Corin. xiij. Nõ poſſumus aliquid cõtra veritate, ſed pro veritate. Itẽ: Data eſt nobis poteſtas ad ædificationẽ, nõ ad deſtructionẽ. Sic. ii. & Canones præcipiunt, ij. q. vij. ix. cap. Sacerdotes, & cap. Oues. Et Auguſtinus cõtra Petiliani epiſtolam, inquit: Nec Catholicis Epiſcopis cõſentiendũ eſt, ſicubi fortè falluntur, aut contra canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiunt, ſi quam habent aliam ſiue poteſtatem, ſiue iuriſdictionem, in cognoſcendis certis cauſis, videlicet Matrimonij, aut decimarum, &c. hanc habent humano iure, vbi ceſſantibus ordinarijs coguntur Principes vel inuiti, 2. retinendæ publicæ pacis cauſa, ſubditis ius dicere.

1. Exẽplaria Vuitẽbergenſia anni 1531 mutatis duabus vocul is, hanc ſententiã interuerterunt, ſic nanque habẽt: Nulla iuriſdictio cõpetit Epiſcopis vt Epiſcopis, hoc eſt, his, quibus eſt cõmiſſum miniſterium verbi & ſacramentorum, niſi remittere peccata, item cognoſcere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio. &c.

2. Hanc clauſulam Retinendæ publicæ pacis cauſa, ſubditis ius dicere, ad hunc modum legũt Exẽplaria Vuitemberg anni 1531. Suis ſubditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præter hæc diſputatur, vtrum Epiſcopi ſeu Paſtores habeant ius inſtituẽdi cæremonias in Eccleſia, & leges de cibis, ferijs, gradibus miniſtrorum, ſeu ordinibus condendi. Hoc ius qui tribuunt Epiſcopis, allegant teſtimonium: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant & exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine & ſuffocato. Allegant ſabbathum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur, quàm mutatio ſabbathi, magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſauerit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæſtione noſtri ſic docent, quod Epiſcopi non habeant poteſtatem conſtituendi aliquid contra Euangelium, vt ſupra oſtenſum eſt, idem docent & Canones ix. diſtinctio per totum. Porrò contra ſcripturam eſt, traditiones condere, 3. vt per earum obſeruationem ſatisfaciamus pro peccatis, aut mereamur iuſtificari. Læditur enim gloria meriti Chriſti, cum talibus obſeruationibus iuſtificari nos ſentimus. Conſtat autem, propter hãc perſuaſionem in Eccleſia penè in infinitum creuiſſe traditiones, oppreſſa interim doctrina de fide, & de iuſtitia fidei, quia ſubinde plures feriæ factæ ſunt. Ieiunia indicta, cæremoniæ nouæ, ordines noui inſtituti, quia arbitrabantur ſe authores talium rerum his operibus mereri gratiam. Sic olim creuerunt Canones Pœnitentiales, quorum adhuc in ſatisfactionibus veſtigia quædam videmus.

3. Exemplar anni 1531. Vuittemberg. in quarto ſic legit: Vt per eã obſeruationẽ ſatisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam & iuſtitiam. Exẽplar verò eiuſdem anni in octauo habet: Vt per eam obſeruationem mereamur remiſsionem peccatorum, & ſatisfaciamus pro peccatis.

4. Item authores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, diebus, & ſimilibus rebus, & onerant eccleſiam ſeruitute legis, quaſi oporteat apud Chriſtianos ad promerendam iuſtificationem cultum eſſe ſimilem Leuitico, cuius ordinationem commiſerit Deus Apoſtolis & Epiſcopis: ſic enim ſcribunt quidam, & videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Moſaicæ decepti eſſe: Hinc ſunt illa onera, quod peccatum mortale ſit etiam ſine offenſione aliorum, in ferijs laborare manibus, quod certi cibi polluunt conſcientiam, quod ieiunia non naturæ, ſed afflictiua ſint opera placantia Deum, quod peccatum mortale ſit omittere horas canonicas, quod peccatũ in caſu reſeruato non poſſit remitti, niſi acceſſerit authoritas reſeruantis, cum

ipſi

ipſi canones hic non de reſeruatione culpæ, ſed de reſeruatione pœnæ Eccleſiaſticæ loquũtur. Vnde habent ius Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſiis ad illaqueandas conſcientias? cum Petrus vetet imponere iugum diſcipulis, cum Paulus dicat: Poteſtatem ipſis datam eſſe ad ædificationem, non ad deſtructionem. Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verum exſtant clara teſtimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam neceſſarias ad ſalutem. Paulus Coloſ. ij. Nemo vos iudicet in cibo & potu, parte diei feſti, nouilunio, aut ſabbathis. Item, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? non attinges, non guſtes, non contractes, quæ omnia pereunt vſu, & ſunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ. Ad Timotheum iij. Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum aduerſantium veritati.

4. Exemplar Vuittenberg. anni 1531. in octaua forma multum hic diſſidet ab Originali, vſque ad illam clauſulam: Paulus Coloſſ. 2. &c. Sic enim habet: Item plerique ſcriptores fingunt, in nouo Teſtamento oportere cultum ſimilem eſſe Leuitico, cuius ordinationem commiſerit Dominus Apoſtolis & Epiſcopis. Et videntur ſcriptores exemplo legis Moſaicæ decipi, quaſi iuſtitia noui teſtamenti ſit externa obſeruatio certorum rituum, ſicut iuſtitia legis erat externa obſeruatio certorum rituum. Sicut igitur in lege peccatum erat edere ſuillam, &c. ita in nouo Teſtamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in veſtitu, & ſimilibus rebus. Et exiſtimant ſine his rebus iuſtitiam noui Teſtamẽti non poſſe exiſtere. Hinc ſunt illa onera, quod certi cibi polluant conſcientiam, quod horas Canonicas omittere ſit mortale peccatum, quod ieiunia mereantur remiſſionem peccatorum, quod ſint neceſſaria ad iuſtitiam noui Teſtamenti, quod peccatum in caſu reſeruato non poſſit remitti, niſi acceſſerit authoritas reſeruantis, cum quidem ipſi Canones tantum de reſeruatione pœnæ loquantur, non de reſeruatione culpæ.

Vnde habent ius Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſiis ad grauandas conſcientias? Exſtant enim clara teſtimonia, quæ prohibent condere tales traditiones, vel ad promerendam remiſſionem peccatorum, vel tanquam neceſſarias ad iuſtitiam noui teſtamenti, aut ad ſalutem.

Chriſtus Matth. xv. inquit, de his, qui exigunt traditiones: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.

Si ius habent Epiſcopi talibus traditionibus onerandi conſcientias, cur toties prohibet ſcriptura condere nouas traditiones? Cur vocat eas doctrinas dæmoniorum? num fruſtra hæc præmonuit ſpiritus ſanctus.

Relinquitur igitur cum ordinationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ iuſtificationis pugnent cum Euangelio, quod non liceat vllis Epiſcopis tales cultus inſtituere, aut tanquam neceſſarios exigere. Neceſſe eſt enim in Eccleſiis retineri doctrinam de libertate Chriſtiana: quod non ſit neceſſaria legis ſeruitus ad iuſtificationem, ſicut in Galatis ſcriptum eſt: Nolite iterum iugo ſeruitutis ſubijci. Neceſſe eſt retineri præcipuum Euãgelij locum, quod gratiam per fidem in Chriſtum conſequamur, non per certas obſeruationes, aut propter cultus ab hominibus inſtitutos.

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico, & ſimilibus ritibus templorum?

Ad hæc reſpondent, quod liceat Epiſcopis ſeu Paſtoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Eccleſia, non vt per eas ſatisfaciamus pro peccatis, aut obligẽtur cõſcientiæ, vt iudicent eſſe neceſſarios cultus. Sic Paulus ordinat, vt in congregatione mulieres velent capita, & ordine audiantur in Eccleſia interpretes, &c.

Talibus ordinationibus conuenit Eccleſias propter charitatẽ, ac trãquillitatem obtẽperare, eaſq́; ſeruare, eatenus ne alij offendãt alios, ſed vt ordine & ſine tumultu omnia fiant in Eccleſiis: verum ita ne conſcientiæ oneremur, vt ducant eſſe res neceſſarias ad ſalutem, ac iudicent ſe peccare, cum violãt eas, ſine ſcandalo, ſicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit ſine offenſione hominum.

Talis eſt obſeruatio diei domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium feriarum & rituum. Nam qui iudicãt Eccleſiæ authoritate pro ſabbatho inſtitutã eſſe diei Dominici obſeruationem, tãquam neceſſariam, non rectè ſentiunt. 5. Scriptura abrogauit ſabbathum, non Eccleſia. Nam poſt reuelatum Euangelium oẽs cæremoniæ Moyſaicæ omitti poſſunt. Et tamen quia opus erat conſtituere certum diem, vt ſciret populus quando conuenire deberet, apparet Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem Dominicum, quia ob hãc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, vt haberẽt homines exẽplum Chriſtianæ libertatis, &

5. Exemplar Vuittebergen. anni 1531. in quarto ſic habet: Scriptura abrogauit ſabbathum. quæ docet omnes cæremonias Moyſaicas, poſt reuelatum Euangelium omitti poſſe. Exemplar vero eiuſdem anni in octauo legit: Scriptura concedit vt obſeruatio ſabbathi nunc ſit libera. Docet enim cæremonias Moyſaicas poſt reuelatum Euangelium nõ neceſſarias eſſe. Et tamen, &c.

ſcirent nec ſabbathi, nec alterius diei obſeruationem neceſſariam eſſe. Extāt prodigioſæ diſputationes de mutatione legis, de cæremonijs nouæ legis, de mutatione ſabbathi, quæ omnes ortæ ſunt ex falſa perſuaſione, quod oporteat in Eccleſia cultū eſſe ſimilem Leuitico, & quod Chriſtus commiſerit Apoſtolis & Epiſcopis excogitare nouas cæremonias, quæ ſint ad ſalutē neceſſariæ. Hi errores ſerpſerunt in Eccleſiam, cum iuſtitia fidei nō ſatis clarè doceretur. Alij diſputant diei Dominici obſeruationem, non quidē iuris diuini eſſe, ſed quaſi iuris diuini. Præſcribunt de ferijs, quatenus liceat operari. Huiuſmodi diſputationes quid ſunt aliud, quàm laquei conſcientiarum? Quanquam enim conentur epikizare traditiones, tamē nunquam poteſt æquitas deprehendi, donec manet opinio neceſſitatis, quam manere neceſſe eſt, vbi ignorantur iuſtitia fidei, & libertas Chriſtiana. Apoſtoli iuſſerunt abſtinere à ſanguine, &c. quis nūc obſeruat? neque tamen peccant, qui non obſeruant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſeruitute, ſed ad tempus prohibuerunt, propter ſcādala. Eſt enim perpetua voluntas Euangelij conſideranda in decreto. Vix vlli Canones ſeruantur accuratè, & multi quotidie exoleſcunt, apud illos etiam qui diligentiſſimè defendūt traditiones. Nec poteſt cōſciētijs cōſuli, niſi hæc æquitas ſeruetur, vt ſciamus eos ſine opinione neceſſitatis ſeruari, nec lædi conſcientias, etiamſi quid immutet vſus hominum in tali re.

Facile autem poſſunt Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non vrgerent ſeruare traditiones, quæ bona conſcientia ſeruari non poſſunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, niſi iurēt ſe purā Euangelij doctrinā nolle docere. Non petūt Eccleſiæ noſtræ vt Epiſcopi honoris ſui iactura, ſarciant concordiam, quod tamen decebat bonos paſtores facere, tātum petūt vt iniuſta onera remittāt, quæ noua ſunt, & præter conſuetudinē Eccleſiæ Catholicæ recepta, fortaſſis initio habuerūt iſtæ cōſtitutiones probabiles cauſas, quæ tamen poſterioribus tēporibus nō congruunt. Apparet etiam quaſdā errore receptas eſſe, quare Pontificiæ clementiæ nunc eſſet illas mitigare, quia talis mutatio non labefacit Eccleſiæ vnitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ ſunt, vt oſtendunt ipſi Canones, quod ſi nō poteſt impetrari vt relaxētur obſeruationes, quæ ſine peccato nō poſſunt præſtari, oportet nos regulā Apoſtolorū ſequi, quæ præcipit Deo magis obedire, quàm hominibus. Petrus vetat Epiſcopos dominari, & Eccleſias cogere. Nō id nunc agitur, vt de dominatione ſua cedāt Epiſcopi, ſed hoc vnum petitur, vt patiantur Euāgelium purè doceri, & relaxēt paucas quaſdā obſeruationes, quæ ſine peccato ſeruari non poſſunt. Quod ſi nō facient, ipſi viderint quomodo Deo rationem reddituri ſint, quod hac pertinacia cauſam ſchiſmatis præbent.

Editiones Vuitteberg. anni 1531. legunt: Petrus vetat Epiſcopos dominari, & Eccleſiis imperare. Non id nunc agitur.

Recenſuimus præcipuos Articulos, qui videntur habere controuerſiam: quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat, tamen vt fugeremus prolixitatem, præcipua complexi ſumus. Magnæ querelæ fuerunt de Indulgentijs, de peregrinationibus, de abuſu excōmunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per ſtationarios. Infinitæ contentiones fuerūt Paſtoribus cùm Monachis, de iure Parochiali, de confeſſionibus, de ſepulturis, & alijs innumerabilibus rebus. Huiuſmodi negocia prætermiſimus, vt illa, quæ ſunt in hac cauſa præcipua, breuiter propoſita facilius cognoſci poſſent, neque hic quicquam ad vllius contēptum, vel contumeliam dictum aut collectum eſt.

Tātum ea recitata ſunt, quæ videbantur neceſſario dicenda eſſe, vt intelligi poſſet, in doctrina ac cæremonijs nihil apud nos eſſe receptum, contra ſcripturam, aut Eccleſiam Catholicam, quia manifeſtum eſt, nos diligētiſſime cauiſſe, ne qua noua & impia dogmata in Eccleſias noſtras ſerperent.

Hos Articulos ſupra ſcriptos voluimus exhibere iuxta Edictum C. M. in quibus Cōfeſſio noſtra exſtaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ ſumma cerneretur, ſi quid in hac Confeſſione deſiderabitur, parati ſumus latiorem exhibere, Deo volente, iuxta ſcripturæ informationem.

Cæſareæ Maieſtatis veſtræ fideles
& ſubditi.

Ioannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgēſis.
Erneſtus.
Philippus Haſſiæ cum ſuis.
Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ.
Franciſcus Dux Lunenburgenſis.
VVolfgangus Princeps de Anhalt.
Senatus, Magiſtratuſq; Nurnbergēſis.
Senatus Reutlingenſis.

Con-

Confeſſionis Annò 1540. variatæ, Articulus De poteſtate Eccleſiaſtica.

MAgnæ diſputationes fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiſcuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem gladij. Et ex hac confuſione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti poteſtate clauium, non ſolum nouos cultus inſtituerunt, reſeruatione caſuum, violentis excommunicationibus conſcientias onerauerunt, ſed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere Imperium conati ſunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Eccleſia homines pij & eruditi. Itaq; noſtri ad conſolandas conſcientias, coacti ſunt oſtendere diſcrimen eccleſiaſticæ poteſtatis, & poteſtatis gladij, & docuerunt, vtramq; propter mandatum Dei religioſè venerandã & honore afficiendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Sic autem ſentiunt poteſtatem clauium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum iuxta Euangelium eſſe poteſtatem ſeu mandatum Dei prædicandi Euangelij, remittendi & retinẽdi peccata, & adminiſtrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Chriſtus mittit Apoſtolos: Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritumſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retẽta ſunt. Marci 16. Ite, prædicate Euãgelium omni creaturæ, &c.

Hæc poteſtas tantum exercetur docendo ſeu prædicando Euangelium, & porrigendo ſacramenta vel multis vel ſingulis iuxta vocationem, quia cõceduntur non res corporales, ſed res æternæ, iuſtitia æterna, Spiritusſanctus, vita æterna. Hæc non poſſunt contingere niſi per miniſterium verbi & ſacramentorum. Sicut Paulus dicit: Euangelium eſt potẽtia Dei, ad ſalutem omni credenti. Itaq; cum poteſtas Eccleſiaſtica concedat res æternas, & tantum exerceatur per miniſterium verbi, non impedit politicam adminiſtrationem, ſicut ars canẽdi, nihil impedit politicam adminiſtrationem. Nam politica adminiſtratio verſatur circa alias res, quàm Euangelium. Magiſtratus defendit non mentes, ſed corpora & res corporales, aduerſus manifeſtas iniurias, & coercet homines gladio & corporalibus pœnis, vt iuſtitiam ciuilem & pacem retineat.

Non igitur commiſcendæ ſunt poteſtates Eccleſiaſtica & ciuilis. Eccleſiaſtica ſuum mandatum habet, Euangelij docendi, & adminiſtrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, non præſcribat leges magiſtratibus de forma Reipub. ſicut dixit Chriſtus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Item: Quis conſtituit me iudicem aut diuiſorem ſuper vos? Et Paulus ait Philip. 3. Noſtra politia in cælis eſt. 2. Cor. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Dei ad deſtruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum diſcernunt noſtri vtriuſque poteſtatis officia, & iubent vtramq; honore afficere, & agnoſcere, vtramq; Dei donũ & beneficium eſſe.

Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent vt Epiſcopi ex mandato Euangelij, ſed iure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, & adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorum. Hæc interim alia functio eſt, quàm miniſterium Euangelij.

Cum igitur de iuriſdictione Epiſcoporum quæritur, diſcerni debet Imperium ab Eccleſiaſtica iuriſdictione. Porrò ſecundum Euangelium, ſeu vt loquũtur, de iure diuino, nulla iuriſdictio competit Epiſcopis, vt Epiſcopis, hoc eſt, his, quibus eſt commiſſum miniſterium verbi, & Sacramentorũ, niſi remittere peccata. Item, cognoſcere doctrinam, & doctrinã ab Euãgelio diſſentientem reijcere, & impios, quorum nota eſt impietas, excludere à cõmunione Eccleſiæ, ſine vi humana, ſed verbo. Hic neceſſariò, & de iure diuino debẽt Eccleſiæ præſtare obedientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent aut ſtatuunt, tunc habent Eccleſiæ mãdatum Dei, quod obedientiam prohibet. Matth. 7. Cauete à pſeudoprophetis. Galat. 1. Si Angelus de cælo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema ſit. 2. Corinth. 13. Non poſſumus aliquid contra veritatem, ſed pro veritate. Item, Data eſt nobis poteſtas ad ædificationem, nõ ad deſtructionem. Sic & Canones præcipiunt. 2. q. 7. cap. ſacerdotes, & cap. Oues. Et Auguſtinus contra Petiliani epiſtolam inquit: Nec Catholicis Epiſcopis aſſentiendum eſt, ſicubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiunt.

Si quam habent aliam vel poteſtatem vel iuriſdictionem in cognoſcẽdis certis cauſis, videlicet

videlicet Matrimonij aut Decimarum, &c. Hanc habent humano iure, vbi ceſſantibus ordinarijs, coguntur Principes vel inuiti ſuis ſubditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præter hæc diſputatur, vtrum Epiſcopi ſeu Paſtores habeant ius inſtituendi cæremonias in Eccleſia, & leges de cibis, ferijs, gradibus miniſtrorum, ſeu ordinibus, &c. condendi. Hoc ius qui tribuit Epiſcopis, allegant teſtimonium, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine & ſuffocato. Allegant ſabbatum mutatum in diem Dominicum cõtra Decalogum, vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur, quàm mutatio ſabbati. Magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſauerit de præcepto Decalogi.

Quoties aũt de hoc loco diſſerimus, ſtatim clamitãt aduerſarij, labefactata authoritate Epiſcoporum, fieri ἀταξίαν, non poſſe mores populi gubernari, non coerceri vulgi petulãtiam, deniq; ſequi Cyclopicam vitam, qualis ab Euripide in hoc verſu deſcribitur: νομάδες, ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός. Queruntur & abrogatis legibus aliquibus, vulgus exemplum transferre ad omnes leges, & excuſsis vinculis ac frenis diſciplinæ, ſumere ſibi infinitam licẽtiam, quæ ſcandala innumera, diſtractiones Principum, diſſipationes Eccleſiarum, ſeditiones, bella, & vaſtitates parit. Deinde oſtendũt, quàm ſit inimica generi humano ἀναρχία, & ex hoc fonte, quantum in omnem vitam vitiorum & calamitatum exundet.

Monent igitur ad hæc tanta mala vitanda, ſtabiliendam eſſe authoritatem Epiſcoporũ, retinendas leges vſitatas, in quibus etiam, ſi qua ſint incommoda, hæc docent condonanda eſſe communi hominum imbecillitati, propter tranquillitatem diſſimulanda, præſertim cum nullus conſtitui ſtatus poſſit, qui prorſus ſit ſine vitio. Allegãt huc vetus illud τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον. Commemorant exempla motis legibus, aut mutata politiæ forma in ciuitate Attica, Spartana, Romana, & alijs, quæ clades ſequutæ ſint. Romæ diſſenſiones cõſulum & Tribunorum quoties ciuilia bella excitarunt?

Quanquam autem Senatoriæ hæ cõciones admodum plauſibiles ſunt, & multorum animos aduerſus nos incendunt, tamẽ veris & honeſtiſſimis argumẽtis refutari poſſunt. Primũ igitur petimus, vt illi accuſatores noſtri hiſtoriam Eccleſiæ omnium temporum intueantur. Nec putẽt ſummos viros Prophetas, & Apoſtolos fuiſſe ſine cõſenſu cõmuni, ac adeò ferreos, vt tranquillitatẽ patriæ nõ amarint, aut adeò immanes, vt diſciplinã, leges, Regni εὐταξίαν nõ maxime fecerint. Hi verò ſapientiſſimi, optimi, & moderatiſſimi viri Eſaias, Ionas, Ieremias, Baptiſta, Chriſtus, Petrus, Iacobus, Paulus; & intelligebant quantũ bonum ſit ciuilis concordia, & amabant ſuos, amabant patriam, magno cum dolore ſpectabãt diſſidia, & dilacerationem pulcherrimæ politiæ. Quoties illachrymat Chriſtus, loquẽs de diſcordijs & ſeditionibus gẽtis & vrbis excidio. Quanquam igitur illa ciuilia officia & norant optime, & maxime amabãt Prophetæ & Apoſtoli, tamẽ cogebantur mandato diuino belligerari cũ regno Diaboli, proponere cæleſtem doctrinã, colligere Deo Eccleſiam, & ſeruire ſaluti æternæ multorũ hominũ. Hæ ſunt primæ leges anteferendæ cæteris omnibus: Non habebis Deos alienos. Non vſurpabis nomẽ Dei vane. Item de filio Dei: Hic eſt filius meus dilectus, hũc audite. His legibus neceſſe eſt obtemperare, neceſſe eſt veram de Deo doctrinã, veros cultus cõplecti, & fugere errores cõtumelioſos in Deum vel ſi fractus illabatur orbis. Nulla res humana his Dei mandatis anteferenda eſt, non vita noſtra, non amici, non ciuium concordia.

Moyſes vir ſapiẽtiſſimus, & haud dubie politicus, imponit tribui Leuiticæ munus docẽdi, ac ſciens qualia ſint doctorũ certamina, & pericula præmonet de eo, quod iudicabat eſſe difficillimum, & iubet anteferri defenſionem veræ doctrinæ. Sic enim ait Deuter. 33. Hi cuſtodient eloquium tuum, qui parentes, fratres liberos obliuiſcentur.

Experimur & ipſi non leue onus impoſitum eſſe docentibus, ſæuitur in noſtros multis locis: nos ipſi duriter premimur. Ipſa etiam patriæ diſcordia nobis ingẽtem dolorem affert. Sed vt dictum eſt, neceſſe eſt his magnis incommodis anteferre mandatũ Dei, de vera doctrina amplectenda, & abijciendis erroribus. Nec nobis ignota ſunt ea, quæ à prudentibus de legũ mutationibus ſcripta ſunt. Meminimus illam Platonis vocem, vt delirantium parẽtum, ita deſipientis patriæ mores ferendos eſſe. Sed hæc præcepta ſuas metas habent. Ferẽda eſt ſeruitus ſine impietate, non probanda eſt Idolomania, non Euangelij lumen extinguendum.

Deinde cur nobis aduerſarij noſtri cõcionantur de hac moderatione, cũ ipſi interim ciues, & mẽbra Chriſti interficiant. Facile poſſẽt ſarcire cõcordiam, & ordinis authoritatẽ tueri,

ſi vi-

ſi vitioſos cultus, & iniuſtas leges abolerent. Nunc dimicant non de Eccleſiæ ſalute, ſed de ſuis opibus, & voluptatibus. Nolunt reprehendi εἰδωλομανίας in Miſſa & inuocatione Sanctorum, quia nolũt diminui quæſtum, defendunt vagas libidines, quia cœlibatus vtilis eſt retinendis opibus. Hæc nemo non videt. Quare Senatorias illas conciones omittant, in quibus, vt verbis vtar Poetæ veteris, σεμνοῖς λογοῖσιν αἰσχρὰ μηχανώμενοι, ſpecioſo prætextu non toleranda flagitia confirmare ſtudent.

Adijcio & alteram defenſionis noſtræ partem veram & ſimplicẽ, non facimus ἀναρχίαν. Docemus maxime venerãdum eſſe miniſterium Euangelij, & obedientiam ei deberi, in his, quæ iuxta Euangelium propria ſunt eius miniſterij. Impius & execrandus eſt, qui ſpecioſos pedes euangelizantium pacem, nõ reuerenter excipit. Deinde & politica poteſtas, quæ gladiũ gerit, ornata eſt noſtris literis. Itaq; de ἀναρχία falſum crimen eſt.

Nunc venio ad quæſtionem propoſitam de legibus Epiſcoporum, de quibus primum tenenda eſt regula certiſſima, quod nemini liceat condere leges pugnantes cum mandatis Dei. Nota eſt enim Pauli ſententia: Si angelus cœleſtis aliud Euangelium doceat, anathema ſit. Ex hoc firmamento, quod firmum & immotum eſt, facile extrui cætera poſſunt. Iam tres ordines ſunt decretorum Pontificiorum. Quædam decreta cogũt peccare, vt lex de cœlibatu, leges de priuatis Miſſis, in quibus fit oblatio & applicatio pro viuis & mortuis, & opinio trãſſubſtantionis vitioſam adorationem parit, mãdata de inuocatione mortuorũ. De his legibus facile eſt iudicium, quia enim aperte pugnant cum mandatis Dei. Regula ſequenda eſt Apoſtolorum, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Secundus ordo eſt rituum, qui de rebus ſua natura medijs loquuntur, vt ſunt dies de ciborum & dierum diſcrimine, & ſimilibus rebus. Cum his rebus adduntur opiniones falſæ, non iã ſunt mediæ. Aſſuunt aũt aduerſarij alij magis, alij minus abſurdas opiniones, falſas tamen, propter quas & leges illæ & ritus abijciendi ſunt, ne confirmentur vitioſi cultus. Plurimi fingunt, opera humanarũ traditionum, vt ſatisfactiones & ſimilia, mereri remiſſionem peccatorũ. Hæc opinio aperte falſa eſt: trãsfert enim beneficium Chriſti in humanas ceremonias. Nec opus eſt lõga refutatione, vno Pauli fulmine cõtenti ſimus: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, excidiſtis à Chriſto. Hæc ſentẽtia ſatis docet, homines non mereri remiſſionẽ peccatorũ, vel proprijs operibus, vel diuinæ legis, vel traditionũ humanarũ.

Alij admoniti quantũ primus hic error habeat abſurditatis, incipiunt verecundius loqui de traditionibus. Sed tamẽ errorẽ non tolerandũ retinent, dicunt hæc opera etſi non merẽtur remiſſionẽ peccatorũ, tamẽ eſſe cultus Dei, id eſt, opera quorũ finis ſit immediatus, vt per ea Deus honore afficiatur. Acerrime reſiſtendũ eſt & huic errori. Chriſtus enim aperte dicit: Fruſtra me colunt mandatis hominum. Et Paulus expreſſe damnat ἐθελοθρησκείας ad Coloſſenſes. Et cum oporteat cultus Dei in fide fieri, neceſſe eſt nos habere Dei verbum, quod teſtetur opus Deo placere. Quomodo enim poteſt conſcientia offerre Deo opus, ſi non extet vox Dei, quæ oſtẽdat Deum velle ſic coli, velle hoc honore affici, ſed hãc de fide doctrinam impij homines non intelligentes, omnibus ſeculis horrenda audacia finxerant cultus, ſine verbo & mãdato Dei, quod ſi fieri liceat, non poteſt dici cauſa, cur nõ placeant Deo Ethnica ſacrificia, mactationes canũ, hoſtiæ lampſacenæ, & alia portẽta. Quò ruit humana audacia nõ ſolũ apud Ethnicos in fingendis cultibus, ſed etiã in Pontificio cœtu excogitatis ſubinde nouis & abſurdis ceremonijs in inuocatione mortuorum, in veneratione Sanctorum, in monachorũ ἐθελολογίαις. Simus igitur vigilãtes hoc loco, ne ſinamus Eccleſijs obtrudi leges, quæ proponũt opera ſine mandato Dei, tanquam cultus & iuſtitias. Et cum hanc de cultibus opinionẽ aſſuunt omnes aduerſarij, etiam qui verecundiſſime loquũtur, ſciamus pium opus eſſe reclamare, & violatione talium traditionum exemplum oſtendere, ex quo pij diſcant, quid ſentiendum ſit. Sicut de Attalo ſcribit Euſebius, diuinitus iuſſum eſſe, vt alteri cuidam diceret veſcẽti tantum pane, ſale & aqua, vt cibis communibus vteretur, ne alijs errorem offunderet.

Porro hic ſecundus error de cultu latè vagatus eſt: multi enim decepti ſunt in Eccleſia κακοζηλία Leuiticarum ceremoniarũ, & putauerunt in nouo teſtamento oportere ſimiles ritus aliquos eſſe, & hoc eſſe cultus Dei, ſeu res, per quas velit Deus ſe honore affici, & iuſtitias eſſe. Ideoq; tribuerũt Epiſcopis authoritatẽ tales ritus & cultus inſtituendi. Hunc Phariſaicũ errorẽ Chriſtus & Apoſtoli taxarũt, qui docẽt cultus in nouo teſtamẽto eſſe pœnitẽtiam, timorẽ Dei, fidem, & opera Decalogi, vt Paulus inquit: regnum Dei nõ eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in his ſeruit Chriſto, placet Deo, &

pro-

probatus eſt hominibus. Monachi ſe Nazareos eſſe fingebant, ſacrificuli pro mortuis ſacrificationes, fingebãt ſe imitari Aaronem offerentem. Sed hæc exẽpla non conueniunt. Monachorum ritus, & vendita ſacrificulorum Miſſa, nullũ habent verbum Dei, imo admixtæ ſunt multæ abſurdæ opiniones, quas in Eccleſia taxari neceſſe eſt.

Tertius error eſt opinio neceſſitatis, qua imaginãtur Eccleſiam eſſe ſimilem cæteris politijs humanis, cogitãt regnum eſſe, in quo Epiſcopi vt Reges poteſtatem habeant, condendi nouas leges extra Euãgelium, & his neceſſario obediendum eſſe, ſicut Regum legibus neceſſario obediendum eſt, præſertim cum hæc vita hominum carere cæremonijs non poſſit. Et hæc opinio neceſſitatis ſæpe excitauit certamina, dum ſuos quiſq; ritus humanos tanquã neceſſarios defendit. Sed Chriſtus & Apoſtoli docent, tales ritus ſine mãdato Dei propoſitos, non habendos eſſe pro rebus neceſſarijs. Contra hãc libertatem ſancitã & conſtitutã authoritate diuina, non eſt recipienda opinio, quod violatio traditionum mediarũ extra caſum ſcãdali ſit peccatum. Huc pertinet dictũ Pauli, Nemo vos iudicet in cibo, potu, vicibus diei feſti, &c. Nã iudicare, ſignificat obligare conſcientias, & dãmnare non obtemperãtes. Item ad Galatas 5. State in libertate, qua Chriſtus vos liberauit. &c.

Hactenus dictum eſt, quatenus non liceat aut cõdere traditiones aut adprobare. Quærat igitur aliquis, an hãc hominum vitam ſine ordine, ſine ritibus eſſe relimus. Nequaquã. Sed docemus paſtores veros eccleſiarum poſſe in Eccleſiis ſuis, publicos ritus inſtituere, ſed tãtum ad finem corporalem, hoc eſt boni ordinis cauſa, videlicet ritus vtiles ad docendã multitudinẽ, vt certos dies, certas lectiones, & ſi qua ſunt ſimilia, ſed ſine ſuperſtitione, & ſine opinione neceſſitatis, vt ante dictum eſt. Et has ordinationes violare extra caſum ſcãdali, non ducatur eſſe peccatum, ſed ſi cum ſcãdalo violẽtur, vbi Eccleſiæ rectæ conſtitutæ ſunt, nec error eſt in doctrina, ſciat violãs ſe tali loco peccare, quare Eccleſiæ recte conſtitutæ trãquillitatẽ perturbat, aut alios à vera miniſterio abducit. Hæc ratio ſatis munit authoritatem vtilium traditionum, & non inijcit laqueum conſcientijs.

Sic Eccleſia initio certos dies ordinauit, diem Dominicũ, Natalẽ Chriſti, Paſcha, Pentecoſten, &c. Nec diſpenſauit Eccleſia de Catalogo, ſed authoritas diuina cæremonias legis Moyſaicæ abrogauit, & tamẽ populum ſcire oportet, quãdo conueniendũ ſit ad Euãgelium, & ad Chriſti cæremonias. Ideo aliqui dies conſtituti ſunt ſine illis opinionibus de quibus ſupra diximus. Ac manet in Decalogo genus, vt aliquibus temporibus conueniatur ad hæc pia exercitia, ſpecies vero quæ erat cæremonia libera eſt. Ideo non retinuerunt Apoſtoli ſeptimum diem, ſed maluerunt vti primo, vt & de libertate, & reſurrectione Chriſti pios admonerent.

Ea, quæ obijciuntur, facilè dilui poſſunt. Apoſtolorum decretum de Idolothitis, & ſcortatione eſt morale & perpetuum. Quod autem addiderunt de ſanguine & ſuffocato, ſcandali ratio eo tempore habita eſt. Nã mos erat etiam ante Apoſtolos, vt domiti à Iudæis abſtinerent à ſanguine & ſuffocato. Nihil igitur noui adiunctis ad ſocietatem ſuam imponebãt, ſed vſitatum ritum veterem & gratum vtriſq; Iudæis pijs & ſocijs nondum mutarunt.

Quod Chriſtus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, certè non de futilibus Pontificũ cæremonijs intellexit, nec de nouis articulis fidei, ſed de ipſo Euangelio illuſtrando, quod iã tradiderat. Ideo poſtea addit de officio Spiritusſancti, non allaturũ eſſe aliud doctrinæ genus, ſed luce ſua perfuſurum mentes Apoſtolorum, vt Euãgelium de voluntate Dei iam traditũ intelligerent. Ideo ait Ioannis 14. Ille docebit vos omnia, & rediget vobis in mentem omnia, quæ dixi vobis. Item: Non loquetur à ſeipſo, ſed quæ audit, loquetur.

Obijciuntur & alia dicta, quæ præcipiunt de obedientia: Obedite præpoſitis veſtris. Toties reſpondimus, maximè neceſſariam obedientiam eſſe in ijs, quæ propria ſunt miniſterij diuinitus mandati. Nam hæc dicta non conſtituunt Epiſcopis regnum extra Euangelium. Chriſtus dedit eis certa mandata. His iubet nos parere. Deinde etiam prohibuit inſtitui nouos cultus, his vetat parere. Metæ ſunt conſtitutæ, inter quas & authoritas paſtorum & noſtra obedientia conſiſtere debet. Sed has metas audaciſſimè tollunt Epiſcopi, qui triplicem ſibi arrogant poteſtatem, qua confirmant pernicioſiſſimos errores, videlicet. Regiam ſeu Prætoriam poteſtatem interpretandæ ſcripturæ; deinde poteſtatem inſtituendi cultus, tertio, Regiam poteſtatem ferendarum legum. Ita transformãt Eccleſiam in humanam politiam, imaginantur, vt in regno, Princeps aut Prætor eſt interpres legis, & vt Princeps habet poteſtatem ferendæ nouæ legis, ita in Eccleſia ſimilem oportere eſſe Epiſcoporum poteſtatem.

Nec

Nec volunt Eccleſiam mutis literis, vt dicunt, Prophetarum & Apoſtolorũ gubernari, quæ cum interdum non ſatis explicent ea, quæ proponũt, ambiguitas parit diſſenſiones ac diſcordias. Contendunt igitur opus eſſe voce regia, ſeu prætoria, ſcriptum ambiguum interpretante. Et niſi huic interpretationi neceſſario parendum eſſet, nullum fore controuerſiarum, & diſſidiorum finem. Item, niſi pro temporum ratione leges condere poſſent, qualis eſſet ἀταξία. Hæc verbis ornantur, & ſunt πιθανά, quia ſunt imitatio humanarũ politiarum. Et hæ imaginationes omnibus ætatibus inde vſq; ab initio mundi nocuerunt Eccleſiæ, & ſemper nocebunt. Ideo pij admonendi ſunt, ne his præſtigijs capiantur. Deus vult Eccleſiam regi ſuo verbo tradito per Chriſtum & Apoſtolos. Et hanc ſuam vocem vult ſonare per miniſtros: & quanquam ſapientiam continet poſitam extra conſpectum rationis, tamen ipſe ſermo Propheticus & Apoſtolicus certus eſt, & nõ ambiguus. Ideo ait Petrus: Recte facitis attẽdentes ſermoni Prophetico, tanquam lucernæ in tenebris. Habet etiam Eccleſia donum interpretationis, id eſt, intellectum cæleſtis doctrinæ. Sed id donum non eſt alligatum ad Epiſcoporum titulum, aut ordinem. Ideo nequaquam eſt poteſtas interpretandi ſimilis regiæ & prætoriæ, ſed eruditi in verbo Dei, & renati Spiritu ſancto vbicunq; ſunt, aſſentiuntur verbo Dei, & id intelligunt, alij magis, alij minus. Ergo prudenter de illis vallis Pontificiæ potentiæ iudicandum eſt. De legibus, breuiter dicit Petrus, Quid tentatis Deum imponentes iugum, &c.

Complexi ſumus ſummam doctrinæ Euangelicæ neceſſariam Eccleſiis, nec dubitamus, has ipſas ſententias noſtras, verè eſſe doctrinam in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis traditam, & conſenſum Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, cui etiam eruditiores ſcriptores Eccleſiaſtici, teſtimonium ſæpè perhibent. Ac offerimus nos ad explicationem longiorem, vbicunq; opus erit. Oramus autem Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ipſe Eccleſiam ſuam, ſanguine filij redemptam, gubernet, ſeruet, purget & augeat. Amen.

Cæſareæ Maieſt. V.

fideles & ſubditi.

Ioannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgenſis.
Erneſtus Dux Luneburgenſis.
Philippus Landgrauius Heſſorum.
Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ.
Franciſcus Dux Luneburgenſis.
VVolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus, Magiſtratuſq; Nurnbergenſis.
Senatus Reutlingenſis.

CAROLI CAESARIS, & Catholicorum Principum Reſponſio ad Articulum de poteſtate Eccleſiaſtica.

QVanquam multa hic inculcantur de poteſtate Eccleſiaſtica, etiam odioſius, quàm par ſit, declarandum tamen eſt, vt Reuerendiſſimis Epiſcopis & Sacerdotibus, ac toti Clero omnis poteſtas eccleſiaſtica libere permittatur, quæ eis de iure aut conſuetudine competit. Ad hæc omnes immunitates, priuilegia, eminentias, & prærogatiuas à Dominis Imperatoribus & Regibus Romanis cõceſſas, eis conſeruare conuenit. Neque tolerandum, vt quæ imperiali munificentia aut largitione Eccleſiaſticis ſunt conceſſa, per vllos Principes, aut quencunque alium Romano imperio ſubiectum, infringantur. Nam ſufficientiſſimè probatur, poteſtatem Eccleſiaſticam in ſpiritualibus, eſſe diuino iure fundatam, de qua ſanè, S. Paulus inquit: Nam & ſi amplius quid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit vobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram. 2. Corinth. 10. Et ſequitur: Ad vos enim abſens hæc ſcribo, vt non præſens durius agam ſecũdum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem,

nem, & non in deſtructionem. 2. Corinth. 13. Idem ſanctus Paulus coercitiuam oſtundit Iuriſdictionem, cum ait: Quid vnltis? In virga veniam ad vos: an in charitate, & ſpiritu lenitatis? 1. Corinth. 4. Et de iudicibus ſcribit ad Timoth. Adnerſus presbyterum accuſationem accipere noli, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. 1. Timoth. 5. Ex quibus ſatis aperte dinoſcitur, Epiſcopos non ſolum habere poteſtatē miniſterij verbi Dei, ſed etiam poteſtatem regiminis & coercitiuæ correctionis, ad dirigendum ſubditos in finem beatitudinis æternæ. Ad poteſtatem autem regiminis reqniritur poteſtas iudicandi, diffiniendi, diſcernendi, & ſtatuendi ea, quæ ad præfatum finem expediunt, aut conducunt. Irrita igitur & caſſa ſunt omnia, quæ in præſenti Articulo contra immunitatem Eccleſiarum, & ſacerdotum inferūtur. Quare prohibendum eſt vnineſis Romano imperio ſubiectis, ne Clerum contra conceſſa priuilegia Imperialia ad tribunal ſeculare pertrahant. Nam ſic Clemens Papa & martyr inquit: Si qui ex Patribus habent negocia inrer ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud presbyteros Eccleſię quicquid eſt dirimatur. Vnde neque Conſtantinus Magnus Chriſtianiſſimus Imperator in ſacro concilio Niceno etiam in cauſis prophanis voluit ipſos iudicare. Vos dij eſtis, inquit, à Deo vero conſtituti. Ite, & inter vos cauſam diſponite, quia dignum nō eſt, nos iudicemus Deos.

Illis etiam, quæ amplius repetuntut de conſtitutionibus Eccleſiæ, ſuperins ſatis reſponſum eſt. Neque proderit eis libertas Chriſtiana, quam prætendunt, cum iſta non ſit libertas, ſed prodigioſa licentia, quæ populis inculcata, eos ad exitialē & periculoſiſſimam excitat ſeditionem. Libertas enim Chriſtiana non opponitur Eccleſiaſticis conſtitutionibus, cum promoueant bonum, ſed opponūtur ſeruituti legi Moſaicæ, & ſeruituti peccati. Omnis enim qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ait Chriſtus Ioan. 8. Vnde quòd ſoluunt ieiunia, libere comedunt carnes, negligunt horas Canonicas, non cōfitentur tēpore Paſchæ, & ſimilia faciunt vel omittunt; hoc non eſt vti libertate, ſed abuti, contra S Pauli monita, qui eos attente pręmonuit, dicens: Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem. ad Galar. 5. Vnde nullus ſua crimina velare debet, ſub prætextu libertatis Euāgelicæ, quod & S. Petrus prohibuit. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes maliciæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. 1. Petri 2.

Quod autem de abuſibns adſtruxerunt, haud dubiè norunt Principes omnes & ſtatus imperij, neque à Cæſarea Maieſtat. neque ab vllis Principibus & Chriſtiano aliquo homine vel minimum abuſum probari; ſed optare omnes tum Principes, tum ſtatus Imperij communi conſilio & conſenſu adnitantur, vt ſublatis abuſibus, & emendatis vtriuſque ſtatus, exceſſus aut penitus aboleantur, aùt in melius reformentur, ac tandem Eccleſiaſticus ſtatus multis modis labefactatus, Chriſtiana religio, quę in nonnullis refriguit & remiſſa eſt, ad priſtinū decus & ornamentum reſtituatur, redintegreturq́ue. Qua in re Cæſarea Maieſtas, vt omnibus conſtar, hactenus plurimum & laboris, & virium inſumpſit, vt etiam nūc ad hoc negotij omnem ſuam operam ac ſtudium ſeriò in poſterum collocaturum ſe benignè pollicetur.

Ex quibus quidem Confeſſione ac reſponſione cum Cæſarea Maieſtas agnoſcat ipſos, Electorem, Principes, ac Ciuitares in mnlris cum Catholica Eccleſia ac Romana conuenire, & ab impijs dogmatibus, quæ vulgo paſſim per Germaniam diſſeminantur, & libellis, qui paſſim circumferuntur, diſſentire, eoſque explodere ac damnare, indnbitanter ea ſacra Cęſarea Maieſtas ſibi perſuadet & ſperat futurum, vt Elector, Principes, & Ciuitates audita & inrellecta hac reſponſione, in cæteris quoque rebus, quibus hactenus fortaſſe cum Eccleſia Catholica Romana non conſenſere, in poſterum concordibus animis conſentiant, atque in præmemoratis etiā alijs omnibus rebus, S. Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ ac religioni, (qualis hactenus communis Chriſtianitatis cōſenſu obſeruata fuit) ſe cōformaturos obedienter & parituros. Quod eorum factum Cæſarea Maieſtas in primis gratum habebit, ac ſua ſingulari benignitate eos cōmuniter om-

nes,

nes, & oblata occaſione ſingillatim proſequetur. Nam quod longè abſit, ſi locus non eſſet futurus huic Chriſtianæ ac tam clementi admonitioni, exiſtimare poſſunt Elector, Principes & Ciuitates, cauſam Maieſtati ſuæ Cæſareæ neceſſariam præberi, ſe vt decet Imperatorem Romanum & Chriſtianum Cæſarem defenſoremq́ue & aduocatum Eccleſiæ Catholicæ ac Chriſtianæ gerere, quẽadmodum flagitat ratio muneris ſibi iniuncti, & integritas conſcientię huius mundi rebus prouidere oportere.

Andreæ Fabritij Leodij in Articulum de poteſtate Eccleſiaſtica animaduerſio.

QVemadmodũ in cauda Draconis præcipuum, maximeq; noxium virus abſcondi ſolet, ita etiam in extremo chymerę iſtius Saxonicę lues peſſima, omniumq́ue periculoſiſſima effunditur. Vbi enim illa ſemel animos hominum perſuaſit, cõtinuò vrbes, prouinciæ, regna, imperia inuicem armantur, & omni ex parte populi violentũ intonant. Neque verò poſtremus iſte articulus aliò ſpectat, quàm vt legitima poteſtas ſacerdotij opprimatur, & in locum chriſtiani Imperij politia ſacrilega, & pluſquam tyrannica introducatur.

Magnæ (inquiunt) *diſputationes fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiſcuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem gladij.*

Scimus & intelligimus, non tãtùm à Chriſto nato, verumetiam ab inſtituto ſacerdotio legali, quantum inuidus ille Satan, ſemper legitimum Dei cultum peruertere ſtuduerit: nec miramur, ſi extremis iſtis temporibus, propemodum charitate extincta, homines apoſtatæ iugum eccleſiaſticæ diſciplinæ, neſcio quibus verborum lenocinijs, conentur excutere, & ſacrorum miniſtros Num. 16. proculcare meditentur, quando ipſa Moyſi ætate non defuerint, qui ſacerdotij Aaronici dignitatem ad ſe rapere ſint machinati. Magna profectò tunc fuit diſputatio in populo Iſraelitico, de poteſtate Põtificum legalium, & quàm incommode nonnulli factioſi commiſcuerint poteſtatem ſacerdotalem, cum poteſtate laicali, memorabilis exitus cõprobauit. Deus qui ad vtilitatem hominum omnes poteſtates eſſe ordinatas voluit, gradui ſacerdotali tribũ Leuiticã ſingulari prorogatiua deputarat, ex hac principiò Aaronem ſeligens, quem Pontificem maximum conſtitueret, & ſupra reliquos omnes ſacerdotes, ne ſchiſmaticis vlla eſſet occaſio, eueheret. Nec multò pòſt inuẽti ſunt aliqui flabro ambitionis turgidi, qui hanc Dei ordinationem interuertere voluerint, omneſque Iſraelitas in pari honore habendos eſſe iactitarint. Itaque ſtabat vna parte Core, cum viris quibuſdam nobiliſſimis totius multitudinis, aſſerentes, quòd omnis multitudo ſancta eſſent, & omnium Deus perinde curam gerat, nec indigere aliquo (cum ipſe ſibi ſufficiat) qui vices eius obeat, vel ſingularem aliquem principatum ſibi vendicet. Altera verò parte aderat Moyſes & Aaron, cum cæteris tabernaculi miniſtris, cõtrà affirmantes, graduum illam diſtinctionem diuinitùs eſſe inſtitutam. Ex hac diſputatione, & rebellanti confuſione, ingens plaga, & maximi motus apud Iſraelitas extiterunt, tãdemq́ue penes quos eſſet ius & veritas, inuſitata Dei vindicta comprobauit. Ex inopinato enim dirupta eſt terra ſub pedibus Core & eorum, qui aduerſus ſacerdotium inſurrexerant, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtãtia eorum, deſcenderuntq́ue viui in infernum operti humo, & perierũt de medio multitudinis. Nec ſic quidem conquieuit Dei ira. Nam qui propter illam vltionem, aduerſus Moyſen & Aaron paulò pòſt fuerunt indignati, ſuoſq́ue contribules ita perijſſe ægrè ferebant, etiam tunc, vltrice Dei manu, ad quindecim ferè milia, e medio ſublati ſunt. Et eum quidem exitum diſputatio ipſis initijs inſtituti ſacerdotij legalis habuit. Procedente autem tempore Ozias Rex ea, quæ ſunt in terris fortitèr adminiſtranda, animo tamen elatus, regniq; terreni terminos tranſgreſſus, auſus eſt aliquando ius ſacerdotij vſurpare. Ingreſſus enim in Sancta ſanctorum, ait, Volo adolere incenſum. Hoc autẽ vt vidit ſacerdos, Nõ licet, inquit, tibi Ozia, adolere incenſum: nõ eſt fas venire in Sancta ſanctorum, tranſcendis ſepta tua, quæris tibi non conceſſa, eaq́ue quæ accepiſti, perdes. Poſtquam igitur illum arguiſſet ſacerdos, nec tamen cederet, ſed arrogantia inflatus ſua etiam potentia ad profanationem ſacerdotij vteretur, adfuit cõtinuò Deus, qui violatum ſacerdotij ordinem à ſe inſtitutum vlciſceretur. Vbi potiſſimum erat impudentię ſedes, ibi etiam impreſſũ eſt vltionis veſtigium. Et ſtatim effloruit lepra in fronte ſacrilegi regis, & feſtinatò expulerunt eum ſacerdotes: ſed & ipſe perterritus accelerauit egredi, eò quòd ſenſiſſet plagam Domini. Facies ipſa regis prætulit vindictã, nec alio loco magis, quã in eius fronte apparuit lepra, vt eſſet vltio iſta ſeu viua lex, & columna eminens, in qua literis, quæ deleri nõ poſſent, monerentur omnes poſteri, vt abſtinerent eiuſmodi rerum ſacrarum profanatione, ne fortè quæ Ozias, etiam paterentur.

Itaque factus eſt ille immundus, vt alios redderet mundos, tantumq; ſupplicium in eruditionis materiam cõuerſum eſt. Hinc enim filij Abrahæ omnes nõ tantum ſecundũ carnem, ſed maxime ſecundum ſpiritũ didicerunt, quátas pœnas mereantur profani, ſi Eccleſiaſticas functiones inuadant, & quæ ſacerdotum ſunt ad ſe rapiant. Quod ſanè Lutheranos ſactitare nemo dubitabit, qui vel in ipſorũ mores paululum inquiret, vel ipſos docẽtes audierit, quòd omnes Chriſtiani, ſenes, pueri, & mulieres, ſint ſacerdotes, & ſacramẽta adminiſtrare poſſint. Si illi, qui eiuſmodi dogmata in vulgus ſpargunt, nõ iudicentur poteſtatem Eccleſiaſticam cum poteſtate ſeculari confundere, neſcio quinam tandem confuderint. Nã quod confuſionem vtriuſq; poteſtatis aſcribunt Catholicis, manifeſta calumnia eſt.

Pontifices (inquiunt) freti poteſtate clauium, non ſolum nouos cultus inſtituerunt reſeruatione caſuum, violentis excommunicationibus cõſcientias onerauerũt, ſed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati ſunt.

Bona, quæſo, verba viri Euangelici: nam quod de nouis cultibus cum diuina nimirũ voluntate pugnantibus aſſeritis, vanum eſt, & à vobis hactenꝰ nunquã probatũ. Quòd ſpecies eiuſmodi nouitatis, quas nominatim hic exponitis, tantam habent antiquitatem, vt vna cum vera religione natę eſſe videantur. In veteri enim lege, non oẽs cauſas patuiſſe omnium Iudicum diſceptationi, ſed grauiores caſus reſeruatos fuiſſe cenſuræ Pontificali, conſtat ex decimooctauo capite Exodi: vbi conſilium Iethro Moyſi datum, & ab ipſo probatum exprimitur. Fuit autem eiuſmodi, vt ipſe potiſſimum eſſet occupatus in his, quæ ad ritum colendi Deum pertinent. Seligeret autem ſapientes, veritatemq́ue amantes viros, quos minoribus populi iudicijs imprẹficeret, maiores autem cauſæ ad illum referrentur. Idem conſilium clariùs præſcribitur 17. Deuteronomij: Si difficile (inquit Moyſes) & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram: & Iudicum inter portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq́ue ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſq́ue ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui pręſunt loco quem elegerit Dominus Deus tuus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequeriſq́ue ſentẽtiam eorum, nec declinabis ad dexterã, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbuerit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore, miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Si hæc obſeruata fuerint ſub lege, quæ externa, eoque faciliora potiſſimum ſuſcipiebat dijudicanda, quantò magis ſub Euangelio, quod nõ tam corporis, quàm mẽtis lepram expẽdit, & iudicat, retineri & obſeruari debet? Cæterum cùm hic adijciunt Lutherani de grauamine cõſcientiarum per violentas excommunicationes, non ſatis quid ſibi velint intelligimus. Nulli enim vnquam in hoc diſciplinę genere maiorem violentiam adhibuerunt, quàm illi, qui nouum ipſorum Euangelium propugnandum ſuſceperunt. Nec verbis modò ex illa malignãtium Eccleſia eijciuntur illi, quorum vel mores, vel fidem minimè probant, verum etiam excitatis vndique ſeditionibus, armis, gladijs, bombardarumq; fulgetris, ſi quando poſſint, excommunicat. Quòd etiam Pontifices accuſant, quaſi regna mundi transferre, & Imperatoribus ſuum adimere imperium conẽtur, nemo nõ videat quo ſpectẽt, quidue machinentur. Homines enim callidi ſatis perſpiciunt, ſacerdotium, quod oppugnãdũ pręcipuè ſuſceperunt, nõ poſſe faciliùs in inuidiam popularẽ attrahi, quàm odioſis eiuſmodi ſibilis. Per inſignes iſtos calumniarum architectos ſuæ factionis, Principibus per fas neſaſq́ue licet, ea abripere, quę cultui diuino iam olim ſunt deputata, & ſupra hominum memoriam iuriſdictioni Eccleſiaſticę ſubiecta: nec tamẽ patiuntur eum, quem Chriſtus dedit Gubernatorem, ſuper omnem Eccleſiam in communione conſulere, aut quæ vel ad Dei gloriam, vel ad ſalutem populorum, regnorumq́ue vtilitatem pertinent, ordinare, ac prouidere, ne Chriſti Reſpub. vlla parte detrimentum capiat.

Mirã liceat etiam hic animaduertere iſtorũ hominũ oſtentationem, & inanẽ arrogantiam, cũ glorientur ſe ad cõſolandas cõſcientias eſſe coactos oſtendere diſcrimẽ Eccleſiaſticæ poteſtatis, & poteſtatis gladij. O miſerã Chriſti Rẽpub. quę antequam naſcerẽtur iſti nugiuendę, in tãtis verſata fuerit tenebris, vt agnoſcere limites vtriuſq; poteſtatis nõ potuerit. Dignũ igitur eſt, vt paucis contemplemur, cuiuſmodi lucẽ boni iſti viri in hoc argumentũ intulerint. Affirmãt autẽ, poteſtatem Eccleſiaſticã tantũ exerceri docẽdo, ſeu prędicando Euangeliũ, & porrigendo ſacramenta, eaque non concedere res corporales, ſed res æternas, nempe iuſtitiam æternã, Spiritum ſanctũ, vitã æternã; quæ nõ poſſunt cõtingere, niſi per miniſteriũ verbi & ſacramẽtorũ. Poteſtatẽ aũt Magiſtratuũ ſecularium verſari duntaxat circa adminiſtrationẽ politicam, nec mẽtes, ſed res corporales, & corpora aduerſus manifeſtas iniurias defendere, homineſq; coercere gladio, & corporalibus

pœ-

pœnis, vt iuſtitiam ciuilem, & pacẽ retineant. Hæc eſt ſumma ſingularis eiꝰ beneficij, quod in diſcernendis poteſtatibꝰ ſe vniuerſo Chriſtianiſmo prçſtitiſſe iactitãt. Sed eiuſmodi illud eſſe exiſtimauimꝰ, quo propter occultatos quoſdã errores etiamnu carere potuiſſet Chriſtiana Reſpub. Ita. n. vnã poteſtatem ab altera ſeparãt, vt nõ alio ſpectare videantur, quã vt mutua charitas, quæ inter vtrũq; Magiſtratum in Chriſtiani mo potiſſimũ vigere deberet, diſtrahatur: dũque volũt alterutrã partẽ ita quæ ſibi ſunt propria tueri, vt nullã curam aut prouiſionem alteriꝰ partis ſuſcipiendã exiſtiment: Hoc agunt ſuo diſcrimine, vt vniuerſum Chriſtianiſmũ in diſcrimẽ adducãt. Quàm etiam cõſtanter iſti Phariſçi, diuiſioniſque magiſtri, quæ hic Magiſtratibus politicis aſcribũt, obſeruent, forma ipſa gubernandæ reipub. quam ſequũtur, & praxis eccleſiarum, quã inuexerũt, ſatis probãt. Videas. n. nullũ eſſe pleriſq; Magiſtratibꝰ maiorẽ prætextũ inuadẽdi iuriſdictionẽ Eccleſiaſticã, quã ſi vexilla, & arma Euangelij titulũ prçferãt, ſubq; eiuſmodi ſignis errores miſeris populis obtrudãtur: quos ſi qui nolint ſequi, ſat cauſæ datũ eſt, vt ipſis nõ modò res corporales & corpora, verum etiam vita ipſa abripiatur. Atq; illud ipſis eſt nõ mentes inuadere, iſtud eſt res corporales, & incolumitatẽ hominũ defendere, iſtud eſt manifeſtas iniurias vlciſci, iſtud eſt legitimè homines gladio coercere, iſtud eſt iuſtitiã, & pacẽ ciuilẽ retinere, iſtud eſt poteſtatẽ gladij religioſe venerari, iſtud eſt mãdatum Dei honore afficere, iſtud eſt ſummũ Dei in terris beneficiũ cõdecorare. Prudẽs lector hçc dijudicet, nec tã ex lenocinio verborũ, quam ex factis ipſis, quid ſibi velit iſtorũ hominũ doctrina æſtimet & metiatur. Cũ etiam docẽt, quòd poteſtas Eccleſiaſtica non permittat res corporales adminiſtrãdas, ſed res æternas, iuſtitiã æternã, ſpiritũ ſanctũ, & vitã çternã, quid aliud moliuntur, quàm vt hominẽ ex homine auferant, & poteſtatẽ Eccleſiç per Chriſtũ relictã, ex hoc mũdo eijciant? Qui. n. ad Eccleſiã iſtã militantẽ pertinẽt, cũ animos corporibꝰ veſtitos habeant, atq; vtraq; parte vel peccẽt, vel bene operentur, quo pacto qui poteſtatẽ ſuper illam acceperint, vtraque etiam parte vigilare nõ debeãt? Sed fortè qui aliter ſentiunt, toti effecti ſint ſpiritales, & immortales, vt ipſis minime ſit neceſſum, vlla corporalia procurare. Quod inde etiã cõijcitur, cũ de iuſtitia, vitaq; æterna, cæteriſque rebus æternis dũtaxat loquũtur. Hæc. n. omnia nõ tã ad vitæ huius incolatũ, quã ad cæleſtẽ cõuerſationẽ pertinẽt. Nã ibi eſt iuſtitia æterna, vbi æterna eſt, & incõmutabilis diuinæ volũtatis obedientia. Ibi æternaliter Spiritꝰ ſanctus manet, vbi nulla ſubeſſe poteſt prauitas, quæ illum eijciat. Ibi çterna eſt vita, vbi nec mors, nec lapſus vllus eſſe poteſt, ſed iucũditas ſemper eſt, quç amitti non poteſt. Fatemur quidem, per miniſterium verbi & ſacramentor i diuina iſthçc munera, quãdiu peregrinamur à Dño, inchoata haberi poſſe, ſed tamẽ æterna nõ eſſe dicẽda, niſi ad eã fœlicitatẽ deuentũ fuerit, in qua amitti nõ poſſunt. Sperare etiam poſſumus, quod qui in nobis cœpit opꝰ bonũ, cõſumabit tãdè in çternũ ſanctificatos, ſed tamẽ antequam ad illã cõſummationem ventũ fuerit, omnino ſecuri eſſe nõ poſſumꝰ. Illa aũt ſpe prorſus exciderũt, qui ſe à corpore Chriſti per hçreſim prçſciderũt. Iuſtitiam nullã habere poſſunt, qui mãdata Dei ſe implere poſſe deſperãt. Spiritꝰ ſancti tẽplum effici nequeunt, qui dicere ſe in omnibꝰ operibus peccare nõ erubeſcũt. Ad vitã æternam perduci nõ poſſunt, qui à via mortis, ſuaque impietate abduci nullatenus volunt. Quare quicquid tandẽ Lutherani hic iactitãt de rebus æternis, ad ipſos minimè pertinet, ſed illi demũ fuerint veri iuſtitiæ & æternæ vitæ hçredes, qui in Eccleſia catholica perſeuerãtes eũ ſequuntur, qui factus nobis eſt à Deo vita, iuſtitia, & ſanctificatio. Expẽdat etiã hic pius Lector, an vbi Euangelici iſti iuſtitiæ æternç meminerũt, nõ reſpiciant ad impiũ illud dogma, quo affirmatur, iuſtitiã ſemel acceptam eſſe immutabilẽ, hominẽq; eſſe iuſtũ ea Dei iuſtitia, qua ipſe iuſtus eſt, nõ aũt qua verè iuſtus redditur: nec eũ, qui ſemel fuerit verè iuſtificatus, ſalutẽ amittere poſſe: de quibus erroribus nõ fuerit huius loci prolixius diſputare. Porrò cũ Euãgelici ex admirãda illa ſua diſtinctione cõcludunt, nõ eſſe Eccleſiaſticã poteſtatẽ cũ ciuili cõmiſcendam, minimè inuiti etiam ſatemur, & cõprobamus, illudque adijcimus, Lutheranos hac parte in ſeipſos acutiſſimũ mucronẽ ſtringere, vt qui omniũ ſeculorũ impietatẽ in hoc argumẽto ſuperẽt, adeoq; Eccleſiaſticã poteſtatẽ cum ciuili cõfundunt, vt etiam ad mulierculas & pueros ius ſacerdotij exercẽdi trãſferre non erubeſcãt. Sed hic cœcutiunt, hæc nõ obſeruãt Lutherani. Tãto liuore ferũtur in Clerũ, vt quæ ipſimet profuderint, non videant, ſed toti in hoc ſunt, vt Eccleſiæ præpoſitos ſuo gradu deijciãt, & in inuidiam popularẽ protrudãt.

Poteſtas Eccleſiaſtica (inquiunt) *ſuum mandatũ habet Euangelij docendi, & adminiſtrandi ſacramẽta.*

Nõ igitur irrumpat in alianũ officium, nõ trãſferat regna mũdi, nõ abroget leges Magiſtratuum, nõ tollat legitimã obedientiam, nõ impediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus, aut cõtractibus, nõ preſcribat leges Magiſtratibus de forma reipub. Hæc ſunt, quæ homines maleuoli accuſant, & in capita Eccleſiaſticorũ deuoluunt. Ipſis ſi creditur intolerãda eſt iſta tyrãnis, ſuntq; ingẽtia pia-

cula

cula quæ hic ſigillatim verbisq; acerbis recē-
ſent,ſed ad rei veritatem ſi quis oculos retra-
hat,nihil præter calũnias deprahēdet.Si qui-
dem ita volunt Pontifices in alienum officiũ
irrumpere, ſi Dei verbũ ſecuti,hoc ſingulari
ſtudio prouideant, ne Chriſtiani Principes,
mũdiq; poteſtates, Chriſti oues opprimant,
eaſq; in fortunarum corporis,& animæ peri-
cula cõijciant.Sed expendamus ſpecies ſacti,
ex quibus cõprobatum putãt,Pontifices in a-
lienum officium irrumpere. Primum igitur
illorum exēplum eſt, quod illi ſreti poteſta-
te clauium, regna mũdi transferant. Ad hoc
autē dicimus,non tam Pontifices, quàm illũ,
cuius vices in terris gerunt, & in cuius manu
omniũ iura regnorũ conſiſtunt, regna trãſ-
Daniel. 2. ferre.Ipſe.n.eſt,qui mutat tempora & ętates,
transfert regna atque conſtituit. Ipſe eſt,qui
terras gentiũ euertit, & perdit eas vſq; ad fũ-
damētum.Ipſe eſt, qui ditiones areſactas au-
Eccleſ. 10. ſert,& diſperdit eas, & delet de terra memo-
riam earum. Dicimus præterea,maximas re-
rumpublicarum cõmotiones, & imperiorũ
euaſtationes, non tam ex Pontificibus,quam
ex huius mundi principũ peccatis, & iniqui-
Amos.9. tate populorũ promanaſſe. Ecce,inquit Pro-
pheta, oculi domini ſuper regnum peccãs,&
cõteram illud à facie terræ.Item Ieſus Sirach:
Sedes,ait, Ducum ſuperborũ deſtruit Deus,
Eccleſ. 10. & ſedere facit mites pro eis. Radices gētium
ſuperbarum areſacit Deus, & plantat humi-
les ex ipſis gentibus. Hanc diuinarum ſcrip-
turarũ lucem ſequuntur, qui in Petri cathe-
dra iudices religionis,& eorum,quæ ad reli-
gionem pertinent ſunt conſtituti. Agnoſcũt
illi,quod in iudicando non ex voluntate,aut
poteſtate ſua,ſed ex ęquitate, Deiq; pręſcrip-
to formare ſententiam debeant. Nõ tam Põ-
tifices regna transferenda iudicant, quã Dei
leges,quas iudex non cõuertere,ſed cuſtodi-
re debet:facta etiã ipſa eos, qui imperio abu-
tũtur,magis iudicãt,q ipſimet Chriſtianę rei-
publicę gubernatores. Illa ſũt,quę eos accu-
ſant.Illa ſunt,quę eos cõdēnant.Gubernator
nõ ex ſe ſentẽtiã ꝓfert, ſed ex ſacto ipſo for-
ma iudicij iuxta legũ pręſcripta cõſtituit. Vo
lũtas diuina author legis arbitraq; iudicij eſt.

Cõſultius igitur Lutherani facerēt, ſi poſt
poſitis calũnijs, veras cauſas transferendorũ
regnorũ agnoſcerent, ne dũ magnates & po-
pulares ad maiorē rebellionē concitãt, quod
in Germania ſupereſt,diſperdãt,& ad eã per-
niciē adducũt,quã aliquãdo antiqui illi gigã-
Eccleſ. 16. tes ſũt experti. Non exorauerũt,inquit ſcrip-
tura, pro peccatis ſuis antiqui gigãtes,qui de-
ſtructi ſunt,cõfidētes ſuę virtuti,& nõ peper-
cit peregrinationi illorum, ſed percuſſit eos,
& execratus eſt eos præ ſuperbia verbi illo-
rum. Non miſertus eſt illis, gentem totam ꝑ-
dens, & extollentem ſe in peccatis ſuis.

Vtinam miſera Germania tot plagis pro-
pter pręuaricationes ſuas hactenus percuſſa,
ad extremum tandem recogitet, quo pacto
extremam euerſionem declinet, ne qui con-
fuſionem illam plusquam Babylonicam ſe-
quuntur, maiores etiam ciuibus Babylonicis
pœnas experiantur, tandemque quod de O-
rientali illa Babylone aliquando dictum eſt,
etiã de Occidentali iſta fornicationũ matre
pronuncietur: Illaqueaui te, inquit Hieremi- Hierem. 50.
as, & capta es Babylon, & neſciebas, inuenta
es & apprehēſa, quando dominum prouoca-
ſti: Conſiſtite aduerſus eã per gyrum, & nul-
lus euadat, reddite ei ſecũdũ opus ſuum iux-
ta omnia quę fecit, facite illi; quia contra do-
minum erecta eſt, aduerſus ſanctum Iſrael.
Hæc de cauſis transferendorum regnorum
breuiter annotanda duximus. Poſſemus etiã
pluribus oſtēdere, quam iuſtis de cauſis Põ-
tifices & Epiſcopi ſæpe poſſũt, & debeant le-
ges malorum principum abrogare, à noxia
obedientia oues ſuas retrahere, illorumque
iudicia non ſemper cõprobare, cõtractus ab
ipſis approbatos reprobare, illiſq; leges pre-
ſcribere, quas niſi ſequantur, ab ouili Chriſti
prorſus arcere valeant. Sed hæc ita ſe habere,
facilè intellexerint, qui cõſiderabunt, aliam
eſſe rationem imperij apud gentiles, aliã ve-
rò apud Chriſtianos. Qui enim inter Chriſtia
nos principatum gerit, hoc in primis ſuæ ſi
profeſſioni reſpondere cupiat, procurare de
bet, vt per regnũ terrenum, ad cœleſte regnũ
proficiat: & per Chriſti leges, ad regnũ, quod
is in cœlo parauit, cũ ſuis ſubditis perueni-
at. Illud autem quo pacto implere poſſint, ſi
non ſatis aſſequãtur, habent ſuos paſtores, &
Epiſcopos, quos Deus poſuit regere Eccleſiã
ſuam vſq; ad conſummationē ſęculi. Illorũ vo-
ces niſi audiant, & ſequantur, indigni ſunt o-
uili Chriſti. Quid ſi magiſtratus politicus le-
gē roget de matrimonijs diſſoluēdis, vel de
pluribus vxoribus vno tēpore habendis, an
nõ fuerit eccleſiaſtici iuris, eiuſmodi legem
abrogare? Quid ſi princeps hęreticus (vt fit
ſæpe) velit omnes ſubditos ſuam hęreſin am-
plecti, an bonus paſtor hic eſſe obediendum
docebit? Quid ſi rex in ordinatione ciuili in-
uſitatas colendi Dei rationes, vel ſacrilegas
rapinas permittat, an hoc ex officio ſuo non
impediuerit, qui pro animabus ſibi creditis
peruigilare debet? Quid ſi magiſtratus vſura
rios cõtractus, tãquã lege diuina permiſſos,
cõ ꝓbet, an hoc etiã cõprobare debebit prin
ceps Eccleſiaſticus? Quid ſi potētes & ſas ęquũ
interuertãt, ſi grauamina importabilia, & in-
ſolita ſuis imponant, ſi Ethnicorũ tyrannidē
ſuperēt, ſi pauperes & egenos proterãt? an ad
hęc omnia eccleſiaſticus magiſtratus obmu-
teſcet? an tantã imanitatē, non reuocabit? an
non aliud eſſe diuinarũ legũ præſcriptũ oſtē-
dere

det? An nó lōge aliā eſſe in Chriſtiana repub.
im pitādi formá demóſtrabit? Sed dicit Chri
Ioan. 18. ſt⁹, inquiút, Regnú ſuú nó eſſe de hoc múdo.
Proinde Epiſcopi & Paſtores ſi intra ſuos li-
mites ſe cótinere, & quæ ad illud regnú per-
tinēt procurare velint, quę huius múdi ſunt
attingere nó debēt. Nó magnopere mirare-
mur, ſi Turca, vel aliquis illo etiā immanior
ita argutaretur, ſed poſtquá ita ratiocinantur
illi, qui lucē veritatis in hunc múdú ſe retra-
xiſſe gloriantur, quis non obſtupeſcat? Si ad
Chriſti regnú nó pertineat, rēpublicā pieta-
te cótinere, quæ iuris & æquitatis ſunt, in hoc
múdo decernere, regna & impia iuſtis legib⁹
ordinare, oppreſſores populorú corrigere,
ſuperbos & arrogātes in ordinē redigere, di-
uinarú legú tranſgreſſores multare, & ad ex-
tremú iniſtificationes Dei vindicare, ac ꝓpu-
gnare, cui⁹ regni hęredes ſunt ipſorú Princi-
pes? Aut .n. iā commemorata officia exercēt,
aut nó exercēt. Si nó exerceant, dubiú eſſe nó
poteſt, qm̄ illius faſces ſequātur, qui Chriſto
omnia regna múdi oſtédēs, dixit: Hęc omnia
tibi dabo, ſi procidēs adoraueris me. Si verò
officia illa ſuperiora expleant, quæ ad Chri-
ſti regnú ſpectēt procurare, iuxta ipſorú logi
cā miminè etiā cēſeantur. Volút. n. ad eorum
gubernationem, qui Chriſti regnú admini-
ſtrāt, nó pertinere, vt prouideāt, quidnā ho-
mines in cómuni vita agitāt, quoue pacto hu
ius mundi reb⁹ vtātur. Hāc afferētes rationē,
quod dicat Chriſt⁹, Regnú meú nó eſt de hoc
múdo. Itaq; dú Euāgelici diuinú verbum ex
ſuo affectu interpretātur, cauſamq́; Eccleſia-
ſticæ iuriſdictionis ex ſuo liuore metiuntur,
nihil aliud efficiunt, quàm vt ſuos principes
à regno Chriſti excludāt, & Imperij Satanici
tutores deſignent. Niſi fortè in Vtopia nouú
aliquod regnú erigere meditētur. Ab hac aút
ſorte ſe remotiſſimos eſſe cupiunt, qui in Ca-
tholica Eccleſia enutriti, didicerút lóge alio
ſenſu, quā illi volút, Chriſtú dixiſſe, regnum
ſuum nó eſſe de hoc mundo. Illud ſiquidem
regnum ex cómuni Patrum cóſenſu dicitur
eſſe ex hoc múdo, quod fluxum eſt, & cadu-
cú, quod magnis opib⁹, & carnis potétia prę-
cipue nititur, quod in huius mundi inferio-
ribus ſedē ſuam defixā habet, quod hominú
cóſenſu & voluntate erectum eſt, quod mú-
dana pręcipuè curat & ſequitur, quod non tā
ſpiritalib⁹ præſidijs, quā gladijs & telis, mul-
tiplicią; armorum genere defenditur, quod
vel iniuſta ſucceſſione, vel per vim, & tyrāni-
dē ſæpe occupatur. Abſit autē vt Chriſti reg-
num tale eſſe iudicetur. Eſt enim iſtud ſtabi-
le, fixum, ſpiritale, & ſempiternú, ſuas opes &
præcipuos theſauros in cęlis ita habens recó-
ditos, vt tamē nó reijciat eum honorē, quem
homines terrenis facultatibus, ad recogni-
tionē ſupremę maieſtatis ipſi impēdunt. Vn-
de etiam celebrantur Magi, qui aurum, thus,
& myrrham illi obtulerunt, nec ſolú vt Deus
eſt, verumetiam vt homo, ac noſtræ naturæ
particeps, regem agnouerunt. De quo regno Luc. 1.
Angel⁹ loquēs, Regnabit, ait, in domo Iacob
in æternum, & regni eius nó erit finis. Qua-
tenus Chriſtus eſt Deus, regnum eius nó eſt
importatum extrinſecus, ſed perpetuum, &
immortale, nec ab externa potétia, ſed ex in-
genita ſibi virtute pēdet. Quatenus verò hu-
manæ particeps eſt naturæ, regnú eiùs in ter-
ris inchoatur, in cęlo autē perficitur. Vt pro-
pria ratione, ita etiam ſecunda, regnum eius
nó dicitur eſſe ex hoc mundo. Quia regna i-
ſta mundana, & terrena vel electione, vel ſuc
ceſſione, vel vi obtinētur. Chriſt⁹ autē tamet-
ſi genus à clariſſimis regibus duceret, in reg-
ni ſui poſſeſſionē peruenit ſola beneficētia ę-
terni patris, qui in illú hominē cótulit, quic-
quid poteſtatis, amplitudinis, & dignitatis
hominis natura capere poſſet. Quapropter
vbi de Chriſti regno agitur, vel intelligitur
illa prouidentiæ cura, & generalis in res vni-
uerſas poteſtas, qua quæ in cælo, & in terra
ſunt, moderatur, & regit: vel peculiaris illa
gubernatio, qua per fidē in omnibus regnat,
qui gremio ac ſinu militātis Eccleſiæ cótinē-
tur, vel deniq; præcipuum illud regimen &
beneficētiæ ratio, quá in cœleſtes ſpirit⁹, eoſ-
q́ne oēs qui de múdo, carne, & Satana trium-
pharunt, exercet. Primum regnum dici po-
teſt ſupremæ potétiæ, qua bonos præmijs af-
ficit, & ſuperbos dimittit inanes, ac rebelles
cóterit. Secundú regnum dici poteſt gratiæ,
qua potiſſimum eos regit, qui præſtanti fide,
ſpe, & charitate prędití, ſe tāquā pura quędā,
& viua mēbra per mādatorum obſeruationē
Deo præbent. Tertium regnum dici poteſt
regnum glorię, ad quod ſoli illi pertinēt, qui
immortali beatitudine fruuntur, gratiæque
adminiculo recte vſi fuerint. Quācunque ex
his tribus regni Chriſti ſignificationē ample
ctamur, veriſſimè Chriſtú affirmaſſe depre-
hēdemus, regnú ſuum nó eſſe ex hoc múdo.
Alia eſt enim eius regni códitio, alius ortus,
alia natura, alia virtus, quàm ſit eorú omniú,
quæ vel hominum cóſenſu, vel hæreditario
iure, vel tyrānide in his inferioribus ſunt có-
ſtituta. Ditiſſimi ſunt in hoc regno, qui ita
hoc múdo vtuntur, quaſi nó vtātur, & in ſan-
ctitate ac iuſtitia corá Deo viuunt: vel iá im-
mortalitate donati, perpetua pace, & cæleſti-
bus gaudijs perfruuntur. Pauperrimi cótrà
ſunt illi, qui vel Chriſtum núquam agnoue-
runt, vel à fide ſuſcepta defecerút, vel prauis
moribus benefactorē ſuum ignominia affe-
cerunt. Quēadmodum igitur nihil impedit,
quò min⁹ ad Chriſti regnú pertineāt, ſi quis
opibus huius mundi deſtitutus, ſit diues in
virtutibus, ita etiam ſi aliqui in hoc múdo la-

tè imperent, ampliſſimiſq; rerũ copijs abundẽt, nihil refert; nec hoc eis impedimẽto fuerit, quò minꝰ ad Chriſti regnũ pertineant, ſi omnia, quæ poſſident, ad diuinæ maieſtatis ſplẽdorẽ conferãt, hocq; diligẽti cura prouideant, vt etiam diuites in fide, & pietate permaneant. Si principatus, amplæ poſſeſſiones, pecuniæ, & lata dominia ſua natura cũ Dei regno pugnarẽt, nõ modò cũ Põtificibꝰ, & Epiſcopis multa poſſidentibus miſerè ageretur, verũ etiam cũ Chriſtianiſſimis Imperatoribꝰ, regibus, rebuſpub. Ducibus, omnibuſq; illis, qui expetiti, & delecti ab hominibꝰ, prouincijs ac ciuitatibus iuſto etiã imperio præſunt. Talibus .n. iuxta Logicã Euãgelicorũ, etiam dici poſſet: Vos iuſtè nõ regnatis, nec ad Chriſti regnũ pertinetis, quia ille affirmauit, regnũ ſuum nõ eſſe ex hoc mundo. Qui ad eum modũ ratiocinãtur, metuendũ eſt, ne Principum ſuorũ, quorum gratiã vndiq; venãtur, imperia magis æſtimẽt ex Nobilium & Præfectorũ numero, ex frequentia populi, & miniſtrorũ copijs, ex terrenis opibus, ex vi armorũ, cæteriſq; eiuſmodi mũdanis rebus, quam ex iuſtitia & ſyncera in Deum pietate. Atque hinc illæ lachrymæ, Chriſtianiq; imperij ad Gentilẽ quandã dñationẽ degeneratio. Hoc Pſeudoprophetæ iſti virulẽtis ſuis linguis, & ſcriptis effecerunt, vt iã minimè pudeat, ſeductos ab ipſis Principes in alienũ officium irrũpere, Deo dicatas poſſeſſiones inuadere leges Eccleſiaſticas abrogare, legitimã obediẽtiam interuertere, Præpoſitorũ Eccleſiæ iudicia cõtemnere, atque adeo Epiſcopis ipſis rationes colẽdi Dei hactenus inauditas præſcribere. In tãta etiam audacia gloriari nõ verẽtur, quod vtramq; poteſtatẽ tãquam ſumma Dei beneficia venerẽtur, & honore afficiant. Sed ad reliqua, quæ cõſequuntur trãſeamus.

Siquam (inquiunt) habent Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent vt Epiſcopi, ex mandato Euangelij, ſed iure humano donatam à Regibus, & Imperatoribus, ad adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorũ. Hæc interim alia functio eſt, quàm miniſterij Euãgelij.

Vt breuiter iſtud expediatur, reſpondemꝰ falſiſſima eſſe, quæ hic affirmãtur, ſimulq; dicimꝰ, ex mãdato Euãgelij Epiſcopos, vt Epiſcopos poteſtatẽ gladij habere, nõ tñ qualem habẽt Magiſtratꝰ politici. Eã etiam poteſtatẽ imprimis Petro, deinde his omnibus, qui in partem ſolicitudinis diuinitus ſunt vocati, quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiã precioſo Chriſti ſanguine redemptam. Sed vbinã exprimitur eiuſmodi poteſtatẽ Petro, eiuſque ſucceſſori eſſe collatam? nõ obſcurè profectò illis verbis includitur, quæ Chriſtꝰ poſt trinã interrogationẽ vſurpauit, ad hũc modum illi imperãs: Paſce oues meas. Hoc enim mãdato datur Petro eiuſque ſucceſſori poteſtas regiminis in omnes illos, qui ad Chriſti regnũ euocantur, vt ordinẽt, dirigãt, & vrgeant omnes ſuos ſubditos ad finẽ beatitudinis æternæ. Quare cũ ad eam tẽ magni referat, vt gladij legitimus vſus in Eccleſia retineatur, ne vel in probos, & innocentes ſtringatur, vel malignis, hominibuſq; pernicioſiſſimis parcendo nimium hebetetur, nemo iure dubitauerit, vtrum ad directionem Epiſcoporum pertineat. Nõ tamen vt ipſi eũ vibrent, & diſtringãt, ſed vt hoc iuſtè modoque debito fiat, procurent. Magiſtratuſq; ciuiles ſua eiuſmodi poteſtate abutentes corripiant, & emendare laborent. Ita gladij poteſtate vſi ſunt Apoſtoli, & martyres apud tyrannos, ita vſi ſunt ſanctiſſimi Põtifices, & Epiſcopi apud Reges & Imperatores. Quod ex rerũ ab ipſis geſtarũ hiſtoria ita eſt manifeſtũ, vt hoc nemo niſi impudentiſſimus negare poſſit. Cõſtat quid magnus ille Leo Attilæ occurrens egerit: Cõſtat quo pacto Ambroſius Theodoſium Imperatorem, quia nõ ſatis temperate gladij poteſtate vſus fuerat, corripuerit: Conſtat quid ante, quid poſtea Chriſtiani principes animatũ ſuarũ Epiſcopis hac parte tribuerint. Admirari autẽ ſatis non poſſumus hoc loco Lutheranorum impudẽtiam, qui quod ius ſibi aſſumunt in Magiſtratus ſe corruptos, hoc adimere velint illis, qui ex more maiorũ in Eccleſia Catholica legitimè præſunt. Audent illi priuatim, & publice Principũ gladios exacuere, eoſq; ad impia arma concitare, nec tamen pati volunt, vt Pontifices, & Epiſcopi pijs Magiſtratibus conſilia & rationes præſcribãt, quibus iure gladio ſibi cõcredito vti poſſint. Tanta olim fuit pietas Chriſtianorum Principũ in ſuos Põtifices, vt integra dominia, & Principatus, iuriſdictionemque gladij prorſus ex ipſorum arbitrio pendere voluerint: Nunc vero tanta eſt ſub Quinto Euangelio cõcitatorũ immanitas, vt Epiſcopos non modo ciuili poteſtate exutos, verũ etiam Eccleſiaſticã poteſtatẽ ex laicorum principum volũtate depẽdere cupiant: Aliter tamẽ canunt vbi fraude & dolis alicuius Catholici cathedram occupant. Tunc Euangelium non patitur, vt Principes adminiſtrationi Eccleſiaſticæ ſe immiſceant. Cæterũ contrahenda nobis eſt oratio, ne ſi reliquã verboſitatem, qua in hoc articulo Lutherani vtũtur, perſequi velimus, efficiamur & nos verboſi, nimiumq; altercãdo nihil aliud tandẽ cõſequamur, quã vt veritas ipſa obſcurius appareat. Poſtquam igitur illi in vtriuſque partis ſuæ Cõfeſſionis Epilogo iactitãt ſe nihil noui hic tradere, quod diſcrepet vel à ſcripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana, quatenꝰ ex ſcriptoribus nota eſt, conſultius deinceps facturi videmur ſi prætermiſſo reliquo Cõfeſſionis cõtextu paucorum quorundã ſcriptorum

rũ Eccleſiaſticorum, eorumq́ue præſtantiſſimorũ iudicia ſubijciamus, ex quibus mox appareat, quid veneranda illa Antiquitas de amplitudine & eminentia poteſtatis Eccleſiaſticæ ſenſerit.

Ignatius epiſtola 9. ad Antiochenſes, apud Clementem Romanum.

Domini nolite ſuperbe ſeruis vti, imitãtes patientiſſimũ Iob dicentẽ, ſi praue iudicaul ſeruum, aut ancillã meam, iudicer ego ab eis, quid .n. faciã, ſi interrogationẽ fecerit Dñs de me? & cætera, quæ ſequuntur, bene noſtis. Serui nolite iracundiam in aliquos prouocare Dominos, ne forte aliqui male faciant vobis, & vosipſi vobis eritis rei. Nemo ocioſus mãducet, ne vagꝰ fornicariꝰ efficiatur. Ebrietas, iracũdia, inuidia, multiloquium, clamor blaſphemia, nõ nominentur in vobis. Viduæ nõ in delicijs agãt, ne per luxuriã abijciãt verbũ. Cæſari ſubditi eſtote in ijs, quibꝰ ſine periculo eſt ipſa ſubiectio. Principes nolite exaſperare, ne detis occaſiones aduerſũ vos quærentibus eas.

Orige. tomo 3. ſuper Exodum, Hom. 12.

Sed vt video, Iethro non fruſtra venit ad Moyſen, nec fruſtra manducauit panẽ cũ ſenioribus populi, in conſpectu Dñi. Dat enim conſiliũ Moyſi probabile ſatis, & vtile, vt eligat viros, & cõſtituat principes populi, viros Deum colẽtes, viros potentes, & odientes ſuperbiã. Tales .n. oportet eſſe principes populi, qui nõ ſolũ ſuperbi nõ ſint, ſed & qui oderint ſuperbiam: id eſt, vt nõ ſolum ipſi abſq; vitio ſint, ſed & in alijs oderint vitia. Et ordinabis, inquit, eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, & iudicabunt populũ omni hora. Verbũ aũt quod grauius fuerit, referẽt ad te. Audiãt principes populi & presbyteri plebis, quia debent omni hora populũ iudicare, ſemper, & ſine intermiſſione ſedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare diſſidentes in gratia, recordare diſcordes. Diſcat vnuſquiſq; ex ſcripturis ſãctis ſuũ officium. Moyſes, inquit, vt ſit in his, quæ ad Deum ſunt, & verbũ Dei ediſſerat populo. Cæteri aũt principes, quos appellãt tribunos. Tribuni .n. ex eo dicũtur, quod tribui præſint. Cæteri ergo tribuni, vel centuriones, vel quinquagenarij, præſint minoribus iudicijs, quæ ad ſingulos quoſq; pertinẽt, dirimẽtes.

Idem tom. 3. in Matheum, Homilia 21.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei ſunt, Deo. Ex hoc loco diſcimꝰ Saluatoris exemplo, vt non his, quæ à multis dicuntur: & propterea glorioſa videtur, occaſione pietatis attendamus: ſed quę cõuenienter ſecundũ ordinẽ rationis dicũtur. Nã cum quæreretur ab eo, vtrũ licet Cæſari dare tributũ, an nõ: non ſimpliciter dedit reſpõſum, ſecundũ quod videbatur eis, ſed dixit: Oſtẽdite mihi numiſma cẽſus: & Interrogauit, cuius eſt inſcriptio. Et dicẽtibus eis, quod Cæſaris, reſpõdit quod oportet reddere Cæſari, quę Cæſaris ſunt, & nõ eũ oportet fraudare à proprijs eius pietatis occaſione. Nec .n. ex eo, quod reddit quis Cæſari, quæ Cæſaris ſunt impeditur reddere Deo, quę Dei ſunt. Poteſt aliquis moraliter intelligere locũ iſtum hoc modo: Oẽs conſiſtimus ex anima & corpore (differamꝰ nũc dicere, qm̃ & ex ſpiritu) & debemus quædã dare, quaſi tributũ, corporum principi, qui dicitur Cæſar, id eſt, neceſſaria corpori, & habẽtia imaginẽ principis corporũ corporalẽ, hoc eſt, eſcas, & veſtimẽta & ſomnum, & quęcunq; neceſſaria ſunt ad reparationẽ ſimplicem naturæ carnalis, ſine quibus conſiſtere non poteſt carnis natura.

Idem Orig. tomo. 3. in Matth. Homil. 12.

Principes ergo gẽtium dominentur eorũ, principes aũt Eccleſiarum ſeruiant ſubditis. Sed & maiores gentiũ poteſtatẽ exerceant fidelium, audiant autẽ eum, qui dicit, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Noſtra dicimus, vt inclinemus eccleſiaſticum principatũ. Eſt enim interdum quando ſecundũ vocẽ Apoſtolicã peccantes coram omnibus arguant, vt & cæteri metum habeant. Eſt aliquando, vt vtens poteſtate ſua tradat peccãtẽ Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluetur, in die Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Tamẽ rarò hoc fieri debet. Corripiendi .n. ſunt inquieti, conſolãdi aũt puſillanimes, ſuſtinendi infirmi, & ad oẽs magnanimitas eſt habẽda. Nulli malum pro malo reddendũ, vt nõ exiſtimetur inimicꝰ, qui peccat, ſed corripiatur vt frater. Hæc aũt diximus volẽtes oſtẽdere, quod eccleſiarũ principes, principum mundialiũ imitatores eſſe non debent, ſed imitari debẽt Chriſtum acceſſibilem, & mulieribus loquẽtem, & pueris manus imponentẽ, & diſcipulis ſuis manus lauantem, atq; tergentẽ, exemplum eis dantem, vt & ipſi ſimiliter faciant fratribus ſuis. Forſitan aũt, & quoniam Dñs conſtitutus ſeruiebat pro ſalute hominũ generi noſtro, propterea dicitur formam ſerui ſuſcepiſſe, & humiliaſſe ſe vſque ad mortem, propter quod & Dominus eum ſuperexaltauit. Qui vult ergo exaltari, ſimilia faciat, vt exaltetur per ea: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Nam etſi Angeli miniſtrauerunt ei quando acceſſerunt, & miniſtrabant ei, etſi Martha miniſtrauit ei, tamen non ideo venit, vt miniſtretur, ſed vt miniſtret: & tantum creuit miniſtrans, vt animam ſuam daret redemptionem pro multis, qui crediderunt in eum.

Cyrillus Hieroſoly. catecheſi. 18.

Nunc vero tẽporibus pacis gratia Chriſti debitũ habet honorẽ a Regibus, & Illuſtribus, & omni genere hominum. Regum qui-

dẽ poteſtas certis locis, & gentibus terminos habet, Eccleſiæ aũt catholicę per vniuerſum orbẽ indefinita eſt potentia. De qua ſi omnia dicere vellem⁹, pluribus ſane nobis op⁹ fuiſſet horis ad enarrationem.

Idem catecheſi. 17.

Nõne hoc tẽpore ſpiritales lupi cũ agnis ſimul paſcũtur? Nõne habet Eccleſia vitulũ & taurũ cum leone ſimul paſcẽtes? Sicut ad hodiernã vſque diem cernimus mũdanos principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis.

D. Baſilius oratione 20. de principatu ac potentia.

Honeſtũ ſane & æquum eſt vt ſemper deterius, à præſtantiore gubernetur, ſępe.n. temeritas populi ad improbos homines principatũ detulit: Proinde neceſſe eſt huiuſcemodi viris mãdare magiſtratus, ac aliorũ cõſtituere duces, qui cæteros oẽs prudẽtia, cõſtãtia, ac vitæ ſãctimonia lõge anteeãt, vt virtutes, quib⁹ præditi ſunt, cõmunes fiant eorũ omniũ, qui eos imitantur. Nã ad mores eorũ, qui gubernacula tenẽt, cõponere ſeſe totos, ij, qui parẽt, ſolẽt: ita vt quales duces fuerint, tales etiã neceſſe ſit eſſe eos oẽs, qui ſequũtur: & quales fuerint in republica principes, tales vt plurimũ exiſtere ſolent etiã reliqui ciues. Itẽ quẽadmodum ſi plures pictores vnius faciei formã effingerẽt, oẽs imagines ſimilitudinẽ quandã inter ſe habebunt, eo quod ad exẽplar vnius pictæ ſint, ſic etiã multi mores, ſi ad vnius imitationẽ reſpexerint, in omnibus æquè bonus vitæ character eluceſcet. Nã vera & perfecta obedientia eorũ, qui parent, erga eum, qui præeſt, ex eo cognoſcitur, ſi nõ ſolum à rebus abſurdis de ſententia perfecti pręfecti abſtinuerint, ſed ſi neq; ea, quæ laude digna ſunt, abſque illius cõcilio fecerint. Cõtinẽtia.n. & omnis corporis afflictio multas ad res perutilis eſt: verũ ſi quis proprios impetus ſequutus, quod ſibi libuerit, fecerit, nec conſulenti pręfecto morẽ geſſerit, maius peccatũ erit, quam rectè factũ. Qui enim magiſtratui reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit. Præterea obedientiæ maior merces eſt, quã rectẽ facti, quod ex cõtinentia deſcendit. Ille igitur, qui habet ſua in manu mali cultũ, ſua autẽ ſpõte ſe illi ſubijcit, nõ iniuria æque cõdemnabitur, ac illi, qui ſibi manus attulerũt. Princeps verò atq; omnis is, qui alijs præeſt, dignitate non efferatur, vt nõ excidat ea beatitudine, quæ ex humilitate manat. Nec etiã ille, qui regi operã nauat ſuam, pręedicatione ſe efferat, eo quod in tali, vel in tali miniſterij ordine collocat⁹ ſit: Ille verò, qui dignus iudicatus eſt, vti Deo ſeruiret aliunde laudem petet, tanquam Ipſi non ſatis ſit appellatio Domini ad omnem glorię ac claritudinis exuperãtiam. Sufficit.n. nobis ad oẽm dignitatem, talis, & tanti Dñi ſeruos nos appellari.

D. Chryſoſt. tomo 4. in epiſtolam ad Rom. cap. 22. Homilia 23.

Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. Huius rei plurimũ & in alijs epiſtolis meminit, quẽadmodũ famulos heris ſuis, ita & ſubditos principib⁹ ſubijciens. Facit aũt hoc ideo, vt oſtẽdat Chriſtum leges ſuas nõ ad hoc induxiſſe, vt politias euertat; ſed vt ad melius inſtituat, & vt pariter doceat ſuperflua, & inutilia bella non eſſe ſuſcipienda. Sufficiunt enim inſidiæ, quę veritatis gratia nobis intẽduntur, vt nõ ſit opus, vanas & inutiles tentationes ſuperaddere. Conſidera vero quomodo nõ ſimpliciter, ſed opportune de his rebus ſermonẽ inſtituat. Poſtquam enim magnã illã philoſophiam exegit, exegit, inſtituitque vt & amicis, & inimicis commodi: & ijs, qui proſpere, & ijs, qui infœliciter haberent, egenis ſimul ac ſimpliciter omnibus vtiles eſſent: politiamq; talẽ plantauit, quæ & angelos deceret, irę affectũ euacuauit, arrogantiã ſedauit, omninoq; mentẽ eorum explanauit: tunc ſcilicet & de rebus ad hortationẽ inducit. Si .n. eos, qui iniuriam faciunt, contrario modo, benignè ſuſcipere oportet: multò magis illis, qui benefaciunt obaudire cõuenit. Sed iſtud in fine adhortationis ponit. Interea vero eas rationes, quas cõmemoraui, non mouet: ſed eas, quæ poteſtatibus ex debito obedire iubẽt, oſtendẽs quod iſta imperẽtur omnibus, & ſacerdotib⁹ & monachis non ſolum ſecularibus: id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit: omnis anima poteſtatibus ſupereminẽtibus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euãgeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſquis tandẽ fueris. Neq; enim pietatẽ ſubuertit iſta ſubiectio. Et non ſimpliciter dicit, obediat, ſed ſubdita ſit. Eſt autẽ prima conſtitutionis huius iuſtitia, quæ & fidelibus cogitationibus ac mẽtibus ſatis & decora eſt, & honeſta, nimirũ quod à Deo ordinata ſint iſta. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo conſtitutus eſt? Iſtud, inquit, non dico. Neque.n. de quouis principũ ſermo mihi nunc eſt, ſed de ipſa re. Quod .n. principatus ſunt, quod hi quidẽ imperãt, iſti vero ſubiecti ſunt, quodque non ſimpliciter, ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumaguntur, diuinę ſapientię opus eſſe dico. Propterea non dicit: non enim princeps eſt niſi a Deo, ſed de re ipſa differit, dicens: non enim poteſtas eſt, niſi a Deo. Quæ vero ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Ita cum ſapientum quis dicit, quod a Deo conglutinetur mulier viro: non aliud dicit, quã Deum inſtituiſſe nuptias: non quod quiſquis mulieri vtrũq; cohabitat, à Deo illi ſit cõiunctus. (Videm⁹ enim multos in malo nõ iuxta

nuptia-

nuptiarū leges, ſimul cōmorātes: quod tamē Deo vtiq; no imputam⁹.) Sed quod Chriſtus ipſe dixit, qui hominē ab initio fecit, maſculū, & fœminā fecit eos: propterea relinquet homo patrē ſuū ac matrē, & agglutinabitur vxori ſuę. Idē & ſapiens ille dixit. Qm̄.n. honoris ac cōditionis æqualitas pugnas ac diſſidia plerūque inducit, multos facit principatus, multaſq; ſubiectiones: vtpote viri & vxoris ſuæ, filij & patris, ſenis & adoleſcētis, ſerui & liberi, principis & ſubditi, preceptoriſq; ac diſcipuli. Et quid miraris, quod in hominib⁹ illud fecit, quādo idē & in corpore noſtro fecerit? Neque.n. hic paris honoris omnia fecit, ſed hoc quidē minus, iſtud vero meli⁹: & hec quidē reliquis mēbris imperantia, iſta verò ſubdita. Idē & in beſtijs videre eſt, vt in apibus, in gruibus, in gregib⁹ ouium agreſtium, Quin & mare ab iſta diſciplina deſtitutū non eſt, ſed illic quoq; multa piſcium genera ſub vno regūtur ac militāt, lōgaſq; ita peregrinationes exequuntur. Libertas enim illa diſſoluta ac moderamine carēs, vbique mala, confuſioniſque cauſa eſt. Poſtquam itaque dixit vnde ſint principat⁹, ſubiungit: Itaque quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Vide quo rē deduxerit, vnde terruerit, & quomodo iſtud iuxta debitū factū eſſe oſtēderit. Etenim ne dicerēt fideles, attenuas nos, contēptibileſque facis, qui cælorū regno potituri ſumus, dum principib⁹ ſubdis: oſtēdit quod hoc faciens, nō principib⁹ illos, ſed Deo ſubijciat. Illi ſiquidē obedit, qui principatib⁹ ſubditus eſt. Sed ita nō loquitur, nimirum quod Deo obediat, qui principibus morē gerit, ſed per contrarium terret, atque idē diligētius probat, & exactius, dicēs: quod qui poteſtati obediēs nō fuerit, Deo aduerſetur, qui iſta ita cōſtituerit. Atque hoc vt q; probare ſatagit, nimirū, quod nō gratiā illis, ſe [illegible] debitum obediendo præſtem⁹. Qui.n. ita ſe habuerit, is & incredulos magiſtratus magis ad pietatē attraher, & fideles ad obediētiam. Plurima quippe tū tēporis circumferebatur fama traducens Apoſtolos veluti ſeditioſos, rerūque nouatores, qui omnia ad euertendū leges cōmunes, & facerēt & dicerēt. Cū itaq; oſtēdit, cōmunē noſtrū Dn̄m iſtud ſuis omnib⁹ præcipientē, & eorū, qui Chriſtianos innouationis crimine traducebāt, obſtruit ora & maiore cū fiducia cū veritate ſua dogmata tradit. Noli itaq; talē, inquit, ſubiectionē turpē tibi putare. Deus.n. iſtud cōſtituit, qui & vehemēs iſta cōtēnentium vltor eſt. Neq;.n. vulgares pœnas repoſcet, ſi nō obedieris, ſed quā maximas. Nec quicquam erit, quod contradicentem eximat, quo minus & ab hominibus grauiſſimum feras ſupplicium.

Idem D. Chryſoſt. tomo 1. de verbis Eſaiæ, Vidi Dominum, &c. Homilia 4.

Quid efferris animo, quum ſis homo, cognatus terræ, eiuſdē ſubſtantiæ cū cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu? Hodie diues, cras pauper: hodie ſan⁹, cras ęgrot⁹: hodie gaudes, cras doles: hodie in gloria, cras in ignominia: hodie iuuenis, cras ſenex. Num, quid in rebus humanis cōſiſtit, ac nō potius omnium pręterfluentium curſum imitātur omnia, ſimul atque apparuerunt, citius nos, quam vmbra relinquunt? Quid igitur criſtas erigis homo, fumus & vanitas? Homo enim vanitati ſimilis factus eſt, veluti fumus dies eius. Exaruit gramen, & flos decidit. Hæc dico nō vt ſubſtātiam deijciam, ſed vt arrogātiam refrenē. Alioqui & magna res eſt homo, & præcioſa res, vir miſericors. Verū hic Ozias cum eſſet rex, cinctus diademate, quoniā erat iuſtus, elatus eſt animo: maiore ſpiritu concepto, quam pro dignitate, ingreſſus eſt tēplum. Et quid dicit Eſaias? Ingreſſus eſt Sancta ſanctorum, aitque, volo adolere incenſum. Rex quum eſſet, ſacerdotij principatum vſurpat: Volo, inquit, adolere incenſum, quia iuſtus ſum. Sed mane intra tuos terminos, alij ſunt termini regni, alij termini ſacerdotij, hoc regnum illo maius eſt.

Neque.n. ex his, quæ vidētur, hic declaratur rex, neque ex gēmis illis affixis, neque ex auro, quo amictus eſt, debet æſtimari rex. Ille quidē ea, quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda, cæterum ſacerdotij ius è ſupernis deſcendit. Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Regi ea, quæ hic ſunt, commiſſa ſunt, mihi cæleſtia: mihi quum dico, ſacerdotem intelligo. Itaque quum videris ſacerdotem indignum, ne traducas ſacerdotium. Nō enim oportet dānare res, ſed eum, qui re bona male vtitur.

Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verum non ob id accuſatur ordo Apoſtolicus, ſed illius animus: nec crimen eſt ſacerdotij, ſed malum animi. Et tu igitur ne ſacerdotium vituperes, ſed ſacerdotem malè re bona vtentem. Etenim ſi quis tecum diſputet, dicatque: Vidiſti illum Chriſtianum, reſpondeto: at ego non de perſonis, ſed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti ſunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, ſed male vtentem arte. Quot nautæ malè rexerunt nauigia? Verum non ars nauigandi mala eſt, ſed illorum animus. Si Chriſtianus fuerit improbus, ne incuſes profeſſionem, ac ſacerdotium, ſed re bona vtentem malè. Regi corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animę.

Rex maculas corporum remittit, ſacerdos autē maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur. Ille neceſſitate, hic conſilio. Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia.

Ille

Ille bellũ gerit cũ barbaris, mihi bellũ eſt aduerſus dęmones. Maior hic principatus, propterea rex caput ſubmittit manui ſacerdotis & vbiq; in veteri ſcriptura ſacerdotes inungebãt reges. Verũ rex ille ſua tranſilieos ſepta, modũq; regni tranſgreſſus, conat⁹ eſt aliquid addere, atque ingreſſus eſt tẽplum, cũ authoritate iocẽſum adolere volẽs. Quid igitur ſacerdos? Non licet tibi Ozia adolere incẽſum. Vide libertatẽ, vide mẽtem ſeruire neſciam, vide linguam cœlos attingentem, vide libertatẽ incoercibilẽ, vide hominis corpus, & angeli mẽtem: vide humi ingredientẽ, & in cœlo verſantem. Vidiſti regẽ, nec vidiſti diadema. Ne mihi dixeris eſſe regnũ, vbi eſt legum tranſgreſſio. Non licet tibi rex adolere incẽſum, nõ eſt fas venire in Sancta ſanctorũ, trãſcendis ſepta tua, quæris tibi nõ conceſſa, eoq; quæ accepiſti perdes. Non licet tibi adolere incenſum, ſed ſacerdotibus iſtud datum eſt. Non tuum eſt hoc, ſed meum. Nũ mihi tuam vſurpaui purpurã? Ne vſurpes meum ſacerdotium. Non licet tibi adolere incenſum, ſed tantũ ſacerdotibus filijs Aaron. Poſt multũ temporis iam defuncto Aarone hoc accidit. Et quamobrẽ nõ dixit ſacerdotibus tantum, ſed & patris mentionem fecit? Accidit in illo tẽpore, vt tale quippiam fieret: Dathan enim Abiron, & Core inſurrexerant aduerſus Aaron, aperta eſt terra, ac deuorauit illos: venit ignis de cœlo, & exuſſit eos. Volens igitur eũ commoneſacere illius hiſtoriæ, quod olim quoque per vim inuaſerint ſacerdotium, verum haud quaquam ſuccubuerit, ſed adorta eſt multitudo, & Deus illam vltus eſt. Nõ licet tibi adolere incenſum, ſed ſolis ſacerdotibus filijs Aaron. Nõ dixit, Cogita quid paſſi ſint, qui tunc illa patrarunt, ſed nominato Aarone, cuius vicẽ vltus eſt Deus, eum ad hiſtorię recordationem adduxit. Noli audere, quæ auſus eſt Dathan, ne patiaris eadem, quę tempore Aaron acciderunt. Rex autẽ Ozias non ſuſtinuit admonitorẽ, ſed arrogantia inflatus, aperuit templum, ingreſſus eſt Sancta ſanctorum volens adolere incenſum. Quid autem Deus? Vbi igitur ſacerdos cõtemptus eſt, dignitaſq; ſacerdotij cõculcata, nec quicquam præterea potuit ſacerdos, (Nam ſacerdotis tantum eſt arguere, ac liberã pręſtare admonitionem) Poſteaquam igitur arguiſſet ſacerdos, rex aũt nõ ceſſiſſet, ſed arma moueret, clypeos, & haſtas, ſuaque vteretur potentia, ibi ſacerdos Deo: Ego, inquit, quod erat mei officij, præſtiti, nihil ampli⁹ poſſum, ſuccurre ſacerdotio, quod cõculcatur, leges violãtur, fas ſubuertitur. Quid igitur ille hominum amator? Et continuo effloruit lepra in fronte illius. Vbicunq; eſt impudẽtia, illic eſt vltio. Vidiſti humanitatem vltionis diuinæ, non fulmen emiſit, non terram cõcuſſit, nõ commouit cœlum, ſed effloruit lepra, nõ in alio loco, quam in fronte, vt facies præ ſe ferret vindictam, vt tanquam in colũna literæ eſſent impreſſæ. Non enim propter illum factũ eſt, ſed propter eos qui ſequuntur Dathan. Quum enim poſſet pro meritis pœnam infligere, non inflixit, ſed ceu lex poſita eſt, velut in loco ſublimi, dicẽs: Nolite facere talia, ne patiamini ſimilia. Extat lex viua, & frõs vocem edidit tuba clariorem, literę erãt inſcriptæ fronti, literæ quæ deleri non poterant. Non enim erant atramento inſcriptę, vt aliquis poſſet delere, ſed naturalis erat lepra, eumque reddidit immundũ, vt alios faceret mundos. Et quemadmodũ iure damnatos, poſteaquam funẽ acceperint, educunt ſuoẽ ore geſtantes: ſic & hic abducebatur, pro fune lepram ingeſtãs, eò quod ſacerdotium affeciſſet contumelia. Hæc loquor non inceſſens reges, ſed eos qui arrogãtia, iraque ſunt ebrij, vt intelligatis, ſacerdotium regno maius eſſe. Semper enim Deus, vbi peccauit anima, punit corpus. Itidem fecit & in Caio. Anima peccauerat admiſſo parricidio, & corpus illius paralyſi tactũ eſt, idq; iure optimo. Quamobrẽ? Gemens, ac tremens eris ſuper terram. Et circuibat Cain, omnibus loquens, ſilentio vocẽ edens, ſilentioq; erudiens. Lingua tacebat, & cætera membra clamabãt, cũctiſq; exponebãt, cur gemeret, cur tremeret: fratrẽ occidi, parricidium admiſi. Quod poſtea Moyſes ſcripto narrauit, ille rebus ipſis omnibus loquens obambulabat: Nõ occides. Vidiſti os ſilens, & rem vociferãtem, vidiſti legem viuam ferri, vidiſti colũnam eminentem, vidiſti vindictam vindicta tolli, vidiſti ſuppliciũ, verſum in eruditionis materiam, vidiſti peccantem animam, & carnem dãtem pœnas, idque admodũ congruenter? Itidem accidit in Zacharia, anima peccarat, & lingua vincta eſt. Hic ille Zacharias, qui vocem illã genuit. Sic & iſte lepra corrept⁹ eſt. Et egreſſus eſt rex, omnibus exemplũ factus, purgatumq; eſt templũ, & eiectus eſt nemine propellente, quumque ſacerdotiũ ſibi vellet ſumere, & hoc quod habebat perdidit, & exiuit è tẽplo. Vetus erat mos, omnẽ leproſum e ciuitate eijcere, nunc verò nõ idem fit. Cur ita? Nam quum Deus veluti puerorum curã agebat, tũ lepra erat corporis. Nũc autem animæ lepra quæritur. Exiuit igitur rex cum lepra, nec tamen eiecerũt eum è ciuitate, diadema illius, regiamq; dignitatẽ reueriti: ſed concedit in throno, rurſus legem tranſgrediens. Quid ergo? Deus Iudæis iraſcẽs, interrupit prophetiam. ¶Hęc aũt omnia dicta ſunt propter verbũ prophetę, vt exoluã quod debeo. Ego, quod erat mei muneris feci, vos populares metuitis impurum eijcere, reueremini regiam dignitatẽ, Dei legem violantes.

Quid

Quid igitur? Deus auerſus eſt ab illis. Nó amplius loquor prophetis veſtris, non amplius mitto ſpiritus gratiã. Et verbũ tunc nó erat in precio, nec erat ſermo vaticinans. Silet ſpiritus gratia, nó oſtẽſus eſt Deus, eo quod ſub impuro illo nó erat gratia. Non adueniebat Deus, nó apparebat, nó viſiones exhibebat, non prophetæ loquebãtur, quæ debebãt: ſed perinde quaſi dicas, poſthac nó miſceo tecũ ſermonem, poſthac nó loquor tibi, ſic Deus videt, & iraſcitur. Non .n. vindictam intulit, pœnãque inflixit in ciuitatem mãſuetudine plenã, neque exuſſit eã, ſed quid ait? Nó vultis vlciſci vicem meam, non colloquor vobiſcum. Neque. n. nó poterã illum eijcere, verũ quod reſtabat, vobis relictũ eſſe volui. Non vultis? Neque ego colloquor vobiſcũ, neque excito prophetarũ animũ. Non agebat in eis ſpiritus gratia, ſilentium erat, ſimultas inter Deum & hominẽ. Quum igitur ille pòſt eſſet mortuus, ſimul ſoluta eſt & impurorũ materia. Ergo vbi Propheta multo tẽpore deſiiſſet prędicere, illoq; ſilẽtio ſoluta fuiſſet ira Dei, redijt propheta. Hinc propheta neceſſario deſignat mortis tẽpus dicens: Et factũ eſt anno quo mortuus eſt Ozias rex, videbam Dñm ſedẽtẽ in throno excelſo, & elato. Quũ ille mortuus eſſet, tũ vidi Dñm. Nam antea Deum nó videbã nobis iratũ. Venit mors impuri, & ſoluit irã. Hanc ob cauſam cũ vbique regũ vitã cómemoret, hic mortẽ dixit Oziæ: Factũ eſt in anno, quo mortuus Ozias rex, vidi Dñm ſedẽtẽ in throno excelſo, & eleuato. Ac rurſus hic contẽplare Dei bonitatẽ. Mortuus eſt impurus, & Deus recõciliatus eſt hominibus. Quãobrem hoc factũ eſt, quum nihil eſſet benefactorũ, ſed tantũ ille mortuus eſt? Quoniam humanus eſt Dñs, nec in talib9 agit ſeuerius, tantũ quęrebat, vt exiret impurus. Hec itaq; quum ſciamus, arrogantiã abijciamus, modeſtiam amplectamur, ſolitã gloriam reuocemus patri, & filio, & ſpiritui ſancto, nũc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

D. Gregorius Nazianzenus oratione ad ciues Nazianzenos.

At nos, fratres, dum officium ipſi deſerentes, magiſtratus poteſtatem iniquo animo gerimus, perinde vtique facimus, ac ſi quis certaminis præſidem, vt improbum accuſet, cum ipſe in paleſtræ leges peccet, aut medicum vt indoctum, & audacem, quod ſectionibus, & cauterijs graſſetur, cum ipſe graui morbo laboret, aſperioribuſque remedijs opus habeat. Atque hæc mihi ad ſubditos partim admonendi, partim conſolandi gratia dicta ſint, mihi, inquam, pauperi paſtori gregem hunc paruum componenti, & inſtauranti, cui & gaudenti gratulari ac læto animo eſſe, & mœrenti condoleſcere paſtoriæ meæ artis lege præſcripta iubeor. Quid verò vos principes & pręfecti? Ad vos enim ſe noſtra iam conuertit oratio, ne alioqui iniquè omnino facere videamur, atque his quidem, quæ in rem futura ſint conſulere, veſtræ autem dignitati, potentiæque cedere, quaſi vel pudore, vel metu noſtram ſecundum Chriſtum libertatem demittentes, aut rationibus quidem illorum accuratius prouidere, veſtri autem cura minus tangi, quibus eò etiam maiori ſolicitudine proſpiciendum eſt, quòd ea res plus in vtramque partem momenti habeat, vberiorque inde vtilitas promanet, ſi negocium proſperè ſucceſſerit. Contrarium enim tum à nobis abſit, tum ab oratione noſtra. Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? An me libere loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, addo etiam præſtantius, ac perfectius: niſi vero æquum eſt, Spiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, vtpote ſacri mei gregis ouis ſacra, magnique Paſtoris alumna, recteque iam inde à primis annis à ſpiritu ducta, & inſtituta, ſanctæque & beatæ Trinitatis lumine æquè ac nos ipſi colluſtrata. Proinde breuis erit mihi tecum oratio. Cum Chriſto imperium geris, cum Chriſto prouinciam adminiſtras. Ab illo gladium accepiſti, non tam vt eo vtaris, quam vt mineris ac terreas. Quare tibi videndum eſt, vt illum tanquam donarium quoddam purum & integrum ei, qui dedit, ſerues. Imago Dei es: verum imaginem quoque Dei regis, hic quidem certa diſpenſatione gubernatam, ad aliam autem vitam migrantem, ad quam omnes quoque concedemus, poſteaquam in hoc vitæ ergaſtulo, vel ſtadio, vel pręſignatione, vel adumbratione aliquantiſper luſerimus: flectat te naturæ cognatio: moueat te exemplar tuum: ſac Deum imiteris, non mundi principem: benignum Dominum, non acerbum, & crudelem tyrannum.

Idem Chryſoſt. oratione de ſcipſo, ad eos, qui ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare ducebant.

Imperatores honorem purpuræ habete. nam legiſlatoribus quoque leges præſcribemus. Cognoſcite quantum id ſit, qnod veſtræ fidei commiſſum eſt, quantumque circa vos myſterium. Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, diademate paruo, ac exiguo panno retentus. Superna ſolius Dei ſunt: inſerna & Dei ſunt & veſtra. Subditis veſtris Deos vos præbete: liceat

eni.n

enim audacius aliquid dicere. Cor Regis in manu Dei eſt, vt ſcriprura teſtatur, ac fidem facit. Hic imperium veſtrũ ſit, non autem in auro & exercitibus. Aulici proceres, ac ſublimibus thronis & dignitatibus, inſignes, ne ſonorum amplitudine, ac potentia inſoleſcatis, nec de mortalibus rebus, quaſi immortalibus cogitetis. Fidem imperatoribus ſeruate, ſed prius Deo, propter quẽ & his, quibus commiſſi & traditi eſtis. Qui generis ſplẽdorem iactatis, date operam, vt moribus quoq; nobilitemini: aut aliquid dicam, iniucundũ quidem & moleſtum, cæterum nobile, & generoſum. Nam & veritas nobiliſſima eſſet, ſi qua eſt vlla veſtra nobilitas, niſi chartæ ignobiles quoq; vobis pingerẽt. Sapientes & philoſophi, & barba, pallioque graues, voſque ſophiſtæ & grammatiſtæ, publicique plauſus captatores, haud ſcio, quomodo ſapientum nomen ſuſtinere poſſitis primario verbo ac doctrina carentes. Qui parandis opibus ſtudetis, audire Prophetam dicentem, diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: ſcitote vos re incerta, & fragili niti & confidere. Nauẽ nonnihil exonerare, vt leuius nauigetis. Hoſti fortaſſe aliquid eripueritis, ad quem facultates veſtræ deuoluentur. Qui delicijs indulgetis, aliquid genio, & ventri ſubtrahire, ac Spiritui dare. In propinquo eſt pauper: morbo ſuccurre, in hunc aliquid eorum, quæ tibi ſuperſunt, eructa atque euome. Cur vterq; veſtrum premitur, tu cruditate, ille fame: tu crapula, ille aqua intercute: tu ſarietate, & ingluuie laborans, ille morbo æſtuans, ac vacillans? Ne Lazarum tuum hic aſperneris, ne te in futuro æuo diuiti illi ſimilem reddat. Vos magnę vrbis ciues, qui primi ſtatim poſt primam eſtis, aut ne id quidem ei conceditis, ita vos gerite, vt primi non ſcelere, ſed virtute: nõ morum diſſolutione, & mollitie, ſed optimis legibus ſitis. Turpe enim fuerit, & flagitioſum, ſi hæc vrbs ita alijs vrbib⁹ pręſter, vt tamen voluptaribus cedat, aut cætera quidem grauis & moderata ſit: verũ circa ludos Circenſes & ſpectacula, & curſus ac venationes adeo inſano animi ſtudio feratur, vt hæc pro vita, & ſerio quodam inſtituto habear, atque vrbs inter vrbes principatum tenens, ludentium vrbs ſit, quam alijs quoque virtutum omnium exempla præbere multò æquius erat, & congruentius. Vtinã hæc abijciatis, vtinam Dei ciuitas ſitis, atque in manibus Dñi depingamini, ac tandem nobiſcum magno vrbium conditori ſplẽdidi ſplẽdidè ſiſtamini. Hũc vobis nuncium lætum affero in ipſo Chriſto Domino noſtro, cui gloria honor & imperium in ſecula ſeculorum.

D. Hilarius tom. 1. libro ad Conſtantium Auguſtum.

Prouideat & decernat clemẽtia tua, vt omnes ſe vbique iudices, quibus prouinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura, & ſolicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religioſa ſe obſeruãtia abſtineant. Neque poſthac pręſumant, atque vſurpent, & putent ſe cauſas cognoſcere clericorum, & innocẽtes homines varijs afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque vexare. Intelligit ſingularis, & admirabilis ſapientia tua, non decere, nõ oportere cogi, & compelli inuitos, ac repugnantes, vt ſe his ſubijciant, & addicant vi oppreſſi, qui non ceſſant adulterinæ doctrinæ corrupta ſemina aſpergere. Iccirco laboratis, & ſalutaribus cõſilijs rempublicam regitis, excubatis etiam & vigilatis, vt omnes, quibus imperatis, dulciſſima libertate potiantur.

D. Auguſt. in ſermone Apoſtolorum Petri & Pauli, qui incipit: Fortis & humilis.

O mira potentia, & ineffabilis gratia ſaluatoris. Quis plebeium piſcatorem Apoſtolorum facile crederet principẽ, & regibus obſiſtere, reges ſanctificare? regnis omnibus imperare? mundum refrenare legibus? dęmones calcare pedibus? iubere virtutibus? cœlũ hominibus aperire, cum vellet? claudere cũ placeret? immortale regnum conuerſis donare? negare peruerſis? merita mundi cognoſcere? culpas & crimina hominibus relaxare.

D. Bernardus de conſideratione lib. 4. ad Eugenium.

In his non ſucceſſiſti Petro, ſed Conſtantino. Conſulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te ſcio debitorẽ. Etſi purpuratus, etſi deauratus incedens, non eſt tamẽ quod horreas operam, curamve paſtoralem paſtoris hęres, non eſt, quod erubeſcas euangelium. Quanquam ſi volens euangelizes, inter apoſtolos quidem etiam gloria tibi eſt. Euãgelizare, paſcere eſt. Fac opus Euangeliſtæ, & paſtoris opus impleſti. Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed verbo, non ferro. Quid tu denuo vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbũ Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apoſtolis, Ecce gladij duo hic: non reſpõdiſſet Dominus, Satis eſt, ſed, nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exerendus eſt. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.

Hæc

Hæc ſunt, quæ ex ſcriptoribus Ecclæſiaſticis, ijſdem præſtantiſſimis, in argumento maxime neceſſario ad publicam vtilitaté decerpta voluimus, vt ſplendor veritatis cum hæreticorú caligine propius collatus magis appareat, omnibuſque mox efficiatur teſtatiſſimum, quam vanè de ſuis inuentis in hoc articulo glorientur Lutherani, & cuiuſmodi ſit illa doctrina, ex qua tam exitiales fructus in repub. Chriſtiana ſunt conſecuti. Antiqui illi Chriſtiani ſciétes totius corporis integritatem ex mutua membrorum cócordia prouenire, ſi quando métio incidit vtriuſq; poteſtatis, eo maximè ſermóes ſuos contulerút vt ſeruarent vnitatem in vinculo pacis, eamque dicerenr debere eſſe rationem Eccleſiaſticæ poteſtatis ad ciuilé, quæ eſt animæ ad ſuú corpus. Nunquam certè tranquillius, núquam fœlicius in republica Chriſtiana actũ eſt, quàm vbi tali vinculo poteſtates inuicé ſunt colligatę, pariq; ſolicitudine vtrinq; pro alterius honore & cómodis ad Dei gloriam, populiq; Chriſtiani ſalutem laboratum eſt. His enim in duobus, pax, ſalus, & ſumma reipublicę Chriſtianæ conſiſtit. Poſtquam verò noui iſti Chriſtiani Induxerút auimũ, alia via incedere, inuerſa ſunt omnia, & in quibus locis funeſtum illud Euágelinm increpuit, vel deſierút eſſe Paſtores animarú, vel deſijt popularis obediétia. Quot auté cladium, quot turbarú ea res extiterit occaſio, nihil attinet, vt hic commemoremus. Ná & ipſa ſaxa hoc etiam clamare videntur, vt plebs miſerè ſeducta, & de ſua mala obſtupeſcés de Prophetis ſuis, nunc dicere cogatur: Oua aſpidú rupút, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorú morietur: & quod cóforú eſt erũpet in regulú. Expectauimus lucé & ecce tenebræ: ſplendoré, & in tenebris ambulauimus: Palpauimus ſicut coeci parieté, & quaſi abſq; oculis attrectaulmus: impegimus meridie, quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergũ Dei noſtri, vt loqueremur calũniam, & tráſgreſſionem: cócepimus, & loquuti ſumus de corde verba mendacij. Et conuerſum eſt retrorſum iudiclum, & iuſtitia lóge ſtetit: quia corruir in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in obliuioné, & qui receſſit à malo, prædæ patult.

Eſaie 59.

Ioannis à Dauentria refutatio Articuli de poteſtate Eccleſiaſtica.

Reſponſio aduerſariorum.

HIc manifeſte declarát ignorátiam ſuam Confeſſionis ſabricatores, ná docét nos, quod ſui primum coacti ſint oſtédere diſcrimen vtrluſque poteſtatis, eccleſiaſticæ ſcilicet & ciuilis. Certè ante iſtos homines nuper natos oſtenderút illud pluriml noſtratium, docuerunt etiamnũ, quod magnis honorib⁹ vtraque ſit afficienda. Nó lgitur fuit neceſſe, vt iſti cogerétur hác prouinciam ſubire quá ante eos cum maiori fruge Catholici cócionatores pertulerunt.

Sic autem ſentiunt: poteſtaté clauium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum iuxta Euágelinm poteſtaté eſſe, ſeu mandatú Dei prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrandl ſacramenta.

Poteſtaté Eccleſiaſticam nimis cõſtringunt.

Præter poteſtaté prædicandi Euágelij, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrãdi ſacramenta, ſunt & alia prælatorũ munia, videlicet vt bene regant ſubditos, vt ad bene agendum vrgeant, vt à malo eos abſterreant, malos coerceant, bonos tueantur. Hinc dicebat Epheſiorum Eccleſiæ ſummatibus: Atédite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritusſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Hic præter illa munera, quę iſti ſola tribuút epiſcopis, inſeritur etiam quod ipſi regát Eccleſiam, quorum gubernatione non ſolum crederent, verum etiam obedirent Euangelio. Verum quia nó poſſunt exactè ſuo perſungi officio, niſi ius habeant bonos tuendl, malos coercendi, dedit eis authoritaté & gladiũ cópeſcédi rebelles & immorigeros, iuxta diuinarum & Eccleſiaſticarũ Inſtitutionum cenſuras. Hinc cófidenter pronútiat Apoſt. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructioné munitionum cóſilia deſtruentes, & omnem altitudiné ſe extollenté aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam. Quando ergo quiuis in poteſtate aliqua ſublimiori conſtitutus, contra Deum ſe erigit, mandatum Dei cótemnit, eccleſiaſticas vltro ſanctiones tráſilit, opprimit inſontes, non coercet nocentes, optimo iure à ſuo pernitioſo inſtituto coercetur. Plus igirur nimio conſtringunt Epiſcoporum poteſtatem, cum adimunt eis poteſtatem gladij ſpiritualis, qui eſt excommunicationis, quo arcent malos, ne iniquo contagio eorum, boni inficiantur. Certè vt Magiſtratui concedunt gladium, quo rebelles & immorigeros compeſcere debent, ita non debebant Eccleſiæ ſummatibus ſurripere gladium ſpiritus, quo non ſolum verbo Dei, ſed & vi excludant à communione Eccleſiæ impios & maleuolos. Sicut & Paulus anathemate Corinthium illum ſornicatorem à concione fidelium coercuit, vt exagitata carne, ſpiritus tandem poſſet integer eſſe.

Act. 20.

Poteſtas Eccleſiaſtica quatenus malos coërceat.

2.Cor.10.

1.Cor.5.

Cum igitur de iuriſdictione Epiſcoporũ quæritur, diſcernl debet imperium ab Eccleſiaſtica iuriſdictione. Porrò ſecúdum Euangelium, ſeu vt loquuntur de iure diuino,

nulla iuriſdictio cõpetit Epiſcopis, hoc eſt, his, quibus eſt commiſſum miniſterium verbi & ſacramentorum, niſi remittere peccata: item cognoſcere doctrinam, & doctrinã ab Euangelio diſſidentem reijcere, & impios, quorum nota eſt impietas, excludere à communione Eccleſiæ, ſine vi humana, ſed verbo. Hic neceſſario, & de iure diuino debent ijs Eccleſiæ præſtare obedientiã, iuxta illud: Qui vos audit, me audit, &c.

Non grauatim, ſed lubẽti animo accipim⁹, quæ veritati conſonant, etiamſi ab Aduerſarijs tradantur: Accipimus itaque quod inter imperiũ & Eccleſiaſticã iuriſdictionem diſcernere oporteat, modo ſimpliciter, quod ipſa ſonant verba, intelligant. Si verò ita intelligant, vt putent ciuilem poteſtatem Eccleſiaſtico magiſtratui in rebus ſpiritualibus non eſſe ſubiectam, ſed ediuerſo, quod iſte debeat illi morem gerere, vehementer errant. Nã Chriſtiani Principes aut imperium plene cõfitentur, quod non debeant, neque poſſint ſacramenta accipere niſi à ſacerdotibus, qui vice Chriſti & Apoſtolorum in Eccleſia præſident, quodq́; eis ſolum dictum ſit illud: Hoc facite in meam commemorationem. Et de eis illud: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Sed hoc docẽt etiam hic Aduerſarij, quando miniſterium verbi & ſacramentorum ſacerdotibus ſolis non magiſtra[illegible]i ciuili aut plebi attribuunt. Errarunt err[illegible] plurimi, qui ſibi adminiſtrationem non ſolum verbi, ſed & ſacramentorum temerè vſurpabant. Hic refricat mihi memoriam quorundam ſtulta temeritas, quorum altera pars ſacerdotum, altera populi vices præ ſe ferebant. Illa è tecto (erant enim tectores) altum reſonabat germanico idiomate: Dominus vobiſcum, Surſùm corda, Gratias agamus domino Deo noſtro, & deinceps vſque ad finem illius caninæ Miſſę: iſta (quæ humi ex gleba, cruſtas parabat tectorias) vt ſubulci boabant ex aduerſo, quãdo res reſponſione indigebat. Vbi verò ventum eſſet ad ad illum locum, vbi ex more ſacerdotes corpus Dominicum conſecrant, reperit fortè in ſinu panem alter eorum, qui è tecto dependebant, quem cum magna voce ceu benedicebat, frãgens trifariam vnã partem tradidit ſocio, alteram tenuit ſibi, quod reliquum erat, proijciebat in turbam dicens eadem lingua: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Hæc non dicerem, niſi quidã noſtratium ſuis vidiſſent oculis, ſuisq́ue audiſſent auribus. O religionem, hoc hominũ genus dignam. Sic res ſacratiſſimæ apud eos verſæ ſunt in res plus quàm aniles. Si tantùm Epiſcoporum eſt, ſicut verè eſt, adminiſtrare ſacramenta, errarunt ergo iſti toto, quod aiunt, cælo. Suxerunt tamen hoc aconitum ex mellitis Lutheri ſcriptis.

Poteſtas ciuilis, quatenus poteſtati eccleſiaſticæ ſubſit.

Matth. 16. Luc. 10.

O inſaniam.

Addunt hic, quod ad Epiſcopos propriè pertineat de doctrina cognoſcere, & doctrinam parum Euangelio quadrantem reſpuere, quodq́ue ipſi impios, quorũ nota eſt impietas, à communione Eccleſiæ debeant arcere, & quod in hac parte citra controuerſiam Epiſcopis ſubditos obtemperare oporteat. His tam multis verbis ipſi ſeſe condemnant Aduerſarij temeritatis, & non ſeruati mandati. Si enim, quod catholicè ſentiunt ad eccleſiaſticam, non ad ciuilem poteſtatem pertineat, cognoſcere de doctrina, & falſam & erroneam à vera & recta diſcernere & proijcere, & quod hic obediendum eſt Epiſcopis, peſſime faciunt iſti, quando doctrinam euangelio conformem, & à multis annis ſine vlla cõtentione ab Epiſcopis receptiſſimam, ceu recens natam exſibilant, & quando ſuam doctrinam ab Epiſcopis reprobatam, contra obedientiam, contra eos tanta cum pertinaciã defendunt. Nolunt Epiſcopi hanc iſtorum hæreticam doctrinam diſſeminari, nolunt ea populum Dei infici, & hoc magis eam diſpergunt, quò ſciunt magis Epiſcopis diſplicere. Vbi eſt obedientia eorum erga Epiſcopos? Et non ſolum non obediunt, ſed maledicunt Epiſcopis, ſi quando in aliquem huius doctrinæ doctorem vel protectorem ſeuerius animaduertunt. Hic defendunt Epiſcopos, alibi debacchantur in eos, vt in carnifices atque tyrannos. Quid facient boni Epiſcopi, quando vtrinque peccant in ipſos? Si diſcernunt inter doctrinam & doctrinam, & proijciunt hæreticam, & ab Euangelio diſſidentem, audiunt maledicti, audiunt tyranni. Si non diſcernunt neque proijciunt alienam, rurſus peccant in animã ſuam, quia non funguntur officio ſuo; quod vel ab Aduerſarijs eis tri[illegible]itur. Certè ſi Epiſcopi ita à Deo vt ab [illegible]uerſarijs maledicuntur, infeliciſſimum viuendi genus eſt, eſſe Epiſcopum. Sed id abſit, nam certo certius quod eis benedicat, quibus iſti temerario auſu maledicunt.

Pręterea quando eccleſiaſticę iuriſdictioni tribuunt miniſterium verbi & ſacramentorum, abſolutionem peccatorum & cognitionem inter doctrinã & doctrinam, & proinde etiam gladium ſpiritus, quo præſcindant à communione Eccleſiæ impios, benè mouentur. Hoc ſolum adijcere debebant, quod ipſos quoque oporteat regere poteſtatem, vna cum vniuerſa plebe: nam hoc maxime pertinet ad Eccleſiaſticam iuriſdictioné, vt ad meliora exſtimulet bonos, vt ad bonũ perurgeat malos. Hoc adeo placuit Bedæ, vt diceret, ſuper illud Chriſti dictum: Certantibus de prioratu diſcipulis, pius magiſter eos non initæ contentionis arguit, ſed formam

Beda in Lucam.

maam

mam quam ſequantur humilitatis, modeſta ratione deſcribit. In qua tamen forma obtinẽda maiores & præceſſores, id eſt, doctores Eccleſiæ, non minima diſcretione opus habent, ne videlicet regum gentium inſtar dominari ſubiectis, ſeque ab eis gaudeãt ſuperuacuis laudibus attolli, ſed ad exẽplum regis æterni quaſi iuniores eis, quibus regẽdis pręſunt, efficiantur ac magiſtri. Quia nimirum neceſſe eſt, vt ſic bene agẽtibus per humilitatẽ ſint ſocij, quatenus contra delinquentium vicia per zelum iuſtitię ſint erecti, vt & bonis in nullo ſe præferant: & cum prauorum culpa exegerit, poteſtatem protinus ſui prioratus agnoſcant. Nec enim præſidentis animus ad elationem poteſtatis ſuæ delectione rapiatur, rectè per quendã ſapientem dicitur: Ducem te poſuerũt? noli extolli: ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis. Hinc etiam Petrus dicit: Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis. Et tamen nonnunquam grauius delinquitur, ſi inter peruerſos plus æqualitas quàm diſciplina cuſtodiatur. Quia enim falſa pietate ſuperatus ferire Heli delinquẽtes filios noluit, apud diſtrictum iudicẽ ſemetipſum cum filijs crudeli damnatione percuſſit. Vnde neceſſe eſt, vt rectorem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſollicita circumſpectione prouidẽdum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa. Hæc ille benè pro nobis dixit, vt liquet ex ijs, quod Epiſcopi & eccleſiarum rectores iure diuino cogantur inſolentes corrigere. Et ne hunc vt nouitium exſibilent, loquatur pro nobis etiam Auguſtinus.

Epiſcopi non ſuperbiant.

1. Reg. 4.

Quantum ad nos pertinet inquit, omnes ſaluos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibẽda eſt à nobis medicinaliter ſeuera correctio. Dei autẽ eſt illis eam facere vtilem, quos ipſe præſciuit & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat. Neque enim dilectionis viſcera maiora geſtamus, quã B. Apoſtolus, qui dicit: Corripite inquietos, conſolamini puſillamines, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum eſt, tunc potius malum pro malo reddi, ſi corripiendus non corripitur, ſed praua diſſimulatione negligitur. Audis hic quod ad eccleſiaſticos pertineat, vt omnes peccantes, ne eorũ negligentia pereant, eccleſiaſtica cenſura coerceant. Audi eundẽ etiam ſecundò ſic dicentem.

August. de correct. & gratia.

1. Theſſ. 5.

Quando videt homo aliquem malè viuẽtem, & forte Eccleſiæ aliquid præſtantem, & non eũ corripit, animo fugit. Quid eſt animo fugere? Timere. Timor eſt fuga interior. Quare timet? quia mercenarius eſt, ne forte ille male accipiat, quòd corripitur, & nõ det quod ſolet. Videt lupũ venientẽ, id eſt, diabolũ malè viuentis colla frãgentem, & fugit, animo abſtinet ab vtili correptione, plenus timore. Qui autẽ paſtor eſt, & eſt ei cura pro ouibus, non eum dimittit & facit, quod dicit Apoſtolus: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, &c. Non ergo putet quiſpiam, vel qui ſe dicit paſtorem, quia nõ reddit malum pro malo, ei qui reddit potius bonũ pro bono. Ille enim etſi peccator eſt & ſceleſtus, de bonis ſuis dat Eccleſię, ille autem malum pro malo reddit, cui ſubtrahit correptionem. Sed quoniam hoc totũ dilectiſſimi faciendum eſt, aliquando autẽ homines ſuos correptores putant inimicos ſuos, ideò cum dixiſſet: Corripite inquietos, ſubiecit, conſolamini puſillanimes: forte enim de correptione incipit deficere, & perturbatur, tũc oportet conſolari. Suſcipite infirmos, ne per infirmitatem cadant. Si titubare cœpit infirmitas, ſinu ſuo ſuſcipiat charitas. Hæc ſit optimi paſtoris ſumma cura, vt hanc rectiſſimam bene regendi normam, quam diligentiſſimè obſeruet. Complectitur verò in ea, quicquid Aduerſarij hic Epiſcopis & ſacerdotibus temerè pro ſua libidine adimunt. Et eandem ſententiam Auguſt. adnotat in epiſt. 1. Theſſ. Beda.

Lib. de verb. Domini.

1. Theſſ. 5.

Addant igitur ſuæ ſententiæ quod Epiſcopis facta ſit poteſtas corrigendi, aut ſi malint, corripiendi peccãtes, vt continuo ſequatur iſta additio obedientiam, quam definierunt ſubditos Epiſcopis debere. Ad ciuilem quidem poteſtatem pertinet conſeruare iuſtitiam, nutrire pacẽ, ius ſuum cuiq; tribuere, bonos ſouere, malos coercere. Hic dicebat Petrus, quod duces, & Reipub. moderatores à Deo miſſi ſint vindicatum malefactores, nutritum & laudatum bonos. Et collega eius Paulus eſſerit poteſtatem haud abre gladium portare. Et hoc ſeruabunt illi ſuos ad vſque limites, ne falſem mittant in alienam meſſem. Ad vtranq; poteſtatem pertinet tueri bonos, punire malos, & quod tam eccleſiaſtica, quàm ciuilis à Deo conſtituta ſit ad ædificationẽ, non ad deſtructionẽ, quodque vtraque ſpectare debeat diuinum honorem, nullo modo cõmittens, vt impunè prauorum hominum peccatis blaſphemetur, imò rurſus crucifigatur Chriſtus, id quod Paulus quoſdàm, quoad poſſent, feciſſe teſtatur. Deinde ſummo labore vtraque proſpicere debet ſubiectorum bonis, vt iuſtè, vt ſanctè, vtque pacatè viuant. Vtriuſq; igitur fuerit tueri fidem Catholicam, religionem auitam & innocentiam, non committere, vt hæreſes liberè in vulgus diſpergãtur, & diuinæ leges neglectu obrogentur, innocentes malorum

Correptio delinquentium ſpectat etiam ad Epiſcopos

Rom. 13.

Hebr. 6.

ſtudio peſſundentur. Hoc ſolum intereſt inter vtranq; poteſtaté, quod eccleſiaſtica ſpirituali, ciuilis in coercẽdo rebelles materiali vtitur gladio.

Poteſtas vtraque de iure diuino condit ſtatuta. Poteſt & vtraq; poteſtas pro varietate tẽporum & morũ definire, ſtatuere, prout cõmunitati & Reipub. vtile fuerit. Hic habem⁹ *Prouer. 8.* exemplum ſcripturæ dicẽtis ex perſona Dei: Per me reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt, &c. Sic Apoſtoli & ſeniores, ſic Patres in ſynodis, in Concilijs, ſic Imperatores multa decreuerunt, quibus iuxta Euãgelium, obedientiam debemus, ſi tamẽ Aduerſarij patiantur Euangelium eſſe, quod præcipit nobis vt prælatis noſtris obediamus, & *Rom. 13.* quod Paulus ait: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ aũt ſunt, à Deo ordinata ſunt. Qui aũt reſiſtũt, ipſi ſibi damnationẽ ac*1. Pet. 2.* quirunt. Et Petrus: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter dominum: ſiue regi, quaſi præcellenti: ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorũ. Et mox: Serui, ſubditi eſtote in omni timore Dñis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiã dyſcolis. Et quod alio loco di*Hebr. 13.* cit Paulus: Obedite prępoſitis veſtris, & quaſi ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Et Chriſtus alibi dicebat, quòd ſolum ad ſolos *Lucæ 10.* eccleſiaſticos pertinet, Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et: Super *Matth. 23* cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi omnia quæcunq; dixerint vobis facite, ſecundum opera illorum nolite facere. Ex his omnibus ſatis claret, quod obedire nos oporteat, etiamſi peruerſiſſimus ſit magiſtratus, niſi talia præciperent, quæ non poſſent citra animæ iacturam obſeruari. Si tale quid iuberent, magis obediendum eſſet Deo quàm hominibus. Quod de magiſtratu dicimus, referatur tam ad ciuilẽ, quàm ad eccleſiaſticam poteſtatem. Si enim de obedientia erga ciuilem magiſtratum habemus mandatum, quãtò magis præcipimur eccleſiaſticæ poteſtati morem gerere? Illis curæ eſt, ne externam iuſtitiam iniquitate anteuertamus, & ſi quando nos peccamus, publicitus iniquitatis nos condemnant. Cõtrà aliter externam iniquitatem arguunt eccleſiaſtici viri atque iſti, & aliter obiurgant graui verborum fulmine latentem, & nemini præter Deum notam noxam, cui omnia nuda ſunt & aperta, & pręter Confeſſarium, cui ceu chirurgo ſpiritali pectoris ſui vulnus denudauit. Et ipſi Aduerſarij noſtri, tametſi Catholicis ferè vbiq; infeſti ſint, multũ tribuunt eccleſiaſticæ poteſtati, præſertim quòd oporteat illis obedire de *Lucæ 10.* iure diuino, iuxta illud: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Si verò de iure diuino eis obtemperatur, quod ipſi pro nobis ingenuè dicũt Aduerſarij, & produnt ſcripturæ: ergò tã qui contemnit, quàm qui tranſgreditur eorum iuſta decreta, agit contra mandatum Dei, & grauiter peccat. Quãquam etiam habeamus apertiora ſacro- *2. Theſſ.* rum voluminũ teſtimonia, quod qui Euangelio nõ obedierint, pœnas dent in interitu æternas. Euangelio verò non obediunt, qui iuſſioni Chriſti non parent. Nam ipſe dixit, quòd prælatis obtemperare debeamus. Et *Act. 15.* Paulus præcipit fidelibus, vt ſeruarent præcepta & decreta Apoſtolorum, & ſeniorũm qui erant Hieroſolymis. Et Theſſalonicenſi- *2. Theſſ. 2.* bus ſcripſit in hæc verba: State & tenete traditiones quas didiciſtis ſiue per ſermonẽ, ſiue per epiſtolam noſtram. Vides quanto ſtudio Paulus coegerit iſtos vt obtẽperarẽt edictis prelatorum, & iſti opinione falſi arbitrãtur eorum obſeruãtiam nihil ad ſalutem facere. Certè, ſi nihil fructus patit eorum obſeruatio, facilius contemnẽtur vt ſterilia. Et *Ad obedientiam erga prælatos hortantur Origenes.* omnes veteres ſcriptores ad obedientiam erga Epiſcopos nos cohortari ſunt, haud neſcij, quòd nobis ex obedientia multum lucri accreſceret. Orig. poſt Apoſt. haud ita multis annis natus, maximi fecit obedientiam vt erga parentes, ita & erga Epiſcopos & presbyteros. Diſcamus, inquit, filij ſubiecti eſſe parentibus noſtris, maior minori ſubijciatur. Nam quia maiorẽ videbat Ioſeph Ieſus ætate, proptereà eum parẽtis honore coluit, omnibus filijs exemplũ tribuens vt ſubijciantur parẽtibus. Quod ſi patres ijs nõ fuerint, ſubijciantur his, qui patrũ ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filijs? Si Ieſus filius Dei ſubijcitur Ioſeph & Mariæ, ego nõ ſubijciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? nõ ſubijciar presbytero, qui mihi domini dignatione præpoſitus eſt? Hactenus Origenes.

Ignatius. Et hoc vetuſtior Ignatius Archiepiſcopus & martyr, ſic ſcribit Magneſianis: Dignũ eſt & nos obedire Epiſcopo noſtro, & in nullo ei contradicere. Terribile eſt enim tali contradicere. Non enim iſtum viſibilẽ quis ſpernit, ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni. Hic. n. non ab homine, ſed à Deo habet promotionem dicit enim Deus Samueli de contemptoribus eius: Nõ te ſpreuerunt, ſed me. Nam & Moyſes populo aduerſus ſe murmuranti ait: Nõ enim aduerſum nos murmuraſtis, ſed aduerſus Dominum Deum. Nemo enim inultus remãſit, qui ſe contra potiores extulit. Deniq; in lege Dathã & Abirõ Moyſi reſiſtẽtes, viui ad inferos depoſiti ſũt. Sed & Chore, & qui cũ eo cõſpirauerũt aduerſus Aarõ, ducẽti quinquaginta igne cõſumpti ſunt. Abſalon etiam parricida exiſtens, diuino iudicio

arbo-

arbori appenſus eſt, ſed & cor eius, quod mala cogitauerat, ſagittis trāſfixum. Ozias quoque leproſus factus eſt, qui contra ſacerdotes ſacerdotium auſus eſt arrogare. Saul etiam ſacrificare præſumens, regali dignitate dehonoratus eſt, non reſpectans principem ſacerdotum Samuelem. Oportet ergo & nos reuereri potiores. Et dignum eſt, nos non ſolum vocari Chriſtianos, ſed etiam eſſe. Nō enim dicere, ſed eſſe facit beatum. Hactenus Ignatius, & hucuſque nos diximus, quòd Epiſcopis, & Eccleſiæ prælatis omnes teneantur obedire: nunc pergant Aduerſarij:

Noſtri ſic docent, quòd Epiſcopi non habent poteſtatem aliquid ſtatuendi contra Euangelium: docent item canones 9. diſtin. Porrò contra ſcripturam eſt, traditiones condere aut exigere, vt per eam ſatiſfaciamus, aut mereamur gratiam, aut iuſtitiam: læditur enim gloria meriti Chriſti.

Epiſcopi non poſſunt quicquam ſtatuere contra Euangelium. Vno animo, vnoque ore hactenus docuerunt Catholici, Epiſcopis prorſus nullum eſſe ius aliquid ſtatuendi contra Euangelium, ſed poteſtatem acceperunt in ædificationem, non in deſtructionem. Hic igitur benè monentur Aduerſarij. Non tamen ſatis prudenter dicunt, quod cum ſcripturis pugnet, ſi condant Epiſcopi aut exigant traditiones, quarum obſeruatione ſatisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam, aut iuſtitiam. Nam quod ipſi negatum pergunt, conſentaneum eſt, & circumcirca ſacris literis conſonum, tantum abeſt, vt cum Euangelio pugnet. Sacræ literæ vbique produnt, quòd pœnitentia, eleemoſyna, ieiunio, lachrymis, oratione, vigilijs debeam⁹ gratiam, remiſſionem peccatorum, miſericordiam quærere. Et ne putent Aduerſarij hic nobis nō ſuppetere teſtimonia, neceſſe eſt, vt aliquod ex omnibus proferamus. *Matth. 4. Actor. 3.* Sanè Chriſtus munus Euangelij exordiens, à pœnitētia incœpit: Pœnitentiam agite, inquit, & appropinquabit regnum cælorum. Et Petrus præcipuus poſt eum Euangelij concionalis: Pœnitemini & cōuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Et de eleemoſyna in Eſaia dicebat ſpiritusſanctus: *Eſaiæ 58.* Frange eſurienti panem tuum, &c. Et *Luc. 11.* apud Lucā ipſe Chriſtus: Date eleemoſynā, & omnia mūda ſunt vobis. *Ioel. 2.* Et in Ioele vrget nos, vt fletu & ieiunio gratiam & remiſſionē peccatorū poſtulemus. Et apud Matthæum dicit: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis, &c. & innumera ferè habemus hui⁹ rei teſtimonia.

Iam ſi dicas, quorſum hæc? breuiter reſpondebo, vt mittam te ad ſummos Pōtifices, ad Epiſcopos interrogatum, quales traditiones ipſi cōdiderint. Planè nihil audies ab eis traditum eſſe, niſi quòd ad mortificationem pertineat. Si autem omnia ad mortificationem pertinent, & ad gratiæ impetrationem ſtata ieiunia, pœnitentiæ, orationes, & alia exercitia, cur non licebit Epiſcopis ea præcipere, ad quæ alioqui tenētur, qui cupiunt iuſtificari? Iam ſi vt gratiam diuinitus conſequar, aliquid facio operis, & hoc ipſo meritorū Chriſti lædo gloriam, ſanè nulla re magis, atq; ſacris literis, & diuinis mandatis gloria meritorum Chriſti obſcuratur. Sed id abſit, nam quærentibus nobis gratiam & ſalutē ex merito Chriſti, datur quicquid cupimus, & hoc pacto mirum in modum gloriam meritorum Chriſti multò glorioſiorem reddimus. Audi nunc optime Lector, quàm candido, ne dicā, tenebricoſo ſint pectore, quāque humaniter tractent Epiſcopos.

Facilè autem poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi nō vrgerent ſeruari traditiones, quæ bona conſcientia ſeruari nō poſſunt. Nunc imperant cælibatum, nullos recipiunt, niſi iurent ſe puram Euangelij doctrinam nolle docere.

Sanè ſic iſtos concludere oportuit, ne finis initio nō reſpondeat. Quemadmodum à calumnijs, à mendacijs, à conuitijs telam ſuam exorditi ſunt ſtudioſi textores, ita eam eadē arte præſcindūnt. Calumniarum continuatio dicendi finis. O homines improbos. Quē vnquam coegerunt Epiſcopi ad obſeruantiam iniquarum traditionum? Quænam ſunt illæ traditiones, quæ bona conſcientia ſeruari non poſſunt? Num cælibatus nō poteſt bona conſcientia ſeruari? Quid rei eſt, quò minus poſſit? An non licet nobis bona cōſcientia Chriſtū, Mariam, Apoſtolos, & reliquos ſanctos cælibes ſequi? Vbi quæſo viſūntur illa imperiorum fulmina, quibus compelluntur nubiles ne nubāt. Si dicant de imperijs, quibus arcentur à nuptijs ſacerdotes, breuiter reſpōdebo, quòd ſacerdotibus nō liceat contrahere, licuit autem prius quàm conſecrarentur. Si noluerunt huic imperio ſubiacere, à ſacris abſtinere debebant. Nemo cogitur ad ſacerdotium, quin potiùs ſuapte ſponte amplexās, certo certius ſcit hoc imperium de cælibatu, ſacerdotio annexū eſſe. Qui amplectitur interim, cogitet quib⁹ cum modis purum ſeruet, refugiat ad ea, quę nos, nō quę iſti naturales Theologi, oſtēdimus continēdi pharmaca.

Omnes Eccleſiaſticæ cōſtitutiones eò potiſſimùm tendunt, vt cōſeruetur iuſtitia, omniſque ex hominibus pereat iniquitas. κανὼν enim græcè, latinis regula dicitur, regula verò dicta eſt, quòd rectè ducat, vt ſorte errantem aliorſum trahat. Alij dixerunt regulam dictam ab eo quod regat, vel quòd normam benè viuendi præſcribat, vel quod diſtorta prauaque corrigat. *Regula vnde dicatur.* Neque poterit omnis cōſtitutio lex dici, niſi iuſta ſit, rationabilis, vtilis, imò & neceſſaria. Cùm igitur omnes eccleſiaſticæ conſtitutiones, hac ſolùm ratio-

ne obtinuerint, vt quod iuſtum, quod honeſtum, quod vtile, quodque neceſſarium eſt, faciant homines, qua temeritate, ne dicam, impudentia, audent iſti vnitatis eccleſiaſticę oſores dicere, quòd Epiſcopi vrgeant ſeruare, quæ bona conſcientia ſeruari nó poſſunt? Adeóne peccatum eſt, adeóne maculat conſcientiam iuſti, honeſti, vtilis, imò & neceſſarij obſeruatio, vt iſti ab ea iure homines auocent?

Iam quis non admiretur, quis non ſtupeat ad tam impiam impudentium hominum calumniam? Nullos recipiunt, inquiunt, niſi iurent, ſe puram Euangelij doctrinā nolle docere. Hic T. M. appellamus Carole Imperator clemētiſſime, vt iudices inter Epiſcopos & iſtos homines perditiſſimos, an vera ſint, quæ iſti nugantur. An audieris, an legeris tale quid in decretis & decretalibus, ad quæ Epiſcopi omnes inſtitutionis & ordinationis ſacerdotum ritus exigunt. Appellamus omnes bonos viros, præſertim eos, qui cordatiores ſint, quique plurimum habent incorrupti iudicij, vt dicāt, quādo melius in Repub. Chriſtiana actum ſit, nunc quando iſti temeratores magis quàm doctores hæreticum ſuum ſemen diſperſerunt, an antehac cùm ſancti Epiſcopi, eorumq; vicarij ſanctam euāgelicæ veritatis doctrinam concorditer in toto Chriſtiano orbe prædicarent & prædicant? Multi prælatorum maluerunt cùm temporariarum rerum, tùm corporis ſui iacturā facere, quàm ad latum culmum à veritatis prędicatione diſcedere. Maluerunt exſulare, & quæq; ſubire incōmoda, quàm puram Euāgelij doctrinā occultare, nimirum haud neſcij, melius eſſe pro veritate pati ſupplicium, quàm pro adulatione conſequi beneficium. Et vſq; in hanc horā, laus ſit Deo Opt. Max. adeò deteſtātur Catholici prælati errores, adeò ſunt veritatis amātes, vt hac parte quidā veteribus nihil ſint inferiores, tantum abeſt, vt iurare quempiam cogant euangelicam veritatem adulterare.

11 a cap. 3. Nemo periurum.

In Epilogo dicunt, nihil dictum ad vllius contumeliam, ſed tantùm ea recitata eſſe, quę videbantur neceſſario dicenda, vt intelligamus, in doctrina & cæremonijs eorum nihil eſſe receptum contra ſcripturam aut Eccleſiam Catholicam. Quibus contumelijs Catholicos affecerint, quibus conuitijs innocentes Monachos oppreſſerint, melius intelligent, qui hanc noſtram qualemcunque operam legent: aut fortaſſe melius norunt, qui ſano iudicio Confeſſionem & Apologiam legerunt benè fideles viri. Quantum verò ſcripturas aduerſus ſcripturas adulterati ſint, quæ de cæremonijs contra Catholicam Eccleſiam abſtulerunt, quotquot vel in Haſſia, vel in vna Saxoniæ parte, verſati ſunt,

Apologia plena calumnijs, conuitijs, &c.

melius nouerunt, etſi hæc noſtra nunquam vel legerint, vel viderint. Si iſtis verbis facta reſpondiſſent, nullus fuiſſet controuerſiæ, concertationis & diſſenſionis locus, & nihil nobis fuiſſet opus longa oppugnatione aduerſus tranquillos, fruſtrà omnem hanc expendiſſemus operam. Tu igitur quiſquis non grauatim eccleſiaſticæ doctrinę ſubſcribis, hoc animo tuo fortiter inſcribe, quod docet & tradit Eccleſia, fuge, quod tradunt Aduerſarij. Hic perires, illic certo certius ſaluaris. Iſta autem amplectaris, quòd in baptiſmo omnia peccata remittantur, maneat verò peccati fomes concupiſcentia, quæ ſit vel peccati, vel meriti cauſa. Peccati, ſi concupiſcentiæ maleſuadæ aſſentiaris per opus: meriti, ſi concupiſcentiam vincas. Deinde, quòd ſola fides non iuſtificet, ſed opus habeat bonis operibus: inter quæ præcipua ſunt conuerſio à peccatis, pœnitentia, & dilectio. Tertiò, quòd vna ſit bonorum & maloru Eccleſia externa, apud quam ſit ordinandi, ſtatuendi, decernēdi, quæ vidētur Reipub. Chriſtianæ commodare, non ſolum vt ſeruetur politia, ſed vt mereamur remiſſionem peccatorum, cùm propter obſeruātiam, tùm propter obedientiam erga Epiſcopos & prælatos. Pręptereà quòd Sanctos, qui cum Deo viuunt, nó modò venerari ſed & inuocare debeamus, vt nobis à Deo impetrent, quæ ſaluti noſtræ neceſſaria ſunt. Poſtremò, vt nullo modo acquieſcas Aduerſariorū peſſimo cōſilio, vt cum periculo & offenſione animę tuę aduerſus Eccleſiæ decreta communices ſub vtraque ſpecie: nam ea communio nó habet mandatum Dei, ſed ſolis ſacerdotibus præceptum eſt, vt accipiant etiam ſacramentum ſub ſpecie vini. Et omninò talem te exhibeas, qui dignus ſis poſt huius vitæ curricula triumphanti in cælo Eccleſiæ aſſcribi.

Ioannis Colchæi diſcuſsio Articuli de poteſtate Eccleſiaſtica.

IN hoc Articulo libēter agnoſcimus & approbamus, quòd ſit diſcrimē inter Eccleſiaſticam poteſtatē & poteſtatē gladij ſecularis, & quòd vtraq; propter mādatū Dei venerāda ſit religioſè & honore afficienda, tāquàm ſumma Dei beneficia in terris, ſicut in Cōfeſſione Proteſtātium habetur. Sed & hoc facilè acceptamus, quòd in fine illius adiungitur: Nunc nó id agit, vt dominatio Epiſcopis eripiatur, ſed hoc vnu petit, vt patiantur Euangelium purè doceri, & relaxent paucas quaſdā obſeruationes, quæ ſine peccato ſeruari nó poſſunt. Quis autem hæc tam bona, & æqua verba non approbet?

Probabantur Cōfeſsionem

Contrà verò approbare non poſſumus tā graues & odioſas calumnias, quas eſuditia...

Probe vel... in ...

Apologia Philippus in Theologos illos, qui Auguſtæ ad Confeſſionem eorum reſponderunt. Inter quas ſanè & iſtæ connumerantur: nempe, quod dignitates & opes ſuas fortiter tueantur. Interim ſtatum Eccleſiarum negligentes, neque curãtes rectè doceri Eccleſias, & ſacramenta ritè tractari. Admittentes prætereà ad ſacerdotium quoſlibet ſine diſcrimine, imponẽtes poſteà onera importabilia, quaſi delectẽtur exitio aliorum, ſuas traditiones longè accuratius ſeruari poſtulantes, quàm Euangelium. Hæc profectò nimis odioſa ſunt. Quibus tamen mox multò acerbiora ſubiungit, dicens: Tantum conclamant ad arma, prætereà in rebus manifeſtis decreta ſanguine ſcripta proponunt, quæ minantur horrenda ſupplicia hominibus, niſi manifeſtè contra mandata Dei faciant.

Calumnia in Theologos.

Quis autem vir bonus credat hæc verè dici in Theologos illos, qui magna ex parte fratres, & vitæ monaſticæ profeſſores fuerunt, omnes certè fuere ſacerdotes, ætate habituq; & vita venerabiles. De quibus Cæſar ipſe cũ alijs Romani Imperij Principibus & Statib⁹ Catholicis in publico decreto (quòd Receſſum Auguſtenſem vocant) honeſtiſſimum tulit & virtutis & eruditionis teſtimonium. Quos hic Philippus ad eũdem Cęſarem ſcribẽs, nõ veretur, velut alter Doeg, tam atrocibus inſectari calumnijs. Quibus & cõuicia tandem addit, velut lixa, vocans eos procaciter aſinos.

1. Reg. 21.

Aliud dicunt, aliud faciunt Proteſtantes.

Quamuis autem in Confeſſione ponant Proteſtantes diſcrimen inter Eccleſiaſticam & ſecularem poteſtatem, & dicant apertè, non eſſe commiſcendas poteſtates, Eccleſiaſticam & Ciuilem. Scimus tamen ex facto rem longè aliter habere apud eos. Vnuſquiſque enim Principum in terris Proteſtãtium arrogat ſibi vtranque poteſtatem, ſimiliter & Magiſtratus In ciuitatibus, nec verentur in publicum euulgare ſuas nouas ordinationes Eccleſiaſticas. Paſtores Eccleſiarum inſtituere, ac deſtituere pro ſuo libitu. Conſtituere nouas leges Cæremoniarum, ponere Superattendentes & Viſitatores, &c. Adeò vt dubitauerint hoc anno Smalcaldiæ in congregatione concionatores eorum, etiamſi Epiſcopi noſtri vellent ipſorum doctrinam approbare, an magnæ ciuitates & Principes aliqui vellẽt eis Eccleſiaſticam iuriſdictionem reſtituere, & permittere vt iterum circumirent ac viſitarent. Quin etiam in libellis ſuis in lucem iam editis, non verẽtur Principibus & Magiſtratibus ſuadere, vt omnem cultum Dei antiquum, & ritus veteres ex Eccleſijs & Monaſterijs aboleant, & bona Epiſcoporum, Canonicorum, Abbatum & Monachorum eripiant eis, & transferant ad nouum Euangelium ipſorum.

Hæc autem omnia tyrannica ſunt & ſeditioſa, ac prorſus noua & barbarica inuenta contra omne ius tam diuinum quàm humanum, à Sathanæ ſatellitibus excogitata. Certiſſimum eſt enim, Eccleſiaſticam poteſtatẽ ſemper apud Epiſcopos fuiſſe à temporibus Apoſtolorũ vſq; in hodiernum diem, quam non ſolùm Canones & Decreta Patrum, ſed etiam leges Imperatorum publicè atteſtantur, tum in Codice, tum in Authenticis. Quinimò ſcimus eam & in Euangelio, & in Paulo fundatam eſſe, & ab Apoſtolorum diſcipulis Ignatio & Dionyſio firmiſſimè aſſertã. Nec vllũ anteà fuiſſe Chriſtiani nominis Imperatorem, Regem aut Principem vſque adeò tyrãnicum, barbarum & ſuperbum, qui ſic commiſcuerit vtranque poteſtatem, ſibique arrogauerit, repulſa ex Eccleſijs Epiſcoporum authoritate & iuriſdictione, ſicut hodiè fit apud Proteſtantes.

Tyrannica vſurpatio poteſtatis Eccleſiaſticæ.

C. de Epiſcopali audientia per totum in Auth. Colla. 9. Conſtitut. vltima.

Nec vllus Principum vſque adeò hęreticus vſpiam aut vnquam fuit, qui ſic vſurpauerit ſibi Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum Prælatorum poteſtatem. Certè nec Iulianus apoſtata, neque Conſtantius & Valens Imperatores Ariani, nec Reges Gothorum in Italia & Hiſpania, licèt & ipſi Ariani eſſent, tantum poteſtatis eccleſiaſticæ ſibi vſurpauerunt.

Quinimò potentiſſimus Rex Gothorum Theodoricus, licèt armis ſubegiſſet omnem Italiam, Siciliamque & Dalmatiam, haberetque ſub ſe in plena poteſtate ipſam Romam, & religione Arianus eſſet: attamẽ Romanorum Pontificum (qui vtique Catholici erãt) poteſtatem nũquam inuaſit aut minuere conatus eſt. Neque etiam Rex Herulorum Odoacer, quem ille deuicit & interemit, id nũquam attẽtauerat, licèt quatuordecim annis Romam totamque Italiam plenè ſubiectam in manibus ſuis habuerit.

Modeſtia Regis Theodorici Ariani.

In Decretis diſtinct. 96. cap. 1 & ſeq.

Ex Euangelio itaque ſcimus Petro datas claues regni cęlorũ, vndecim Apoſtolis datũ ſpiritumſanctũ ad remittenda & retinenda peccata hominũ. Ex actibus Apoſtolorum authoritatem Petri, ordinationes Pauli, qui profectò Epiſcopis amplam & multiplicem dat, imò à ſpirituſancto datam teſtatur poteſtatẽ. Cùm enim feſtinaret ad Pentecoſten venire Hieroſolymam, Mileti in tranſitu cõſtitutus, vocauit ad ſe Epiſcopos ex Epheſo, quibus inter alia ſic dicit: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos ſpirituſſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Quiſquis igitur Epiſcopis eripit regimen Eccleſiarum, is Paulum conculcat, Chriſti authoritatem violat, & in ſpiritumſanctum peccat, ipſoque facto blaſphemat.

Matth. 16.

Ioan. 20.

Actor. 1. 14. & 20.

Math.18. Luca 10.

Eccleſiaſtica igitur poteſtas ſolidiſſimè fũdata eſt, & in Euãgelio, & in Paulo. Ait enim Dominus In Euangelio: Dic Eccleſiæ, ſi non audit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Item. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quamuis verò Phillppus in Apologia, hæc verba miris ambagibus cõtra Traditiones eccleſiaſticas torquet, dicens nouo quodam iure: Non eſſe mandatum cum libera, ſed cautionem de rato, de ſpeciali mandato, hoc eſt, (vt ipſe ſuamet ſomnia interpretatur) teſtimonium datum Apoſtolis, vt eis de alieno verbo, non de proprio credamus, &c. Tamen fictam & abſurdam hanc expoſitionem ſuam nullo ſcripturæ teſtimonio probat, & in ipſum iuſtius retorqueri poteſt, vt non de proprio verbo credamus ei, quia in multis exhibet ſe ſatellitẽ ei, de quo ait in Euangelio Dñs: Nõ eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.

Falſa gloſſa Philippi.

Ioan.8.

Nos autem ſcimus, Apoſtolis credendum eſſe etiam de prnprio, non tantùm de alieno (ſi tamen verbum Dei ab eis dici poteſt alienum) verbo. Paulus enim manifeſtè contrarium aſſeruit, vbi ait ad Corinthios: Nam cęteris dico ego, non Dñs. Item: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. Quid ergò? Nunquid quæ Paulus dixit, nõ dominus, propterea Paulo nõ credere debemus? Abſit. Multa enim ſaluberrimè dixit in Epiſtolis ſuis, quæ dñm in Euangelio dixiſſe nuſquam reperimus. Falſa eſt igitur hæc gloſſa Philippi.

Apoſtolis de proprio quoque verbo credendũ eſt.

1.Cor.7.

Semper itaq; habuerũt Apoſtoli, & ſucceſſores eorum Epiſcopi in Eccleſia poteſtatẽ dicendi ac ſtatuendi, quæcunque vel ad cultum & honorem laudemq; Dei viſa fuerint opportuna, aut ad regimen Eccleſiæ, vt omnia ordinatè fiant, neceſſaria, aut ad ſalutem animarum proficua & ædificatoria, ſiue in ſacris literis ſint ſcripta, ſiue non ſcripta. Multa ſanè præceperunt & prohibuerunt ac ordinauerunt Apoſtoli, quæ Dominus in Euangelio nuſquam præcepit, prohibuitve aut ordinauit. Verbi gratia. Præceperunt Apoſtoli & ſeniores, Chriſti fidelibus ex gẽtibus, abſtinere à ſanguine & ſuffocato, prohibuerunt circuncidi credantes ex gẽtibus, præceperunt obſeruari Dominicam diem pro ſabbato, prohibuerunt loqui in Eccleſia mulieres, & id genus multa alia, quæ Dominum dixiſſe aut ſtatuiſſe nuſquam reperim⁹. Neque tamen debent propterea ſperni tanquam traditiones humanæ, aut tanquam doctrinæ hominum (ſicut falſo docuerunt iam vltra viginti annos Proteſtãtium Concionatores) quia tradita ſunt ex inſtinctu ſpiritusſancti. Quemadmodum teſtatur ipſe Dominus in Euangelio dicens: Non enim vos eſtis qui loquimini: ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et Apoſtoli in ſuo Decreto: Viſum eſt ſpirituiſancto & nobis. Et Paulus ad Theſſalonicenſes: Cum accepiſſetis à nobis verbũ auditus Dei, accepiſtis illud nõ vt verbum hominũ, ſed (ſicut eſt verè) verbũ Dei. Et Petr⁹ in Poſteriori Epiſtola, Sed ſpiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſancti Dei homines.

Poteſtas Epiſcoporum in Eccleſiæ ordinationibus.

Actor.15. Galat.5. 1.Cor.14.

Math 10. Actor.15. 1.Theſ.2. 2.Pet.1.

Cum igitur & ſupra probatum ſit à nobis, quod parendum ſit traditionibus Eccleſiaſticis, etiam propter conſcientiam. Et Eccleſiæ cæremoniæ licet in ſcripturis non ſint expreſſæ, contemni tamen non debeant tanquam doctrinæ hominum aut traditiones humanæ, quia per talem contemptum fit iniuria ſpirituiſancto, qui huiuſmodi traditionum præcipuus eſt author, & grauiter peccatur in tali contemptu. Nos tamen per hæc nolumus approbaſſe quoſtibet abuſus, & negligentias Epiſcoporum aliorumque Prælatorum & Miniſtrorum Eccleſiæ, qui ſuorum obliti officiorum, ad ſecularia deſyderia, negociaque conuertuntur. Commendamus nihilominus piam ſubditorum obedientiam, etiam in ijs, quæ minima & ad ſalutem animæ non neceſſaria videntur. Semper enim obedientia habet meritum. Inobedientia vero peccatum. Sicut ait Dominus ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes gẽtes, quia obediſti voci meæ. Ad Solomonem vero ait: Quia non cuſtodiſti pactum meum, diſrumpens ſcindam regnum tuum.

Art.15.26.

Abuſus & negligentia prælatorum

Geneſ.22. 3.Reg.11.

At vocat Philippus Theologos illos aſinos, quia verbum illud Chriſti, Qui vos audit, me audit, detorſerint, (vt ait) ad res nugaciſſimas, diſcrimina ciborum, veſtitus & ſimilia, quia humanæ traditiones ſunt inutiles cultus, & neque peccatum, neque iuſtitia in cibo, potu, veſtitu, & ſimilibus rebus collocanda ſit. Ad hæc dicimus nos. Etſi in hiſce rebus ſecũdum ſe neque peccatum ſit neque iuſtitia, tamen circa eas, obedientia, meritum, inobedientia peccatũ parit. Quẽadmodũ in ligno vetito neque in eius pomo ſecundum ſe peccatum fuit: ſed nihilominus inobedientia Adæ circa rem tam paruam & modicam, maximum & grauiſſimum peperit peccatum, quod totam eius poſteritatem nos omnes, adhuc hodie luere oportet. Quãto enim res eſt minor & præceptum ſeruatu facilius, tanto maior eſt cõtumacia, grauiuſq; delictum tranſgreſſoris. Erant præterea & ſanguis atq; ſuffocatum res paruæ, in quibus neq; iuſtiria, neq; peccatum eſſet, neq; à Domino vſquam prohibita erant, ſunt tamẽ ex cauſa pro tẽpore ab Apoſtolis prohibita, tanquam res neceſſariæ obſeruatu. Neque item

Obiectio Philip.

Solutio.

Geneſ.3.

Actor 15.

per

per ſe ſuit peccatum tecto, vel detecto capite orare, ſi tamen in contemptum huius præcepti, quod Paulus poſuit, vir tecto, & mulier

1. Cor. 14.

detecto capite oraſſet, vtiq; nõ leuiter eo tẽpore peccaſſet. Non errat igitur Eccleſia, neque errant Epiſcopi, dum volunt neceſſario

Peccatum in præuaricatione præceptorũ Eccleſiæ.

ſeruari debere traditiones Eccleſiæ, circa ciborum veſtiumq́; & rerũ aliarum diſcrimina, iuxta Eccleſiæ cõſuetudinem, eoq́; quod peccatum ſit in earum prȩuaricatione, maximè ſi per contemptum præuaricatio fiat, aut proximo ſcandalum pariat. Nam, vt dictum eſt, ſimile præceptum ſuit Apoſtolorum circa ſuffocatum & ſanguinẽ, & tamen dixerũt hæc neceſſaria. Neceſſario enim ſeruanda eſt

Prouer. 1.

lex matris, vt ait ſcriptura: Ne dimittas legẽ matris tuæ. Et neceſſario obediendum eſt præpoſito Eccleſiæ, quia inobedientia ſemper & vbique peccatum eſt, niſi præceptum aut prohibitio ſuperioris eſſet cõtra Deum. Quare falſum eſt quod ait Philippus, Nõ eſſe peccatum neque conſcientię grauamen eiuſmodi traditionibus non obedire.

Error Cõfeſſionis circa traditiones.

Errant & Proteſtantes in ſua Confeſſione vbi dicunt, Authores traditionum facere contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, & ſimilibus rebus, & onerant Eccleſiam ſeruitute legis. Deus profecto nuſquam prohibuit Eccleſiæ traditiones. Imò præcepit obedire Eccleſiæ, &

Math 18.

audire Apoſtolos, & eorum ſucceſſores; ſciebat enim Apoſtolos non perpetuo in Eccleſia militante permanſuros eſſe. Ideò quod

Luc. 10

ipſis dixit, omnibus quoque ſucceſſoribus eorum dixiſſe putandus eſt. Ait enim: Quod

Marc. 13.

vobis dico, omnibus dico, Vigilate. Et ex facto iampridem comprobauit eaſdem traditiones. Niſi enim bonæ eſſent, non tot ſeculis eas in Eccleſia ſua toleraſſet. Iam non minus facta eius, quam verba eius attendere ac intueri debemus, vt etiam Lutherus contra Anabaptiſtas aſſirmat. Non eſt igitur dubium, quin grauia ac mortalia ſint peccata,

Mortalia peccata per contemptum.

quæ hodie in omnibus ſectis vulgatiſſima & frequentiſſima ſunt, per contemptum, aut craſſam negligẽtiam, aut cum ſcandalo proximi non ieiunare in diebus ieiunij Eccleſiaſtici, laborare quæſtus gratia dominicis diebus, & feſtis Apoſtolorum, aliorumq́ue vniuerſalium feſtorum, omittere horas Canonicas ſacerdotes & Monachos, & conſuetas in Eccleſijs cæremonias in diebus Palmarum, Paraſceues, &c. Veſci carnibus in Quadrageſima & ſextis ferijs, &c. quia in ijſce contemnitur mater Eccleſia, ſpernitur ſummus Pontiſex & Paſtor Eccleſiæ, in eius odium & deſpectum huiuſmodi præuaricationes fiunt, non obeditur præpoſitis & ordinarijs Epiſcopis, & prælatis Eccleſiarum, quibus obedire iubet Apoſtolus. At nolle obedire, eſt quaſi peccatum idololatriæ, vt ait ſcriptura. Magnus eſt igitur error & non leue peccatum ſic auertere populum ab Eccleſiæ traditionibus, quarum author eſt ipſe ſpiritusſanctus. Scio quidem Eccleſiam à nullis inſerorum portis penitus expugnari poſſe, ne tamen ſimpliciores per ſucos rhetoricos Aduerſariorum, vacillare incipiant, operæpretium videtur mihi ex Epiphanio præclaro veteris religionis contra omnes ſectas aſſertore ad ſupradictorum cõſirmationem in hoc epilogo verba quædam adiungere, vt cum eo fiducialiter dicamus: Multa iam ſupra viginti annos mala, & contumelias non vulgares perpeſſi, ciuitatem Dei videntes, ad ipſam feſtinemus ſanctam Hieruſalem & virginem Chriſti ac ſponſam, ſecurumq́ue ſundamentum ac petram & reuerendam matrem noſtram, tempeſtiuiſſimè & ipſi dicamus ad inuicem: Venite, & aſcendamus in mõtem Domini, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Agitè igitur omnes Chriſti filij, filij ſanctæ Dei Eccleſiæ quicunque opuſculum hoc placide percurreritis. Inuocemus vniuerſorum Dominum, & eadem, quæ ille protulit, dicamus: Veni de Libano ſponſa, quoniam tota pulchra es, & macula non eſt in te, paradiſus magni opificis, ciuitas ſancti regis, ſponſa immaculati Chriſti, virgo caſta, ſoli vni viro in fide deſpõſata, illuſtris & promicãs velut matutinus aer ac aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Propterea iuuenculæ dilexerunt te, quę ſtas à dextris Regis induta fimbrijs deauratis variegata, quæ nihil tenebroſum habes. Aliquando quidem denigrata, nunc autem pulchra, & dealbata. Quo in te conſtituti à negocijs hæreſeon, quæ nos præceſſerunt, odioſiſſimis quieſcamus, & à tempeſtuoſis earum motibus liberati, in te ſancta mater noſtra Eccleſia, & in ſancta tua doctrina, & ſancta ac ſola Dei fide in veritate refrigemur. Amen.

Hebr 13.

1. Reg. 15.

Epiphanius contra hæreſes lib. 3. tomo. 2.

Eſaia 2.

Cant. 4.

Ioannis Hoffmeiſteri iudicium ſuper Articulo de poteſtate Eccleſiaſtica.

QVę ad hunc Articulũ pertinere vidẽtur in pręmiſſis, articulo videlicet vigeſimo quinto tractata ſunt: nimirum quomodo aut quaten⁹ Epiſcopis datũ ſit, traditiones, ſtatuta, & cæremonias in Eccleſijs inſtituere. Scripſerũt hac de re multi alij, ex quib⁹ vidimus Epiſcopi Vienen. itẽ Ioannis Eckij, & nouiſſimè doctiſſimas Alberti Pighij lucubrationes. Vnde ſuperfluũ videri poſſet, ſi negotiũ hoc alti⁹ repetere, & quaſi poſt Homerũ Iliada ſcribere vellẽ. Adde quod Aduerſarij iã mul-

multa nobis cõcedunt vltro, de quibus non ita dudũ magna ſuit inter partes altercatio: reprehendunt item in noſtris, quæ citra impudẽtiam excuſari, nedum cõmendari poſſunt minime. Ex Cõfeſſione accipim⁹ quod Aduerſarij docẽt diſcrimen eſſe inter Eccleſiaſticam poteſtatem & poteſtatem gladij: Et quod docent vtranq; propter mandatũ Dei religioſe venerandam, & honore afficiendã eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris. Accipimus quod ſentiũt poteſtatẽ clauium, ſeu poteſtatem Epiſcoporũ iuxta Euangelium, poteſtatem eſſe ſeu mandatũ Dei prædicandi Euangelij, remittendi & retinẽdi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta. Addunt quæ concordiam remorari nõ poſſunt, ſicut nec debent. Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladij, inquit Philippus, hanc non habent vt Epiſcopi ex mandato Euangelij, ſed iure humano donatam à Regibus & Imperatoribus ad adminiſtrationem ciuilem ſuorũ bonorum. Addunt rurſum, Epiſcopos habere poteſtatem cognoſcere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio diſſentientem reijcere, & impios, quorum nota eſt impietas, excludere à communione Eccleſiæ ſine vi humana, ſed verbo Dei. Nec excludimus docẽtes, quod liceat Epiſcopis ſeu Paſtoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Eccleſia. Exceptionẽ quam vbiq; annectũnt, iam ſępius excuſſam memineris. Rurſum nõ longè à fine tolerabilia dicunt. Non petuut Eccleſiæ, inquit Philip. vt Epiſcopi honoris ſui iactura concordiam ſartiant, quod tamen decebat pios Paſtores facere, tantum petunt vt iniuſta onera remittant, quæ noua ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ recepta, fortaſſis initio quædam conſuetudines habuerunt probabiles cauſas, quę tamen ſuperiorib⁹ tẽporibus non congruunt. Hæc ille. Quæ omnia, quis non æquo animo ſuſcipiet? Certè mihi talia videntur, qualia ſi vbique & ſemper ſic ſcripſiſſent Aduerſarij, Eccleſia tantas turbas nunquam vidiſſet. Nec inepta ſunt, quæ illi in Apologia in hunc qui ſequitur modum dicunt. Cæterum, inquit, ſępe teſtati ſumus, nos politicas ordinationes, & donationes Principum & priuilegia non reprehendere, &c. Et continenter traducũt ea, quæ Paſtorum negligentia in Eccleſiam irrepſerunt, certè non diſſimulanda vitia. Quis enim tergiuerſari poſſit, multos abuſus irrepſiſſe in Eccleſiam, ſiue verbi prędicationem, ſiue Sacramentorum adminiſtrationẽ reſpicias, ſiue tam clericorum quàm laicorũ mores cõſideres. Vtinam Pontifices ſemper vſi fuiſſent ſua poteſtate in bonum Eccleſiæ noſtræ, & iam non eſſet locus quæſtioni; Poteſtas illa iuris diuini ne ſit, an humani? Quid autem profuerit ſemper diſputare vnde, & quantam habeas poteſtatem, & ne ſemel reſpicere quàm dextrè illa vſus fueris? Dicam cum Apologia. Quãtum eſt mali quod in ordinandis ſacerdotibus nõ diligunt idoneos. Quid in mercatu ſacerdotiorum. Item in periculoſis diſpenſationibus, nihilne eſt vitij? Ab equorum ſtabulis, è culina, rapiuntur ſacerdotia, qui, quid ſacerdos ſit, ne per ſomnũ quidem cogitarunt, homines qui profeſſione ſunt indigni. Hæc illi, & verè. Nam vt iam olim D. Ambroſius conqueſtus eſt, neſcij homines & indocti in ordinationibus eorũ clamant, & dicunt: Dignus es & iuſtus es: & conſcientia miſera, indignus es, & iniuſtus es, &c. Vtinam vel iam tandem noſtri animaduerterent, quæ Theologus ille Nazianzenus alibi ſuo tempore non ſine lachrymis conqueſtus eſt de venerando Antiſtite Athanaſio loquens: Non accepit, inquit, thronum, quẽadmodum ij qui tyrannidem quandam aut hæreditatem præter opinionem ſortiuntur, ac violenter propter ſatietatem egit. Hæc enim degenerantium & adulterinorum ſunt ſacerdotium, & qui profeſſione ſunt indigni, qui nihil ad ſacerdotium afferunt, neque boni conſequendi gratia laborarunt, nihilominus tamen & diſcipulos ſe, & doctores pietatis ſe oſtentant, & priuſquam purgentur, purgant: heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes: heri ſacrorum expertes, hodie in ſacris duces: veteres in malitia, ac tenues in pietate. Hæc ille non minus noſtra quam ſua depingens tempora. Eligendo itaque ſacerdotes, vt ſacer inquit Ambroſ. ſic prouidendum eſt ne ſit nomen inane, & crimẽ immane. Ne ſit honor ſublimis, & vita deformis. Ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio. Ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus prouectus. Ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus. Hæc ille. Verum iam, vt Nazianzenus ait, non digniorum, ſed potentiorum ſunt throni. Vnius diei ſanctos facimus, ac ſapientes eſſe iubemus eos, qui nulla prędititi ſapientia, & qui nihil ad gradum, præter velle adferunt. Et quemadmodum D. Hieronymus ſcribit: Interdum hoc Pontificum vitio accidit, qui non meliores, ſed argutiores in Clerum allegũt: & ſimpliciores quoſque atque innocẽtes, inhabiles putãt: vel affinibus & cognatis quaſi terrenæ militię officia largiuntur, ſiue diuitium obediũt iuſſioni. Quodque his peius eſt, illis clericatus donant gratiam, quorum ſunt obſequijs deliniti. Hæc igitur cum ita ſint, dignum eſt, vt & Epiſcopi noſtri tandem in ſinũ inſpiciant, & quæ in ædibus ſuis praua vel recta gerantur, conſiderent: nec ſolum conſiderent, ſed etiam emendent. Corporis ſiquidem ſanitas non tantum ſita eſt in membris vilioribus, quantũ in capite. Nec mihi hęc eò dicta ſunt, quaſi hacten⁹ omnia iuxta exigẽ-

tiam

tiam Eccleſiæ ab Aduerſarijs ordinata ſunt. Ordinarunt enim ſeu potius ſubornarunt aliquos, quos melius fuiſſet Eccleſiã nũquam ingreſſos fuiſſe. Exẽpla notiora ſunt, quàm vt neceſſarium ſit multis recenſere. Negligẽtiam noſtrorum ſic ſarcierunt, vt nõ iniuria quis Tertulliani verba de Aduerſarijs dicere poſſit: Omnes, inquit, ſcientiam pollicentur. Ante ſunt perfectè Catechumeni, quàm edocti. Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtãtes. Nunc Neophytos collocant, nunc ſeculo adſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illis, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie fidei Decanus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt, &c. Hactenus ille. Tu vide, in quos merito torqueri poſſunt. Breuiter, Aduerſarij noſtri ſiue velint, ſiue nolint, cõfiteantur neceſſe eſt, ſe ſua poteſtate (ſi modo aliquam aliquo iure habent) non eſſe vſos, quemadmodum factum oportuit. Orent itaque à Deo commiſſorum veniam, & benignum ſperamus experientur iudicem. Iam porrò quoniam ad finẽ huius operis Dei gratia peruenimus, precamur ex animo pium lectorem accedat, legat, & iudicet animo pacis & Chriſtianę concordiæ ſtudioſo. Et ſi inuenerit me verum veræ fidei ſcopum attigiſſe, agat mecũ Deo omnium bonorum largitori gratias, quas poteſt maximas: ſi minus, authori mihi à Deo mihi precetur veniam, vt qui Eccleſiæ commodis (cui & hæc omnia ſubiecta ſunto) hactenus ſemper pro virili ſtuduerit. Humanum eſt labi: admonitus ergo erroris, gratias agam. Quod potui, hoc feci: & quòd à liberaliſſimo Domino accepi, in huius ſponſæ gratiam ſponte expoſui. Piſcatoriè diximus, vt Nazianzeni verbis vtar, non Ariſtotelicè: attamen non maleficè, ſed eccleſiaſtice. Si quid amarulentius in quenquam dictũ eſt, ſi quid minus modeſtè, veniam dẽt affectibus, quos quouis tempore obligare non eſt omnibus datum. Eccleſiæ concordiam quærimus, Eccleſiam amamᵒ, Eccleſiæ nos totos dedimus: Eccleſiam nobis ſemper florentem, & Spiritu ſancto fœcundam conſeruęt ipſius perpetuus ſponſus Chriſtus IESVS, cui laus & gloria in omnia ſecula.

FINIS.